Societas IESU usque ad sanguinis et vitæ profusionem pro DEO, et Christiana Religione militans,
in omnibus Mundi partibus fortitudinis suæ trophæa erigit.

C. Screta. del: M. Küsel. f.

SOCIETAS JESU

USQUE

AD SANGUINIS ET VITÆ PROFUSIONEM

MILITANS,

IN EUROPA, AFRICA, ASIA, ET AMERICA,

CONTRA

GENTILES, MAHOMETANOS, JUDÆOS, HÆRETICOS, IMPIOS,

PRO

DEO, FIDE, ECCLESIA, PIETATE.

SIVE

VITA, ET MORS EORUM,

QUI

Ex Societate Jesu in causa Fidei, & Virtutis propugnatæ, violentâ morte toto Orbe sublati sunt.

AUCTORE

R. PATRE MATHIA TANNER è SOCIETATE JESU,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORE.

PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem, per Joannem Nicolaum Hampel Factorem.
Anno M. DC. LXXV.

REVERENDISSIMO PATRI,
IN CHRISTO PATRI
NOSTRO

JOANNI PAULO OLIVA,

SOCIETATIS JESU PRÆPOSITO GENERALI.

PRoprio Sanguine purpuratos Societatis noſtræ Heroës,& glorioſis ab impugnata Idololatria, Hæreſi, ac quolibet Vitio, triumphis nobiles,cùm ſpectâſſem calamis variorum Hiſtoricorum & Encomiaſtarum pennis depictos: meritò, ùt debebam, gratulatus fui, ad ceteram rerum præclarè geſtarum gloriam, eximios iis fortitudinis Chriſtianæ præcones; atq; ùt Achillẽ Alexander ab encomiaſte Homero, ità iſtos ego ſingulos à ſuis præconibus felices exiſtimavi. Sed tamen neſcio quid ultrà, ſive ad illorum gloriam, ſive ad legentium utilitatem deſiderari mihi videbatur. Rebar quaſi in nebula adhuc præclaros hos pancratiaſtas,poſt eam illuſtrium Scriptorum lucem,verſari; & cupiebam de facie intueri, quos pennâ deſcriptos legebam; , quaſi illo Divi Auguſtini voto incitatus, quo non contentus Chriſti Salvatoris ſermones,& Pauli conciones è charta legere, ipſum Chriſtum in carne converſantem, & Paulum concionantem optabat videre: Cùm

Segniùs irritent animos immiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Unde mihi perſvadebam,potentiùs animos ad omnem virtutem incitandos, ſi facie ad faciem ſpectarentur, & quodammodo viventes in tabula proponerentur, quorum res geſtæ

pennâ relatæ,& veluti ſolâ famâ acceptæ,tantopere moverent. Succurrebat menti id,quod Rhodijs,admirantibus & laudantibus orationem Demoſthenis, quâ reum ſe peregerat, dixit Æſchines, ſuſpirans: *quid ſi*, ajebat, *ipſummet audiiſſetis ſua verba reſonantem?* Utî neſcio quid latentis energiæ habet viva vox, ità habet vultus virorum à facinoribus præſtantium, ad vivum repræſentatus. Animum igitur ſumſi, omnémq; curam eò conferre conatus ſum, ut illos æri inciſos redderem, & modo quodam viventes loquentéſq; repræſentarem, quibus in eruditis illis chartis vita deeſſe videbatur.

Hos verò cui potiùs, quàm Reverendiſſimæ Paternitati Tuæ deferrem,ac dicarem,in cujus domo, tanquam vernæ,in hoc opus nati ſunt? Tot purpuratorũ è Societate Heroum,cui Præpoſitus Generalis ſummo cum imperio præes, pretioſiſſima purpura, non una in parte Orbis, terrâ marîq; nata, Romã (quæ innumerorum Chriſti teſtium ſanguine tota colorata eſt, & Purpuratorum Eccleſiæ Præſulum ſedes) deferri debuit, atq; elegantiſſimum hoc Societatis JESU ornamentum in ſinum ejus Patris deponi, cui decor hujus Domûs D E I, ipſius ſummi Numinis arbitrio eſt commendatus. Sed & optimam purpuram, ut gratior venuſtiórque appareat, altè collocandam monet Seneca: *ſunt* (ait *Natur. quæſt: l.* 1. *c.* 5.) *quidam colores, qui ex intervallo vim ſuam oſtendunt. Purpuram Tyriam, quò melior ſaturiórque eſt, eò oportet altiùs teneas, ut fulgorem ſuum oſtendat. Non tamen ideo non habet illa colorem: quia quem optimum habet, non quomodocunq; explicetur, oſtendit.* Excelſus locus eſt, in quo divinis conſiliis Reverendiſſimæ Paternitatis Tuæ Sapientia Virtúſque collocata eſt: non viſus eſt dignior, quo pretioſiſſimam hanc, & omni Tyriâ nobiliorem purpuram extollerem, quæ etſi colore proprio quidem polleat, quo exornet pulcherrimum hoc Societatis Corpus, & ſplendore ſuo perſtringat oculos intuentium, fulgorem tamen ſuum ad illam ſublimitatem & altitudinem, mirum quantò liberaliùs copioſiúſq; explicatura eſt.

Deinde tot Victorum lauream, cui convenientiùs ſociâſſem, quàm Olivæ? quarum altera Pacis, altera Victoriæ (quæ utraq; belli finis) eſt ſymbolum. Propenſione quâdam na-

turali feruntur in Olivas Lauri, & in earum ſocietate, Plinio teſte (*lib.* 10.) uberiùs creſcunt. Lacedæmonij docuiſſe videri poſſint, quid faciendum mihi eſſet: *eos, qui ſe ſtrenuè geſſiſſent, & fortiter agendo occubuiſſent, olivâ coronare; qui verò perfectam & abſolutam virtutem præſtitiſſent, eos etiam amictos purpurâ glorioſè ſepulchris mandare ſoliti.* (*Ælian. var. hiſt. l.* 6.) Perfectiſſimâ fortitudine præſtantes Heroas noſtros, & ſanguinis ſui purpurâ exornatos, non potui nobiliore coronâ decorare, quàm ſi Nomini Reverendiſſimæ Paternitatis Tuæ ſubjicerem, plùs quàm Spartano ſerto ab hoc decore gloriaturos. Veteres Romanorum Imperatores, laurum in gremio Jovis collocâſſe memorat Plinius (*lib.* 10.) quoties novæ victoriæ lætitia nuntiaretur. Tot fortiſſimorum Athletarum victorijs non tantùm nuntiatis, ſed præconio omnium gentium celebratis, decebat nimirum me quoquè lauros deponere in ſinum Tuum, Reverendiſſime Pater, qui unus velut omnium Jupiter, id eſt, omnes *juvans*, à nobis omnibus coleris & celebraris. Oliva fructifera in domo DEI, laureis novis hanc quoquè gloriam Societatis JESU augeri ipſe vidiſti, ad quam nonnulli Tuis monitis ac præceptis inſtructi, ſtrenuè ac generosè proceſſerunt, plurimum ſuæ fortitudinis ad Tuam inſtitutionem ac monita grati referentes, imò & gloriam ſuam in beata illa æternitate tecum communicaturi.

Immortalis dicitur laurus carminibus Poëtarum: & verè immortalis eſt laurea Martyrum: congruentiſſimè igitur ſociatur Olivæ, quam annis ducentis vivere aſſerunt Scriptores. Ut Reverendiſſima Paternitas Tua annos ducentos, & ultrà vivat, precatur tota, quam ſapientiſſimè placidiſſiméque, prorſus Olivæ ingenio, gubernas, Societas. Tam optatæ longævitati commendare Laureas illas immortales jure oportebat, in quibus in tabulas æreas incidendis, meum hoc quale quale ſtudium, ſi benevolo annutu probare dignabitur Tua Reverendiſſima Paternitas, magnum me operæ pretium retuliſſe arbitrabor, & purpuratis hiſce Victoribus gratum ad poſteros me tranſmiſiſſe rebor monumentum: vel hoc uno argumento, quòd la-

bor meus Reverendiſſimæ Paternitatis Tuæ oculis probetur. Iterum precor, ut optimus DEUS Reverendiſſimam Paternitatem Tuam, ad commune totius Eccleſiæ, ac Societatis noſtræ incrementum & ornamentum, diutiſſimè conſervet incolumem.

Pragæ An. 1675. die. 1. Maji.

Reverendiſſimæ Paternitatis tuæ

Minimus Filius

MATHIAS TANNER S. J.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS
Soc. Jesu, Prov. Bohemiæ.

Cùm Librum, cui titulus eſt: *SOCIETAS JESU Cuſque ad ſanguinis & vitæ profuſionem militans*, à P. MATHIA TANNER Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, tres ejuſdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi poſſe judicaverint: poteſtate à Patre noſtro JOANNE PAULO OLIVA Præpoſito Generali ad id mihi datâ, facultatem concedo, ut liber typis mandetur.

In quorum fidem has literas manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo Officij mei munitas dedi. Pragæ 22. Aprilis, Anno 1675.

L.S.

Georgius Hohennegger.

Imprimatur.

MATTHÆUS FERDINANDUS
Archi-Epiſcopus Pragenſis, &c. &c.

PROTESTATIO AUCTORIS.

Cùm Sanctiſſimus D. N. URBANUS *Papa Octavus, die decimâ tertiâ Martij, Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, in Sacra Congregatione S. Rom. & Univerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idémq; confirmaverit die quintâ Julij Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto, quo inhibuit imprimi libros, hominum qui Sanctitate, ſeu Martyrij famâ celebres è vita migraverunt, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcunq; beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à DEO accepta, continentes, ſinè recognitione, atq; approbatione Ordinarij; & quæ hactenus ſinè ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſſimus die quintâ Junij Anno 1631. ità explicaverit, ut nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quòd illis nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes Auctorem. Huic decreto, eiúſq; confirmationi, & declarationi, obſervantiâ & reverentiâ, quâ par eſt, inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu, quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humanâ duntaxat auctoritate, non autem Divinâ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur; ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.*

Mathias Tanner S. I.

PRÆFATIO.

NIHIL ita glorioſam, & toto latè propagatam Orbe reddidit Chriſtianam Religionem, quàm perſecutionum atrocitas, & continuata infeſtatio, ex qua ſe ipsâ ſemper fortior evadebat & auctior, ſic ut meritò Sanguis Martyrum ſemen crederetur eſſe Chriſtianorum. Voluit Eccleſiam ſuam Dominus toto Orbe diffundi, & ex omni Natione quæ ſub Cœlo eſt colligi: ubique ergo infeſtiſſimis illam contradictionibus, adverſis, mortibus exagitari permiſit: teſtantibus ipſis illius hoſtibus Act. 28. v. 22. *De Secta hac notum eſt nobis, quia ei ubique contradicitur.*

In eandem hanc ſortem pari eventu admiſſa eſt ſingulari Numinis providentiâ minima Religionis Chriſtianæ portio Societas JESU, quæ ne vacuum hoc Nomen, vanâ ſolùm inter mortales jactantiâ circumferre videretur, facta eſt non tantùm Nominis, ſed etiam Paſſionum JESU Societas. Fruſtra enim tam gloriosâ appellatione inſigniretur, nisì etiã ijsdem inſignibus cum Domino gloriaretur. *Abſit* enim à Socio JESU *gloriari*, nisì *in Cruce Domini noſtri JESU Chriſti*: ad Galat 6. cum quo *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus* inveniri debet *frequenter*. 2. Cor. 11. *Non eſt ſcilicet Servus major Domino ſuo.* Joan. 15. &, *ſi Patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magìs domeſticos ejus?* Matth. 10. Conteſtante idipſum pro ſolatio ſervorum ſuorum Domino, Joan. 15. *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: ſi Mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Ut adeo non tantùm perſecutiones veluti pretioſam hæreditatem Apoſtolis, laborum ſuorum ſocijs relinquere, ſed ſummam in ijs felicitatem & beatitudinem conſtituere voluerit: *beati*, inquiens Luc. 6. *eritis cùm vos oderint homines, & cùm ſeparaverint vos, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter Filium hominis: cùm dixerint omne malum*

lum adversùm vos mentientes, & perſecuti vos fuerint. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Matth. 5.

Cujus Beatitudinis tam copiosè participem facere minimam ſuam Societatem placuit Divinæ Majeſtati, ut vix invenire facilè ſit Ordinem Religioſum, qui diris magìs inſectationibus ubique terrarum, ab omni genere & conditione hominum fuerit exagitatus. Sanè odijs hominum uſque eò expoſita ſemper fuit, ut Gentiles quidem & Hæretici Vatiniano illam odio perſequentes, quoſvis alios Religioſos faciliùs patiantur, JESUITAS veluti peſtem Orbis, malorum omnium Architectos execrentur. Nec inter Catholicos capitalia illi deſunt odia; inter quos prodigio pene ſimile eſt, ſi quis laudibus eam celebret & commendet, pleriſque paſſim eam inſectantibus; atque illis potiſſimùm, quibus plura per ipſam commoda & beneficia obvenerunt. Ut non immeritò uſurpare poſſit illud S. Jgnatij Martyris, in Epiſtola ad Romanos querentis, ſe inter mortales veluti leopardos verſari, *quibus & cùm benefeceris, peiores fiunt.* Quanto non gaudio in malis & adverſis illius quidam exiliunt! quanto non ſtudio alij nævos ejuſdem, ſi quos ſubinde, ùt inter homines, evenire contingat, quàm latiſſimè vulgare, propalare ſtudent! non alio magìs genere librorum delectati, quàm ad illius lacerandum nomen procuſis. Quorum nonnulli eam odiſſe minimè contenti, alios quantùm poſſunt in ejus execrationem inducere conantur: ſocietatem hominum pſeudopoliticorum, ſuperborum, ſceleratorum eſſe jactantes: ſic ut ante non multos annos unus aliquis, profeſſionis aliàs ſanctæ, etiam in typis profeſſus ſit, ſe in odienda Societate non eſſe liberum, ſed neceſſitatum, eò quòd ita certus eſſet illam eſſe congregationem hominum nequam, ut citiùs negaturus foret Trinitatem in Dei Unitate, quàm crediturus Jeſuitas eſſe homines probos.

Quot deinde Regna & Provinciæ Societatem â ſe *ſeparârunt, & nomen ejus tanquam malum ejecerunt!* Vix in ullam Regionem admiſſa fuit, quin de ejus inde ejectione rurſus ageretur. Ejecta autem, & reipſa infamiter proſcripta fuit

ex Gallia, Venetijs, Bohemia, Hungaria, Livonia, Moravia, Belgio, Tranſylvania, Anglia, Scotia, Svecia, Grizonibus, Japonia, China, Æthyopia, Congo, &c. additis plerumque probroſi exilij decretis publicâ auctoritate firmatis, columnis & pyramidibus ad æternam infamiam; addictione etiam domuum & rerum ipſius in direptionem, & propoſitis in vitam & caput Sociorum, veluti facinoroſorum perduellium, præmijs.

De *malis*, quæ adversùs Societatem *mentientes dixerunt*, & etiamnum dicere & ſcribere pergunt, infinitus ſim ſi proſequi velim. Vulgati enim contra illam ſunt omnis generis libri, Hiſtorici, Poëtici, Fabuloſi, Mercuriales, Cenſorij, Forenſes, Provocatorij, Satyrici, Philippici, Anatomici, Prophetici, & qui non? certè Bibliothecam bene grandem ſoli impleturi ſint, quorum vel ſola in ſyllabum redacta Auctorum nomina, typis nuper Rupellæ vulgata, juſtum volumen conflârunt. His porrò quàm exoticos prorſus titulos præfigunt! & ut lectorem ad evolvendum permoveant, doctrinam illis ſcitu privatis æquè ac Regibus perneceſſariam tradi profitentur. ubi hic torquet, hic interpretatur, hic damnat Societatis JESU vitæ methodum & conſtitutiones: alius nec nomen quidem ipſum, & appellationem Societatis JEſu ſuſtinendam putat: alius doctrinæ ipſius adumbrat arcanum, alius retegit: eſt qui phyſionomiæ illius deſcribit notas, componit horoſcopum, ſubtili anatome ſpiritum diſſecat, ſcrutatur fibras & interiora vitalia: non deeſt qui latentia examinet ſtudia, referat privata ejuſdem colloquia, ſecreta ſpargat monita, arcanas evulget induſtrias & documenta: ille aphoriſmos illius enumerat, â primævo defluam ſpiritu repræſentat, peculiarem ejus agendi modum, artes aperit. Sunt qui flagitia illius enarrent, infantes videlicet ſexcentos ùt minimùm domi ſacrilegio natos, & parricidio merſos in piſcinis: deprehenſas in Bibliothecis puerperarum partui deſtinatas ſedes: congeſta in Templorum cameras perduellionibus concitandis arma: nocturnos cum Dæmone tractatus, & exinde quatuor cornibus, ùt olim Moyſi ab affatu Divino,

vino, deformatos in ſingulis vultus: theſauros undiq; in ſepulchra defoſſos. Ad hæc Provinciarum rebelliones, cædes Regum, Orbis deprædationes & ruinas: déq; Inſtituto, moribus, doctrina, conſilijs & actionibus tam varia ſimul & contraria, ut nec de monſtris plures olim fabulæ â Poëtis prodierint.

Quid de perſecutionibus dicam? nullus locus, nulla Provincia, vix Civitas ulla, ubi non publicis aut privatis exercita fuerit, ac veluti aurum in fornace probata. Solas illas referet hic liber, quæ ad mortem uſque & ſanguinis effuſionem pervenerunt: ex quibus patebit nullum eſſe elementum, nullum genus tormenti & pœnæ, cum quo non invictiſſimi Societatis JESU pugiles pro cauſa Dei decertârint. *Alij diſtenti ſunt, alij ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuiêrunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti.* Hebr. 11. Verbo, *tranſiêrunt per ignem & aquam.* Pſal. 65.

Neque eſt quod de enumerandis perſecutionum ejuſmodi fructibus, & ex ijs ſecuta Societatis dilatatione atq; incrementis laborem. Res ſeipsâ in aperto eſt, quando totus Orbis terrarum (id quod moriens ingenti ſtupore & dolore querebatur Philippus Melanchton) Jeſuitis impletur, neque ulla Regio, nulla Orbis habitabilis portio eſt, in quam non *exiverit ſonus ejus*, & *quam non calcaverint pedes ejus, pedes ſpecioſi*, quia *evangelizantis pacem, evangelizantis bona*; tam feliciter *Domino cooperante, & ſermonem ſequentibus ſignis confirmante*, ut illi; Pontifices Gentium converſionem; Jmperatores, Reges, & Principes, Orthodoxæ Fidei in ſuis Ditionibus conſervationem, & Acatholici omnes ſuas ruinas & damna potiſſimùm adſcribant. Nimirum quia pars nulla Orbis eſt, in qua non Socij JESU *euntes ſemina* ſui ſanguinis *miſerint*, dignum erat, ut ex omnibus ſimul Orbis regionibus *venientes, cum exultatione portarent manipulos ſuos.* Quod ut tantò evidentiùs pateret, placuit in his mortibus Pugilum Chriſti recenſendis, non annorum ſeriem & ſucceſſionem, ſed locorum diver-

ſitatem ſectari, & in quatuor partes, totidem Mundi portionibus reſpondentes, librum partiri, ita ut primus referat omnes in Dei cauſa per Europam, alter per Aſiam, tertius per Africam, quartus demũ per Americam cruentâ morte ſublatos.

Quibus nê terreamini, ô invicti talium Heroum in Societate JEſu poſteri, ſed contra tantò audentiùs ite. *Nè putetis vos melioris eſſe conditionis*, verbis vos alloquor Pauli 4. Pontificis Max. quibus ad congregatos primi Conventûs Generalis Patres veſtros uſus eſt, *quàm Legis utriuſque Sanctos Dei Legatos. Similiter vobis continget: multi enim non recipient vos, neque doctrinam veſtram; ſed perſequentur vos & interficient, obſequium ſe præſtare Deo arbitrantes: non tantùm à Fide alieni, barbari, & qui in novis Inſulis Chriſtianum nomen hoſtiliter inſectantur, ſed etiam illi, qui communi nobíſcum Chriſtianorum nomine gloriantur. Perturbatiſſimum enim ſæculum hoc eſt, quo Dominus vocavit iſtam Beatam Societatem.* Mementote Societatem hanc in Monte Martyrum, per vota ab Jgnatio & Socijs primò nuncupata, natam, ſanguine pro Chriſto toties fuſo alitam & roboratam, non aliter quâm adverſis & inſectationibus (qui ſenſus erat JGNATII, XAVERII, & BORGIÆ) conſtituram, & in majus ac melius profecturam. Atque adeò

omne gaudium exiſtimate, cùm in tentationes varias incideritis: Jac. 1. *quia ſi exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcit.* 1. Pet. 4.

SO-

Societas IESU in Evropa Christi iugo subigenda laborans, inter clades suorum nec-
C. Screta del : stat immobilis Palma . Melchior Küsell. f :

SOCIETAS JESU EUROPÆA.

PRIMA & potiſſima totius Orbis, non quidem molis magnitudine, ſed humanæ Politiæ prærogativâ, eſt Europa; tota aliquando Catholicæ Religioni, & Vicario Chriſti ſubjecta, nunc autem majore adhuc ſui parte Chriſtiana, licèt paſſim Acatholica, præterquam ubi Mahometana lues peſtilenti dogmate Græciam, & vicinas illi Provincias intoxicavit. In hac nata Societas JEſu, plurimùm ſibi laborandum exiſtimavit, tunc potiſſimùm à Domino ſuſcitata, cùm maximè *Eccleſia militans novo indigeret ſubſidio roborari*: quod ſibi per Jgnatium contra Lutherum, Calvinum, aliósque Fidei Hoſtes in tempore à DEO ſubmiſſum eſſe, grata ſemper agnovit Eccleſia, prædicavêre Romani Pontifices, *DEum, ſicut alios alijs temporibus Sanctos viros, ità Luthero, ejusdémque temporis Hæreticis, Jgnatium, & inſtitutam ab eo Societatem objeciſſe.* Brev. Rom. in feſto S. Jgnatij. In hos quàm feliciter depugnaverit, & depugnet etiamnum hodie, perpetui de attrita Hæreſi reportati loqvuntur triumphi. Hæreſis etenim impunè ante conſcriptam Jgnatij Legionem graſſata, ſecundis armis omnem, in quam irrupiſſet Regionem, totum pene Romanum Imperium, occupabat; donec auſpicijs Jgnatij profligata, & plurimis Urbibus, Territorijs, Regnis, & Provincijs exacta, victoriarum curſum ſiſtere, & in ſua caſtra ſe recipere coacta eſt, ubi vix terminis ſuis ſecurè ſe continens, de adjungendis pluribus ſibi Provincijs & Regnis deſperare cogitur.

Nec minùs fortunato ſucceſſu rem Catholicam tuita eſt, cujus in Ditionibus ſuis ab Hæreſi ſemper intactis, incolumitatem, ſoli Societati JESU adſcribebat Sereniſſimus Bavariæ Dux Maximilianus: in qua Caniſij & Hoffæi conatibus conſervati Cantones Helveto-Catholici, illud Eccleſiæ carmen grati illis accinuerunt: *Petrus Caniſius, & Paulus Hoffæus, ipſi nos docuerunt legem tuam Domine.* Quid de ſacratiſſimæ memoriæ FERDINANDO II. dicam? In nulla Provincia, nulla Vrbe, ſecurè habitaturam Fidem Romanam credebat, in quam Præſidium è Compagnia JESU non induxiſſet. Id quod in Vienna ſuæ Auſtriæ, Praga, Boëmiæ Metropoli expertus, quamcunq; Regionem, Provinciam, ac pene Vrbem debellâſſet, eidem de Societatis Collegio proſpiciebat; eo eventu, ut omnes hodie non Catholicas ſolùm ex integro, ſed & in Fide ac Pietate ferventes, Religioſis

ac Cœ-

ac Cœnobitis ex Societatis ſcholis prodeuntibus refertiſſimas ſeſe mirentur eo Acatholicarum adhuc Vrbium timore, ut nihil æquè ſollicitè procurent quàm ne quâ arte vel fortunâ Societas intra earum ſepta irrepat, veluti certiſſimam Hæreſi ſtragem & exitium illatura. Quos ex Collegijs Societatis in Univerſale Eccleſiæ bonum redundantes fructus, expertus Carolus Caraffa ad eundem Cæſarem Legatus Apoſtolicus, plurimùm eorundem fundationes Deo gratulatus eſt in Comment. de Germania ſacra reſtaurata, fol 271. *Collegium*, inquit, *Znoymæ, Collegium Jglaviæ, utrumq; quaſi firmamen & ſtabilimen Catholicæ Religionis erectum eſt. Habitat enim in illis Societas JESU, Magiſtra morum, hæreſum vindex, vitiorum expultrix, præceptrix virtutis, Juventutis nutrix.*

Atque hæc ſincera Societatis ſuæ ſtudia coronaturus Dominus, maximorum illi triumphorum materiam, omnibus propè Europæ Regionibus exhibuit, in quibus proprio ſanguine purpurati non ſolùm de Hæreſi & crudelitate Hæretica triumpharunt inter Heterodoxos, ſed etiam vitia & impietatem inſectantes, glorioſam Animam poſuerunt pro Virtute & Pietate inter Catholicos. Videbis hìc ab Hæreticis laqueo, ſecuri, igne, tormentis, undis, membrorum omnium diſſectione, inauditis etiam apud Barbaros Carnificinæ modis, exturbatum pro Fidei defenſione Socijs JESU ſpiritum, in Anglia, Scotia, Hybernia, Suecia, Germania, Tranſylvania, Gallia, Hungaria, Boëmia, Belgio, &c. Nec minùs miraberis à malis Catholicis veneno, ferro, fuſtibus, ſcloporum glandibus, ereptam ijsdem pro Virtute propagata vitam, in Sicilia, Luſitania, &c. Quæ dum legis, ne in ſola Heroum commendatione ſiſte & admiratione, ſed exemplo eorundem, *pro Iuſtitia agonizare, tanquam pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro Iuſtitia.* Eccl. 4. ℣. 33.



P. Emmanuel Fernandez Societatis IESU, natus in Afri, ca Tungi, pro Christi honore interemtus, in Luſitaniâ ad Eboram. 18. Februarij A.° 1555.

C. Screta del. Melch. Küſell f.

P. EMMANUEL FERNANDEZ.

MActe animo Societas JEſu! lætiſſimo omine primitias ſanguinis in Europæ cultura profundis! Ecce enim in *Emmanuele nobiſcum Deus* eſt, pro quo uſque ad ſanguinem non tam decertas tu, quàm ipſe pugnat in te. Natus Perilluſtri ſanguine Emmanuel Tingi in Africa, ab infantia Divinitati capax hoſpitium Animam ſuam præparabat; ſiquidem *ab infantia crevit cum eo miſeratio* in pauperes tam ſingularis, ut Advocatum eorum apud parentes ſe conſtituens, ſtipem pro ijs eblandiretur. Pro debitoribus autem tantâ potentiâ apud eosdem exorabat, ut nollet cibum capere, nisi ſua priùs illi nomina recepiſſent. Magni deinde Xaverij, & Simonis Rodericij virtutum exemplis captus, Societati JEſu adſcribi Ulyſſipone impetravit; in qua eandem illam perſuadendi & perorandi vim, Apoſtolico Zelo ità feliciter conjunxit, ut pervicaciſſimos etiam peccatores percelleret. Eboræ in Societatis morem induxit, ſontes comitari ad ſupplicium, & illis ſanctè, & piè ex ſua inſtructione defunctis, pro ſummis patibuli ſcalis ad confertum ſpectatorem verba facere. Primus itidem ex Societate ad excolendum agrum tranſtaganum evocatus, corrogatâ ſtipe victitare, pedes univerſam Regionem percurſare, ſæpius per hebdomadam ad populum

manè pro concione, plerumque ſemper cum lacrymis, dicere, & quotidie ſub veſperum catecheſi rudes imbuere in more habuit. quo animarum fructu, ex ſequentibus conijce.

Beja Vrbs tranſtagana, non civium, ſed infenſiſſimorum, ob inveterata odia, hoſtium videri poterat habitatio. Quam ſuâ dicendi vi ità permovit, ut vice unâ plures quinquagenis ad portam Vrbis habuerit obvios, inimicitias invicem mutuo amplexu condonantes; omnibus exinde Incolis in amicitiæ fœdera, & non jam civiles, ſed fraternos affectus reductis. Audierat eundem Ulyſſipone in Veneris mancipia detonantem Africanus quiſpiam, novennio jam à legitima Conjuge & prolibus, per alienos amores evagatus, qui ſalubrioribus flammis inde incenſus, è veſtigio conjugalis tori fidem & voto firmavit, & tranſmiſſo mari ad conjugem reverſus, Patris & mariti munus re ipsâ implevit. Idem Helvijs, nobili Luſitaniæ Vrbe, in evanidarum rerum ſectatores invectus, ità Matronæ cujuſdam ornatum muliebrem ſupra honeſtum decorem ſectantis, animum permovit, ut ſub ipſa concione mundum ſibi diripiens, oculos omnium ſtupore, maritum autem, ornatū illū uxori ſuadentem, irâ & indignatione compleverit. Sed ſemel peroraturum proximè audire Emmanuelem ſatìs fuit, ut eidem placatus, & ſibi ipſi, omníque ſuperfluo mundo infenſus fieret, toti deinceps Vrbi modeſtiæ ſingularis cum uxore factus Exemplar. Deniq; tam feliciter Civium mores in melius emendavit, ut Ludovicus Granatenſis, præcipuum Familiæ Prædicatorum ſydus ediceret, Helvios ab illo vix primo acceſſu ità mitigatos, ut inveteratam ferociam dedocti, toti in alios à ſeipſis abirent; quos tamen ipſe nullis concionibus flectere potuiſſet. Nec minùs Bartholomæus de Martyribus, ex eadem Familia ad Bracharenſis Eccleſiæ infulas evectus, Apoſtolicum in eo ſpiritum ſuſpexit; quin adeò univerſam ex una ejus perſona Societatem metiens, Collegium illi ampliſſimum Bracharæ fundavit, & extruxit.

Atque hic ipſe dicendi ardor glorioſæ illi pro DEO necis oppetendæ copiam paravit. Poſt totius Vrbis, apud Helvios, converſionem, unum remanebat genere & fortunis clariſſimum par, obſtinatè in publica ſtupri conſuetudine, cum omnium offenſione, perſiſtens. Hoc ſcandalum ut tolleret, totâ, quâ pollebat vehementiâ Spiritûs, in Veneris mancipia, tacitis interim reorum nominibus, tam acriter è ſuggeſtu invectus eſt, ut turpitudinum complex fœmina, ſceleris ſui immanitate, pœnarúmque ei debitarum comminatione pavefacta, à nefario conſortio ſe divelleret. Cujus emendatione in rabiem ſcilicet actus inveteratus Leno, Patrem de medio tollere omnino conſtituit. Igitur redeuntem Eboram, manipulis inter Helvios collectis lætum & exultantem, ſceleratus cum ſicarijs aliquot vultu velato adoritur, qui causâ necis apertè exprobratâ, terræ alliſum, pedibúſque proculcatum, fuſtibus, & ſacculis arenâ fartis, ad mortem uſque contundunt. Ità confectum, & jam animæ trahendæ imparem rati, terga vertunt: quos ille blandiſſimè revocans, *ne fugite*, inquiebat, *filioli eum qui vos amat, & veſtro ſcelere graviùs, quàm ſuo dolore afficitur. Redite amabò ad me, paratum pro vobis ad mortem, ſi viſum Deo fuerit, oppetendam. Nullus eſt qui facinus veſtrum evulget, nullus qui cædis facta inſimulet. Si cum Deo, utì par eſt, in gratiam redire cupitis, en præſto ſum, qui vobis ab admiſſa injuria, & contracta hinc excommunicatione, abſolutionem pro poteſtate mihi conceſſa, impertiar.* Quâ charitatis plenâ oratione emollitus ſicariorum unus, & facinus ſuum execratus, ad moribundi ſeſe Patris pedes abjecit, & inſtitutâ cum lacrymis confeſſione, ab eodem Sacramentalem veniam eſt conſecutus; factus exinde illi Eboram, quibus poſſet viribus pergere connitenti, auxiliaris viæ comes; cujus lapſabundum gradum fulciens, ad Eborenſe Collegium ſpirantem adhuc perduxit. Pauculis, quibus ſupervixit, diebus, à Cardinale Archi-Epiſcopo Infante Regio, poſtmodum Luſitaniæ Rege viſitatus, neque ullam querimoniæ vocem emiſit, neque induci ad ullum ſui percuſſoris vel leviſſimâ ſuſpicione faciendum indicium potuit; neque rei patratæ ſeries priùs, quàm ab ipſo illius Auctore narrata, innotuit. Egit inter ſacra

JESU & MARIÆ nomina pretioſam animam Eboræ. 18. Febr.
Anno 1555.

P. PE-

P. Petrus Venustus Helvetus, Soc. IESV, pro Christi honore interfectus Bibonæ in Sicilia A° 1564. 19. Octob.

C. Screta d. M. Küsell f.

P. PETRUS VENUSTUS.

VAllis Tellina, à rubore delicatiſſimi vini celebris Italiæ ora, Palmitem hunc produxit, qui ut fructus gigneret uberrimos, ab ipſo S. Ignatio in vineam Domini inſertus, excultúſque, ità viti ſuæ Chriſto firmiter inhæſit, ut nè morte quidem ſeparari ab illo potuerit. Princeps inter virtutum ejus fructus erat Humilitas, ſemper in ſui contemptum intenta, quâ & pueros infimæ claſſis maximo ſtudio excoluit, & vinctis in carcere, ægris in publico valetudinario, privatiſque domibus inopiâ preſſis, omni denique calamitoſorum generi, præſto ſemper adfuit, etiam tunc, cùm Bibonenſe Collegium in Sicilia per annos ferè octo Rector gubernavit. Cúmque Vrbis illius Duces Petrus de Luna, & Iſabella Vega eum ſibi ad ſacras Confeſſiones delegiſſent, ipſe tamen infima ſemper ambiens, Catecheſim rudibus explicabat, & ex opulentis ſtipem per domos colligens, miſerias inopum oſtiatim levabat, ob æs alienum vinctos perſolutis nominibus liberabat, moribundis & ægris aderat, milléque alias neceſſitatibus miſerorum occurrendi vias, indefeſsâ Charitate inveniebat. Singularis ejuſdem fervor, & zelus enituit in reducendis ad primigenium ſpiritum Virginum Cænobijs, quæ à priſtina vitæ ſeveritate collapſa, ità feliciter

reſtituebat, ut cùm Monaſterij Virginum Rollionenſis deſperatâ emendatione, Siciliæ Pro-Rex, & Archiepiſcopus, Panormi de integro novum formari juſſiſſent, illi inſtituendo primus delectus Pater Venuſtus, tantâ efficaciâ & vigore rem adminiſtravit, ut ex egregijs illis initijs excellens deinde ſanctitatis ejus fama emanârit. Itâq; inter præclara ſanctitatis opera Martyrio matureſcens, ut ad certamen mortis exemplo Dominico, & Sancti Laurentij ſeſe præmuniret, ſolebat feriâ quintâ Majoris Hebdomadæ, inter alia pietatis munera, ſubditis ſibi ſocijs pedes abluere, ad quos etiam pridie, quàm glorioſam mortem oppeteret, veluti divinitus illius præſagus, exhortatorium ſermonem inſtituens, illa Domini verba pro themate aſſumpſit: *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum.*

Et revera lupum expertus in ſe crudeliſſimum eſt Rogerium quendam Valentium, licèt ſub ovina pelle, Clerici veſte, Sacerdotem, quem, cùm ad commendationem Patris Dux Bibonenſis inter familiares accepiſſet, ut ſibi eſſet à ſacris, haud multò pòſt vitijs ejus, aleæ præſertim intemperantiâ offenſus, domo ejecit. Ejectum & inopem miſeratus Pater Venuſtus, cùm præſertim omnia alia in futurum, & dignam Sacerdotio vitam ſponderet, iterum Duci commendat, & hic iterum promptiſſimus recipit; brevi tamen ad ingenium & aleam, quod plerumque fieri amat in vitijs ſolâ neceſſitate, & humanarum rerum reſpectu, non autem ex timore DEI relictis, rediturum. Denuo igitur expulſum Ducis familiâ, Pater Venuſtus tamen curare non deſijt, hortando, monendo, obſecrando, ut vitia, quæ non Deo ſolùm, ſed hominibus etiam exoſum ipſum cum irreparabili damno facerent, tandem ejiceret, atque ad frugem, & dignos Sacerdote mores ſeſe reciperet. At is monitorem, ſalubria, moleſta tamen ingerentem, ad mortem deſtinat, in ſolam ejus çaptandam opportunitatem intentus. Quam ut & præcipiti conſilio quantocius illi maturaret, fecit Ducis ſententia, qui illum nihilo meliorem calamitate factum, in vincula per Epiſcopum dari petierat, ut vel pœnâ correctus ſaperet, vel certè multitudinis è conſpectu ſublatus, deſineret publicè offenſioni eſſe. Quod ſubodoratus miſer, auctorem illius conſilij Patrem Rectorem dum ſibi perſuadet, nihil ultrà explorans, ut maleficium ſcilicet præveniat, illum de vinea Collegij poſtridie S. Lucæ, quarto Cal. Novembris Bibonem revertentem, ad locum, qui vocatur pons magnus, cum ferro expectat. Redibat is lento gradu, quia orationi intentus, humili jumento vectus, locúmque præteriens, ſicarium ſuum blandè etiam ſalutaverat; qui turbidum neſcio quid, ùt ipſe poſtmodum fatebatur, reponens, à tergo Patrem invadit, tribúſq; altè vulneribus ad cerebrum uſque fiſſo capite, præcipitem dat in terram. Qui in ſanguine proprio aliquamdiu volutatus, inter ſacra JESU & MARIÆ invocata nomina, à viatoribus Bibonenſibus paulò pòſt repertus eſt, caſu tam horrendo attonitis, & num facinoris auctorem in ſe patrati noſceret, percontantibus. Noſſe equidem illum perbellè fatebatur, adduci tamen ut proderet nullatenus potuit, ſolum hoc ſubnectens: *ſinite illum, DEUS ei ignoſcat.* Iterúmque atq; iterum JESUM ſuaviſſimè appellans, expiravit, publico totius Vrbis luctu elatus, quæ ſacrilegum Parricidam continuò vulgatum execrata, necem P. Petri Martyrio S. Joannis, ob increpitum ſcelus Herodiadis, & S. Petri è Dominicana Familia, ob impugnatam hæreſim interfecti æquabat: Laureolâ etiam, & palmâ manibus illius in effigie appictâ, licèt hoc tandem Patrum conatu, & ſtudio impeditum ſit. Paſſus eſt Bibone 19. Octob. Anno 1564. ætatis 41. initæ Societatis 18.

P. MAR-

P. Martinus Guttierez Hiſpanus S. I. ſqualore carceris & verberibus ab Hæreticis pro Dei honore enectus Cardeliaci in Gallia A°. 1573. 21. Febr.
C. S. d.

P. MARTINUS GUTIERREZ.

PAter Martinus Gutierrez, ob inſignem vitæ ſanctimoniam, & prudentiam, inter primarios Societatis Viros meritò computandus, in lucem hanc editus eſt Almodovari in Hiſpania A. 1524. Confecto Philoſophiæ, & Medicinæ curſu, cùm ejusdem Artis exercitamenta jam faceret, repentè ſtimulis conſcientiæ incitatus, Spiritualibus S. Patris Jgnatij Exercitijs, ductore Franciſco Villanovâ excoli voluit, quibus non obſcurè ad animarū potiùs curam vocari ſe ſentiens, tanto ardore Societatem amplexus eſt, ut obſonatorem agere juſſus, prodiret quotidie in forum Complutenſe, totâ ſpectante Academiâ, vili ac lacerâ indutus togâ, annonam ſocijs coëmpturus. Inde ſcientijs Theologicis animum Sacerdotio parare juſſus, eâ ingenij doctrinæque opinione in ijs verſatus eſt, ut æqualibus ſuis publicè diſputaturis, ipſe etiam tum condiſcipulus Salmanticæ præſideret, doctiſſimis quibuſque, etiam Profeſſoribus contrà arguentibus. Ad principes ſubinde Hiſpaniæ Cathedras, Cordubam, Hiſpalim tranſmiſſus, admirabili prorſus, & inuſitatâ dicendi efficaciâ cùm omnia miſceret, & divinis incendijs inflammaret, primùm Placentino, tum Valliſoletano, ac Salmanticenſi Collegio, ac tandē Profeſſorum Domui præfectus eſt. Singularis

in eo

in eo, planéq; filialis in Societatem vigebat affectus, ſic, ut centenis plures viros, doctrinâ & virtute illuſtres ad eam adduxerit, tantâ efficaciâ ſolitus DEO pro illis ſupplicare, ut quotquot poſtulâſſet, unum ſi demas, omnes ad Societatem non multò pòſt acceſſerint.

Principio ſui Regiminis mirè angebatur defectibus quibuſdam ſuorum, quorum dum vita agitur, vix etiam eximiè perfecti exortes eſſe poſſunt. Dúmq; anxiè ſuper hoc queritatur aliquando apud Deiparam, ſub examinis veſpertini tempus; immodicam illa famulo ſuo curam abſterſura, bilancem ei viſendam exhibuit, quæ parte unâ ſuſtinebat corculum mirè anguſtum, & rugis contractum, cui penitus abſorbendo duæ cruoris ſtillæ ſat erant: alterâ item cor vaſtum & amplum, fluminis etiam glutiendi capax, quod docebat eſſe DEI, tot ſceleribus Mortalium non obruendum; imitandum proindè illi, in præſtolando patienter lapſorum ad frugem reditu: ſimúlque patefecit, omnes id temporis illi ſubjectos ſocios, æternæ felicitati deſtinatos eſſe. Ex quo tempore in alium penitus virum evaſit, plurimum jam ſuorum fidei permittens, quos ad arduas & heroicas virtutes ità incitabat, ut exemplo ſemper ipſe præiret. Eosdem charitate paternâ complectens, ut neceſſitatibus avertendis opportunè obviaret, etiam prodigijs è Cœlo juvabatur, quibus & tentationes eorum periculoſas pervidebat, & intima eorum ſenſa prior ipſe ultro aperiebat. Sanè unum è Fratribus toto corpore morbis obſeſſum, unico de more Societatis complexu, ab omnibus ſimul repentè abſolvit. Et alium tetricâ futurorum, quæ circa ſe annis inſequentibus eventura ominabatur, cogitatione turbatum, inopinâ hâc ſecreti conſciâ demulſit allocutione: *Ne te fatigaveris frater, id per hos quinquaginta annos tecum fiet, quod DEO viſum fuerit.*

Nec remiſſius fuit in extraneis juvandis ſtudium. Ut enim conſuleret calamitoſis, quos inopia & patrocinij deſtitutio ad extrema deducebat, Cætum inſtituit piorum hominum, cui cum Aſſeſſoribus ipſe Senatûs Regij Præſes, totâ Nobilitate præclarum exemplum ſequente, nomen dedit: ex quorum numero alij ægros ſolari, alij egentibus præbere vitæ ſubſidia, alij in cuſtodijs quotidie verſari, alij cauſas miſerorum pro Tribunalibus, quantâ poſſent maturitate expedire, alij moribundis extrema Sacramenta procurare, hebdomadatim per ordinem adſtringebantur. Inter quos nihilominus alienæ procurandæ ſalutis conatus, tam collecto ſemper in DEum verſabatur animo, ut perpetuas in DEum extaſes pati videretur; ſic, ut media etiam inter colloquia ſpectandum ſe illi præberet Dominus, eo habitu & formâ, quâ ad Calvariam per compita Hieroſolymæ raptabatur. Vnde neceſſariò accidebat, ut perpetuâ oris, modò in pallorem, modò in ruborem mutatione, attonito ſimilis, vultu exhorreſcente, improviſos exhiberet motus, ſæpe per vim ſpiritûs afflictus in terram; plerumque tantis internè preſſus anguſtijs, ut ad laxandos pectoris ſinus, clamores ederet mugitibus perſimiles.

Inter hos tamen omnes pietatis affectus, prima fuit incredibilis quædam in Dei Matrem propenſio, duplici per hebdomadam Feriæ quartæ & Sabbati Jejunio, jam indè à puero firmata; cujus amore eos etiam Cœlitum impenſiùs coluit, qui intemeratæ Virgini, ſive ſanguine, ſive veneratione propinquiores fuiſſent. Viciſſim autem Deipara, ſublato omni, quo pertinaciter ab orando impediebatur, capitis dolore, admirandum illi orationis donum contulit. Familiariſſimè interim prorſus ac otiosè contemplandam ſe illi, in Divina quadā forma identidē exhibens. Obtinuerat idem apud Franciſcum Suarium, cui etiamnum Juveni in Theologicis ſubtilitatibus dexteritatē vaticinatus fuerat, ut ſpeciali tractatu evinceret, plus uni Mariæ virtutū & gratiæ cœlitus collatū, quàm Cœlitibus & Angelis ſimul omnibus. Quod pium ejus ſtudium Virgo ratum habens, grates ei ſpectabilis facta repoſuit, quòd ipſo auctore tam luculentè Suarius ſuam gloriam amplificaſſet. Aliàs eximiâ ſpecie, pallio in magnam latitudinem expanſo, eidem ſe obtulit, ſub quo Societatem JESU univerſam colligens, materno affectu complecti & confovere videbatur. His aliiſque id genus virtutum operibus intentum, non omiſit dæmon diverſis machinis oppugnare, ſæpe in Angelum lucis ſe transformans, imò & DEI-paræ ſpecie aſſumptâ, in fraudem illum inducere conatus. Illud palmare fuit, quod illius inſtinctu Muliercula, ſacrilegi flagitij à Patre commonita, in caput ejus procudit. Hæc enim Placentiæ Epiſcopum, infamis fabulæ nacta credulum, quia Societati privatim infenſum, quidquid impuritatis comminiſci potuit, in puritatem Patris nefariè intorſit. Sed fraudem omnem DEIpara momento diſcuſſit, his etiam verbis innocentiam Clientis ad ſe recurrentis ſolata:

ſolata: *quid tu ità ſollicitus mœres? itáne ignoras, nunquam me, meúmque filium, hoc noxæ genere, cujus inſimularis, à te eſſe offenſum?*

Atq; hæc ſcilicet erant, quibus ad pretioſam pro Chriſto mortem oppetendam durabatur, cujus hæc fuit ſeries & occaſio. Electus è ſua Provincia jam ſecundò, poſt defunctum Borgiam, ad electionem novi Generalis, Romam cum jure Electoris proficiſcebatur, cùm interceptus in Gallia ab Hæreticis, & de nece ipſi ſociiſque duobus inferenda deliberantibus, plagis interim, & contumelijs Cordeliaci, duróque carcere affectus, perfrigidâ tempeſtate, inclementer detentus eſt. Unde ingenti laterum dolore contracto, quintum intra diem in ipſa captivitate extinctus eſt, omnibus morbi lenimentis & ſolatijs deſtitutus; prout olim à Diva Matre impetraverat, ut ad Filij ſui ſimilitudinem extra omne humanum ſubſidium mortem obiret. Ecce autem, dum de Catholicè tumulando ejus corpore, in medio Nationis pravæ, duo ſocij fruſtra deliberant, adeſt repentè Matrona auguſtâ & verecundâ ſpecie, & num quis eorum deceſſiſſet, cujus corpus humandum foret, prior interrogat? Quibus annuentibus, prolatâ, quam attulerat ſyndone, ſuis ipſa manibus cadaver decentiſſimè involvit, & benedictione ijs impertitâ, videri ſubitò deſijt. Ut nihil dubitarent Patres, Beatiſſimam Virginem, quæ ante octiduum, de inferenda odio fidei morte, vix unâ ante captivitatem horâ, Martinum præmonuerat; aut aliam ab ipſa ſubmiſſam Cæli Matronam, ad pietatis iſtud corpori exangui exhibendum munus, deſcendiſſe. Cæterùm eadem glorioſa mors longè abſenti S. Tereſiæ, Filiæ illius jam olim ſpirituali, divinitus revelata fuit in Hiſpania, quæ datis ad Patrem Ægydium Hiſpaniæ Aſſiſtentem Romam literis teſtata eſt, ſibi Patrem Martinum oſtenſum eſſe à Domino in cœleſti gloria conſpicuum, & Martyrij laureâ decoratum. In qua eadem Martyrij laureâ alteri Sanctimoniali, prophetiæ ſpiritu & revelationibus conſpicuæ, ipsâ necis die & horâ revelatus fuit Victoriæ, extremâ Hiſpaniæ in Cantabria Vrbe: uti & Patri Joanni Fernandio, ſibi dum viveret, peculiari familiaritate conjuncto. Sublatus eſt P. Martinus Cardeliaci 21. Februarij Anno 1573. Vitæ 49. initæ Societatis 23.

P. EDMUNDUS DONATUS.

NIhil tam validum, nihil tam ſanctum eſt, quod non effrenis paſſio, & indomiti animi affectus in præceps ruere ſemel permiſſus, peſſumdet & evertat. Quid Angliæ Regno quondam ſanctius? quid innocentius? tam prodigioſum fuit decem illic ſæculis reperiri Regem unum non ſanctum, quàm in multis modò Regnis videre unum eſt verè ſanctum. Duobus tantummodo ſæculis ad 30. fuêre Reges & Reginæ, qui abjecto Regno, in ſolitudines evasêre: Reges 15. Monachos profeſſi, Reginæ 11. Moniales. 12. illuſtri Martyrio donati, & 10. alij ob virtutum heroicarum inſignia Sanctorum Confeſſorum Album promeriti; reliquorum ex omni Nobilitate, gradu, ſtatu, & conditione, Sanctorum infinitus propè numerus. Totum Regnum virtuti & ſanctitati ità deditum, ut vix oppidulum fuerit invenire, quin theſauro frueretur tutelaris ſancti, aut illinc oriundi, aut apud ſe conſepulti. Sed hoc Regnum tantis nobile glorijs, & cælum quoddam in terris Angelorum ferax, inſanus Henrici octavi in Bolenam amor evertit, cui quod per Romanum Pontificem non liceret, abjectâ legitimâ Conjuge Catharinâ, ex qua etiam prolem jam hæredem ſuſceperat, eſſe adultero, rejecto Sedis Apoſtolicæ Primatu, Schiſmate nefario Angliam ab Eccleſia avulſit, & ſe Caput Anglicanæ conſtituens Eccleſiæ, duodecim uxores intra ſex annos, partim ſucceſſivè, partim ſimul habuit, ex quibus triplicem procreatam ſobolem, Mariam, Eduardum, & Eliſabetham, nulla tamen proles nepotum, excepit, omnibus his ſinè hærede mortuis. Juſto DEI judicio diſponente, ut damnati Regis extinctâ ſtirpe, Regnũ Angliæ in Scotiam caderet. Sic impulſum in ruinam nobiliſſimum Regnum, ſub filio cujus Eduardo novenni puero, in apertam hæreſim prolapſum eſt; ſub Eliſabetha deinde ejusdem ex Bolena filiâ, ſpurciſſimis ſectis ità corruptum, ut in una ſubinde domo, quot capita, tot diverſis ſectis adhærentium eſſent ſententiæ; ſolâ religione Catholicâ undiq; exeſſe, ſub interminatione graviſſimarum pœnarum & ſuppliciorum, juſsâ. Quæ cùm non

P. Edmundus Donatus Hibernus S.I. pro Religione Catholica Corcagiæ in Hibernia suspensus, et sectus. A°. 1580.

C.S.d. M.K. f.

minis duntaxat, ſed reipsâ in Catholicos omnes, Religioſos præſertim & Sacerdotes exerceret, viſum fuit omnium fidelium ſupremo Chriſti in terris Vicario Gregorio XIII. periclitantibus inter tot diſcrimina Fidelibus in ſubſidiū, etiam viros de Societate in Angliam & Hiberniam deſtinare, qui Miſſionem ſanè arduam & periculoſam maximis animis non tantùm tunc ſubierunt, ſed per omne deinceps tempus, in hodiernum uſque diem continuârunt, licèt atrociſſimis mortibus, exquiſitiſſimis tormentis, & nec apud Barbaros conſuetis ſuppliciorum generibus torquerentur, necarentur, lacerarentur.

Primi qui tam ancipiti, & quotidianæ mortis feraci negotio, caput ex Societate objecerunt, fuêre P. Robertus Perſonius, & P. Edmundus Campianus, menſe Junio Anni 1580. in Angliam Româ appulſi. Quo eodem tempore Hiberniæ, pari calamitate, maleficio ejuſdem Reginæ involutæ, proſpecturus ſanctiſſimus Pontifex, alia ſubmiſit illi ex eadem Societate auxilia, quorum P. Edmundus Donatus, à nonnullis Donallus dictus, glorioſum exitum in ipſo ingreſſu adeptus eſt, & primus ex omnibus veritatem Catholicæ Religionis, ſanguinis profuſione in Hibernia aſſeruit. Is Limerici in Hibernia natus, ut vexatos dirè Catholicos erigeret ac ſolaretur, voluntate Pontificis in Patriam ſuam redijt: ſed ab hoſtibus fidei, omnia ſagaciſſimè obſervantibus, continuè deprehenſus, ibidem Limerici in arcta cuſtodia diu detentus fuit. Variè ſubinde tentata eſt ejus con-

conſtantia, opima omnia pollicentibus impietatis Miniſtris, ſi rejectâ fide Romanâ, perfidiæ Reformatorum accederet. Adversùs quæ immobilis cùm perſiſteret Dei Confeſſor, Corcagiam quadragenis paſſuum millibus diſtantem, ad ulteriorem Hæreticæ crudelitatis quæſtionem pertractus eſt. Raptabatur toto illo itinere, manibus latronis inſtar revinctis, omnia illa à crudeliſſimis ſatellitibus expertus, quæ homicidis & facinoroſis Patriæ proditoribus inferri ſolent. Donec in eorundem communem carcerem Corcagiæ retruſus, varijs tormentis & cruciatibus excarnificatus eſt. Sed cùm infractâ in his etiam duraret conſtantiâ, perduellionis ſcilicet arceſſitus publico damnatur judicio; infamis ſupplicij à ſanguinario Magiſtratu hiſce publicatis cauſis, quæ invidendam Martyrij ſortem ipſi non immeritò aſſeruiſſe videri poſſunt. Quod in Fidei Catholicæ confeſſione, ſub perduellionis pœna ab Eliſabetha ex Britannia proſcriptæ, pertinax conſtaret: quòd ad eandem concives ſuos, quà verbo, quà exemplo traducturus, & firmaturus veniſſet: quòd Reginæ, Capitis Eccleſiæ Anglicanæ titulum impiè abrogaret. Quàm nefariam, ſibi tamen glorioſiſſimi triumphi decretoriam ſententiam, magnâ alacritatis, & gaudij ſignificatione excipiens, poſteaquam humili capitis inclinatione judicibus gratias egiſſet, tanquam reus Majeſtatis ad communem ſupplicij locum raptatus eſt. Hìc inſerto in laqueum collo, cùm aliquamdiu de furca pependiſſet, vivens adhuc & ſpirans reſecto funè in ſolum præcipitatur, & ex diſciſſo pectore evulſum cor, manu carnificis populo oſtentatur, mox in igne unà cum alijs inteſtinis concremandum. Reliqvum Corpus in quatuor partes diſſectum, totidem palis affixum eſt, ut diverſis locis, donec diffluëret, oculis omnium proſtaret; fidelitatem ſcilicet in Reginam, & ſaniora ab enecto conſilia, ſpectaculo ſuo ingeſturum. Paſſus eſt vir inclytæ memoriæ, Corcagiæ, ſub annum Domini 1580.

P. EDMUNDUS CAMPIANUS, ET P. ALEXANDER BRIANTUS.

ORtus eſt Edmundus Campianus ſplendidiſſimum Eccleſiæ Anglicanæ Sydus, Londini 25. Januar. anno eodem, quo Romæ natâ Societate JESU, Henricus Rex Familias Religioſas omnes Angliâ exegit. In Univerſitate Oxonienſi ſtudijs omnibus cum Theologia ad finem perductis, in ore omnium & æſtimatione ità verſabatur, ut nihil fuerit publici muneris & honorifici, quod magno aſſenſu non geſſerit; ad ſalutandam etiam Eliſabetham, à qua in crucem poſtmodum ageretur, nomine Academiæ delectus. Et licèt tum quidem in Fide Romana conſtantiſſimus, oblatos à Regina favores, & Pſeudo-Eccleſiaſticas dignitates, nè Religionem ijs irretiret, magnanimus repudiârit, ſubinde tamen Pſeudo-Epiſcopi Gloceſtrienſis Richardi Chenæi familiaritate captus, eo perfidiæ inductus eſt, ut etiam Diaconatu hæretico initiari ſe pateretur. Sed in ipſo nefario conſecrationis ritu, furijs quibuſdam & intemperijs agi ſe ſentiens, omnémque à mente quietem deinceps exulâſſe expertus, in Eccleſiæ gremium proximè ſe recepit; ternis interim vicibus è manibus exploratorum, non ſinè prodigij ſpecie elapſus. Nunquam tamen, etiam poſt iteratam ſceleris expiationem, perfectâ animi malaciâ potitum ſe dicere ſolitus, donec in Societate JESU, quam multis peregrinationibus per Hyberniam, Belgium, & Italiam exactis, Romæ obtenturum ſe divinitus edoctus fuit, emiſſis Religioſis votis, characterem beſtiæ deleviſſet. Acceſſit ad hujus Tyrocinium Brunæ Moravorum, moribus ità ab omni non ſolum impuritatis, ſed etiam levitatis, & ſolutioris vitæ ſpecie alienis, ut illibatum Virginitatis florem in eam intulerit, Angelicum deinceps eundem inter Cœlites ſecum illaturus, qui adhuc in ſæculo, ob incredibilem omnis obſcænitatis fugam & horrorem, Angelus paſſim in Hybernia vocabatur & habebatur.

Præcipua poſt JEſum erat Edmundo in ejus Matrem devotio, quam in effigie S. MARIÆ Majoris Tyrocinio illi nuper à S. Borgia tranſmiſſam, enixiſſimè venerabatur; meritus ab eadem ſibi apparente, dum in horto domeſtico obambularet, de beata morte, profuſione ſanguinis pro fide Catholica oppeten-



P. Edmundus Campianus, et P. Alexander Briantus, Angli S. I. pro Fide ſuſpenſi et ſecti Londini in Anglia A. 1581. 1. Decembris.

C.S.d. M.K.f.

da præmoneri. Poſtmodum Viennæ & Pragæ toto ſexennio, Latina, Græca, Rhetorica, Philoſophica tradendo, concionando aſſiduè, Convictum Nobilium, & Marianum Sodalium cœtum regendo, ea geſſit ſolus, quæ multos poterant habere occupatiſſimos. Inde Antiſtiti Pragenſi, & Rudolpho II. Imperatori, coram quo latinè perorabat ſæpius, unicè dilectus; Ferdinando autem Archiduci etiam ità æſtimatus fuit, ut Romam illum ad Anglicam Miſſionem evocatum, eodem ſecum curru Pragâ Patavium verſùs devehi voluerit, quò ejus ignitis colloquijs interim frueretur. Ecce autem quo primùm die à Summo Pontifice demandata ipſi fuit Expeditio Anglicana, ingens totum illud Regnum, ſed præcipuè Londinum, terræ motus concuſſit; luculento ſanè præſagio illorum motuum, quibus ipſe deinceps cum Socijs ſtabilitam in Anglia hæreſim à fundamentis tremefecit. Romæ non amplius octiduo moratus, dum à Gregorio XIII. felici apprecatione cum P. Perſonio, in tam arduam Miſſionem inauguraretur, iter in Angliam, undecim alijs partim Sacerdotibus partim Laicis comitantibus, per Gallias ſuſcepit. Sed prævolante adventûs eorum in Angliam famâ, cùm non tantùm nomen Campiani & Perſonij, tantopere jam antè illic ſuſpectum, percrebuiſſet, verùm etiam Reginæ juſſu vultus utriuſque ad vivum expreſſi, portis Vrbium ad mare obverſis affixi proſtarent; viſum eſt, ne uterque ſimul in hoſtium poteſtatem venirent, trajectum tentaret

ret alter, alter ſucceſſum prioris, Audomari præſtolaretur: conſilium deinde ex ejus eventu, an manendum, an progrediendum foret, capturus.

Feliciter ergo ſub habitu militaris Tribuni in portum Angliæ evadens Perſonius, continuè poſt ſe Campianum evocat; qui Mercatorem totus nomine, ſchemate, & profeſſione mentitus, cum Emerſono veluti famulo, ex eadem interim Societate Alumno Laico, ipſo Præcurſoris Domini natali die, quem totius hujus Expeditionis Præſidem jam antè electum quotidie implorabat, Dubrim Portum Angliæ appellit. Ubi continuò in genua procumbens, decuſſatis ad pectus brachijs, dum ſe DEO victimam conſecrat, nihil propius fuit, quàm ut agnitus teneretur. *Continuò enim* (ſcribit ipſe de ſe ad Amicum) *juſſi ſumus Gubernatori nos ſiſtere, qui primo aſpectu non falsò conjecit eſſe vera qui eramus, confictis diſſimulatos nominibus fidei causâ aliquamdiu Patriâ extorres, nunc reduces ad eam propagandam. Edicit ergo, nos eſſe ſub militari præſidio Londinum traducendos. Jámque ad Portas palatij, quibus imponeremur, equi ſtabant; cùm, haud ſcio, quo motu, in veſtigio mutatus eſt: niſi mei Patroni Joannis Baptiſtæ, quem interim enixè petebam, unum mihi ſaltèm annum impetraret, quem in Religionis obſequium liber inſumerem.* Quod obtinuit ità cumulatè, ut ab eo die uſque ad comprehenſionem, intervenerint duntaxat unus & viginti dies ſupra integrum annum. Repentè ergo ex oculis Gubernatoris evaneſcens, Londinum provolat, ubi continuò ardentiſſimas Conciones, quantumlibet ſecretò, ad Catholicos Nobiles inſtituens, tam numeroſo eorum concurſu, fervidè magis & piè, quàm fortè prudenter & cautè frequentari cœpit, ut cùm nullâ videretur jam poſſe ſolertiâ ab Exploratorum indagine ſervari, Londino ſubducere ſe in alias partes Regni fuerit coactus. Et licèt novo edicto eaſdem perduellionis pœnas in receptatores Patrum Regina extendiſſet, ingenti tamen animo ubique à Catholicis, omnium ſuppliciorum contemptu, excipiebatur. Quorum immodicis, ex ejus in domos ſuas ingreſſu lætitijs, cùm potiſſimum diſcrimen illi crearetur; ut avaram ſacrilegorum creditorum vafritiem eluderet, varias adhibebat artes. *Ego*, ſcribit ipſe de ſe, *eodem nunquam habitu incedo, ejuſdem coloris & moris; nominum verò ſuppellex mihi eſt copioſiſſima.* Quibus conatibus cùm non fideles duntaxat aut dubios in gradu retineret, ſed lapſos etiam magni nominis toto Regno, tam ipſe, quàm Perſonius Eccleſiæ reſtitueret, celeri eorum famâ Londinum pervadente perculſa Regina, in omnem artem, diligentiam, ſeveritatem, & verſutias effuſa, novum Inquiſitorum Tribunal condidit, Conſervatorum pacis nomine; quibus nihil præterea muneris incumberet, quàm in Catholicos & Sacerdotes inquirere, capere, plectere cruciatibus, morte mulctare. Atq; hinc illico ebullijt ubiq; delegatorum, lictorum, exploratorum exercitus, in quibus ſceleratiſſimi deſertores, pars omnium peſſima, quæ cætus omnes ſacros fecit Catholicis periculoſos, famulos Dominis ſuſpectos, ergaſtula Regni omnia fidiſſimis hominibus cujusvis ſexûs, ætatis, ſtatûs, bonis omnibus exutis implevit, ut novis ædificijs veteres cuſtodiæ, quòd eſſent impares multitudini Orthodoxorum, augeri paſſim debuerint.

In hac perſecutionis rabie, tantò intendendum amplius ad confortandos in gradu Catholicos ratus Campianus, ter quotidie pro Concione diverſis cœtibus & locis dicebat, Sacramentis, alloquijs, rationibus firmabat, ſolabatur; ut præter duas plerumq; ſomni horas, vix ſpatium perſolvendis ſacerdotalibus precibus reperiret. Sub hæc vulgatâ in publicum Epiſtolâ, & Magiſtratui Londinenſi inſcriptâ, Catholicorum innocentiam tueri, & ad publicam de rebus fidei controverſis diſceptationem provocare Puritanos, animum induxit. Sed cùm præter criminationes & convitia à vaniſſimis buccinatoribus, & æquitati cauſæ diffisâ Reginâ, nihil reſponſi acciperet, Librum denuò conſcripſit prorſus aureum, è decem efficaciſſimis rationibus pro Catholicæ Religionis veritate confectum, quem inter ſumma Exploratorum, in ipſam domum, ubi ſub typo verſabatur, irrumpentium pericula, copioſis, exemplaribus impreſſum, per Oxonienſem primùm Academiam, ac ſenſim per totum Regnum, magnâ in diverſis animorum mutatione, diſperſit; quo maximè id apud Regios Miniſtros effecit, ut inquirentibus in caput ejus conſtitutis præmijs, omnium inveſtigatorum intentiſſimâ ſagacitate, unus pene totò conquireretur Regno, dum deniq; nefarij Apoſtatæ, decem aliorum Sacerdotum in manus hæreticas traditoris, perfidiâ, in caſſes eorum, hâc ratione, incidit.

Demandaverat illi Perſonius, ut ad evadendas tot ſceleſtiſſimorum proditorum in illum intentas caſſes, in Peninſulam Norfolciam, à mediterraneis ſemotam, longiùs ſeceſſeret; cui pariturus Edmundus, in Lanca-

ſtriam priùs recurrere, ad ſupellectilem Altaris parandam, poſtulaverat, & ſimul ex itinere divertere Lyſordium, ad ſolandas illic octo DEO ſacras Virgines, illo veluti carcere ab Eliſabetha incluſas, cum vidua Matre Lyſordij Dynaſtæ, causâ fidei ab eadem Regina ergaſtulo mancipati. Huc veniens Campianus, auditis omnium Confeſſionibus, & ſacro Epulo, divinìſq; monitis refectis, dum continuò equis conſcenſis, cum Emerſono diſceſſum parat (nam 24. duntaxat horarum ſpatium illic morari Perſonius, quaſi futurorum præſcius, indulſerat) ecce tibi complures adſunt à vicina undique Nobilitate Catholica deprecatores, ijs ut etiam confitentibus aures, & neceſſaria ſolatia impertiret. Sed cùm Obedientiâ Religioſâ conſtrictus reſiſteret conſtantiùs, Emerſonum aggrediuntur Edmundi famulum (huic enim tum ad humilitatis exercitium, tum ne Edmundus comi & obſequioſo genio facilè precibus amicorum aſſentiri ſolitus, moram longiorem admitteret, plenam in eum cum imperio conceſſerat poteſtatem) qui rationibus inſtantium expugnatus, tridui moram Lyſordij Edmundo concedit, dum ipſe interim pro illo Lancaſtriam procurrens, ſarcinulas inde referret. Ibi die poſterâ, dum ſacris operaturus ſe parat Campianus, adeſt Eliottus quidam, homo recenter à fide Apoſtata; & quia Catholicum exuiſſe neſciebatur, innocenter ut divinis unà interſit, quod magnopere expetebat, admittitur. Erat furcifer ille ob immania ſcelera publicè Londini infamis; & quia ob intentatum ſibi, negatum tamen à ſe adulterij crimen, eqvuleo torquendus erat, ut pœnam ſcelere majore redimeret, captivum paucos intra dies cum pluribus Sacerdotibus Campianum, in Arce Londini traditurum ſe adpromittit. Hìc ille poſtquam fictâ devotione Miſſæ ſacrificium, & pene cum lachrymis dictionem perorantis Campiani audiſſet, mox præcipiti diſceſſu vicinum oppidum petit, & centum expeditos equites, exhibitis Reginæ Chyrographo munitis literis, ad injiciendas Campiano manus, pro poteſtate petit. Cum his peremptoriè, minimè tamen improviſus (jam enim Campianum cum duobus domeſticis Sacerdotibus loci Domina in paratas pridem huic uſui latebras abdiderat) adveniens, fruſtra quidem toto illo die latentem perquiſivit; altero tamen, intra perfoſſum parietis cujuſdam cavum deprehenſum extraxit, & cum ſocijs captivum, in comitatu ducentorum equitum, Londinum perduxit. Ducebatur illuc equo impoſitus, revinctis poſt tergum manibus, pedibúſque ſub equi ventrem ligatis, & quâ infinitæ concurrenti multitudini notus fieret, pileo inſcriptâ epigraphe: *Edmundus Campianus Jeſuita ſeditioſus.*

Incluſus in turrim, & ſubterraneo carcere ſepultus eſt tam cæco, ut auræ lucíſque nil admitteret; tam arcto depreſsóque, ut erigere ſe in pedes, aut porrectus jacere non poſſet; donec poſt quatriduum ad Palatium Dudlei evocatus, à Magiſtratibus, ipſáque Regina quæſtionibus varijs exagitaretur, offerente illi Reginâ vitam, libertatem, honores, divitias, Cantuariæ Epiſcopatum, ſi primatum Papæ illi tribuere in animum induceret. Sed omnia fortiter aſpernatus, ad tormenta demum ſeriò rapitur, bis immaniter eqvuleo tortus, animo ità ſereno & pacato, ut præter JESUM & MARIAM, piáque cum Divis colloquia, nulla vox ei excideret. Eſt autem hæc Eqvulei carnificina. Trabes quatuor in quadrum compaginatæ, humi extenduntur. Extremis quadrati duobus, quâ caput & pedes rei protenduntur, inſertum eſt hinc inde ferreis anulis verſatile lignum, complurium funium ſpiris, & voluminibus implexum, quale attrahendis ponderibus, aut ſitulis in fonte, adhibetur. In vacuo harum quatuor trabium diſtentus reus, ligandas manus ad lignum ſuperius, & pedes ad alterum inferius porrigit. Ligantur autem vel quatuor funibus manuum pedúmque ſoli pollices infra ultimum articulum; vel diſtinctis quinque fidiculis ſinguli pedum manuùmq; digiti; ſic ut jaceat torquendus divaricatis cruribus, & manibus. Interim duo à capite, à pedibus totidem carnifices, lignis illis magnâ vi verſatis, miſerum corpus attractis funibus ſeu fidiculis, è pollicibus aut digitis à terra ſuſpendunt, & omnes in eo laxant oſſium commiſſuras, cum immenſo dolore, ex continua nervorum convulſione, viſcerúmque interdum laceratione. Quo fit, ut nonnunquam plus palmo ſupra nativam ex violentiſſima attractione, ùt Campiano factum eſt, excreſcat corpus ſtaturam. *Sic* excruciato bis Edmundo, conditionibus iniquiſſimis Regij, de fide diſceptationem publicam, tanquam ab eo priùs antè provocati, offerunt; in qua ſæpius iterata, magno ſemper illorum rubore & confutatione, palmam ipſe unus de plurimis referens, tertiò, ac mox quartò, ad eqvulei torturam ità immanem traducitur, ut ſe in ea moriturum omnino crederet. Ab hac ergo manibus alienis ad ergaſtulum ſuum reportatus,

& alijs

& alijs ſubinde novis cruciatibus, ut unguium omnium à digitis evulſione, diriſſimè excarnificatus, tandem ad Tribunal Judicum, feralem accepturus ſententiam, educitur in Aulam Veſtmonaſterienſem. Ibi à duodecim viris reus læſæ Majeſtatis iniquiſſimè pronunciatus, quòd Catholicam Religionem promulgando, ſeditiones in Reginam moviſſet, perduellium morte à ſupremo Judice condemnatus eſt; nimirum, ut in crate viminea ad furcas raptaretur, inde inſertâ in laqueum gulâ ſuſpenſus, reciſo mox laqueo è patibulo deijceretur, ubi amputatis quæ ventri ſubjacent, ſpiranti adhuc aperto ventre cor & inteſtina educerentur, atque igni cremarentur. Corpus in quatuor partes diſſectum, deſtinatis compitis ad palos affigeretur, caput autem haſtæ præfixum, ad Urbis portam, quà patet ad alluentem Tameſim, ſtatueretur. Quam ſententiam, ipſo feſto S. Edmundi Martyris & Regis Angliæ, in ſe pronunciatam, gratiſſimo animo excipiens Campianus, *Te Deum laudamus* altâ voce concinuit; cùm interim Judici eam ferenti, chyrotheca ſanguine manaret, digito & annulo ità cruentato, ut nullâ diligentiâ ſatis poſſet abſtergi, aut ſanguis, ne de chyrotheca, totâ illâ actione durante manaret, ſiſti. Itaq; feriâ 6. quæ erat 1. Dec. in crate viminea, ab equo per Urbis plateas, aliquot paſſuum millia ad Tiburnum (hoc nomen eſt ſontibus plectendis loco) raptatus, ibique ex carro, cui ſuſpendendus inſtiterat, multis populum ad Catholicam Religionem exhortatus, ab ijs Apoſtoli verbis incepit: *Spectaculum facti ſumus Mundo, Angelis, & hominibus.* Tum ſubducto carro aliquamdiu pendulus, mox quadratim diſſectus eſt; quod idem duobus ejus mortis ſocijs ſacerdotibus, Alexandro Brianto Soc. JEſu, & Rudolpho Scerwino Clerico ſæculari factum fuit.

Atque hic fuit pretioſus cœleſtis Viri exitus, Anno reparatæ ſalutis 1581. 1. Decembr. in ea ipſa, ubi natus olim fuerat, Urbe Londino, ipſorum hæreticorum ſententiâ Eccleſiæ magis proficuus, quàm ſi centum annos victurus fuiſſet: quo vacillantes firmati, quatuor millia lapſi, Fidei ſunt redditi; inter quos obſtinatiſſimus Calvini aſſecla, in carcere Campiani Cuſtos. Reliquiæ ex corpore ejus tanto ſtudio ſunt exambitæ, ut complures omnium bonorum jacturâ, plurium annorum carceribus, eas mercati ſint; alij minutam earum portionem vicenis, triginta, & pluribus aureis redemerint, quas prodigijs etiam Divinæ Bonitati placuit illuſtrare. Græcij vir erat An. 1606. primæ Nobilitatis, Campiani Pragæ olim Diſcipulus, & quotidianus à morte illius accepta, inter alios Patronos ſuos cultor. Hujus uxor graviſſimis partûs doloribus oppreſſa, dum nullâ præſente obſtetrice, de vita & prole periclitatur; ad Divos ille ſuos convertitur, & ex ordine ſæpius eos uxori ſuæ propitios adeſſe invocat; ſed ſemper unum ſibi ex numero deeſſe animadvertit. Tandem iteratò, & diutiùs memoriam excutiens, ſtupet Edmundum Campianum, aliàs primò ſibi occurrere ſolitum, nunc effugiſſe. Itaque non dubius hìc aliquid Divini latere, ô Beate exclamat (ſuo privato ſenſu) Pater Edmunde Campiane, ſuccurre Vxori meæ laboranti! Vix edixerat, & continuè illa facillimo enixu, nullius obſtetricis auxilio, maſculum peperit, Edmundi poſtea nomine baptizatum. Nec minus fuit, licèt alio in genere, beneficium P. Joanni Harto ab eodem collatum. Tenebatur hic adhuc ſæcularis Sacerdos, eodem cum Campiano carcere, ſupplicij, opinione omnium, eidem futurus ſocius, niſi ad ulteriores torturas crudelitas eum reſervaſſet. Huic, poſt aliquod à morte ſua tempus comparens in ſomnis, magnopere ei author fuit, ut Religionem Societatis JEſu ingrederetur; cui monito obtemperans, magnis continuò votis, donec compos fieret, admiſſionem expetijt. Illud etiam præcipuè multis viſum eſt prodigioſum, Tameſim fluviorum Angliæ maximum & præcipitem, qui ad æſtus maris ſuos etiam, indies acceſſus habet & receſſus, eo die quo Campianus morte ibidem affectus eſt, præter ſolitum omne, undis torpentibus, cohibito curſu, immotum ſtetiſſe, & defixo rei novitate Londino, nec fluxiſſe, nec refluxiſſe.

Cæterùm nullus Catholicorum dubitavit, etiam in alijs per Orbem Provincijs, Campianum odio ſolius fidei Catholicæ fuiſſe cæſum. Unde privatim ex ſuo ſenſu longè plurimi eum ùt Martyrem venerati ſunt, & venerantur; quos inter Sereniſſimi etiam Orbis Chriſtiani Principes. Sanè Sereniſſimus LEOPOLDUS Epiſcopus Paſſavienſis & Argentinenſis; & Sereniſſimus CAROLUS Epiſcopus Wratislavienſis, uterque Archidux Auſtriæ, & Auguſtiſſimi Cæſaris FERDINANDI II. Filius, cùm vetus Societatis JESU Collegium Pragæ ad S. Clementem inviſerent, primariò in Cubicellum deduci ſe expetierunt, quod aliquot annorum Pragæ habitatione Edmundus Campianus conſecrâſſet. In quod non minore reverentiâ, quàm

ſacra-

Sacrarium quoddam & Templum, capite nudato uterque ingreſſi, & in genua provoluti ſunt, dignum eâ veneratione pavimentum dicentes, quod nobilis adeo Chriſti Martyris (ità illis loqui ex privata devotione libebat) pes calcaviſſet. Ampliùs etiam idem pavimentum veneratus eſt ex prima Angliæ Nobilitate Henricus Ortonus, cum Ducis Lotharingiæ Oratore idem aliquando cubiculum inviſens; ubi toto corpore in illud provolutus, devotiſſimis ſæpius oſculis ſolum libavit; beatum prædicans, quod tam venerandis plantis tritum fuiſſet.

Nemo tamen majore veneratione, quàm Robertus Perſonius, Campiano in miſſione Anglicana ſocius, & Virtutum ejus pro dignitate æſtimator, pretioſam ejus mortem proſeqvutus eſt. Hic ſingulari DEI favore, magno pretio à Carnificibus redemta tormentorum nactus inſtrumenta, fidiculas videlicet, quibus in eqvuleo dulciſſimus Sodalis Campianus ſummis digitorum articulis extenſus, & diſtractus fuerat, totis 28. annis ea magni theſauri loco circumtulit, laborúmq; omnium levamen, & gravium ærumnarum ſolatium ab ijs hauſit. Inſtantem demum animæ ſuæ ſentiens Romæ diſceſſum, collum ſibi fidiculis illis obvolvi petijt: quibus priùs oſculum & piam reverentiam exhibens, memor felicis periculi, quod non pari cum Campiano felicitate ſubierat, dolénsq; plurimùm, non fuiſſe illi fundendi cruoris ſocium, gratias DEO egit, quòd annorum ſaltem 30. pro Anglia ſudores non eſſet gravatus à ſe admittere. Sic preces inter & lacrymas Sociorum Spiritum DEO reddidit Perſonius, Anno 1610. ætatis 64. poſt necem Campiani 29.

P. ALEXANDER BRIANTUS.

MAgnus Chriſti Athleta, & Eccleſiæ Heros invictiſſimus Alexander Briantus, utì ore pulcherrimo, necdum 28. annum egreſſus Angelum quendam referebat, ità in animo Sacerdotali caſtiſſimam innocentiam, ſincerâ demiſſione, patientiâ, lenitate, ceteriſq; Cœli divitijs ornatam ſervabat. Ex Rhemenſi Anglorum Collegio juſſus ferre ſuppetias laboranti ſub Hæreſi Patriæ à Greg. 13. Londinum appulit An. 1579. ubi poſt duorum annorum in utiliſſima animorum procuratione impenſos labores, inopinatò, ac præter comprehenſorum, Perſonium veſtigantium intentionem, captus, carceri ſubterraneo incluſus, tam dirâ fame & ſiti primùm excruciatus eſt, ut animam ſibi malis his eripiendam credens, pileum ſæpius ex atrocitate ſitis (licèt ſemper conatum ſuum inanem expertus fuiſſet) extenſo brachio foras porrigeret, ad excipiendas pauculas ex ſummo tecto depluas aquæ guttas; & vitalia coquente depaſcentéque ardoris æſtu, exſudantem è ſaxis carceris humorem lamberet. Verùm quò ad ſupplicia atrociora duraret, ſuſtentatus deinceps eſt ſolo pane tribulationis mucido & putrido, ac fruſtillo caſei præduri, quantum præcisè ad mortem arcendam ſufficeret, adjecto cereviſiæ hauſtu. Compedibus tamen in vicem famis ità ponderoſis oneratus eſt, ut loco ſe commovere non poſſet, donec poſt biduum ad eqvulei tormentum evocatus eſt, ut proderet Catholicos apud quos vixerat, quibus Miſſam vel Sacramenta miniſtrârat, quibus locis Perſonium viderat, &c. Diſtractus fuit hoc eqvuleo tam immaniter, ut ſolutis nervorum & oſſium compagibus, membris ab invicem pene diſcerptis, uno & dimidio pede longiorem à ſe factum, quàm naturalis ejus ſtatura fuiſſet, impiè gloriaretur Nortonus eqvuleo præfectus. Hammonius autem Commiſſarius, humum pede impatienter concutiens, exclamaret; quæ malum iſthæc pertinacia eſt? profectò poterat hæc carnificina quemvis non obſtinatum in ſua religione convellere, mentémque variare. Odoénus interim Arcis Præfectus velut in rabiem actus, relicto Præſidis officio, carnificem agere turpiter voluit, Angelicum afflictiſſimi Alexandri eqvuleo diſtenti vultum colaphis crudeliter contundens: nihil tamen extundens aliud, niſi ſacra JESU & MARIÆ nomina, in quibus, & meditatione cruciatuum Chriſti ſuaviſſimè acquieſcens, furorem illorum etiam ridere potuit, & exprobrare. *Hóccine*, ajebat, *totum eſt quod poteſtis? ſi nihil aliud ſunt veſtri eqvulei, accedant hujus rei cauſâ centum alij; ego enim Catholicæ Religionis causâ longè graviora ferre poſſum.* Ergo ad barbarum prorſus & immane torquendi genus deſcendunt, & acus illi ſub ungues manuum pedúmq; altè adigunt: quem acerbiſſimũ dolorem etiã hilari & renidente vultu ipſe perferens, pſalmũ *Miſerere* recitare, & veniam vexatoribus ſuis precari pergebat; nihil quæſtiones eorum penſi habens, vel eas unius verbi reſponſo dignatus.

Novæ



P. Alexander Briantus Anglus Soc: IESV, post crudelem in Eqvuleo Sæpius, ex ſummis pedum et manuum articulis, diſtenſionem, cum P. Campiano ſuſpenſus et diſſectus in Anglia Londini. A: 1581. 1 Decembris.
C. Screta d: M. Küſell f:

Novo igitur furore poſtridie eqvuleum repetunt, immanitate tantâ, ut omnium officio ſenſuum deſtitutus, crederet corpus ſuum jam in partes ſcindi. Tum frigidâ perfuſum ad ſe revocant, & nihil tamen ad quæſita reſpondentem, totam noctem in eqvuleo ſic extentum relinqui, ipſi jam abeuntes, tortoribus mandant. Sed nihil eum minas penſi habere, imò & veluti pro beneficio grates reponere conſpicati, eqvuleo depoſitum, in terrimum & uliginoſum ſpecum ſub terram abijciunt, ubi totis 15. diebus, nullo motu, aut uſu membrorum jacuit in terra. Quæ ubi nativum denuo robur, & vigorem recipere viſa ſunt, tertiùm ad eqvuleum rapitur; in quo Divinæ Bonitati, quæ neminem tentari patitur ſupra id quod ferre poteſt, placuit eqvulei dolores, omni ſenſu eorum prodigioſè cohibito, in roſas & delitias ei commutare. Nam cùm in eo diſtrahendo, ut quàm diriſſimè cruciaretur, vires omnes tortores exererent, ipſe nullo ſenſu doloris, nullâ animi perturbatione tactus fuit: niſi quòd ſibi videretur lævæ manûs palma diſrupta ſanguinem fundere. Sed unde hoc Alexandro tantum in tormentis robur? tanta animi malacia? talis cœleſtium gaudiorum affluxus? juvat id ex ipſiuſmet audire epiſtola, quâ ex hoc ipſo carcere ad PP. Soc. JESU datâ, in eorundem numerum & Religionē recipi expetijt (nam antehac reipſa necdum in ea computatus fuerat, licèt ante biennium firmo animi decreto, & poſtmodum ante tertiam torturam, etiam voto concepto, illi ſe addixerat)

quam de verbo ad verbum hìc inſerere placuit.

Quotieſcunq; mécum cogito R. R. PP. quàm ardenter, & quàm varijs modis DEus Opt. Max. noſtram quærit ſalutem, noſtrum cupit amorem, cor noſtrum poſſidere, & in nobis regnare deſiderat; toties ſtupore confundor, quòd nos miſeri homines, vel beneficijs commoti, vel allecti præmijs, vel ſaltem ſtricto D E I judicio perterriti, totis viribus illi non obſequamur, nec offeramus illi corpora noſtra in hoſtiam viventem, & holocauſtum perfectum. Nam præter immenſa ejus erga nos beneficia, creationis videlicet, redemtionis, conſervationis, juſtificationis, &, quod ſperamus, glorificationis: præter hæc, inquam, & infinita alia, verbis ſuaviſſimis nos adhortatur, ut properemus ad ipſum. Ego, *inquit*, diligentes me diligo; & qui manè vigilaverit ad me, inveniet me: beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtij mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. *Ubi autem quærendus ſit, ipſe Dominus oſtendit his verbis:* Ubi duo aut tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum. *Ibi verò putandus eſt eſſe Chriſtus, ubi multi charitate conjuncti ideo conveniunt, ut DEum honorent, DEO ſoli deſerviant, ejúsq; præcepta cuſtodiant, & Regnum ejus glorioſiſſimum propagent. Qui hoc ipſum audit, veritatem diſcet, & non ambulabit in tenebris & errorum caligine, ſed ſecurus vadet ad fontes aquarum. In talibus Congregationibus DEO ſacratis via recta in Cœlum tenetur, non vepribus obſita, ſed Sanctorum veſtigijs inceſſanter attrita; non floſculis hujus amari ſæculi ornata, non delitijs aut blandimentis affluens, ſed legibus regulisq; ſanctiſſimis munita; ut ſtulti non errent per eam, nec quiſquam in illa deviet, niſi qui ſuam ſalutem prorſus negligeret. Hìc cuncta in numero, pondere, & menſura, aptè diſponuntur, ut verè Sapientia inhabitare dicatur, cujus opera omnia mirè ordinata ſunt. Hìc viget cœleſtis quædam fratrum correptio, ſuavis affectuum pravorum caſtigatio, & mutuæ Charitatis ineffabilis provocatio. Ob hæc & his ſimilia, ante biennium apud me firmiter propoſueram, hoc vitæ genus ſuſcipere, ſi Dominus voluerit: & cum viro docto & pio, tunc ſpirituali meo Patre, hujusmodi ſermonem habui: An ſi ex patria, rationabili de cauſa redirem (eram enim eo tempore in tranſmarinis partibus) fore ſperarem, ut me Patres Societatis in ſanctam obedientiam reciperent? cujus ſententia fuit, ut hac de re nullatenus dubitarem. Hinc augebatur ſpes, accrevit animus, & hoc biennio dum in Anglia verſarer, ſæpius mente renovavi propoſitum hoc. Sed quia ſperabam laborem meum & induſtriam in meſſe Domini non prorſus inutilem, diſtuli propoſitum. Nunc autem cùm Divinâ diſpenſatione libertate priver, ut huic utili labori me ipſum diutiùs non poſſim impendere: iterum renovatur deſiderium, iterum incaluit & exardeſcit ſpiritus; & tandem votum Domino DEO vovi, non temerè (ut ſpero) ſed in DEI timore, nec ob alium finem, quam ut inde ſanctius & gratius obſequium DEO præſtem, ad majorem D E I gloriam, certiorem ſalutem meam, & ad glorioſiorem de ſpirituali meo hoſte triumphum. Vovi equidem, ut cùm Domino placuerit me liberare, (ſi tamen aliquando placuerit) intra unum deinde annum, Patribus Societatis me totum reſignaturum, & (ſi DEO inſpirante me reciperent) libenter, & ſummo cum gaudio in perpetuum, voluntatem meam omnem in DEI ſervitium, & eorum obſequium, penitus penitúſq; traditurum. Hoc votum in ſummis anguſtijs & tribulationibus meis, magno mihi gaudio & ſolatio fuit: & ob hoc majori cum fiducia impetrandæ fortitudinis & patientiæ, acceſſi ad thronum Divinæ Majeſtatis, patrocinio fretus B. MARIÆ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum. Quod quidem à DEO profectum ſpero, quia in ipſo Orationis tempore à me factum fuit, cùm mihi videbar cœleſtia cogitare. Sic enim res geſta eſt. Eodem die quo primùm tormentis cruciabar, antequam ad locum proceſſi, orationibus vacans, & Domino DEO me meáque omnia commendans, ſupernâ quadam ſpiritûs dulcedine replebar, dum invocarem ſanctiſſimum Nomen JESU & B. Virginis MARIÆ: dicebam enim Roſarium. Hilaris erat animus, benè confortatus, & promptus ad perferenda tormenta, quæ tunc certiſſimè expectabam. Tandem in mentem venit prædictum propoſitum, & ſimul etiam coincidebat in animum, ut nunc voto firmarem, quod antea ſtatueram. Peractis precibus hæc animo revolvi, ratione quâ potui diſcuſſi, bonum judicavi, deſiderium complevi, votum prædictâ conditione liberè emiſi. Quod factum DEus ipſe mihi videtur ſtatim probaſſe. Nam in omnibus anguſtijs & cruciatibus meis, de infinita ſua bonitate miſericorditer mihi affuit, confortans me in neceſſitate, & liberans animam meam à labijs iniquis, à lingua doloſa, & à rugientibus paratis ad prædam. An quod dicam mirabile ſit, neſcio, DEus ſcit, ſed quod verum ſit, teſtis eſt coram DEO conſcientia mea. Hoc dico, quòd in ultima tortura, cùm crudeliùs in corpus ſævirent adverſarij, manibus pedibuſq; violenter extentis, omni tandem ferè doloris ſenſu expers eram: nec hoc ſolùm, ſed etiam quaſi refocillatus à præceden-*

cedentis tortura doloribus, ſenſibus perfectis, mente quietâ, & corde tranquillo perſtiti. Quod videntes Commiſſarij, exeuntes juſſerunt me eodem modo iterum in diem poſterum cruciari: quod audiens, credebam equidem, & ſperabam divino auxilio, me patienter laturum. Interea meditabar (ut potui) Salvatoris noſtri acerbiſſimam paſſionem, innumeris doloribus plenam; dúmque hæc ipſa agerentur, vulneratam putâram ſiniſtram manum in medio palmæ, & ſanguinem efluxiſſe exiſtimâram; ſed revera nil tale fuit, nec alius tunc dolor, præter illum manûs gravabat. Nunc ergo ut innoteſcat vobis petitio & poſtulatio mea, cùm nulla ſpes reliqua ſit, nos brevi priſtinâ libertate ita fruituros, ut V V. PP. præſens alloquar, (quod utrùm aliquando ſit eventurum, nulli mortalium eſt notum) interim humiliter me vobis ſubmitto, ſuppliciter rogans, ut pro me, & de me faciatis, quod veſtræ prudentiæ viſum fuerit. Et, ſi fieri poſſit, ut abſens in Veſtram Societatem adſcribi & recipi queam, ſupplici mente & toto corde expoſco; ut ſic cum humilibus humiliter ſentiam, cum devotis DEI laudes perſonem, & continuè gratias ei pro beneficijs ſuis referam. Tum etiam plurium ſuffragijs adjutus, tutiùs curram ad propoſitum bravium. Non ignoro infinitas eſſe antiqui hoſtis inſidias: tortuoſus enim cùm ſit coluber, mirè ſimplicium animas, qui fidelem ductorem non habent, ſuâ vafritie deludere conatur, in Angelum lucis transformans ſe; ut non ſinè cauſa admoneamur, ut probemus ſpiritus, ſi ex DEO ſint. Vobis igitur, quoniam ſpirituales eſtis, & huic certamini aſſueti, committo totum negotium iſtud; per viſcera miſericordiæ DEI obſecrans, ut me veſtro conſilio & ſapientiâ regere dignemini: & ſi utile videatur in oculis veſtris, ad majorem DEI honorem, Eccleſiæ utilitatem, & animæ meæ æternam ſalutem, ut promovear ad hanc ſanctiſſimi Nominis JESU Societatem: in præſenti obedientiam promitto coram DEO, in foro conſcientiæ meæ, omnibus & ſingulis Præpoſitis conſtitutis, & conſtituendis: omnibus item regulis, legibúſve in hac Societate receptis, pro mea virili, & quantum me DEUS adjuvet: teſtis dies iſte, teſtis & hoc chirographum manûs meæ in die Judicij. De corporis valetudine non eſt quod dubitetis, quia jam ferè priſtinam fortitudinem & robur DEO donante recuperavi; & in dies magis magisq; convaleſco. De cetero me veſtris orationibus commendans, vos in Domino valere jubeo, ſolicitè expectans, quæ ſit veſtra de me ſententia.

Factus itaque deſideriorum à Societatis Superioribus compos, cùm Societati ſe votis Religioſis, poſt tam dirum in carcere Tyrocinium, legitimè adſtrinxiſſet, non multò pòſt judicio iniquiſſimo læſæ Majeſtatis reus pronunciatus, vimineæ crati unà cum Rudolpho Scerwino injicitur, atque per Londinum extra Urbem ad furcam raptatus, ſublato jam Campiano & Scerwino, plauſtrum ferale animoſus conſcendit; ex quo pauculis, pro Religione Catholica, & innocentia ſua prolatis, ſubtracto inter recitatum pſalmum 50. curru, modicùm pependit, ac paulò pòſt fune reſciſſo, utì priores duo, in quatuor partes diſſectus & laniatus fuit. Productiorem tamen illis in morte pœnam expertus eſt; ſiquidem negligentiâ Carnificis, funè minimè ad gulam intercludendam inſerto, ex ſolo mento aliquamdiu vivus pependit; hinc illo diſſecto, ex caſu in pedes ſeſe denuo valenter erigere parabat; cùm nihilominus à Lictoribus violentè extentus, ſectus, exenteratus eſt, neque tum adhuc expers animæ viſus, ſiquidem ingenti omnium ſtupore jam excordis corporis membra, nihilominus ſubſultim à terra emicabant.

P. THOMAS COTTAMUS.

EAdem cum Campiano & Brianto Patria Thomæ Cottamo, Anglia, & in ea Provincia Lancaſtrenſis, idem vitæ genus, idem exitus fuit. Anno 1549. natus & à Proteſtantium hæreſi operâ P. Thomæ Pondi Societat. JESV ad Catholicam Religionem traductus, relictâ Angliâ primò Duacum, ac deinde Romam, ſtudio obtinendæ Societatis petijt. Hauſerat nimirum primos ad eam ex annuis literis ſpiritus, quæ ab Jndia quotannis Romam de converſione Ethnicorum à noſtris mittuntur; ad quos & ipſe Chriſto lucrandos deſideriũ traijciendi complures annos fovit; donec intellexit, nolle DEum ſudores à ſe in Jndia, ſed in Anglia cruorem fundi. Itaq; Tyrocinium S. Andreæ Romæ trigeſimo ætatis anno ingreſſus, non multò pòſt in Galliam Medicorum conſilio, qui pertinacem hecticam in Vrbe curare deſperaverant, ac poſtmodum Rhemos translatus, fruſtra ubiq; cœlum valetudini faventius quæritans, in Patrium deniq; ſolum, ſuſcepto jam pridem ſacerdotio, necdum tamen Tyrocinium egreſſus, migrare juſſus eſt, ubi nativi aëris beneficio reſtauratam valetudinem, ad

P. Thomas Cottamus Anglus S. I. pro Fide Christi ſuſpenſus, et ſectus, Londini in Anglia A°. 1582. 30 Maÿ.

C. S. d. M. K. f.

Anglicæ culturam Vineæ impenderet. Verùm in ipſo portûs ingreſſu agnitus, & comprehenſus eſt proditione nefariâ Sleddi, qui perfidè Catholicum ſimulans, Cottamo in Gallia & Remis ſe familiariter conjunxerat, & notata per otium accuratiſſimè oris lineamenta, totiúſque corporis conformationem, & quæcunque ad eum cognoſcendum congruere poſſent, in Angliam præmiſerat. Nobili ergo viro Havardo Londinum ſiſtendus à Magiſtratu maritimo committitur: qui Religioni ducens Sacerdotem (erat enim & ipſe Catholicus) Hæreticis prodere, liberum abire permiſit. Quo facto cùm diſcrimen ipſemet capitis in ſe accerſiviſſet, generoſo animo Cottamus, ut impendentem ſuâ causâ Amico calamitatem in ſe averteret, ipſe ſponte ſe Præſidi rei maritimæ, approbantibus deinde factum Perſonio & Campiano, ſiſtit. Et quia in Viro innocentiſſimo nihil reperire erat, cujus causâ in crimen læſæ Majeſtatis apparenter ſaltem coram vulgo traheretur (caverat enim jam à principio Eliſabetha, ne ullum Religionis causâ de medio tollere, niſi ob ſolam duntaxat perduellionem, videretur) ideirco in intimas animi illius noxas quæſtiones inſtituerunt.

Præcipua torturæ poſt equuleum Anglis ſpecies eſt, Filia Scavingeri dicta, priori omnino oppoſita. Cùm enim ille membra, alligatis extractiſque in diverſa manuum pedúmque articulis, ab invicem diſtrahat: hæc ê contra illa violentè in unum veluti globum colligat & conſtipat. Trifariam hìc corpus com-

complicatur, cruribus ad femora, femoribus ad ventrem appreſſis, atq; ita arcubus ferreis duobus includitur, quorum extrema dum ad ſe invicem labore carnificum in circulum coguntur, corpus interim miſeri incluſum informi compreſſione pene eliditur. Immane prorſus & dirius eqvuleo cruciamentum, cujus immanitate corpus totum ita arctatur, ut alijs ex eo ſanguis extremis manibus & pedibus exſudet; alijs ruptâ pectoris crate copioſus è naribus faucibúſq; ſanguis effundatur, prout Cottamo etiam tum hecticâ miſerè laboranti evenit, ampliùs horâ integrâ anulo concluſo.

Hoc ei tormentum inſana hæreticorum rabies intulit, cùm neque carceris ſqualore, neque inediæ vi quidpiam extorquerent, unpe ſdeciem aliquam perduellionis in caput innocentis comminiſcerentur. Sed quænam putamus tam diræ quæſtionis fuit materia? nam quid de Primatu Reginæ in Eccleſia Anglicana ſentiret, quid de Pij V. Pontificis adverſùs eam intortâ excommunicatione, ultro ipſe faſſus etiam ſcripto fuerat, ſe idem in his, & omnibus alijs credere, quod ſentiret Eccleſia Romana; reliqua autem alijs captivis Sacerdotibus obijci ſolita, velut Anglorum ad Eccleſiam Romanam ab Hæreſi reductio, Sacramentorum & Miſſæ in ditionibus Reginæ celebratio, prætendi adverſùs eum non poterant, quem ipſo in aditu Jnſulæ captum conſtabat. Ne tamen viderentur Fidei ſolùm causâ necem inferendo Martyrem facere, quem omnino ſtatuerant ùt perduellionis reum occidere, rimari inſtitère mentis arcana, num quid elicere poſſent aptum invidiæ conflandæ. Itaq; primùm ſupplicio illo Scavingeri, ac deinde rurſum eqvulei cruciamento extorquere adnisi ſunt, ut patefaceret quali pœnæ fuiſſet à Confeſſario adſtrictus, ob noxas illi pro Tribunali ſacro apertas. Et cùm ille nihil ultrà gravius ſuſpicatus, declinandis cruciatibus, quod res eſſet, aperuiſſet; urſère porrò, ut delicta etiam, quibus pœna illa Sacramentalis inflicta fuerat, ex ordine recenſeret, in eorum quopiam deprehenſuros ſe aliquid confiſi, quod injuriæ ſuæ obvelandæ fucum faceret. Tum verò animoſus Chriſti pugil vafritiem improbiſſimorū hominum execratus, *Equidem*, reſpondit, *peccata mea nulli præter DEum & Confeſſarium detecturus ſum.*

Verùm cùm decreta Cottamo, atq; alijs 6. ex Clero Sacerdotibus mors eſſet, ſive poſſet illi apertè crimen affingi, ſive non, capitali damnatus ſententiâ, in viminea crate per Urbem ad Tiburnum extrahitur. Ubi lanienam ſociorum ſpectare juſſus, ſi fortè ab animi firmitudine quidpiam remitteret, fruſtra offerentibus illi, ſi deſipere vellet, Reginæ gratiam, Juſtitiæ Præſidibus; tandem ferale plauſtrum conſcendens; *Perſuaderíne*, inquit, *vobis patiemini, criminis affines & conſcios tam diros poſſe adire cruciatus, nec exprimi per illos confeſſionem? Ego certè ut fatear ingenuè quod eſt, teſte Deo nihil in votis habui ardentiùs priuſquam renavigarem in Angliam, quàm ad Jndos proficiſci, idq; tam ſerius agebam, ut jam tum omnia comparárem ad iter, nec ab incepto deſiſterem, ſi liberum mihi fieret, quò id reipsâ præſtarem.* Sub hæc revulſum Richardſoni unius ex ſocijs caput, oſtentans populo Carnifex, de more clamabat: *Vivat Regina.* Cui Cottamus ſubijciens: *Obteſtor*, ait, *DEum, ut eam diu ſalvam & incolumem velit, ſuáq; benedictione ſanctâ muniat, cui ego ùt Reginæ meæ exopto omnem felicitatem & pacem.* Quidni ergo, ſubijciunt improbi Miniſtri, Eccleſiæ Anglicanæ ſupremum Caput illam agnoſcis? *Hoc verò*, repoſuit ille, *ſi voluiſſem profiteri, abhinc jam biennio vinculis exolutus eſſem. Sed integritas hìc Religionis & Conſcientiæ convellitur, quâ unâ causâ exceptâ, nunquam Regiam Majeſtatem offendi.* Poſt hæc breviter DEum ſibi & toti Regno propitium fieri precatus, recitatâ cum præſentibus Catholicis, quos ad id invitârat, ſemel oratione Dominicâ, & ſalutatione Angelicâ, è plauſtro dejicitur; dúmque reſciſſo fune ad lanienam denudatur, magno omnium ſtupore cilicium apparuit intimo corpori appreſſum; generoſi illius animi jndex, qui duorum annorum perpetuis carceris ærumnis minimè ſatur, ſaginari adſcititijs etiam proprio ingenio injurijs voluit. Incidit pretioſa illius mors in diem 30. Maij. An. 1582. ætatis 33.



P. Thomas Mettamus Anglus Soc: IESV, poſt toleratas annis 17. in cauſa Fidei Romanæ, Carcerum ærumnas, extinctus, in Anglia Visbici. Menſe Iunio. A. 1592.

P. THOMAS METTAMUS.

VEnerandus fuit omnibus Catholicis Anglis P. Thomas Mettamus, & ipſe nobili proſapiâ Anglus, ob variam & profundam eruditionem: utpote qui Græcis & hebraicis, hiſtoriâ, & variâ rerum lectione eruditus, ad Philoſophiæ Doctoratum, Licentiam ſimul in Theologia addiderat. Quibus accedens multiplex & profunda Virtus, unius DEI animarúmq; æſtimationem, & ſui perinde ac nihili contemtum inducens, quantum illi apud Catholicos addebat æſtimationis, tantum apud Hæreticos conciliabat implacabilis odij. Elapſus ex Anglia, cùm doctrinam in ſcholis comparatam unà cum vitæ & ſanguinis impendio in ſalutem Patriæ devoviſſet, ſuſcepto Sacerdotio, ociùs in Angliam renavigavit; in cujus ingreſſu, pro amplexu vincula, pro hoſpitio acerbiſſimum 17. annorum ergaſtulum, ac poſt hunc ſepulchrum nactus eſt. Primum quadriennium concluſus exegit in Turri Londinenſi, carcere non aliunde, quàm fœditate & immanitate nobili; cujus ſquallore ad extrema deductus, omnino moriturus propediem erat, niſi barbara Miniſtrorum lenitas, ut productius Viro faceret tormentum, in alium ſubinde carcerem compegiſſet, ubi non quidem diutiùs viveret, ſed lentiùs moreretur. Hìc ille paulò laxiùs habitus, poſtquam reſtaura-

ſtauratas neceſſario victu corporis vires, in longiorem vitam ſufficere poſſe ſperavit, ante omnia propoſitum animi, quod arctâ & profundâ turris cuſtodiâ defoſſus ſignificare potuit nemini, de ambienda Societate exequi conſtituit. Igitur datis ad P. Thomam Darbiſcir Pariſios literis, infinitis ei precibus negotium commendavit; quo naviter deſideria Viri Romæ promovente, Mercurianus Generalis Societatis JESU Præpoſitus, eum Anno 1579. carceris ejus 5. die 4. Maij, non tantùm in Societatem adſcripſit, ſed datâ etiam ad eundem epiſtolâ magnopere hortatus eſt, ut illas ergaſtuli vexationes tam multas atque aſſiduas, in argumentum & materiam virtutis traduceret, reputarétq; ſibi non jam quaſi uni ex turba, ſed propiùs, atq; perfectiùs ex Societatis Inſtituto, ferendam eſſe poſt Chriſtum crucem.

Non diu commodiore illâ carceris cuſtodiâ frui Mettamo licuit, ſed inſtauratis ad duriora iterum perferenda viribus, in alium atque alium ſæpius translatus fuit, cum novis ſemper ærumnarum acceſſibus. Quippe cicuratis nonnihil patientiâ, & perſpectâ manſuetudine cuſtodibus hæreticis, dum lictoribus ignotis, & deliberatâ barbarie in ſacerdotes efferatis tradebatur, novis ità pœnis & cruciatibus exponebatur. Illud tamen has carceris & pœnarum mutationes ſolabatur, quòd in nova flagitioſorum, ad quos adjungebatur, colluvie, ſemper inveniret quos Chriſto lucraretur, aut quorum ludibrijs & inſolentiâ pro ipſo exagitaretur. Id quod adeo bellè ipſi, & alijs ex Societate captivis tum cedebat, ut cùm alij foris in libertate, propter perſecutionis acerbitatem, & exploratorum ſagacitatem, vix aliquod operæ pretium facerent, ipſi in carceribus, converſis ad Chriſtum novis ſemper & novis ob quotidiana crimina reis, dum hi in libertatem iterum carcere emittuntur, ipſi in illis maximo proventu, totidem Fidei futuros domeſticis prædicatores foras emittebant. Suboluit ea pia induſtria Miniſtris verbi, & Regijs; qui proinde cenſuerunt, haudquaquam Mettamum diutiùs Londini ferendum, ſed Wisbicum inter alios Chriſti ſacerdotes relegandum, ſcholam nempe dolorum, & extremæ patientiæ. Diſtat hic locus quinquagenis ferè paſſuum millibus Londino, olim Elienſis Epiſcopi caſtrum, nunc muris undiq; fatiſcentibus, ſinè tecto, ſublatis Præſulum hæreticorum avaritiâ plumbeis & cupreis laminis, ſinè laqueari, evulſis trabibus, ferro, reliquáq; materiâ, plus ruinarum, quàm fabricæ retinens ædificium, in commune ſepulchrum Catholicorum & Sacerdotum ab Elizabetha deſtinatum; ubi libertate & omni carorum aſpectu excluſi, nullâ aliâ ſpe, nisi animæ inter ærumnas tantiſper, dum ijs conficerentur, trahendæ agerent. Incolebant triſtia rudera 35. circiter, ſeu morte, ſeu perpetuis damnati miſerijs, viva certè omnes inter parietinas penſiles ſepulchra. Quidam in ſuo cavo ſoli, nonnulli cum ſocijs, clauſi omnes tam arctè, ut egrederentur nunquam, nisi omnes ſimul ad unam communem menſam. Neq; tunc tamen ſinè teſtibus convivis hæreticis, quorum princeps erat carceris curator Grajus, homo ferus, & à Catholicis tam pertinaciter averſus, ut profiteretur demens, ſi ſibi conſtaret, nisi apud Papiſtas DEI gratiam & ſalutem nuſquam reperiri, ſibi tamen fore optatius damnatum mori, quàm Papiſtam æternùm ſalvari. Quod & conſecutus eſt, horrendo ipsismet Puritanis exitu; Filiæ autem ſalutari exemplo, quæ ab ejus lamentabili obitu continuè Calvinum exuens, Catholicis acceſſit. Affari clauſos fas erat nemini, nisi Miniſtellis acturis de Religione, & piorum ſtipem, quâ ſolâ ſuſtentabantur, ad eos deferentibus. Excubiæ intus foriſq; perpetuæ, quarum pars obſervabat intra muros, pars caſtrum totâ nocte circumibat: cujus in milites Chriſti odia, contumelias, injurias, non rarò lapidationibus conjunctas, facilè cuilibet eſt conjectare. Unum in his ſolatium erat, clancularia Divinorum myſteriorum tractatio, quorum apparatus & materia, omnem excubitorum, quamvis improbam diligentiam, ſæpius improvisò in receptacula ſingulorum irrumpentem, omniáque perſcrutantem, ſemper tamen fefellêre. Exacto ſexennio, liberior eis ergaſtulis ſuis prodeundi conceſſa eſt facultas, & communiter invicem, veluti in libera pene cuſtodia agendi. Quam illi libertatem, adnitentibus præſertim PP. Weſtono, Mettamo, & Pondo, in religioſi Cœnobij formam diſciplinámq; vertentes, ad ſignum campanæ omnia peragebant. Sua erant meditationi, examinandæ conſcientiæ, ſua lectioni, literarum ſtudio, divino cultui deſtinata tempora: habebantur ſtatis horis prælectiones Sacræ Scripturæ, inſtitutiones græcæ, hebraicæ linguæ, explanationes quæſtionum fidei, & morum, adhortationes ad virtutem & perfectionem. Quibus longè latéq; per Angliam vulgatis, tantâ ſanctitatis atq; eruditionis opinione, non inter Catholicos modò, ſed etiam inter hæreticos celebrari Wisbicum cœpit, ut non car-

cer,

cer, ſed doctiſſimorum hominum Academia, & omnigenarum virtutum Palæſtra haberetur.

His immorantem, & privatâ diſciplinæ obſervatione ultroneas afflictiones perpetuæ adverſorum perpeſſioni addentem Mettamum, Deo tandem ad ſe evocare, & ex carcere educere placuit. Igitur non minor ſexagenario, nullâ pene ægrotatione, aut lethali malo correptus, niſi quod annorum 17. carcer conſcivit, ubi mortem vicinam advertit, erecto ſemper in DEVM animo, Sacramentis ritè ſe ad eam comparavit, quam in Corona inclytorum Fidei pugilum placidiſſimè obijt, ipſo in carcere Wisbici, menſe Junio, An. 1592. Mortem illius eò ſeveriorem, quò ab effuſione ſanguinis remotiorem, non tantùm cauſa, quâ deceſſit, glorioſam reddidit, ſed longè maximè pertinax hæreticorum, quod illam Viro DEI intulit, odium. Namq; poſt decennij carcerem, ſeptennio ante illius mortem, cum 70. Sacerdotes è nervo dimitti juſſiſſent liberos, Mettamum tamen, à beneficio illius Clementiæ, nondum ejus torquendi ſaturi, retinuerunt; ſupplicio tantò moleſtiore, quantò diuturniore mactandum.

P. JACOBUS SALESIUS, ET GUILIELMUS SALTEMOCHIUS.

PAter Jacobus Saleſius Lezoſio Arvernorum in Gallia Oppido oriundus, omnibus humanis æquè ac Divinis ſcientijs fuit inſtructiſſimus. Prodigio ſimile erat, in corpuſculo perpetuâ virium debilitate & invaletudine laborante, quæ eum à docenda Muſſiponti Theologia poſt biennium retraxit, animum reſediſſe tam vividum & robuſtum, qui præter nativam Gallicam, & ſcholaſticas Latinam, Græcam, & Hebræam, linguas inſuper perfectè condidicit Chaldaicam, Syriacam, & modernorum Arabicam, quibus ille in ſpem Martyrij inter eas gentes conſequendi ſeſe aptaverat. Et verò non ſemel Jndicam miſſionem, quam vis omnino viribus fractus, Româ impetrare ardentibus literis contendebat; quod aliquando ſociorum uni admiranti, & viriũ languorem objicienti, *neſcis tu*, reſpondit, *Rudolphum Aquavivam aptum fuiſſe Jndijs & Martyrio, qui priùs valetudinarij Romæ limen aſſiduè terebat? quis cognovit ſenſum Domini, an non in infirmo etiam corpore meo velit triumphare?* Verùm longè majores fuêre cœleſtium virtutum dotes, Animi demiſſio tam profunda, ut obſervatorem omnium dictorum & factorum ſuorum deligeret, ubicunq; verſaretur, è numero Coadjutorum quempiam, á quo liberè coargueretur, ſi qua in re offendiſſet. In DEum & Divina extatico quodam ferebatur affectu, in medio actionum ſæpe exclamare illud Angelici hymni ſolitus: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Porrò unicus floſculi, aut cujuſvis alterius creaturæ aſpectus, ità animum ejus ad pulchritudinem Creatoris rapiebat, ut divini amoris ardore inflammandus videretur. Et cùm inter meditandum divina nunquam ad aliena cogitanda mente exerraret, inter colloquia tamen familiaria perpetuò ſermonem ad cœleſtia, nec advertens, transferebat. Quanto unionis cum DEO flagraret deſiderio, vel inde colligas, quòd januæ cubiculi pulſu ingrediendi facultatem ad eum poſtulantibus, priuſquam dicto *Ingredere* annueret, genua priùs humi flectebat dicens: *Intra DEVS meus, intra in animam meam.* Hinc plerumque ab introeuntibus genibus nixus deprehendebatur.

Atque ex hac agendi cum DEO conſuetudine, ardentiſſimus in ejus corde exarſit in Deum amor, qui non poſſet niſi ſanguine & morte extingui; inde nihil magis in votis habuit, quàm per violentam in DEI cauſa internecionem, fidem ſuam teſtatam facere. Hoc ille diebus ſingulis coram venerabili Euchariſtia, quam horis propè adibat & venerabatur omnibus, ſupplex poſtulare: hoc ambitione ſummâ, quam celare non poſſet, vovere, quæ ei paſſim in familiaribus colloquijs, quoties de Martyrio mentio incidiſſet, voces illas exoptantis, nec advertenti exprimebat: *ô ſi daretur!* In hunc finem præcipuo ex Divis honore Martyres venerabatur, interque illos Edmundum Campianum, cujus reliquias de collo ſuſpenſas geſtabat devotiſſimè, exoſculabatur tenerrimè, & ejuſdem epiſtolâ ad ſe datâ ignes hos excitabat creberrimè, illis ejuſdem verbis mirificè viſus incendi: *Si vel canibus alendis fœnerari poſſem Domino meo, quis ſum, aut quæ eſt domus Patris*

mei

P. Iacob, Salesius et Guilielm, Saltemochius Galli Soc: IESV, pro fide Catholica occisi à Calvinistis Albenaci in Gallia. A°. 1593. 7. Febru:

mei, ut recuſem? Et audivit tandem benignus Dominus ardentia ſervi ſui vota, quàmque pro fide oppetere mortem ſub horæ cujuslibet ſonum precabatur, ex eadem cauſa obiturum ſe divinitus præſenſit. Itaq; non ſolùm uni Patrum aſſeveravit, non ſe aliter vitam finiturum quàm Martyrio, verùm etiam lethi genus præſagiens, aliquot antè annis diſertè cuidam innuit, nullum aptius ſibi mortis genus competere dicens, quàm ſi inter orandum ſclopo traijceretur. Cujus ictu manu hæreticâ evibrato occubiturũ ſe, diverſis vicibus edixit binis Nobilibus, cùm per jocum pectori ejus ſclopum admoviſſent; *non tu me icies*, inquiens, *ſed ſectariorum aliquis*. Ejus proinde dexteræ jam tum multò antè bene omnia fauſta precari ſolitus erat.

Denique tam apertè Rectori Turnonenſi per literas impendentem ſibi pro fide necem paucis antè diebus aperuit, ut is de eventu ſecurus, domeſticis tanquam jam de re facta aſſeveraret, Saleſium Martyrem futurum. Quæ non fuiſſe incerta divinantis, ſed divinitus accepta prædicentis vaticinia, ex alieni facti non minùs veridica patuit prænotione. Impudens quidam Nobilis atrociùs Societatis innocentiam calumniatus, turbatæ illam Reipublicæ, & invectarum calamitatum ream accuſabat, dignam proinde, cujus alumni omnes cum Saleſio virgis cederentur. Parciùs iſta viris innocentibus & modeſtiùs objicienda monebat Saleſius, cavendum etiam atque etiam illi inculcans, ne ante anni lapſum pœnam ipſe, eâ corporis par-

te, ubi virgæ incuti ſolent, à DEO excipe-ret. Et profectò currente adhuc anno, excuſſus Aquis ſextijs, quas Dux Eſpernonius obſidebat, tormento globus, poſticam corporis partem, quâ ſedebat, & paulò poſt vitam illi abrupit.

Sic ergo Martyrio præparatum, & jam maturum, imperia Majorum occupant, & Albenacum, Urbem Calvinianâ peſte infectam, tuendæ illic Catholicæ rei causâ proficiſci jubent. Quæ imperia incredibili hilaritate, dicto *Te Deum laudamus*, excipiens, confeſtim ſe Turnone, ubi Theologiam tum docebat, comite Guilielmo Saltemochio dat in viam, Novembri exeunte An. 1592. Albenaci per ſacras Dominici Adventûs ferias quotidie ad populum perorans, ingenti fructu & ſolatio Catholicos complevit: adjunctiſq; ad eorum numerum ex obſtinata Calvini ſectâ quibuſdam pauculis, in rabiem ſcilicet & furorem Miniſtros eorum redegit, qui doctrinæ & ſpiritui in eo loquenti non valentes reſiſtere, de medio tollere optabant; tantum in eo ſolo veneni eſſe, etiam ex pulpitis vociferantes, ut non Albenaco ſolùm, ſed univerſo etiam Regno conficiendo ſufficiat. Et occupaverat fortè tunc improviſo latrocinio, & proditione civium hæreticorum, Albenacum Chiambaudus Calvini Aſſecla, oppreſsisq; 6. Febr. 1593. Catholicis, primò omnium Saleſiũ cum ſocio dari juſſerat in vincula, certus neq; pretio, neq; permutatione libertatem ijs concedere, quos Miniſtri ſui veluti Baalis Prophetas, & impios Jdolorum, atque Antichriſti adoratores neci tradendos contendebant. Itaque toto illo die cum nocte inſequenti, varijs injurijs & contumelijs affectum Saleſium, poſtero die, qui erat Dominicus, Rabulæ ſui concione in necem illius inflammati milites, exire foras in plateam jubent, in publico moriendum illi dicentes. Qui veluti ovis in occiſionem ſponte ſuâ deſcendens, *Ego verò*, inquit, *libens exeo Deo duce, cujus causâ mori paratus ſum.* Et ad ſocium ſuum, *quid te*, ait, *frater mi, fiet? bono animo eſto. vide ſis quanti ex quantulis futuri ſimus!* Tum brevi morâ ad commendandum DEO ſpiritum impetratâ, flexis genibus, veniam hoſtibus precatus eſt, qui ei JESUM & MARIAM invocanti, fruſtra os luto complere tentabant; donec ſupplicem à tergo militum unus adortus, ſoluto ſclopo humerum ejus petijt: quo ictu pronus in faciem corruens, cùm ſacra nomina invocare pergeret, ferro confoditur die 7. Febr. An. 1593. annos natus 37.

Atque hæc tam cordatè pro fide Catholica mors obita, quàm glorioſa in conſpectu Dei foret, quâ ipſe in beatam vitam naſceretur, luculentè indicabat ſplendidiſſimum lumen, quo cubiculum ejus natale, nocte cœdem illius excipiente, plus horæ ſpatio, admirabili ſplendore effulſit. Corpus ejus planè nudatum, totos 6. dies inhumatum, inhibentibus ejus ſepulturam Hæreticis, in platea jacuit; donec in ruinoſo quodam templo tumulatum, ac biennio pòſt magno honore Ruanum, tandémque Avenionem, unà cum Guilielmi cineribus translatum eſt, ſyndone, quâ arida jam Chriſti pugilum oſſa mundiſſimè involuta erant, ſanguineum colorem referente. Cædes eorum maximâ lætitiâ ubiq; à ſocijs celebrata eſt, paſsimque in Collegijs hymno Ambroſiano gratiæ Deo actæ; pijs omnibus magno ambitu & certamine reliquias eorum depoſcentibus, quas prodigioſis eventibus variè illuſtrare Divinæ Bonitati deinde placuit. Sanè lipſanis Saleſij ſe, & quendam è S. Benedicti familia à diuturno aſthmate, liberatam, confeſſa eſt Domina Leonarda Chauſsy, cui etiam devotam ternam è ſedecim, quas habuerat, prolem ſervatam in vivis adſcribebat. Bruxellis in Belgio Anno 1623. Dæmonem ab energumena, quam 22. annos obſederat, exigens P. Henricus Adamus, cùm manu Saleſij conſcriptum libellum depromens quæſiſſet, num illum noviſſet? & probè ſe illum nôſſe, & ab hoſte ſuo exaratum, quem Albenaci amici ſui neci dediſſent, aperuit, à quo ſe uri, & vehementer peruri fatebatur. Ejuſdem lipſana clàm alteri Energumenæ P. Bartholomæus Jacquinotius Avenione applicuit, cùm ſubitò irrugiens Dæmon inſanis clamoribus, ut demortui illius oſſa amolirentur, urgere cœpit; ſingularem hoc facto animis adſtantium æſtimationem Saleſij imprimens, cujus exanguia licèt oſſa, tantis viribus in hoſtem infernalem pollerent.

GUILI-

FOrtunatiſſimus P. Saleſio expeditionis in Hæreticos ſuſcipiendæ comes datus erat à P. Provinciali Guilielmus Saltemochius, eâdem cum illo Patriâ Arverniâ oriundus, Vir antiquæ ſimplicitatis, eximiæ pietatis & obedientiæ. Literarum cùm eſſet omnino rudis, in Societatem nihilominus receptus eſt ætatis anno 26. intra numerum Coadjutorum, eò quòd ſutoris opificium à puero edoctus, præclarè calleret. In hac Angeli agnomen vitæ innocentiâ, ac præſertim obedientiæ promptitudine obtinuit, quam cœcè omnino, ùt jumentum factus in Domo DEI, exequi ſolebat, nullâ ſibi diſcernendi inter Superiorum imperia facultate ſervatâ. Quod tam ſanctè obſtinatum, Superiorū juſſa omnia ſinè diſcuſſione exhauriendi ſtudium, uberem illi patientiæ peperit ſegetem, dum Muſſiponti Convictorum in Contubernio januæ præpoſitus à Superioribus, calces & pugnos, vulnera, & cruentas à gladij dorſo vibices ſuſtinere maluit, quàm malè feriatum juvenem è Contubernio, præter Superiorum facultatem, dimitteret. In cultu SS. Euchariſtiæ quàm tener fuerit & aſſiduus, Turnone potiſſimùm patefecit, nuſquam ferè alibi, quàm coram illa precarios volutans globulos, reperiri ſolitus. Ad gentem deinde convulſam & dilaceratam Saleſio comes ire Albenacum juſſus, licèt non ignoraret vitæ inter Heterodoxos impendentia diſcrimina, tamen provolavit ùt Angelus velox; præmium obedientiæ nactus Martyrij corollam, quam ei ſors eadem, eadem mortis conditio peperit.

In Hæreticorum manus & vincula unà cum ipſo delapſus, cùm perfidi juſculum ex carne famelicis (Sabbathi dies erat) apponerent, jamque Saleſius fraudis ignarus ſorbere pararet, opportunè admonuit, ut videret quid ageret, id ſibi juſculum, licèt ſub aliena ſpecie, ex carne videri. Ita cùm eligeret famem potiùs & ſitim extremam perpeti, quàm utramque cum injuria Eccleſiaſtici Præcepti extinguere, hauſtum aquæ ſibi cum Patre exhiberi petijt. Sed & hunc crudeliter negantibus ſectarijs, licèt copioſè per eos dies pluiſſet, imò importunè de ciborum delectu controverſiam moventibus, ſevera impietatem hanc à Deo ultio conſecuta eſt. Siquidem ipsâ illâ hebdomadâ tanta in omnibus Oppidi ciſternis aquarum extitit inopia, ut vino carnes coquere cogerentur. Conatus quidem eſt Saleſius vitam ab hoſtibus Guilielmo impetrare, quòd literarum expers, nihil ipſorum poſſet rationibus officere: ſed præſentem gloriæ palmam non paſſus ſibi in manibus ille infringi, *nequaquam*, exclamat, *ego te Pater deſeram, quin & pro dogmatibus à te propugnatis, ego quoq; promptus occumbam.* Monentem quin etiam alium, ut ſe tragœdiæ, in ſolum Saleſiū comparatæ ſubduceret, *abſit à me*, reſpondit, *errorem hunc grandem errare. Non me ſejungam unquam ab ejus latere, cui me ſocium S. Obedientia conjunxit. Mortem in hoc comitatu non reformido. Ejus me beneficij ſi compotem Divina miſeratio faceret, næ ego bene fortunatus fuero; promptus etiam Deum exorare, ut percuſſori meo facti veniam indulgeat, cui jam nunc ego, quisquis fuerit, lubens indulgeo.* Corruebat interim ex accepto ſclopi ictu Saleſius; cujus caſu nihil iſte conſternatus dum accurrit, dum valedicentis more complectitur, pugionibus crudeliter nefariorū confoditur, ſortem ſuā mirè ſibi congratulans; donec vires & ſanguinem deficere ſentiens, in genua & terram ſubſidit, & conformatis ante pectus in crucem brachijs, felicem animam Creatori eodem cum illo die reddidit, annos natus 38.

Exhumatis poſt biennium utriuſque Albenaci oſſibus, prodigio ſimile omnibus viſum fuit, in cranio Guilielmi incorruptum ſuperfuiſſe cerebrum, nullo etiam graveolentiæ veſtigio. Ad utrumque etiam prodigioſè ſervata Dominæ Leonardæ Chauſsy vita ſpectat, quæ à Calviniſtis Albenacenſibus corpora illorum Ruanum transferenda impetraverat. Rupto ſiquidem inopinè tabulato, tignū capiti ejus impendens, & jam à muro revulſum, indubiè oppreſſiſſet, niſi ex ipſo caſu in aëre pendulum, ab eorum lipſanis tigno illi intra ciſtam incumbentibus, detentum eſſet. Eandem opem expertus eſt Philip. Daudan Vir ſeptuagenarius, lapſu ex alta turri ita contritus, ut præter linguam, alium membri uſum vix retineret. Ubi tamen hos duos in vota vocavit, ſanus & incolumis ante triduum ſurrexit. Necis adminiſtri omnes triſti & lamentabili exitu interierunt; duo à vermibus viventes etiamnum corroſi, alius inediâ confectus, alius inſaniâ correptus. Joañes Sariaſſius princeps tragœdiæ author, à die commiſſi ſceleris tremorem capitis perpeſſus eſt; & filius illi unicus eâdem die & horâ, quâ Parens noſtros confecerat. A. 1605. ibidem Albenaci duello ſublatus eſt: cujus cadaver cùm præter cœdis illorum locum deportaretur, inde nullâ vi dimoveri horæ ſpatio potuit, exceptum ab obvio deliro ijſdem ludibrijs & ſannis, quibus corpora ipſorum à morte affici Parens juſſerat.

P. Ioannes Leleſzi Vngarus. S. I. ex propinato in odium Fidei veneno mortuus Laureti. A°. 1594. 26. Febr.

C. Screta d. Melch. Küſell ſc.

P. JOANNES LELESZI.

FLorentiſſimum Hungariæ Regnum, cùm Catholicam Religionem in pretio habuit, omnibus bonis ità à Deo cumulabatur, ut lacte & melle manans, terræ promiſſionis non immeritò æquiparari poſſet. Eadem tum illi quæ Cœlo Regina, eadem in illam Ungaris quæ Cœlitibus obſervantia, & veneratio, & quod conſequitur, tam firmum cum Cœlo commercium, ut etiam Coronam inaugurando Regi manibus Angelicis fabricatam, illi ſubmitteret. At ubi ſectariorum perverſis dogmatibus ingreſsū præbere, Regno & Civitate, æquali cum Pietate jure, donare incepit, omnis ſimul felicitas in exilium emigrans, pro Sole Juſtitiæ, infauſtiſſima Lunæ Ottomannicæ cornua in eam invexit, quibus ventilata, & in miſeram Turcæ ſervitutem magnâ ſui parte redacta, in ſtuporem hodie & portentum facta eſt gentibus omnibus. Nihil tamen non egere Principes Auſtriaci, ut ruenti in præceps Regno opportunè ſubvenirent, & Religionem Catholicam fulcirent; inter quos Ferdinandus I. cùm auxilia illuc è Societate JEſu ſubmittere inchoâſſet, ſucceſſores illius tantò majore ſemper ſtudio ea augere contendebant, quantò heterodoxos magìs in eis regno exigendis & proſcribendis laborare cernebant. Nulli pene Conventus, nulla Regni celebrabantur Comitia,

tia, quibus non agitarentur tractatus de eliminandis ſocijs; ſic ut nullo unquam tempore, nullo Regum pijſſimorum adniſu, effici toto annorum ſeculo potuerit, ut incolatus ijs perpetuus, publico Comitiorum ſtatuto decerneretur. Quem ampliſſimum laborum ſuorum campum, zelo Auſtriacorum Cæſarum nacta Societas, latè quaquaverſum ſuas operas per Regnum univerſum, non ſolùm quà Catholico Regi ſubeſt, ſed quà ſub Tyrannico etiam Turcarum gemit jugo, diſpertita eſt, cujus Socij Quinque-Eccleſijs, Albæ Græcæ, Regalis Budæ, Varasdini, aliiſque per Turco-Hungariam locis (ut taceam excurſiones & miſſiones temporarias) rem Catholicam conſtanti Reſidentiarum labore procurant.

Inter hos numerandus venit primariò P. Joannes Leleszi, vir ingentis animi, Apoſtolus Tranſylvaniæ meritò appellandus. Hic exulantibus injuriâ temporum Patriâ ſuâ Varadino Parentibus, prodijt in lucem Leleſzij: à quibus religiosè educatus, & ingenuis artibus optimè inſtructus, cùm eximios in Patriæ ſuæ ſalutem Societatis labores & conatus prudens arbiter diſpexiſſet, ad eorum Ordinem animum adjecit, jam duodevicenarius An. 1566. In quo poſt Rhetoricam & Philoſophiam magno applauſu doctam, jam quatuor vota profeſſus, accerſitus eſt è Bavaria Viennam, operam deinceps in animorum quæſtum locaturus. Chriſtophorus enim Battoreus, inclytus Tranſylvaniæ Princeps, adnitente unà Stephano Battoreo fratre, jam tum Poloniæ Rege, profligatam pene ditione ſuâ rem Catholicam, ſervare & reſtituere cùm adniteretur, ſubſidia è Societate JESU, ad hoc maximè opportuna & efficacia, à Cæſare flagitabat. Primus in tam arduam, & diſcriminum pleniſſimam Miſſionem deſignatus eſt, reliquis in ea Provincia futurus Præſes P. Joannes: jam enim tunc ſuperſtitiones omnes plenâ pace & tranquillitate, ſoli Catholicæ Religioni indicto exilio, in Tranſylvania habitabant, & plerique omnes Procerum varijs ſectis infecti erant, Lutherum, Calvinum, Arrium, Anabaptiſtas, Antitrinitarios, Mahometem, & quæ non Religionum monſtra, ſectantes. Inter tot profligatæ fidei Aulicos, ne Sigismundus, in Principatu Parenti Chriſtophoro ſucceſſurus, in nefariam & ipſe Hæreſim, Matris præſertim verſutiâ, quæ filium in ſua ſecta educârat, pertraheretur, Patris Joannis fidei & educationi commiſſus eſt. Sacris & profanis diſciplinis abundè inſtructum, in Catholicæ Fidei petra ità ſolidavit, ut ejus ad mortem uſq; tenaciſſimus, toto etiam Principatu ruinas illius reparare ſtuduerit. Licèt poſtmodum veneficio perditorum hominum Principatu cedere coactus, in extrema egeſtate finierit vitam Pragæ; cariturus honore ſepulturæ, niſi hanc ei fidus, qui ex tot unus ſupererat famulus, in ſacello S. Sigiſmundi Metropolitanæ ibidem Eccleſiæ præſtitiſſet.

Nec in ſolius Principis ſana educatione conſtitit zelus Leleszij, ſed aperto Claudiopoli Gymnaſio, frequentiſſimam illuc totâ Tranſylvaniâ, ex omni Nobilitate Juventutẽ pellexit, quam feliciter literis ſimul & Fidei rudimentis, per magiſtros Societatis inſtrui fecit. Ipſe interim quà Concionibus ſacris, quà privatis congreſſibus, animis civiũ hæreſim extirpare pertentans, id aſſecutus eſt, ut cùm ſex ſolos ſub ejus adventũ cenſeret Vrbs nobiliſſima Catholicos, ipſe diſcedens, majore & potiore ſui parte reliquerit orthodoxam. Inter hos animum quantumlibet collectum diſſipantes labores, nihilominus tam erat mente in Deum intentâ, ut vix alij cum ſolo Deo acturi ad horam orationis collectiorem afferant. Nec inferiore ſtudio in opulentiſſimi Principis Aula paupertatem noverat ſervare, quàm in domeſtica Collegiorũ penuria conſtitutus: nihil unquam, ne terunciũ quidem, ex copioſis Principatûs reditibus, qui tamen omnes fidei ſuæ comiſſi erant, in uſus proprios, etiam neceſſarios, derivare ſolitus. Verùm non diu tulit Orcus damna ſibi, & ſectis ſuis per Tranſylvaniam illata, ſed per fæminam Nobilem, hæreſis pertinaciter ſtudioſam, toxicum ei miſcuit, quod illi ad cænam familiariter invitato perfidè propinavit. Et non fuit quidem illa veneni rabies, quæ in veſtigio hominem necaret; ab eo tamen tempore contractis venis, quaſi apoplexiâ, omnibus corporis membris obrigeſcebat. Acceſſit & aliud à crudelitate hæretica malum. Mutatâ ſiquidem Principis fortunâ, cùm toto Principatu Socij exigerentur, exturbatus eſt & P. Leleszy, nequidquam obnitente Principe, quantumlibet lectulo tunc ex morbo affixus, hyeme gelidâ & nivoſâ, initio anni 1588. Inde ſenſim in mortem contabeſcens, cùm fruſtra eſſent omnia medicamenta, Lauretanum in Italia Collegium, optatiſſimam moriendi ſedem delegit, ut ubi ponendam pro nobis Chriſtus Dominus animam in Incarnatione aſſumpſerat, ibi ipſe ſuam pro illo toxici violentiâ exturbatam poneret. Quod factum eſt die 26. Febr. Anno 1594.



P. Ioannes Cornelius, Soc. IESV, nobilissimâ prosapiâ Anglus, post repetitam ex manuum pedumq; articulis in equuleo distensionem, pro Fide Catholica suspensus, exenteratus, et dissectus in Anglia Dorcestriæ, 3. Iulij A. 1594.

C.G.d. *M.K.f.*

P. JOANNES CORNELIUS.

NObiliſſimâ Omahunorum, ſive Omagaunorum Hyberniæ familiâ (ût multi ſcriptores volunt) oriundum Cornelium, pientiſſima Comitiſſa Arundelia catholicè educandum ſibi à Parentibus ejus obtinuit. In Collegio dehinc Anglorum Romæ ſtudiorum curſu confecto, Sacerdos conſecratus, & in Angliam An. 1583. Septembri menſe remiſſus, primâ curâ Matrem conquiſitam ab hæreſi revocare ſtuduit; quam etiam miro ſolatio totius vitæ peccata apud ſe deponentem, DEO & Eccleſiæ reſtituit. Tum omnium utilitatibus & ſaluti ſe impendens, nullum verebatur ſubire diſcrimen, dummodo ſalutaria malis cujuſpiam afferre poſſet remedia: mutatis identidem ſtationibus convocatos Catholicos in ſylvis, domibus privatis, ſolari, confirmare, Sacramentis munire, quotidianâ catecheſi rudiores imbuere conſueſcens. Conſtat triennio plus tricenis familijs ejus hortatu inductas eſſe, ut à nefaria Hæreticorum cœna, & fanis frequentandis ſe abſtinerent. Mirè induſtrius erat in indagandis moribundis, & extremâ calamitate preſſis, quorum innumerabilem multitudinem, peſtilentiâ maximè graſſante, ab exitio ſempiterno vindicavit. Reſcijt abjectum rure jacere ſenem hæreticum, pediculari morbo ad extrema deductum, à quo muſcis, pediculis, vermibus, toto corpore ſcatente, omnes etiam ſan-

ſanguine juncti, graveolentiam non ferentes, ſe amoviſſent. Huic Joannes ubi totâ nocte, multis confirmans, & in ſpem æternitatis erigens, aſſediſſet, ab errore quidem & peccatis ſacramentaliter abſolutum, & mox eâdem nocte moriturum conſtanter ſolatus eſt; vermibus tamen & putridâ illuvie totis veſtibus ita ab eo oppletus, ut mox depoſitæ, uſui deinceps eſſe nequiverint. Graſſante in Dorceſtria lue peſtilenti, nullus ægrotavit Catholicus, cui non adfuerit, nullus proteſtantium, cui non tentaverit inſinuare animi ſalutem, & Catholica conſilia. Præcipuum in his robur ſumebat à SS. Miſſæ ſacrificio, quod diebus ſingulis, nunquam ſinè lacrymis, Deo litabat; in alijs etiam Divinorum commentationibus à ſenſibus abripi ſolitus, ad quos nullâ vi diu poterat revocari. Edomandi per aſpera corporis perquam ſtudioſus fuit, & plura quotannis cilicia & flagra ſui diverberatione conficiebat, omnibus etiam ante incarcerationem annis, quaternos in hebdomada dies ſevero jejunio conſecrans. Plurimum etiam ad conſervandam mentis illibatæ innocentiam faciebat intenta ſemper ſenſuum cuſtodia, quâ toto triennio nec Templum Parochiale, quod feneſtris ejus cubiculi erat proximum, nec quale domicilio ſuo eſſet tectum, obſervavit.

Atque hæc omnia ſingulari fervore toto decennio in Anglia geſſit Clericus ſæcularis, necdum Societati JEſu legitimè adſcriptus. Quo tempore multis miris eventibus labores ejus honeſtare Deo viſum. Sanè poteſtas ejus in Dæmones prorſus fuit admirabilis, quos ex obſeſſorum corporibus ſolo paſſim acceſſu feliciſſimè exigebat. Horum unum Miſſæ aliquando aſſiſtentem, coëgit præſentem in Hoſtia D E U M publicè confiteri his verbis: *Agnoſco in hoc Sacramento omnipotentiam tuam ô D E U S.* Unde multùm perculſis Hæreticis, Orthodoxi mirificè fuêre in fide conſtabiliti. Quarum rerum famâ toto Regno, vulgantibus rem ipſismet dæmonibus, apud Catholicos & Hæreticos vagante, impulſi Magiſtratus, eum Caypha dicebant, *quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit.* Dimiſſisq; eodem ſimul tempore tricenis emiſſarijs, eum ubicunq; deprehenſum comprehendi jubebant. Et verò in manus eorum jam inciderat aliquando, deprehenſus ab ijs conclave irrumpentibus, ſcriptioni vacans, & calamum, ût fieri ſolet, ore tenens. Sed videns eos hærere, oculis divinitus ne eum viderent impeditis, ſilentio per medios illos in campum egreditur. Defunctorum animabus è piaculari carcere liberandis cùm eſſet addictiſſimus, ſæpius ab ijs rogabatur, ut litationibus ſuis pœnas eorum redimeret. Inter quas erat D. Hartiſius, olim Præceptor ſuus, utì & Baro Sturtonus, quem in vaſtiſſimæ ſylvæ incendijs horrendùm amburi, inter luctuoſiſſimos ejulatus, tempore ſacrificij, quod pro ipſo operabatur, aſpexit, his editis cauſis pœnarum: *quòd fidem nonnunquam diſſimulâſſet, quando eam palàm confiteri ex uſu fuiſſet: quòd totam ætatem in Aula, non ſemper bono præbito exemplo, perdidiſſet: quòd è ſuffragatorum numero in necem Mariæ Stuartæ unus & ipſe fuiſſet, licèt ſæpius de hoc reum ſe pro ſacro Tribunali egerit.*

Poſtquam autem viſum eſt Divinæ Pietati pleno gloriæ fine labores illius coronare, è mediaſtinis unum quempiam, & inter domeſtica famulitia ad infima obſequia deſtinatum apud Dominam, in cujus Caſtro ſuſtentabatur Cornelius, ſivit à malo genio ad proditionem excitari; qui ſpe opulentioris fortunæ inductus, Duumviris capitalibus cum numeroſo ſatellitio in villam adductis, indicatâ digito, quâ ſe condiderat latebrâ, Dei Sacerdotem in manus impiorum tradidit. Inde poſt varias in itinere cum Heterodoxis altercationes Londinum adductus, & tetro carceri mancipatus, paulò pòſt Senatui Regio ſiſtitur, ut videlicet aperiat, quibus alijs in locis, apud quos divertiſſet? Sed iniquam percontationem reijciens, eqvuleo, & alijs cruciamentis ad confeſſionem adigitur. Quibus nihilo mollior effectus, & in ergaſtulum ſcilicet retruſus, inſtituit jejunijs, verberationibus, vigilijs, precibus continuis, votorum religioſorum nuncupationi ſeſe præparare. Jam enim Henricus Garnetus, Sociorum per Angliam Moderator, non longè antè literis à Cornelio exoratus, in ſuam Religionem illum receperat, poteſtate factâ, conſueta Societati JESU vota in carcere nuncupandi. Quibus ille quanto animi ſui ſolatio ſeſe illigaverit, nemo veriùs, quàm ille dixerit, teſtatus in epiſtola ad Dorotheam, Virginitatis perpetuæ voto illigatam, Matronæ in cujus Caſtro ſuſtentabatur Filiam, nunquam ſibi tantum dulcium lacrymarum, tantum Divinæ voluptatis obveniſſe, quantum beatus ille carcer peperiſſet.

Non multò pòſt Londino Dorceſtriam, in cujus territorio captus fuerat, remittitur, ut ibi judicatus, perduellium pœnas luat. Illuc itinere toto latronum more, brachia poſt tergum revinctus, adducitur, ternas quotidie horas precationi & corporis diverberationi impen-

impendere, apparitorum indulgentiâ permiſſus. In Vice-Comitis aulam receptus, & liberâ pene cuſtodiâ honorificè habitus, bonâ ejuſdem gratiâ obtinuit, ut locum ſupplicij ſui, pridie quàm occiſus eſt, ipſomet comitante adiret, veneraturus furcam, quæ ſibi ſcalæ vicem in Cœlum conſcenſuro præbitura erat. Ad judicium productus, læſæ Majeſtatis reus damnatus eſt, quòd vetitas à Regina Miſſas fecerit, Confeſſiones exceperit, & Regij edicti in Catholicos & Sacerdotes ſanciti impugnationē, penes ſe ſcriptam habuerit. Quo eodem die, reliquis qui ſe inviſerant dimiſſis, accitam ſub veſperum Dorotheam, ſuaſu ſuo Virginem, Cœleſtium jam plenus, ità affatus eſt: *Sæpe me Divinæ gloriæ cupiditate exerceri experta es, at ecce corpus hoc craſtinò diſſecabitur. Vitæ præſentis faſtidio teneor, ad ſempiternam aſpiro. Fac dulcis JESU, ut verborum atque operum meorum illa ſit meta. Ad hoc vides me, quod maximè expetivi, compotem à DEO factum Societatis IESU; fac amabo, ut quidquid reliqui mearum rerum, illi cedat. Tu verò vide ſis, ut voto ineundæ Religionis, quo te obligâſti, quàm primùm reſpondeas. Obſecra, ne quid cogitem, dicam, aut ſpirem, præter Chriſtum, Crucem ejus, & Paradyſum. Ego viciſſim IESUM obſecro, ut religioſam te faciat, plenam annis & meritis, & gratiâ cœleſti, ut mutuo rurſus conſpectu fruamur in Paradyſo.* Nocte ultimâ ſolidè in precatione, confeſſionibus excipiendis traductâ, & vicenis duobus aureis à Dorothea ſubmiſſis, in Catholicos egentes diſtributis, oblatam vitæ indulgentiam, ſi modò Templa Hæreticorum frequentaret, animosè rejecit. Atque ſub horam à meridie primam animoſus è carcere prodiens, ultro ſupinus crati vimineæ incubuit; in qua ad locum ſupplicij raptatus, quatuor alios, qui pedites ad furcam unà ducebantur, identidem ad conſtantiam firmabat, exemplo ad emolliendam præcipui ejus Provinciæ Viri conſcientiam pervadente, qui benedictionem à Patre ſic infamè raptato flagitans, recepit ſe Catholicis aggregaturum.

Ad locum ſupplicij ubi deventum eſt, ſublatis in patibulum primò latrone, quem expiatis ſceleribus orthodoxè mori Pater condocefecerat, ac tum fidei causâ duobus ſuis famulis, & Nobili Viro Thomâ Bosgravio, poſtremus ipſe ſcalas alacer conſcendit, illud Apoſtoli Andreæ uſurpans: *O bona Crux, diu deſiderata, ſollicitè amata!* Sociorū deinde pedes è trabe pendentium, & laqueum à carnifice porrectum exoſculatus, collo induit, DEóque ſpiritum commendans, è ſcalis dejectus eſt, 3. Julij Anno 1594. Et quia ſpirans adhuc & vividus reſciſſo fune excarnificatus eſt, dum pectore fiſſo cor & inteſtina diriperentur, manum fronti admovere, veluti ſupremùm Cruce ſignaturus, notatus eſt. Partitum quadrifariam corpus, & palis affixum eſt, capite ex ſummo patibulo ad publicum terrorem proſtante. Quod dum eminus veneratura per eos dies Dorothea accedit, videt illud lucis radio cinctum mirabiliter fulgere. Sed oculorum ludibrium metuens, dum exploratura propiùs ſe admovet; quò ſe conferebat viciniùs, eò clariùs radiare conſpexit. Quo ſpectaculo vehementer animo confirmata, de gente non ſancta in Belgium profugiens, ſacras inter Divi Benedicti Virgines votam DEO vitam traduxit. Totos interim 15. dies, quibus in patibulo fixum proſtabat Caput, tam exitioſa vis imbrium devaſtavit meſſes, ut eam incolæ vindictam crederent ignominiæ ſacro capiti illatæ, impetrarēntque à Gubernatore illud deponi; quâ occaſione, unà cum toto corpore venit in poteſtatem Catholicorum.

P. ROBERTUS SOUTHUUELLUS.

NEſcio an quis alius unquam poſt ſanctiſſimum Parentem ejus Ignatium, majorem de Societate JEſu ſenſum, majorem vocationis ſuæ foverit æſtimationem, quàm Robertus Southuuellus Anglus, in Comitatu Suffolciæ, illuſtri & perquam nobili ſanguine natus. Scripſit quidem aliquando in ſua ad Socios Romam epiſtola S. Xaverius, æternum animæ ſuæ exitium imprecans, ſi unquam ab amore dilectiſſimæ ſuæ Religionis deſciſceret: *ſi oblitus*, inquit, *fuero tui ô Societas JESU, oblivioni detur dextera mea.* Sed an non ſublimes ejus de hoc Ordine conceptus adæquârit, ſi non ſuperârit Robertus, clariſſimo in Anglia gentis Southuuellæ natus ſanguine, ex his quæ propriâ manu conſignavit, patebit. Primùm ergo ejus conſequendæ ſtudio, quòd nullibi alibi certius tergeminam Virginitatis, Doctoratûs, & Martyrij lauream ſibi polliceretur, poſt Philoſophiam Duaci ſub Leonardo

Leſſio



P. Robertus Southuuellus, Nobili ſanguine in Anglia natus, Soc. IESV pro Religione Catholica ſuſpenſus et ſectus Londini A. 1595. 3. Mar.

C. S. d. M. K. f.

Leſſio abſolutam, pedes Romam tetendit. Ubi experiundæ virtutis & conſtantiæ gratiâ nonnihil prolatus, tanto doloris ſenſu moram tulit, ut ſcriberet: *quî fieri poteſt, ne mœrore conficiar, cùm ab illo cœtu me disjunctum videam, ab illa Societate ſegregatum, divulſum ab illo corpore, in quo ſita ſunt vita mea, amor meus, totum cor, & affectus meus?* Hinc tanto majore gaudio ex admiſſione affectus, beatitatem ſuam quaſi non capiens, ità ſeipſum ſcriptis extimulabat: *Quot ſunt, qui ſuſpirant anhelantes die nocteque, nihil aliud cogitant, nisi quâ poſſint in Societatem admitti! Quoties eis felix admiſſorum ſtatus in mentem venit? Quoties eundem ipſi toto cordis affectu exoptant? Quot ſunt, qui cùm te per plateas incedentem vident, liquefacto velut corde in lacrymas ſolvuntur, dum ſe tanti boni poſſeſſione orbatos vident? tu autem, qui eo frueris, quanto erga Deum amore flagrare deberes? quàm gratus eſſe de tanta gratia? ſæculares cùm te vident, propter ſanctitatem vitæ, & quæ in vero Societatis filio reperiri debet virtutem, reverentur, & multò plus à te, quàm à devotiſſimo quolibet ſæculari expectant. Factis igitur & operibus eorum expectationi reſpondere debes.* Et rurſum alibi: *Conſidera*, ſcribit, *quanta in Religioſo Societatis perfectio requiratur, qui ſemper ac ſingulis momentis paratus eſſe debet in quasvis Mundi plagas, & ad quæcunq; hominum genera proficiſci; cùm ij ſint Hæretici, Turcæ, Pagani, Barbari; & incertũ ſimus, quo nos Deus vocaturus ſit. debemus ergo omnibus virtutibus inſtructi eſſe, quæ neceſſariæ ſunt, ut cum his omnibus poſſimus cum fructu &*

ædificatione verſari. Unde cogitemus, quid deſideretur in eo, qui cum Jndis eſt verſaturus, quantam debeat habere patientiam, charitatem, compoſitionem verborum, geſtuum, & omnium actionum, quantam cum DEO unionem! Item, quid requiratur ab eo, qui ab hæreticis in vincula conijcitur, fame, ſiti maceratur, mille illecebris tentatur, æqvuleo & varijs tormentis cruciatur.

Poſtquam autem Tyrocinium egreſſus, ſacramentum in militia JESU Chriſti per vota religioſa nuncupavit, ità hanc ſuam felicitatem proſecutus eſt. 1. *Crucifixo deſponſata eſt anima tua; unde & eam crucifixam cum corpore eſſe oportet. Sicut enim ſimilitudo amicitiæ, ità & diſſimilitudo diſunionis cauſa eſt. Nec certè ullo modo congruum eſt, ut ſponſo patiente, & infinitis affecto doloribus, eodemq; pro ipſius Sponſæ ſuæ amore obtinendo crucifixo, ſponſa delitijs affluat, séve in ulla delectatione verſari permittat, vel in ulla re, quàm in ſponſi imitatione, quæ amoris vinculum eſt, recreetur.*

2. *Membrum Societatis IESU, B. Virginis filius, unum ex viſceribus Chriſti effectus es: cum reliquis igitur & te crucifigi oportet.*

3. *Factus Sanctorũ ſocius, domûs Dei incola, in Exercitu Chriſti miles, in Eccleſia petra fundamentali lapis, factus es animarum piſcator, ſecularibus vitæ norma, & virtutum ſpeculum; meſſis Chriſti operarius, ſervus illius inſolubilis; Diaboli, Mundi, & Carnis hoſtis declaratus, & publicus; cæcorum dux, claudorum bajulus, omnia omnibus.*

4. *Nihil quod eſt, aut poteſt eſſe in te, aut ſpectare ullo modo ad te, potes amplius poſthac dicere eſſe tuum; nec memoriam, intellectum, nec voluntatem: nec quidquam potes nolle aut velle de te; nec de te, niſi ex ſuperiorum præſcripto, aut de quoquam alio, aut re vel minima diſponere: ſed Dei & vicariorum ejus ita factus es mancipium, ut plena tui poteſtas penes illos ſemper, penes te nunquam amplius futura ſit.*

5. *Cum ijsdem planè nodis adſtrictus ſis, quibus B. P. N. Ignatius, Xaverius, &c, & ejusdem ſis Societatis; ad eandem perfectionem, quantùm ex parte tua fieri poteſt, obligatus es. Unde licèt perfectionem aliquam aliquando videris te acquiſiviſſe, ſi tamen ad illam, quam habuerunt ijdem BB. PP. NN. evectus non ſis, nihil adhuc te feciſſe intelligas, nec illi reſpondiſſe gratiæ, quam Societatis tibi character, & Spiritus Sanctus communicare ſolet; ideóq; ad perfectiora ſemper aſpirare debere.*

6. *Ita DEO temetipſum dediſti, ut illius perpetuò mancipium, ſervúſque futurus ſis, & de te amplius nihil velle, aut nolle poſſis; ideóque quidquid tibi accidit, peculiari ejus providentiâ evenire certò ſcias. Imò tu nec in minimis etiam rebus debes ullâ ratione quidquam proponere de temetipſo, nec hoc aut illud velle perficere; niſi priùs te commendaveris Providentiæ Divinæ; quia nihil eſt tam parvi momenti, in quo non poſſit aliquis defectus committi; & proinde etiam in minimis totam noſtri curam DEO relinquere & ſuperioribus debemus; & quidquid accidit, à manu ipſius, tanquam Patris amantiſſimi, incommodo alicui, quod nos neſcimus, occurrentis, libenter accipere; ſcientes, quòd quantumcunq; gravia, & moleſta accidere permittat, aut ad præveniendum majus malum, aut ad communicandum aliquod nobilius bonum, quod tamen requirat diſpoſitionem præviam, permittere.*

7. *Sæpe tibi occurrit hæc cogitatio: Quid reſponderes, ſi ſuperior diceret tibi, quòd non es idoneus, & utilis Societati, & ideo te debere diſcedere, nec te velle ſuperiores diutiùs retinere, cum ſis onus Societati, &c. Et hoc ijs modo reſpondere proponebas; ſi velis ut egrediar, priùs tu egredere, ut aditum mihi patefacias; & poſtquam expertus fueris lucra, quæ ex egreſſu inveniſti, referas mihi, & ſi mihi magìs placeant, quàm quæ hic experior, fortè ſubſequar. Item, non perfectis, ſed imperfectis facta eſt Religio; & ſi hìc inter perfectos ſim imperfectus, quomodo poteſt ſalvâ conſcientiâ me dimittere in manifeſtum animæ periculum? Item, ſi Chriſtus mortem pro me ſubierit, & cum ſuo etiam damno meas miſerias perpeſſus ſit, cur Societas Chriſto longè inferior, hæc non præſtabit?*

8. *Semper te ùt Novitium geras, cum eo fervore & humilitate, eáq; reverentiâ & modeſtiâ, quam in Novitio requiri exiſtimas; & recordare ſemper illius quod Regula præcipit, ſcilicet, ut omnes in animo tuo te ſuperiores ducas, & DEUM in unoquoq;, ùt in illius imagine agnoſcere ſtudeas. Imò tunc te felicem exiſtima, cùm tu illis ulla in relicita præſtare poteris auxilium, & occaſionem ulli eorum cedendi, aut ſuccurrendi nactus ſis; Et quantum fieri poteſt, viliora & deteriora pro te ſemper elige, potiores alijs in omnibus partes defera.*

9. *Conſidera paulò attentiùs quid aſſecutus ſis, quid poſſideas, quantam à Deo gratiam acceperis, quòd ſis in Societatem adſcriptus, in illa confirmatus, illius votis obſtrictus! Quot ſunt nobiles, elegantiſſimi & ſanctiſſimi Juvenes, qui velut exules è patria, velut cervi ſitientes à fontibus aquarum remoti, ſæpe dum tu dormis, & ſecurus requieſcis, amariſſimis lacrymis, & gravi dolore conficiuntur? &c.*

Crevit

Crevit verò in immenſum ſucceſſu temporis hæc Vocationis in ejus animo æſtimatio, poſteaquam Theologiâ exactâ Sacerdotio initiatus, & in Collegio Anglicano Romæ ſtudijs præfectus eſt, uno ante diſceſſum in Angliam anno. Ità ergo in ſcripto quodam profitetur: Ego *Robertus Southuuellus*, coram DEO Opt. Max. & curia Cœleſti univerſa profiteor, aſſero, & certiſſimè credo ex ſignis evidentiſſimis & manifeſtiſſimis, ex toto vitæ præteritæ & præſentis curſu, re in Domino ſtrictiſſimè & diligentiſſimè conſideratâ, ſimpliciter & abſolutè mihi meliùs eſſe in Societate JEſu perpetuò vivere & mori, quàm in ullo alio Religioſorum Ordine; & à ſortiori quàm in ſeculo, aut ullo ſtatu ſeculari. Et profiteor me in præſentia, ſinè ulla, ùt ſpero, paſſione exiſtentem, ſummo propriæ ſalutis & finis conſequendi deſiderio æſtuantem, hoc ratum & ſtabile toto vitæ meæ tempore habiturum: & peto, ut hæc ipſa ſcriptura, tanquam hujus deſiderij teſtimonium, DEO Opt. Max. in die Judicij offeratur; ut ſi aliter impoſterum diabolicâ tentatione deceptus, & hujus propoſiti oblitus ſenſero, nulla ſit ſententia illa, & momentum omnino non habeat; quippe quam, cùm mihi optimè & ſecuriſſimè coner, & rectæ rationis adminiculo adjutus, & in Dei ùt ſpero gratia exiſtens, ſinè conſcientia ullius peccati mortalis, aut ullius pravæ & perverſæ voluntatis, futuris periculis providere deteſtor, abhorreo, abrenuncio, abjuro, execror, & omnibus modis recuſo, & reijcio, & ad finem vitæ meæ incluſivè deteſtatam, abjuratam, execratam, & refutatam eſſe toto pectore, & ex intimo affectu deſidero: & ità me habeo, ut etſi omnes Angeli, Cœli, omnes homines Mundi totius, omnes deniq; creaturæ annihilari deberent, niſi ego è Societate diſcederem, ob horum nullum egrederer.

2. Licèt omnes Patres, & Fratres omnes, etiam Superiores eſſent egreſſuri, & præter me nullus in Societate eſſe vellet; ego ſolus eſſem, & ſolus in ea morerer.

3. Etſi Angelus de cœlo deſcenderet, & mihi diceret, non eſſe in Societate manendum; ſi vel unicum haberem ſuperiorem, qui ût ſuperior mihi contrarium diceret, ſpreto & rejecto Angeli ſermone, judicium ſuperioris ſequerer.

4. Etſi Societas tota eſſet contraria Superiori in rebus ad illius officium pertinentibus, & in quibus ille ex poteſtate, & ex jure officij ſtatuere & ordinare poſſet, & ex officio juſtè deberet, adhærerem illi, etſi contraria pars & rationes efficaces, & quantumvis apparentes, & præterea viros doctrinâ & pietate totius Civitatis clariſſimos haberet: imò etſi ſuperior vir alioqui ſceleratus & nefarius eſſet; aut ſi temerarium eſſet, ex eo, quòd mihi potiùs quàm cæteris conſtare vix poſſet, an ille in tali caſu deberet ac poſſet hoc facere; ſuſpenderem intellectum, & in neutram partem propenderem: ſi in alterutram tamen propendere neceſſe eſſet, omnino propenderem in partem ſuperioris. Iterum dico & confirmo: Et ego in præſenti animi mei tranquillitate & ſerenitate exiſtens, mihi ipſi perturbato & tentato, ſi quando, quod DEus avertat, contigerit, in rebus præſertim ad vocationem & obedientiam ſpectantibus, conſulo & perſuadeo, ut reflectam oculos in præteritum ſtatum, cogitem ſeriò & cum indifferentiâ, ad amplectendum voluntatem Dei, mihi per ſuperiores ſemper, & in omni tempore, & in omni ſtatu declarandam, me tunc quoad res animæ ſenſiſſe meliùs, verè apprehendiſſe neceſſitatem religioſæ vitæ, & pericula manifeſta quæ in ſæculo occurrunt; & ex hac vera, bona, rationabili, & Deo grata apprehenſione firmiter & involabiliter ſtatuiſſe, coram Deo, & Creaturis omnibus, abſolutè optimum, neceſſarium, & convenientiſſimum mihi eſſe, in Societate JEſu, & nullo alio, qui ſit aut eſſe poſſit, ſtatu vivere & mori, ad laudem & gloriam Dei. *Hæc omnia & quæcunque alia, intelligendo juxta ipſius Societatis Conſtitutiones.*

Foverat quidem animo Robertus aliquot annis, ùt erat animo vaſto & excelſo, deſideria proficiſcendi ad Jndos & Barbaros, ſed poſtquam in Patria ſua certiorem fundendi pro Chriſto ſanguinis occaſionem vidit, continuè toto animo illuc propendens, magnis votis & ſuſpirijs eam miſſionem exambijt. Igitur Henrico Garneto, totius Miſſionis in Anglia, poſt Perſonium futuro Moderatori, datus eſt comes anno 1586. quàm ætate Juvenis, annos natus non ampliùs 25. tam virtute præſtans, & excelſiſſimâ ſanctitate, ad vindicandos ex ſempiterno exitio Populares, inextinguibili flagrantiâ incitatus. Spirant hunc animæ illius magnæ, & Apoſtolico zelo incenſæ fervorem literæ, ad amicum Sacerdotem Societatis, ex ultimo portu quàm trajiceret, datæ:

JESUS MARIA. Rev. in Chriſto Pater.

Extremis jam obijciendus periculis, è mortis te veſtibulo alloquar, mi Pater, tuarum implorans in his periculis ſubſidium orationum, ut quo impulſore moribundus

ſemel ſpiritu revixi, eodem quoque ſupplicante, corporis mortem aut utiliter fugiam, aut viriliter ſuſtineam. Mittor ego quidem in medium luporum, ac utinam ùt ovis, pro illius qui mittit nomine, fidéque ad occiſionem ducendus. Certè terra marique mihi, ſat ſcio, inhiaturos plurimos, qui non ſolùm ùt lupi, ſed tanquam leones circumeunt, quærentes quem devorent; quorum ego non tam timeo, quàm expeto morſus; nec tam horreo torturos, quàm coronaturos expoſco. Caro quidem infirma eſt, & non prodeſt quidquam; imò & hæc meditanti reluctatur; ſed Dominus potens in prælio ipſe mihi à dextris erit, ne commovear; quique inſtituit exemplo, non deſtituet auxilio: nec aberit à certante, qui ad certandum induxit. Tu verò mi Pater fulcito me floribus orationum, qui aſcendant in odorem ſuavitatis; ſtipato me malis operum, ut ſi languere oporteat, non timore, ſed amore langueam. Ego certè quidem, ſi (quod ſperare non audeo, quanquam vehementer optem) in felici Martyrum Choro vel minimus eſſe poſſim, non ero, Deo volente, immemor mei nunc recordantium; nec ero benè merentibus ingratus in Cœlo, quibus vel in terris cupio eſſe quàm gratiſſimus. Age igitur mi Pater (extremùm forsè jam te alloquor) age, inquam, apud communem Patrem, ac Dominum JEſum cauſam meam, imò cauſam tuam, cauſam totius Eccleſiæ: Ut eam, quam gero perſonam, ità ſuſtineam, ut quod DEus, quod Angeli, quod ſuperiores à me factum cupiunt, id vel cum ſanguinis ipſius vitæq; jactura, fideliter fortitérq; præſtem. Quod concedat DEUS; cui te, meipſum, & nos omnes commendo. Patrem quæſo Rectorem, & alios Patres fratréſq; ex me ſaluta. Vale. è portu. 15. Julij. Anno 1586.

R. V. frater & ſervus in Chriſto.

Robertus Southuuellus.

Et omnino non fefellit Bonitas Divina expectationem famuli ſui, ſed Martyrij lauream, quam à puero ſemper maximis votis à Deo precabatur, conceſſit; idq; eâ prorſus, quâ geſtiebat, ratione, ut priùs magnos animarum quæſtus annis aliquot faciens, ingentibus ærumnis & miſerijs conficeretur. Siquidem poſt 6. annorum diurnos nocturnóſque in animarum cura per Angliam quæſtuoſiſſimos labores, tres annos in carceris ſqualore, varijs tormentis exercitus, exegit. Nec ferè de eorum obtentu ambigere poterat Robertus, faſſus amico confidenti, ſe ad eam diem, quâ Angliam intraviſſet, nihil petijſſe à Deo, quod non impetraret. Neque id mirum; profundiſſima enim cum intima ſui cognitione humilitas, defluentium è cœlo gratiarum & donorum, capaciſſimum ejus animum effecerat. *Quid fui Domine?* his ipſis verbis nihilū ſuum perpendebat; *quid ſum? & quid ero? fui nihil; nihil ſum; & ero fortè nihilo pejus. Fui conceptus in originali peccato; ſum plenus peccato actuali; & quis ſcit an ero condemnatus pœnâ gehennali? fui miſerabilis in ingreſſu; fui miſerabilis in progreſſu; miſerrimus ero in egreſſu; fui ſperma fœtidum; ſum ſaccus ſtercorum; ero eſca vermium. Cùm nihil eſſem, fui ſinè periculo damnationis, & ſinè ſpe ſalutis; & jam ſum in ſpe dubia, & gravi periculo; ero aut ex re ſperata felix, aut ex periculi ſucceſſu infeliciſſimus. Sic fui ut damnari non poſſem; ſic ſum ut ſalvari vix poſſim; ſic ero ut in æternum damnatus, aut in æternum ſalvus. Quid fuerim, ſcio, quòd fui peſſimus; quid ſim neſcio, quia de gratia incertus; quid ero, ignoro, quia de ſalute dubius. Quod fui, Domine ignoſce; quod ſum, corrige; quod ero dirige; inquam dirige, à malo præterito, in bono præſenti, ad præmium futurum, Amen.*

Verùm quantò in oculis ſuis vilior, tantò alijs ſemper fuit æſtimatior; qui ſummas animi illius dotes, & naturæ ſimul ac gratiæ in unum omnia effuſa bona pervidentes, certatim manibus ſuis ei miniſtrare, ejus advolvi pedibus, prenſare genua, omnique officio proſequi omnes, ex omni ætate, ſexu, ſtatu, & conditione, ſtudebant. Inter quæ ipſe nullâ die noctéq; admiſsâ quiete, voce & linguâ, ſtilo & calamo, verſu ac proſâ (nam venuſtate, atque uberrimâ materni idiomatis eloquentiâ, etiam hoſtes à morte ſuâ, etiam Reginam Eliſabetham ad lectitandum nitidiſſima opuſcula, & ſuis ſumptibus recudenda pelliciebat) hæreſim impugnare, fidem ſuadere, virtutem commendare, eâ contentione perrexit & eventu, ut quàm plurimis ad Eccleſiam reductis, judicaretur ſuo tempore rem Catholicam adverſùs impium Reginæ furorem ſuſtinuiſſe. Quotidiana vitæ pericula, carcerum, & ſuppliciorum in momenta quælibet impendentia diſcrimina, incitamentum ei fuêre, & ad Apoſtolicos labores illicium. Quæ ipſe binis ad ſocios literis ità deſcribit: *Hactenus vivimus, & incolumes quidem, indigni*, ùt apparet, carceribus. Crebriùs miſimus, quàm iſthinc acceperimus literas, tametſi haud ſinè difficultate mittantur, & ſcimus aliquarum factam eſſe jacturam. Conditio Catholicorum Recuſantium

ſantium eſt eadem, quæ adhuc fuit; miſerabilis, & timoris ac periculorum plena, præſertim ex quo adverſarij bellum expectant. Noſtri qui in cuſtodia ſunt gaudent, & ſuis ſeſe vinculis ſolantur; & qui liberi ſunt, nec multùm curant, nec libertatem ſibi fore diuturnam putant. Omnes, quæ DEI bonitas & miſericordia eſt, comparant ſe ad duriſſima quæque toleranda, quæ illis evenire poſſunt, dum DEO ſerviatur: Cujus gloriæ & ſalutis animarum major eos ſollicitudo tenet, quàm ſui diſpendij temporalis. Non diu eſt, cùm duos comprehenderunt Sacerdotes, qui in carcere Briduel talia paſſi tormenta ſunt, qualia vix credi poteſt. Victus eorum pertenuis, & adeo nauſeoſus, ut ſolo aſpectu faſtidium commoveret; labores continui, & immoderati, neq; in infirma, quàm in proſperâ valetudine leviores; ſiquidem fuſte & virgis penſum ab illis, quamvis imbecillibus exigebant. lectus illis ſtramen ſordidum; carcer graviter olens. Nonnullos ſuſpendunt manibus integros dies, ità ut terram vix extremis pedibus contingant. Deniq; qui eo carcere detinentur, degunt in lacu miſeriæ & luto fœcis. Hoc purgatorium & nos in horas expectamus, in quo Catholicorum tortores Toplifus & Yongus omne tormentorum genus exercent. Verùm quid quid placitum DEO fuerit, veniat; tenet nos ſpes perferendi omnia, in eo qui nos confortat. Interea confundantur qui loqvuntur mala, & loquatur Dominus pacem populo ſuo; ut (ſicut ait Propheta David) habitet ipſius gloria in terra noſtra. Sanctis ſacrificijs R. V. *& amicorum omnium demiſsè me commendo.*

Poſterior Epiſtola ſic habet: *Multas Epiſtolas dedimus, ſed videntur redditæ paucæ.* Verſamur medij procelloſis in fluctibus, neq; exiguo periculo, quo tamen adhuc liberare nos placitum DEO fuit. Omnes ſimul ingenti noſtro ſolatio vota Societatis renovavimus, ex more noſtro; & impenſis aliquot diebus in exhortationibus, & ſpiritualibus colloquijs, aperuimus ora, & ſpiritum attraximus. Videor mihi principia vitæ religioſæ videre exorſa in Anglia, cujus nos flentes ſemina mittimus, ut alij poſtea cum exultatione colligant manipulos pro Cœlo. Cantavimus canticum Domini in terra aliena, & in hoc deſerto ſuximus mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo. Sed hæc noſtra gaudia luctus occupavit, & ſubiti timores diversè nos diſperſerunt. Sed demum majore periculo quàm damno, tempeſtatem omnes evaſimus. Ego cum alio è noſtris, dum ſcyllam vitamus, in charybdim incidimus; ſed uterque, DEO miſerante, citra naufragium enavimus, & nunc tuto in portu navigamus. In alteris meis deſcripſi poſtrema martyria Baylij & Horneri, & quantæ ædificationi populo fuerit ſanctus eorum exitus. Id genus roribus rigatur Eccleſia, ut in ſtillicidijs hujuſmodi lætetur germinans. Expectamus & nos (nisi tanta gloria indigni ſumus) quando veniat ùt mercenarij dies noſtra. *Interim me impensè commendo Orationibus R. V. ut Pater Luminum nos illuminet, & confirmet ſuo ſpiritu principali.*

Sextus jam Apoſtolicorum laborum Roberto decurrebat annus, cùm inopinatò à puella, Bellemaij Viri Nobilis, ad quem ex itinere diverterat, filia proditus, & à Toplifo judice comprehenſus eſt. Hic in ſuam ſecum domum pertractum, quâ erat in Catholicos inſigni ſævitiâ, ſuo pro unius libitu, decies eum torturæ ſubjecit, adeò immani, ut in judicium productus Robertus, graviter judicibus conqueſtus, DEI nomine interpoſito aſſeruerit, ſibi tolerabilius futurum fuiſſe mortem inter acerbiſſimos cruciatus ſubire. Modus torturæ, eqvuleo longè durior, ſigillatim nunquam innotuit, nisi quòd in ea ſuſpenſus fuerit ex pariete utrâque manu, ſed ferro ad arteriam utram q; obſtrictâ, cui acutiſſimus ſuberat circulus, & retortis in cruratibijs. Quod autem truculentâ adeo quæſtione exprimi tentabatur, erat, an eſſet Jeſuita? Regisne Hiſpaniarum, an ſummi Pontificis res curaret? ſed forti ſilentio omnia elidentem, ut diuturnitate ſupplicij ad confeſſionem adigeret, domi pendentem è manibus Toplifus reliquit, dum ipſe à negotijs, quæ in urbe curanda habebat, reveniret. Et fuerat tunc omnino ex prolixitate tormenti, (ſeptem enim totas horas mox primùm pependerat) expiraturus, cùm membris omnibus fatiſcens animo jam linqueretur, nisi revocatus confeſtim Toplifus tantiſper depoſitum, ſtillati liquoris aſpergine refocillàſſet; ubi poſtquam ingentem ſanguinis copiam vomuiſſet, eidem cruciatui à tortoribus redditus eſt. Fecerant ſiquidem Reginæ Conſiliarij Toplifo poteſtatem Roberti cruciandi, quantis, & quibus libuiſſet pœnarum figuris, dum ne illum tamen occideret. Quâ ad ſatietatem illum fuiſſe uſum, vel inde colligas, quòd ſæpius jactabundus dicere auditus ſit, nihil ſibi accidere poſſe jucundius, laniatione & cruciatibus Sacerdotum; in publico etiam Judicum conſeſſu, quo fatalis in

Robertum lata eſt ſententia, gloriatus; *ſi par mihi*, inquiens, *arbitrio poteſtas fieret, nihil foret charius, quàm quidquid JEſuitarum eſt, diſpulveratos in auram mittere.* Impletus igitur excruciati Southuuelli privatâ voluptate Topliſus, cùm tamen nec hilum expreſſiſſet, in publicam demum Cuſtodiam, ad Weſtmonaſterienſem portam eum tranſtulit, ubi per duos menſes ijs ærumnis, fame, ac ſiti emaciatus eſt, ut pœdore, ſordibus, pediculis, & vermiculis toto corpore obſitus, ad hæc facie luridâ, exangui, & mortuo quàm ſpiranti ſimiliore, in Judicium productus, miſerationem ſui etiam Reginæ moverit; quæ Parentis illius precibus conceſſit, ut ex dignitate ſanguinis deinceps haberetur. Verùm brevis illa indulgentia mox acerbiore ergaſtulo in Turri Londinenſi, totis tricenis menſibus repenſa fuit, quibus nulli mortalium ejus vel alloquendi copiâ factâ, quæ & quanta paſſus fuerit, non aliunde, quàm à tortoribus ipſis reſciri melius poterit.

Robertus Cœcilius Regius Senator, & Southuuello torquendo Præfectus, familiari cuidam ſuo aſſeruit, tormentum illud à Topliſo excogitatum, fuiſſe eqvuleo longè dirius, cui nulla humana vis par eſſe poſſe videretur: in quo tamen ille animo prorſus integro, & hilari, diutiſſimè pendens, nihil aliud à ſe exprimi pateretur, niſi hæc: *Sum Sacerdos, & Religioſus è Societate JESU: trajeci in Angliam, ut meis civibus veritatem Catholicam verbo explicarem, teſtarer ſanguine. Hæc ſi mortis arridet cauſa, proferte ferrum, ſatisfiet votis veſtris ac meis. Mortem intendetis, Martyrium referam.* Eundem tam dirè torqueri ſolitum aſſeruit, qui illi in carcere cuſtodiendo deſtinatus fuit, ut nunquam tormento eximeretur, niſi cùm vitam fugituram appareret; tùmque illum cremati fomento ſibi redditum, copioſum è pectore ſanguinem ſemper ejeciſſe. Ipſe nihilominus inter cruciatus vultum conſtanter ſervabat ità ſerenum, & cœleſti ſuavitate delibutum, ut ipſi Cuſtodiæ Præfecto hæretico ſanctus haberi, & obſervari cœperit. Totum interim in his ærumnis ſolatium illi erat ex Breviario & S. Scriptura, quorum copiam idem Præfectus illi fecerat; inde ipſe miſerabilis ſuæ ſolitudinis lenire moleſtias, inde aſpirationes ad DEum depromere, inter quas maximè familiares illi fuêre: *DEUS meus & omnia: DEUS tibi ſe, tu te DEO.*

Tandem ergo 2. Martij, tertio captivitatis ſuæ anno in judicium productus, & quòd ſacerdotio per auctoritatem à Sede Romana derivatam initiari ſe paſſus, in Anglia Miſſas legiſſet, capitis & perduellionis damnatus eſt. Incredibile dictu eſt, quanto illâ die & nocte ſequente gaudio, ſeipſo major, inceſſerit; ut adeo carceris cuſtos non aliunde, quàm ex Cœlo illum prodire poſſe interpretatus, erudiri ab eo in Religione, ardentiſſimus deinceps Catholicus expetierit. Donec ſub crepuſculum diei tertiæ Martij, quæ erat hebdomadæ Feria 6. à carnifice, ut ad iter ſe compararet, admonitus, hilaritate maximâ, nocturno pileolo, qui ſolus erat ſupèr, illum remuneratus, & arcto amplexu ſtringens, beatum nuntium excepit, atq; ad carceris fores, ubi infinitâ hominum multitudine congregatâ, textum vimineum ignobili jumento alligatum illum expectabat, vultu & animo tranquillo, velut ad liquidiſſimas abiturus voluptates, prodijt. Illi ſupinus incumbens cùm alligaretur, repetebat identidem plenâ geſtientis animi humilitate: *Major hac dignitas eſt, quàm ut mihi, vili tuo & indigno Chriſte mancipio competat; ſit hæc tuæ unius Clementiæ gloria*; elatiſq; in cœlum manibus & oculis, viam Chriſti ad Calvariam ignominioſè raptati, toto ad Tiburnum uſque raptationis itinere meditabatur. Solutus trahâ, lutum, quod à jactatione reſilierat in os, abſterſit ſtrophiolo, ipſúmque ſtrophiolum uni, quem procul agnoverat, ex Societate Sacerdoti projecit, à quo illud deinde Garnettus, à Garnetto recepit Aquaviva, Societatis Generalis Præpoſitus.

In plauſtrum ferale, laqueo collum innexus, ubi conſcendit, manibus revinctis, ùt poterat, ſacrâ Cruce ſe ſignans, ab illis Apoſtoli verbis exorditus eſt: *Sive vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur.* quæ deinde fuſùs ita proſecutus eſt. *Ecce hunc in locum adductus ſum, ut ultimam calamitoſæ hujus vitæ ſcenam agam. Itaq; DEUM Dominum & Patrem miſericordiarum per JEſum Chriſtum Redemtorem noſtrum, cujus pretioſiſſimo ſanguine & morte mihi ſalutem conciliatum iri confido, humillimè exoro atq; obteſtor, ut animæ meæ miſereatur, & mea mihi peccata condonet. Eundem teſtor, me nihil in Reginæ Majeſtatem unquam deſignâſſe; pro illa me preces quotidie fundere ſolitum: Et nunc in hoc vitæ mortiſq; confinio Deum oro obnixè, ut illi ſalutem ſempiternam largiatur: & luctuoſæ huic Patriæ noſtræ ſalutare lumen, quo eodem populares omnes aſpirent, benignus impendat. Hanc miſeram animam in manus boni Domini mei & Creatoris trado, rogóq;, ut dono perſeverantiæ ad extremum uſq; confirmet. Corpus arbitratui*

tui Reginæ permitto; ejus me cura nequaquam ſollicitat. Hoc unum opto duntaxat, ut meo, multorúmq; bono, cedat iſta mea hominis infeliciſſimi, niſi cauſa felicem faceret, mors; & leve ac momentaneum tribulationis hujus, ſupra modum in ſublimitate æternum in me gloriæ pondus operetur. Ad extremum, qui mihi titulus moriendi honeſtiſſimus eſt, confiteor, proteſtórque primùm, me Catholicum S. Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem eſſe: deinde & Religioſum è Societate JEſu; pro quo utroque beneficio, immortales & infinitas DEO ac Domino meo gratias refero. Monitus, ut admiſſum in Reginam crimen agnoſceret & deprecaretur; *Si meus huc adventus*, inquit, *Reginam offendit, illam ego, ut obliteret, etiam atque etiam rogo, & hócce quod ſubeo ſupplicium, æquo animo fero: benignus DEUS mihi opem præſtet, intemerata DEI Mater Virgo Maria, cum omnibus Angelis & ſanctis DEI mihi aſſiſtant. Rogo etiam obnixè Catholicos, quotquot adſunt, ut pro me extremo hoc in certamine Cæleſte Numen implorent. Illis verò ſanctè denuncio, quidquid dictum, factúmve ab perturbatoribus hiſce* (Miniſtellos deſignabat) *quò meum animum diversè trahant, deinceps fuerit, hoc me quantulumcunque vitæ, quod reliqvum eſt, velle vivere Catholicè, velle Catholicè mori.* Quibus dictis animam ſuperis commendaturus precari incepit: *Sancta MARIA Mater DEI, & omnes Sancti DEI, orate, & intercedite pro me. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. DEUS meus & omnia. DEUS propitius eſto mihi peccatori. Me expectant juſti, donec retribuas mihi. Mihi autem adhærere DEO bonum eſt, ponere in Domino DEO ſpem meam.* Sub quæ curru pedetentim ſubtracto, quòd laqueus perperam gulæ applicitus eſſet, diutiùs ſpirans, & oculos in ſpectatores circumagens, palpitabat; crebrò interim ſigno Crucis, ùt potis erat, ſe muniens, & pectus tundens: donec carnifex magnâ vi deorſum corpus pedibus protrahens, animam expreſſit, & reſciſſo fune cadaver diſſectum in quatuor fruſta partitus eſt, anno ætatis illius 34. Ad cordis verò exenterato pectore prolationem, nemo de more cum Carnifice proditorem proclamavit, nemo *Vivat* Reginæ precatus eſt; triſte in omnibus ſpectatoribus ſilentium, & in multis etiam lacrymæ. Caput pontis ad turrim in haſta defixum eſt, membra ſecti in quadrum corporis, ad quatuor urbis portas ſuſpenſa. Ejus de corpore reliquias nacta ſoror illius Catholica quidem, ſed hæreſim impiè exteriùs ſimulans, deſperatiſſimos quoſque & fatales morbos, quibus nulla medicorum pharmaca prodeſſe poterant, eorum applicatione feliciter curabat; Domino fidelis ſui ſervi merita ità demonſtrante, & pro nomine Chriſti toleratam mortem, ſequentibus ſignis confirmante.

P. HENRICUS WALPOLUS.

TAnta ſanguinis Sacerdotalis & JEſuitici, nunquam ſatis extinguenda ſitis, Eliſabetham tenebat, ut ſi tempus aliquod à ſupplicio illorum vacuum intercederet, audiretur querula dicere: quàm dudum nullus ad furcam Sacerdos? Et quamvis aliquando majora hæreſi ſuæ damna ex eorum morte, quàm vita provenire dolens, juramento ſe obſtrinxerit, nullũ in poſterum Jeſuitam neci daturam; paulò pòſt tamen juramenti pœnitens, crudelitati ſuæ victimas eos faciebat. Sublatus erat crudelem in modum Robertus Southuuellus Londini 3. Martij An. 1595. cùm ecce eodem tenore morti addixit Henricum Walpolum, Eboraci 17. Aprilis ejuſdem anni necandum. Nobiliſſimâ hic ortus familiâ in Provincia Norfolcienſi, operam dabat percipiendis legibus Londini annorum 21. Adoleſcens, quando audire contigit Campianum cum Hæreticis Doctoribus diſputantem, in Templo Caſtri Londinenſis, & iniquiſſimâ poſtmodum morte affectum. Quibus ille ſpectaculis mirum in modum erga Religionem Catholicam exardeſcens, primùm eleganti poëmate innocentiam Campiani Anglicè celebravit, extremo capitis ſui periculo: poëmatis ſiquidem alius quiſpiam Auctor exiſtimatus, poſt ignominioſam aurium truncationem, perpetuo carceri addictus eſt. Relictis deinde Legibus, totum ſe ad Controverſias fidei exhauriendas tranſtulit, eo ſucceſſu, ut jam tum 20. Nobiles juvenes è luto hæreſis abſtractos, trans mare miſerit, partim vitam Religioſam, partim Sacerdotium, quò reverſi Patriæ prodeſſent, amplexos. Ipſe totum Campiani exemplo, quidquid deinceps totâ vitâ boni à DEO ſibi affluxiſſet, deferens, ingenti præ omnibus deſiderio exarſit obtinendæ ſimilis in Societate vitæ, & obeundæ in patibulo mortis. Ad quam celeriter inquirendum aditum, furor etiam regni Miniſtrorum illum adegit, qui in iras & rabiem

acti,

P. Henricus Valpolus illustri sanguine Anglus Soc. IESV. post iteratum pluribus horis ex solis pollicibus suspendij tormentum, in furcam actus, et membratim dissectus odio Religionis Catholicæ, in Anglia Eboraci, A. 1595. 17. Aprilis.

C.S.d. *M.K.f.*

acti, mirâ ſagacitate ubique illum per emiſſarios venabantur, jacturam aliquot primæ Nobilitatis Juvenum per eum factam frementes. Inter quos princeps erat Eduardus Walpolus Henrici propinqvus, à puero hæreſi innutritus; quem fruſtra Parentes Calviniſtæ modis omnibus in errores retrahere conati, domo & hæreditate ejecerunt. Sed eum in Societatem ſuam JESUS recipiens, in Apoſtolum Patriæ ſuæ educavit; in qua totos 40. annos inter continua hoſtium & vitæ pericula, & quotidianam mortis præſentiam, animarum lucris inſudavit, beatâ morte, ætatis anno ſupra ſeptuageſimum nono, incruentè defunctus.

Cæterùm ex inſidijs veſtigatorum feliciter in Galliam elapſus Henricus, poſt triennium illic Theologiæ impenſum, Romam petijt; ubi abſoluto, quod adhuc illi ſtudio deerat, Societatem obtinuit. Indè ob infeſtam ſibi Cœli gravitatem, Virdunum ad Tyrocinium miſſus, exacto ibi inſuper triennio, Alexandro Farneſio datur, ut illius in Belgio Milites Anglos Hybernóſq; Religioſâ in Divinis operâ procuraret. Quâ occaſione in Batavorum manus delapſus, unius anni triſtiſſimo carcere ità ab Hæreticis vexatus eſt, ut niſi mortem in Anglia majore gloriâ oppetendam diſtuliſſet DEUS, vitam illic poſiturus fuiſſet. Odio ſiquidem in Catholicum Sacerdotem, & ſuper omnia JEſuitam, incenſi, præter famis & frigoris incommoda, mortem illi machinati ſunt. Cujus palàm inferendæ, quod prætexerent jus vel cauſam, cùm

cùm haberent nullam, homines facinoroſos, qui eâdem cuſtodiâ tenebantur, promiſsâ impunitate conducunt, ut imprudentem de medio tollant, ſparſuri deinde, impatientiâ carceris captivum ſibi violentas manus intuliſſe. Multas ergo plurium menſium noctes, cùm diverſis horis vitæ illius inſidiati obſervâſſent, nunquam non deprehendêre vigilem, & in vitæ cuſtodiam arrectum. Quæ perpetua inſomnia tantùm non vitam illi eripuêre, accedente præſertim Cœli inclementiâ, quæ Centurionem quamvis hæreticum, extremâ miſeri egeſtate in commiſerationem movit, ut detractum ſibi ex holoſerico raſo thoracem ultro largiretur. Eædem Henrici calamitates in Angliam nuncio perlatæ, fratrem illius Chriſtophorum movêre, ut diſſimulato Walpoli agnomine Bataviampeteret, ubi ſexcentorum circiter florenorum litro liberaliter à Catholicis Anglis perſoluto, fratrem annuo carcere exemit. Quam charitatem penſaturus DEus, ità profundè in animum Chriſtophori heroica virtutū Henrici exempla impreſſit, ut ſæculo, & rebus terrenis ſe eximens, Societatem & ipſe ingreſſus fuerit, magnâ ſanctitatis opinione in Hiſpania multis pòſt annis decedens.

Henricus interim crebris & magnis precibus Miſſionem, & ærumnas Anglicanas à Præpoſitis ſuis flagitans, cùm tandem copiam diſcedendi obtinuiſſet, bellicâ Hiſpanorum navi, quæ ex Scotiæ & Angliæ littoribus prædas actura, Dunkerkâ diſcedebat, vectus eſt. Et jam feliciter portum clandeſtinè expoſitus tenuit, niſi alteri ex ijs, qui ſecum in ſcapham deſcenderant, ſuſpicio Catholici Sacerdotis ſuborta, abſque mora ad Magiſtratum Kilhami eum detuliſſet. Simul ergo in Angliam & vincula delatus, poſt triduum Eboracum catenis onuſtus deportatur, ubi teterrimo carceri mancipatus, cum varijs Proteſtantium Theologis committitur; donec ſubmiſſus à Curia Londinensi fraudium & cruciatuum præcipuus machinator Toplifus, blanditijs primùm, & fraude arcanâ, omnia expiſcari ſtuduit. Sed cùm ultro narraret omnia extra Regnum, à ſe geſta: Religionem ſuſceptam, ſacerdotium, conventum Regem Hiſpaniæ, vitam in Seminario Anglorum Romæ, Rothomagi, Remis actam, viſum Alanum, Perſonium, ingreſſum in Angliam ſtudio juvandi Catholicos, & hæc etiam propriâ manu conſcripta firmaret: eorum verò, quæ cuivis Catholicorum vel Sacerdotum obeſſe, foris aut in Anglia poſſent, exprimeret nihil: *hæc mihi ſepono*, ſubijcit minaciter Toplifus, *ad Brenduvellum audienda* (carceri nomen eſt Londini omnium fœdiſſimo) *illic certas habeo machinas, quæ loquendi uſum mutis reſtituunt. Aderit & in Brenduvello*, repoſuit modeſtè Henricus, *& in turri DEus, tuis potentior machinis, nec ſinet quidquam excidere, quod vitam aliorum, & conſcientiam meam lædat.*

Offerebatur illi hìc à Catholicis furtiva & certa à carcere, illorum manibus liberatio; quam ipſe Martyrij cupidus cùm omninino reſpueret, ut tamen charitati eorum aliquid tribueret, rem totam ad P. Richardum Holtbeijum detulit, ſéque illius judicio, utramque in ſortem pariter accinctus, ſeu fugam, ſeu carcerem ille eligendum ſuaſiſſet, ſponte ſubjecit. Cui fugam omnimode, quatuor ex capitibus diſſuadenti, quòd Martyrij certiſſimâ ſpe ſecuturi jacturâ faceret; quòd fugâ & timiditate ſcandalum gregi fidelium præberet, cùm tamen fugæ eventus admodum dubius, & certa ex illo, ſi in caſſum ſuccederet, nominis & fidei ſequeretur macula; & licèt eventum ſortiretur, periculum à multitudine veſtigatorum inde impendere, qui ad ejus indagationem eſſent infeſtaturi illico univerſa, cùm diſcrimine Sacerdotum, qui plures fortè ijs occurrerent, & familiarum pernicie, apud quas latuiſſent. Ità verò ad hæc reſpondit Henricus: *Amplector*, inquit, *eâ voluntate Reverentiæ Veſtræ conſilium, ùt ſi foret mihi de cœlo datum. Mihi quoq; in mentem venerant, quas profert, conſilij ſui rationes: nihilo ſegnius putavi Reverentiæ Veſtræ permittendas, hoc ſolùm, ut alijs ſatisfacerem. Cæteroqui gnarus in hujuſmodi dubijs qui ſit Societati ſenſus, cujus manifeſtis etiam in rebus ambio ductu regi, tanquam certo JESU oraculo. Scio exemptum carcere ab Angelo Petrum, ſed univerſalis Eccleſiæ Paſtorem & Patrem, juſſúmque divinitus Romæ priùs ejus imperium ſedémque ſtatuere, quorum certè nihil ad me attinet. Sit mihi pro Roma carcer meus, & pro* Domine qua vadis? *ex quo didicit Petrus, prater, quàm de ſe judicâſſet, aliter à Chriſto conſtitutum; non eſſe nimirum deinceps fugiendi, ſed moriendi tempus. Spe certè ut nullâ foverer, fore mihi hanc, quam inivi, ad bona ſempiterna viam; non video qua in re poſſim utilius verſari, cùm hìc mihi tam multa ſuppetant, quibus profitear, qualem gero, talem verè ac reipſa me eſſe. Quare niſi mihi loquatur è cœlo vox, ore inquam S. Obedientiæ aliud indicetur, fixum eſt non moveri, ſed in eo perſtare conſtanter: Ecce me, fiat Voluntas tua, ſicut in Cœlo & in terra.*

Poſt hæc Londinum regreſſurus Topliſus 5. Febr. A. 1594. Henricum ſecum duxit, ſed latronis inſtar barbarè vexatum, & tanquam Reginam necaturus peregrè adveniſſet, ubique apud vulgus, teſtibus etiam falsò ſubordinatis, per viam iniquiſſimè diffamatum. Illic carceri omnium in turri teterrimo mancipatus, frigore, fame tantùm non enectus eſt, ſinè ſtrato, ſinè veſte, ſinè lodice aut integumento, annum integrum durans; donec tandem acerbiſſimus, vel ipſius Topliſi animus miſeratione tactus, aliquid ei ſtraminis juberet inferri. Quæſtioni interim diriſſimæ quatuordecies ſubjectum ſe fuiſſe, palàm ipſe in Senatu Regio conteſtatus eſt; cujúsnam autem generis illæ fuerint, reſciri nunquam potuit, nisi quòd uterque pollex à morte ſaucius, & manèus repertus, indicium fecit, crudeliſſimè ex illis digitis filo ferreo arctè conſtrictis, plures horas ſuiſſe ſuſpenſum: quo pœnæ modo pluribus cum ſanguine anima expreſſa eſt. Meditationes etiam quædam in carcere ab illo conſcriptæ in manus poſtea venerunt, ejuſmodi charactere exaratæ, ut Abecedarij pueri ſcriptura videretur, & vix ulla vox legi poſſet, debilitatæ ſcilicet tormentis manûs vitio, & amiſſi digitorum uſûs. Sed cùm nè his quidem artibus quidquam, unde reum Majeſtatis conficerent, expreſſiſſent, Eboracum judicandum & plectendum remittunt. Quod moleſtum ſanè 140. milliarium iter, ſpontaneis etiam aſſumptis cruciatibus ità exegit, ut nudâ conſtanter humo cubans, magnam noctis partem genibus nixus precaretur. Illic ad 3. diem Aprilis in Judicium, aliorum facinoroſorum in numero, catenâ gravis productus, & criminis læſæ Majeſtatis poſtulatus: quòd Romanæ Sedis authoritate Sacerdotio ſuſcepto in Angliam redijſſet; quòd Eliſabetham Reginam Caput Eccleſiæ Anglicanæ profiteri nollet; perduellionis denique reus à duodecim Viris pronunciatur. Die inſequenti integrâ ſollicitando fruſtra ad defectionem Henrico, & vel ſemel duntaxat ad Calvini adeundam ſynagogam inſumtâ, poſtridie iterum ad Tribunal producitur; ubi Judex Belmontius Matre ſanctiſſimâ natus, ſed poſt ejus obitum in hæreſim, aut ſaltem hæreſis ſimulationem, ambitu honorum actus, patibulo eum addixit, ad proximum lunæ diem necandum, eviſcerandum, in quadras laniandum, unà cum Alexandro Raulino ſacerdote. Acerbiſſimam ſententiam Henricus ingenti gaudio excipiens, in amplexum Alexandri ruit, DEO, ſibi, illiq; gratulatus; & poſt actas enixè judicibus gratias, manibus à tergo revinctis, in carcerem reductus, ſupremam ad Parentem dedit epiſtolam, pecuniæ aliquid in ſuos excubitores dividendum poſtulans.

Deſtinatus ſupplicio poſtquam illuxit dies, Alexandro crati vimineæ alligato, poſt duas demum horas (eouſque perpetua adeuntium turba illum in carcere detinuerat) educitur & Henricus, & eidem trahæ ſuperjectus colligatur, ſed obverſo ad pedes jumenti & Raulini capite, ne videlicet colloqui, & mutuo invicem hortatu animare poſſent. Ad furcam ubi deventum eſt, Alexandrum priorem ſtrangulatum, & crudelè exenteratione diſcerptum, Judices Henrico dum fruſtra oſtentant, membraque oculis ingerunt, & ille nihilominus generoſo pede ſcalarum primos gradus inſcendere pergit, tum verò ſublato clamore multitudo hortari promiſcuè cœpit, ut vitæ ſuæ conſuleret, & ſaltèm ex parte Reginæ voluntati obſecundaret. Sed ille Primatum illius in rebus Eccleſiaſticis nefariè affectatum exectatus, rogare porrò cœpit, ne ſibi ultra moleſti eſſe pergerent. Orſúsque pro Regina, Regno, & Hoſtibus ſuis precari, multis etiam heterodoxorum lacrymas excuſſit. Oculis demum in cœlum & manibus, quantùm vinculæ ſinebant, ſublatis, ſummo è ſcalarum gradu Orationem Dominicam recitavit; cui cùm ſalutationem Angelicam adnectere pergeret, Miniſtri hæretici, ac Judices, in DEI Matrem blaſphemi, eum deturbari juſsêre de ſcalis. Poſtquam non diu pependit, præciſo funè ſecuta eſt corporis laniatio, eviſceratio, tanto ſpectantium luctu ac mœrore, ut plura eorum millia lacrymis parentâſſe notata ſint.

P. PETRUS

P. Petrus Michael Germanus, Soc: IESV, propinato ob Religionem Christi veneno ab Hæreticis Moguntiæ mortuus A. 1595. 25. Aug.

C. Screta d. M. K. f.

P. PETRUS MICHAEL.

QUos in Germania ſubierit Societas labores, quot adhibuerit Operas, ut eam unitati Eccleſiæ reſtitueret, nullus magìs, quàm ipſi experiuntur Heterodoxi, cane pejùs & angue illam idcirco exoſi. Et licèt non eo, quo Jndici illius apud Ethnicos & barbaros coronentur labores ſucceſſu, ubi pauculæ ejus Operæ Regna & Provincias, Germaniâ vaſtiores Chriſto lucratæ ſunt; magni tamen inſtar prodigij habendum eſt, potuiſſe illius objectu Hæreſis torrentem omnia latè inundantem, vel ſiſti. Sicut enim miraculi vicem, Eccleſiæ Catholicæ veritatem aſſerentis obtinet, omnium gentium, linguarum, & nationum ad eam converſio, cùm à ſectatoribus ſuis minimè grata & ſuavia exigat; ità portento maximo majus eſt, tam paucos voluptuoſæ Lutheri & Calvini Hæreſi accedere diſcipulos, cùm dogmata ſua blandiſſima, naturaliter totum Mundum in vitam illius carnalem & liberrimam trahere apta ſint. Inter hos Germaniæ è Societate JESU opitulatores non poſtremus fuit P. Petrus Michaël, in publicam illius utilitatem natus, Vrbe ſemper Catholicâ, & Germaniæ Româ, de qua vetuſtum illud circumfertur: *Quod Roma eſt Italis, hoc ſancta Colonia Tevcris.* Ubi primam ætatem innocenter manſuetiore in literatura decurrit, Societatem complexus eſt anno ætatis 16.

tis 16. Christi 1556. in qua præter uberrimos in virtute & omnigena sanctitate profectus, illud in scientias omnes, ac præsertim linguarum, adversùs Hæreticos usui futurarum notitiam comparandam, adhibuit studium & conatum, ut Parisijs Joanni Maldonato, suo in Theologicis Professori, ipse è contra in lingua Hebræa fieret instructor.

Sacerdotio initiatus, animos simul assumpsit Apostolico muneri pares; quos in eo ubi notavêre Elector, & plures Principes Germaniæ, charum scilicet habuêre & familiarem, in gravissimis Legationibus ejusdem operâ uti soliti, nunquam sinè notabili Religionis orthodoxæ fructu & incremento. Quâ occasione multis Acatholicis Principibus & Provincijs innotuit, in quibus longè plurimos à Societate, & sincera Religione alienos, utrique reconciliavit. Nec operosum fuit id præstare viro ab omni fastu & fuco alienissimo; cujus eximia Charitas, in omnes tempestiva comitas, cum insigni humilitate atq; modestia conjuncta, animos omnium illi devinciebat. Solos pertinacissimè sibi infensos expertus est verbi divini pseudo-Ministros, quos quia non congressibus solùm & disputationibus convictos refutabat, sed scriptis etiam lucubrationibus acerrimè insectabatur, in necem denique illi conscisendam, quâ viâ possent, conjurârunt. Stephanus imprimis erat quidam Jsaacius, qui ex Judæo non melior Christianus, in Ministrum Synagogæ Calvinianæ evaserat, cujus librum sanctarum cultum Jmaginum impiè insectantem, ità contrario scripto confutavit, ut loquacitatis suæ pœnitens, statuâ deinceps magìs mutus remanserit. Alter etiam Joannes à Munster stolidà audaciâ in certamen Patrem provocare ausus, temeritatis suæ graves pœnas dedit; apologeticâ insuper lucubratione repressus; cujus acri stylo veluti stigmate confixus, nunquam caput ampliùs efferre, vel linguam, quâ ex pulpito apud suos blatero multùm in Catholicos valebat, præsumsit.

His aliisque id genus religiosæ pietatis & ingenij partibus rem Catholicam promovere studebat, eo præcipuè tempore, quo sex annos Collegio Spirensi, & octonos Monasterienſi Westphaliæ Rector præfuit; ubi etiam solâ in Divinam Providentiam nixus fiduciâ, nullis pecuniarijs instructus subsidijs, magnificum pro scholis ædificium aggressus, ad fastigium magnificè perduxit, eâdem simul animi magnitudine sumptuosissimi Templi jactis fundamentis. Et omnino fuêre hæ P. Michaëlis lucubrationes efficacissimum antidotum, quo plurimi toxicum hæreseos evomuêre: ex quo apud antesignanos eorum Prædicantes inexplicabile illi odium conflatum est, ut sæpe ad necem & vincula quæreretur. Sed cùm hostilis & aperta vis nihil proficeret, dolo tandem circumvêtum, sæpius ad mensam amicitiæ obtentu invitant, intérque epulas incauto venenum ità virulentum propinant, ut nullâ quantavis Medicorum arte superari posset. Ejecit quidem ille in præsenti, validis amicorum adjutus antidotis, hauſtam pharmaci pestem; at recrudescente identidem visceribus profundè impressâ lue pestiferâ, vitam de cætero duxit afflictissimam, cruciatibus, & acutissimis doloribus semper refertam. Neque tamen sic etiam æger pedem ex campo retulit, sed in salutem aliorum semper industrius & pervigil, tres nobiles Matronas thermarum remedio valetudinem unà procurantes, ab hæresi revocavit. Donec vi mali superante prostratus, animam Creatori suo reddidit Moguntiæ 25. Aug. An. 1595. ætatis 53.

P. MARTINUS LATERNA.

LAterna Poloniæ P. Martinus (ita panegyrim suam demortuo illi concinnatam inscripserat Stanislaus Niegosczewsky Regius Secretarius) primùm illuxit Drohobicij, nobili à Salinis Poloniæ oppido. Literis humanioribus probè excultus, cùm multa & mira de Sociorum JESU moribus & vita referri audisset, oculis certiùs veritatem indagaturus, Braunsbergam, ubi tunc primum Cardinalis Hosius medios inter Hæreticos Collegium illis in Prussia statuerat, excurrit; & quia longè etiam auditis majora virtutum & Religiositatis spectaverat exempla, Califfium quidem paulò pòst urgentibus Parentibus redijt, sed non nisi alterâ jam sui parte, animo & totâ mente in Societatem fixus. Cui tandē post habitis remoris & fluxis rebus omnibus, etiam corpus integrè addixit, ex quo Albertum Morosconium, suum in literis Institutorem, exemplo sibi ad illam præiviſſe vidit. Hunc ergo ad Tyrocinium eodem secutus, primis statim Exercitijs in merum ignem exarsit, qui nunquam



P. Martinus Laterna Polonus Soc: IESU, pro Catholica Fide ab Hæreticis in mari Balthico demerſus. A. 1598. 30. Septembris.

C. Screta d. M. K. f.

quam deinceps ſive profanis in Philoſophia, ſive ſacratioribus in Theologia laboribus extingui, aut imminui potuit; in quibus tamen eo profectu verſatus eſt, ut Doctoralem Vilnæ lauream ex merito reportârit. Sed hanc ille meliorem ſibi in cœlis adornaturus, in parvulis potiſſimùm & rudibus inſtituendis Doctoratum ſuum expendit, infatigabili conſtantiâ in Apoſtolicis Miſſionibus diu multúmque verſatus. Hic ille poſteaquam pro concione totâ quâ valebat vi, conatu & eloquentiâ mortalium animos permoviſſet, mox ad pœnitentiæ Tribunal ſeſe recipiebat, totos plerumque dies ijsdem aures dare ſolitus. Dicebat autem ſæpe, eâdem die bis ante prandium, reliqvum à Confeſſionibus auditis tempus, ægrorum viſitationi, parvulorum & ſervitiorum domeſticæ inſtructioni ità impendens, ut nullum omitteret laborem, quo aliquem ad frugem reducendum ſperaret. In hæreticis inſectandis licèt acer eſſet & vehemens, eam tamen morum admiſcebat comitatem, ut plurimos perfidiæ eroptos fidelibus adjungeret.

Deniq; eâ gnavi & Apoſtolici operarij famâ per Poloniam celebrabatur, ut eum Stephanus Poloniæ Rex adversùs Moſchos bellum moturus expetierit; cujus caſtra triennio ſecutus, ſimul illi à Concionibus latinis, ſimul Aulæ Regiæ fuit à Polonicis. Neque eum deinceps à ſe, quoad vixit, dimiſit Rex; quo demortuo Procuratoris domeſtici obire munus Cracoviæ ad S. Barbatæ juſſus, eâ promptitudine & alacri humilitate adminiſtravit,

ſtravit, quâ Oratoris Regij glorioſum munus paulò antè obijt. Leopolim ſubinde, ut Reſidentiæ illi præeſſet ſuperior, miſſus, poſtquam inſuper totis ſeptem annis magnâ omnium ſatisfactione, & majore animarum quæſtu, ſacris concionibus urbem illam excoluiſſet, ad caſtra denuo revocatur, Sigismundo Regi in Suecos arma moventi, ab ijsdem concionibus futurus. Quanto Leopolienſium luctu & deſiderio, vel inde collige, quòd abeuntem non lacrymis ſolùm & gemitu, ſed pedibus etiam ad longiſſimum ſpatium proſecuti ſint cives cum Archiepiſcopo univerſi. Et jam feliciter claſſis Regia in Sueciam appulerat, cùm repentè ad pacem inclinantibus rebus, Poloniam repetere à Medicis Regijs jubetur Martinus, ut profligatam, nec patientem cœli Suedici valetudinem recuperet. Sed hanc ille immortalem pro temporanea recepturus, Cœlum priùs quàm Poloniam attigit, à Piratis Suecis, Sudermaniæ Ducis nomine, mare illud infeſtantibus, interceptus.

Poſtquam hi ſubactâ navi, deſpoliatis qui vehebantur omnibus, infandiſſimis inſuper contumelijs Pontificem, Eccleſiam, ac Sanctos impetere cœperunt, ſuarum ille partium eſſe ratus Catholicæ rei non deeſſe, acriter in blaſphemos invehi, Divorum & Eccleſiæ honorem tueri, & comites ad fidei conſtantiam vehementer inflammare perrexit: facilè exinde arguentibus hæreticis, illum non Catholicum duntaxat, ſed etiam Sacerdotem Jeſuitam, juratum Lutheri hoſtem eſſe. Ergo in unum omnes incenſi, certatim opprobrijs, pugnis, verberibus invadunt, panem etiam aliqui violentè in os illi ingerendo, addito convitio, ut paulò pòſt ad ſatietatem uſq; & nauſeam bibiturus, maturè comeſſet. Tum veſtibus exutum, & toto corpore, manibus præſertim, multo vulnere, ne natatu evaderet, ſaucium & debilitatum, ſcaphæ imponunt, atque in altum provecti, mari demergunt 30. Sept. An. 1598. ætatis 45. Neque tum ſolùm morte ſuâ reliquis in nave comitibus ſaluti fuit, unus pro omnibus occumbens victima; ſed deinceps etiam in periculis graviſſimis patrocinatus eſt.

Quartus à beata illius morte fluebat annus 1602. cùm Nobilis Polonus Laurentius Bienczowsky, comes olim P. Martino in hac navigatione, atque in jactatione maris, & ægritudinis moleſtijs beneficus conſolator, in Tartarorum, Podoliam vaſtantium, manus incidit. Ab his crudeliſſimâ per diem ſervitute exercitus, per noctem manibus poſt tergum ad pedes revinctis, velut in globum redactus, ſuſpendebatur è ligno ſuper profundam infernè, ne quà lapſus etiam rupto funè effugeret, foveam. Hic perſanctè affirmavit, ſibi cùm ità 7. Junij penderet, DEI opem per ſancti alicujus Poloni merita, quisquis demum bello illo cecidiſſet, imploranti, conſpectum currum ſplendidiſſimum, quatuor equis candidis ſuper Oceani fluctus invectum, ſedente in curru P. Martino Laternâ radijs glorioſo. Cui, num ſe noſſet? interroganti, reſpondit Laurentius, noſſe; petivitq; viciſſim quid triumphi pompa illa portenderet? Tum Martinus, gloriam illâ deſignari aſſeruit, quâ Apoſtolicos ſuos labores, & mortem pro religione in mari obitam, præmiaret in cœlis DEus. Quatuor autem equis ſe invehi, in præmium rectè populis explanatorum quatuor Evangeliorum. Demum quæſivit, num in libertatem vinculis ſolutus aſſeri percuperet? id verò cùm maximè optaret Laurentius, continuò illis ſeſe exemptum, acceptâ priùs conditione inviſendi loca ſacra Cracoviæ & Romæ, perſenſit, & turbine quodam rapidiſſimo per aëra deportari, ſic, ut breviſſimâ morâ in campis Ruſſiæ prope Leopolim, 50. milliaribus à caſtris Tartarorum ſe conſtitutum deprehenderet quidem, ſed ludibrium ſomni ſuſpicatus non crederet, donec claro die vincula ante pedes projecta, & quatuor captivitatis ſocios ante quatriduum profugos, eodem iter proſequi aſpexit. Tum verò poſt DEum, ſoſpitatori ſuo gratijs ubertim actis, Cracoviæ primùm, tum Romæ ad Sanctorum memorias ſe ſtitit, & rem totam ſuo illic confeſſario P. Matthæo Pakoſt, Pœnitentiario Polono, juratus aperuit, quæ etiam à Jacobo Lauro A. 1607. cum Pontificis privilegio, æri Romæ inciſa eſt & vulgata.

Iterum autem A. 1603. 27. Sept. Polonis ſuis in cæcis periculis verſantibus, *Laternam*, vel ſtellam potiùs maris ſe exhibuit. Exceperat hos mari navigantes tempeſtas adeo ſæva & turbulenta, ut deſperatis humanis omnibus, ad cœleſtia unicè converterentur, domeſticam ſuam Czaſtochoviæ Divam magnis vocibus inclamantes. Cùm in medijs ſpiſſiſſimæ noctis tenebris multâ luce coruſcus eis ſe videndum exhibet P. Laterna, tempeſtatem & ventos ponere jubet, fluctus momento ſedat, incolumitatémque ità demum naufragantibus ſpondet, ut vota DEiparæ promiſſa omnino exſolvant.

Verùm nulla nomini ejus devotior, nulla in accipiendis per ejus merita poſtulatis bene-

beneficijs frequentior eſt Civitate Leopoli, in qua ejus celeberrima viget memoria, publicâ etiam aliquando Concione à Joanne Demetrio Archiepiſcopo commendata. Erat hìc Matrona pietatis eximiæ, quæ ex eo maximè Matrem ſe factam beneficio Divino gaudebat, quod utramque DEO conſecrâſſet in S. Benedicti Ordine Filiam. Jamq; profeſſionis emittendæ dies appetebat, cùm utraque gravi invaletudine correpta, unde in ſpiritu fieri debuiſſet valentior, inde evaſit debilior, eo uſque fraudibus Dæmonis inducta, ut tædio vitæ Monaſticæ nihil aliud anhelaret, nihil cogitaret, nisì vitæ ſæcularis libertatem. Afflictiſſima Parens ubi fruſtra ſe omnia agere, atque in caſſum vitæ Religioſæ amorem, Mundanæ odium, inculcare Filiabus videt, ad P. Martinum tandem, quem inter Cœlites receptum omnino credebat, vota facit, ut qui adhuc mortalis illis ad virtutem & ſanctitatem ſæpius fuerat exhortator, nunc ab ejus ſtudio pedem referre obſtinatè parantibus, animos & vigorem reſtituat. Mira prorſus res, tantóque portentoſior, quantò difficilius eſt in animi, quàm fluctuum tempeſtates imperium. Redux ad Monaſterium poſtridie, quàm ancipitem Filiarum ſtatum P. Martino commendaverat ſupplex Mater, ut animos earum poſtliminio exploraret, utramque reperit non animo duntaxat, ſed & corpore firmiſſimam, & vocationis ſuæ tenaciſſimam. Quo inopinato eventu læta, auctorem illis mentis ad meliora illuſtratæ aperit, ut deinceps in obſcuro & devio tentationum, Laternam habeant pro Pharo, ad quem oculos & vota, ſecundos in procelloſo vitæ mari curſus pariturum dirigant.

P. PETRUS BUZELINUS.
P. LAURENTIUS EVERARDI.
P. OTHO CAMPENSIS.

SAnctus Patriarcha JGNATIUS, ſingulari DEI beneficio in ſalutem & auxilium commune mortalium omnium natus, cùm Religionem inſtituiſſet in bonum proximi æquè ac proprium curandum intentam, vaſtiſſimo animo omnem hominum conditionem & ſtatum, omnes illis opitulandi modos ac media complexus, hæc omnia voluit eſſe propria illius Munia & Miniſteria. Quod recognoſcentes Pontifices Romani, magnâ ſemper animi propenſione illam ſpecialiter proſecuti ſunt, tanquam *ad hoc inſtitutam*, verba ſunt Julij 3. in Confirmatione Inſtituti Societatis, *ut ad Fidei defenſionem & propagationem, & profectum animarum, in vita & doctrina Chriſtiana, per publicas prædicationes, lectiones, & aliud quodcunque Verbi DEI miniſterium, ac ſpiritualia Exercitia, puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutionem, Chriſti fidelium in Confeſſionibus audiendis, ac cæteris Sacramentis ſpiritualem conſolationem, præcipuè intendat. Et nihilominus ad diſſidentium reconciliationem, & eorum qui in carceribus vel hoſpitalibus inveniuntur piam ſubventionem, ad miniſterium, ac reliqua Charitatis opera exequenda, gratìs omnino, & nullo, pro ſuo in prædictis labore, ſtipendio accepto, ſe utilem exhibeat.* Hinc nulla proximi neceſſitatibus ſubveniendi praxis, nulla ſalutem eorundem in quavis ætate, ſtatu, & ſexu procurandi methodus eſt, quæ ex officio proprio illi non incumbat, quodque illa de facto, certis è numero ſuorum ad omnia hæc munia deſignatis, non complectatur. Sic parvulis inſtituendis habet Magiſtros, Præceptores, Catechiſtas; Adultis, domi quidem ſuæ privatim, converſatores & viſitatores; publicè autem in Urbibus Concionatores, Confeſſarios, Sodalitiorum Præſides, altiorum Facultatum Profeſſores; foris autem inter gentiles, hæreticos, fideles, utitur Miſſionarijs. Jam verò ut nulla conditio hominum ejus opitulationum expers ſit, alij ſunt qui ſervitia & plebem infimam, alij qui cives & honoratiores procurant: alius eſt qui in carcere vinculis; in lectulo, noſocomijs morbo detentis, die noctéq; eſt ad obſequia; alius qui peſte, ſonticis morbis laborantes inviſit; alius hoſpitalibus de eleemoſynis providet. Inter quæ non poſtremum, periculorum autem, & ærumnarum magnitudine facilè primum eſt, Militum in Caſtris procuratio, ubi præter cubationes humi, in ceſpite, ſub dio nocturnæ ſunt vigiliæ, fames, ſitis, frigus, æſtus, à militaribus morbis contagia, & à petulantia inſolentium ferenda innumera tædia. Adde mille in his mortis pericula, mille mortes, quibus pars tormentis horrendum diſcerpti &

la-

P. Petrus Buzelinus, P. Laurentius Everardi, P. Otho Campenſis Belgæ á Caluiniſtis odio Fidei necati in Belgio 2. Iuly. A. 1600.

C. S. d. M. K. f.

& laniati, pars gladijs, ſcloporum ictibus, haſtis, lanceis transfixi, trucidati, membris mutilati, aquis demerſi, carceribus & vinculis adſtricti, fame inter captivos emaciati, hactenus interierunt. Quibus malis tantùm abeſt ut conſternati, animos ab ardua Miſſione Caſtrenſi deſpondeant ſocij, ut potiùs eò majore propenſione, ſtudio, certatim pro ſe quiſque illam exambiant.

Horum è numero fuere tres magnanimi Heroês, ea etiam de cauſa libentiùs Militaria ſigna ſecuti, quòd illis vexillum Crucis adversùs Acatholicos proferri viderent. In hìs P. Buzelinus Cameraco Belgij oriundus, reliquis ſocijs Caſtrenſibus Superior præfectus, animo erat excelſo, in omnia pericula, magno vitæ & commodorum contemtu, incitatiſſimus; qui ut animabus militum mederetur, corporibus etiam maximâ charitate opitulari ſtudebat, toto ſemeſtri peſte, ac diſſenteriâ Caleti laborantibus, die noctéque aſſiſtens. Nec quidquam magìs in votis illi fuit, quàm ſanguinem pro Chriſti religione, aut vitam in proximi obſequio ponere; cujus ut tantò faciliorem magìsque obviam haberet opportunitatem, ardentiſſimo ſtudio profectionem in Jndias, & barbaras Nationes exambivit. Cúmque hoc ſuum deſiderium non voce duntaxat, & ſermone quovis inter ſocios loqueretur, ſed calamo etiam & lucubrationibus proſequeretur, ternis de Martyrio conſcriptis libellis beatam hanc in cauſa Chriſti occumbentium ſortem pertractans; tandem feraciſſimam mortium obtinuit Militarem

litarem ſpartam, in qua etiam poſt tolerata quadriennio omnia Caſtrenſis vitæ incommoda, animam honeſtiſſimo pro fide occubitu poſuit.

Concurſum erat ſecundiſſimo Marte cum Batavis ad Oſtendam ab Archiduce Alberto A. 1600. & victoria penes Catholicos, coactis pedem referre hoſtibus, jam ſteterat; cùm improvido debellandi ſtudio, arma in hoſtem ex deſperatione pugnaturum, avidè magis, quàm conſultè inſtaurant Hiſpani, & prælium ad Neoportum exitiale redintegrant. Cæditur ingenti ſtrage victorum exercitus, & præcipuus quiſque Ducum & militum occumbit. In apertam ergo jam fugam poſt ruptam aciem diffuſo exercitu, ipſóq; Archiduce, ob acceptum in capite vulnus, ægrè diſcrimen evadente; P. Buzelinus tum demum campum ſibi ad ſpiritualem pugnam relictum arbitratus, timido fugæ conſilio rejecto, in pedes ex equo cum ſocijs deſilit, infinitæ ſauciorum multitudini, intérque vulnera cum morte & dæmone ſupremam luctam inituræ, opem extremam laturus. Ergo inter humi ſtrata cadavera diſcurrunt, & quotquot ſpirantes deprehendunt, exomologeſi expiant, hortantur, animos addunt, beatæ vitæ ſpe complent; & ſi quibus vigor adhuc in membris major ſpem vitæ facit, ſubjectis humeris in tutum deportant. His ſuperveniens totis ordinibus impunè effuſus hoſtis, ubi eos tam ſancto operi, ac maximè ſibi inviſo, in oculis ſuis incumbere deprehendit, non ferens ulteriùs ſibi inſultare, captivos facit; ut tantò clarior necis, non ex furia & impetu Mavortio, ſed animo ſedato illatæ, cauſa eluceſceret. Buzelinus ergo, magno ſpiritu & voce conteſtari hoſtem cœpit, non ſe Hiſpano, ſed in ejus exercitu Chriſto militâſſe; non arma in hoſtem ferre, ſed animas cœlo inſerere ſolitum; non ſtipendia Archiducis, ſed gratiam DEI mereri ſollicitum; quibus ſcilicet tantò efferatiores in ſuum & ſociorum exitium hoſtes reddidit. Ut enim hi animorum magis quàm corporum excidio intenti, Catholicum & Jeſuitarum nomen capitali quovis hoſte execrabilius habent, ità deprehenſos in flagranti Sacramentorum adminiſtratione Sacerdotes Jeſuitas, Hæreſi ſuæ avidiùs immolare pergunt. Igitur laxato iteratè ſclopo, duplici glande Buzelinum ſternunt, 37. ætatis annum tunc agentem, prolapſum quidem ex vulnere, minimè tamen in veſtigio exanimatum; qui majore diei parte, vitæ & animi compos, circumjacentia perreptans cadavera, ſi quos ex doloribus gementes, aut aliter dato vitæ indicio ſuperſtites deprehendiſſet, ſuímet oblitus ſolabatur, morti præparabat, & meliorum in æternitate fiduciâ animans, ſanguinem & vitam in Fidei cauſa libenter ponere hortabatur.

Necato crudeliter Buzelino, in P. Laurentium, Buſcoduci ante 33. annos natum, ſecundo furore convertuntur: qui ùt erat animarum zelantiſſimus, ità miro ardore & efficaciâ pro concione dicens, avidiſſimis auribus excipiebatur, pervicaciſſimos etiam militum animos, & difficillimos, ſi qui alij, in virtutem flecti, quovis vellet, impellere potens. Quæ res ſalutem illi & indemnitatem, ſi apud alios, quàm Calviniſtas, preces incidiſſent, paritura erat. Quidam enim hoſtium cuneis permiſti ex Hiſpanis transfugæ, notum ſibi pridem in Regijs Caſtris Laurentium conſpicati, ut vitam corporis in vicem toties ſuæ animæ morti ereptæ illi ſervarent, ſupplices Ducibus & commiliti facti, caro capiti ſoſpitatem deprecabantur. Ignari fortè, ſe Sacerdoti & Jeſuitæ magis exitium precibus apud hæreticos accelerare; in quem globorum veluti grandine, multíſq; gladiorum ictibus depluentes, felicem animam corpore exegerunt.

Poſtremus deniq; Otho Campenſis, in cujus aures Erneſtus Archidux animi noxas deponere ſolebat, dum procuratis animis, corpora etiam ſauciorum exitio pertentat eripere, ſub onere ſaucij militis, quem equorum ungulis proterendum humeris ſuis in tutum deportabat, circumventus, tantæ charitatis præmium recepit mortem, natus annos 43. ortus Campis Hollandiæ oppido. Singularis in eo zelus enituit, & felicitas in reducendis ad fidem Orthodoxam hæreticis, quos in militari licentia pervicaciores eâ tractabat lenitate, & conciliabat affabilitate, ut pleroſque familiaritate primùm, mox etiam religione eâdem ſibi conjungeret. Sed non hìc ſtetit veſana in DEI ſervos Orci militum rabies; in exanima demum corpora pleno furore incitati, tantis ea vulneribus deformârunt, ità mutilatis artubus membra invicem confuderunt, ut nullâ diligentiâ dignoſci ab invicem & ſeparari potuerint. Apertè facto ſuo declarantes, quid in inermibus Jeſuitis, totis cæſorum militum acervis parcentes, etiam poſt fata perſecuti ſint, quorum ne corpora ad venerationem diſcerni poſſent à Catholicis, ferinâ barbarie providerunt.

P. Chriſtophorus Spotecus, cum tribus Soc: IESV Polonis, ſqualore carceris ab Hæreticis odio Religionis enecti Stocholmiæ in Svecia: A. 1601. in Iulio.

C. S. d. M. K. f.

P. CHRISTOPHORUS SPOTECUS. JOANNES ESTO. MATHIAS VITRIARIUS. NICOLAUS KRZIWOZANZEWICZ.

QUàm latè pateat Martyrij Gloria, & non ſolùm ijs, qui directè Tyrannorum manu, ferro, vel tormentis occubuerunt, Laureolam triumphalem imponat, ſed & omnibus alijs, qui fidei aut virtutis cauſâ in exilium, carceres, vincula acti, pretioſam in illis animam egerunt; eleganter proſequitur Martyrum flos Cyprianus, & ex eo S. Thomas, & communiter Theologi, & SS. PP. communiſque Eccleſiæ ſenſus. Ità ergo habet lib. 3. Epiſt. 6. *Neque enim virtus eorum, qui etſi torti non ſunt, in carcere tamen glorioſo mortis exitu excedunt, aut honor minor eſt, quò minùs ipſi quoque inter beatos Martyres aggregentur. Cùm enim voluntati noſtræ & Confeſſioni, in carcere accedit moriendi terminus, conſummata Martyrij gloria eſt.* Et rurſum alibi: *ſi fugientem*, inquit, *Chriſti cauſâ, in ſolitudine ac montibus latro oppreſſerit, fera invaſerit,*

ſerit, fames & ſitis, aut frigus ad mortem afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem, tempeſtas aut procella ſubmerſerit; expectat militem ſuum Chriſtus ubicunq; pugnantem, & perſecutionis cauſâ pro nominis ſui honore morienti præmium reddit, quod daturum ſe in ſurrectione promiſit. Nec minor eſt Martyrij gloria non publicè, & inter multos perire, cùm pereundi cauſa ſit propter Chriſtum perire. Sufficit enim teſtimonium Martyrij ſui teſtis ille, qui probat Martyres & coronat. Sic Romanum Martyrologium præter innumeros, quos in exilio, carceribus defunctos celebrat, ùt Martyres ijsdem accenſet 22. Dec. Cheremonem Epiſcopum Nicopolis, & alios plurimos, *quorum*, inquit, *alij ſæviente Decij perſecutione fugâ dilapſi; in ſolitudinibus errantes à beſtijs interempti ſunt, alij fame, frigore, ac languore conſumpti, alij à barbaris & latronibus necati, Martyrij gloriâ coronati ſunt.* Id quod hæc Theologorum firmiſſima evincit ratio: Quia licèt carcer ipſe, aliáve afflictio immediatè mortem non inferat, ſed illius duntaxat mediata ſit occaſio, cùm tamen ea evitari, & liberè pro arbitrio effugi poſſit abdicato Chriſto, is qui conſtanter in ea perſiſtit ne Chriſto renunciet, morte mulctari pro eodem veriſſimè cenſetur.

Atque hujuſmodi exitu coronata eſt invicta horum quatuor pugilum in Fide conſtantia, qui cùm libertatem & vitam ejuratione fidei redimere quovis momento poſſent, carceris tamen & vinculorum conſtanter tolerare ærumnas voluerunt, in quibus tandem peſte conſumpti, è carcere & corpore evolârunt. Cùm enim Carolus Sudermaniæ Dux, Sueciæ Regno occupato, arma inde in Livoniam adverſùs Sigismundum III. Poloniæ Regem, à quo Sueciam titulo Pro-Regis adminiſtrandam ſuſceperat, tranſtuliſſet, atque Derpatum A. 1601. proditione cæpiſſet; in Collegium veniens, ſocios ad ſe, qui ſeptem illic remanſerant, accerſiri juſſit. Qui ubi in conſpectum adducti ſunt, acerbiſſimis in eos probris & convitijs, in Ducum & Nobilium Corona, cæpit invehi, ſceleſtos hominum ſeductores, ventris mancipia, Dæmonis ſatellites compellans, qui animas à Deo ſeductas Orco manciparent. Tum in Fidei Catholicæ dogmata debacchatus ea effutijt, quæ hæreſis & hoſtilis ſuggerebat furor, in Chriſti Vicarium, Deiparæ, & Sanctorum cultum, Sacramenta Eccleſiæ, &c. Minimè toleranda viſa Dei ſervis eſt, & muto tranſmittenda ſilentio impia Principis inſolentia, quibus etiam in tempore verba ſuggeſſit Dominus, confutandæ apta audaciæ, qui jubens, non eſſe ſollicitos, quid, aut quomodo reſpondeant ſervi ſui, dum ſteterint ante Reges & Præſides, pollicitus unà eſt daturum ſe illis os & ſapientiam, cui reſiſtendo non ſint futuri omnes adverſarij. Itaq; à Pontificis ſuprema in terris tuenda poteſtate exorſus, ità efficaciter eam Divini juris eſſe, & ab ipſo Chriſto in Succeſſores Petri derivatam oſtendit Pater, ut teſtimonijs ſcripturæ ſilentium maledicentiæ impoſuerit. Sub digreſſum gratiam ſuam & favores prolixè Patribus pollicitus Princeps, eâ, quâ ſolent Calvini aſſeclæ Jeſuitis ſervare fide exhibuit. Chriſtophoro ſiquidem Sommerio quantùm ſibi charo, tantùm Jeſuitis infenſo Duci, donatâ ſupellectile, & rebus Collegij omnibus, incolas ſimul ejuſdem poteſtati conceſſit. Hic poſt ablata Templi, quæ foſſâ humo Patres condiderant, ſacra vaſa, cùm direptis præterea rebus cæteris minimè ſatur fruſtra plura requireret, atrocibus minis, & levioribus tormentis exprimere conatus eſt. Sed cùm neque ſic theſauris, qui extra cerebrum illius nuſpiam erant, potiretur, ſpe dejectus, in rabiem & furiam decidit, exturbatóſque ſuis cubiculis Socios ſeptem, peranguſto conclavi compegit, ubi veſtibus & lectis exuti, ſubtracto etiam quovis cibo & potu, fame & frigore cruciarentur. Adjecta ſimul fuêre cum fœnore ludibria & verbera, quibus Princeps ipſe indecoro furore caput aliquando uni Sociorum contundere, & colaphis pugniſq; mulctare non erubuit. Aliàs ineptè ad riſum veſtitos, haſtâ oblongâ menſæ ſuæ cogebat aſſiſtere, aut etiam æneis fiſtulis armatos per Vrbem ſe comitari; ſibilis interim, ſcommatis, à petulante militum fœce undiq; impetitos, tum præcipuè, cùm equis violentè impoſiti, præcentore ipſo Sommerio, Symbolum Apoſtolorum, & cantus natalitios jubebantur concinere.

Hæc diurna ludibria, vincula ſub noctem in arcto carcere excipiebant; donec toto pene ſemeſtri indignis hiſce modis Derpati vexati, Rivaliam boum plauſtris, & exinde lacero, maléque à neceſſarijs inſtructo navigio, in Finlandiam tranſportarentur. Illic in Vrbem Habo dictam, ingenti populi hæretici ad inſolens ſpectaculum concurſu, velut in triumpho invecti ſunt, ſed ejuſmodi, quo Chriſtus in domo Herodis, & Pilati, à ſpineâ coronatione exceptus eſt. Nec Stocholmiæ minore plauſu ſalutati, ſeparatis inſuper quiſque ergaſtulis incluſi, tam dirè & ſeverè

ſeverè habiti ſunt, ut quæ adhuc perpeſſi fuerant, levia præ hiſce viderentur. Nam præter ſummam rerum omnium indigentiam, qui Sacerdotes erant, diu noctúq; ferramenta geſtare cogebantur, toto ſemeſtri. Ea erant corona ferrea, duobus altrinſecus è ferro cornibus altè eductis, atque ignito clavo commiſſis, ſexdecim pondo gravis. Quatuor ex his fuêre, quos diuturnis ergaſtuli calamitatibus afflictos, peſtis Stocholmiæ in carceribus conſumpſit; tribus reliquis, poſt quinquennales ærumnas, in libertatem aſſertis. Inter quos P. Chriſtophorus Spotecus Zagoroviæ in majore Polonia natus, poſt abſolutam Pragæ Philoſophiam, Magiſterij etiam laureâ decoratus fuit. Tres reliqui temporalium rerum fuere Coadjutores: Joannes Eſto, itidem Polonus, annos natus 43. Matthias Vitriarius, gente Lithuanus, annorum 23. & Nicolaus Krzywozanziewicz, ſimiliter Lithuanus annorum 36.

P. ROGERIUS FILKOCKIUS.

QUanto fructu, & Eccleſiæ Anglicanæ emolumento, fundata ſint liberalitate Pontificum, Regum Hiſpaniæ & Galliæ Seminaria, exulibus fidei causâ Gentis illius Juvenibus veluti in refugium erecta, vel ex eo patet, quòd eorum potiſſimùm induſtriâ, & indefatigabili zelo, inter acerbiſſimas Regum & Parlamenti perſecutiones ac edicta, ſemper tamen fides Catholica in eo Regno perſtiterit conſervata. In his enim maximo numero collecti Adoleſcentes, ſub cura Patrum Societatis ſanctiſſimè educabantur, quorum operæ, & Fundatorum piæ munificentiæ ex æquo reſpondentes, non aliud in ſtudiorum, & totius vitæ curſu ſpectabant, nisi ut inimiciſſimam ſibi & Chriſto repeterent Patriam, & ad Catholicam fidem reducendæ ſanguinem donarent. Cujus ſuæ mentis votique irrevocabilis dabant in ſingulis ſeminarijs publicè certum pignus, ſtatuto die ad Altare, teſte omni, qui frequentiſſimus convenire ſolet, populo, clarâ voce jurantes ſuper Evangelijs ſanctiſſimum juramentum, ſe Patriam repetituros, & ſuſcepto Sacerdotio, Fidem orthodoxam pro virili propagaturos, & defenſuros. Inde mirus in Catholico populo per Gallias, Hiſpaniam, Belgium, Romæ, in eorum Seminariorum Alumnos affectus & æſtimatio, monſtrabantúrque cùm prodirent digitis omnium, tanquam ſeminarium Martyrum. Nec vana fuêre populi præſagia, plura ſiquidem Sacerdotum millia in egentiſſimam id genus operarum Angliam fuêre tranſmiſſa, qui omnes calamitates, & pericula primitivæ Eccleſiæ perſecutionibus non minora experti, carceribus, exilijs, eqvuleo, tormentis multati, vitam inſuper & ſanguinem quàm plurimi poſuerunt. Solum Duacenſe ab Alano Cardinale procuratum Collegium, 90. annorum tractu, ſuppeditavit Angliæ laboranti plus mille Sacerdotes, quorum ferè 140. vitâ & ſanguine Fidei à ſe prædicatæ ſubſcripsêre.

Inter hæc ex præcipuis unum eſt Valliſoleti à Philippo II. fundatum, quod Rogerium Filkockium per Theologiæ curriculum aluit, dum Sacerdotio initiatus Angliam repeteret. Et profectò ea virtutum præſtantium convictoribus poſt ſe reliquit monumenta, ut quanto eum ſolatio & fructu recipiebat Catholica Anglia, tanto ſuo dolore & detrimento amittere cenſeret Seminarium. Ex quo Apoſtolici ſecum ferens ardorem pectoris, & deſideria fundendi pro Chriſto ſudoris & ſanguinis, omnia ſecum avebat in Chriſti, & Eccleſiæ obſequium expendere. Præcipuum autem ſemper habebat votum aggregandi ſe numero Sociorum JESU, quod cùm differri ſibi ad experimentum uſque Angliæ laborum ferret dolentiùs, totum ſeſe ijs impendere, & ſuperimpendere conſtituit, ut aditum in Societatem apud Garnettum Provinciæ Præpoſitum ità extorqueret. Itaque in Cantabriæ portum, per hoſtium manus, & oculatiſſimas cuſtodias, propè miraculo eluctatus, in media ſtatim ſeſe injecit pericula, quà Catholicorum bono ſacerdotalem operam navando, quà lapſis à fide reconciliationis munus ſemper præſens offerendo, ut demum elapſo biennio in Societatem legitimè adlectus fuerit. In qua, ut dignis Martyrio experimentis Tyronem ſuum duraret JESUS, vix numero ſociorum adſcriptum in carceris Tyrocinium tranſmiſit, Portæ novæ nuncupatum; in quo graviſſimis vinculis oneratus, à breviſſimo paucorum menſium experimento, maturus jam & veteranus Chriſti miles, ad agonem eſt evocatus. Die ſiquidem 23. Februarij An. 1601. ad Tribunal citatus, cùm nullâ priùs

quæ-

P. Rogerius Filcocus Anglus Soc. IESU pro Catholica Fide ſuſpenſus et ſectus Londini in Anglia A. 1601. 22. Febr.

C. Screta d: M. K. f.

quæſtione tentatus, nullâ teſtium productione convictus eſſet, præter omnem judiciorum & Juris formam, ex ſola præſumptione & conjectura Sacerdotij, proditorum damnatur ſupplicio. Quâ eâdem informi Juſtitiæ Anglicanæ formâ, ſimul cum eo damnatus eſt P. à S. Marco Ordinis S. Benedicti, Virtutum Rogerij admirator ſimul & prædicator, de quo ità ad Amicum ſcripſit. *Fuit mihi ſemper in paucis amicus, & unicè carus Confeſſor Chriſti Dominus Arturus* (hoc P. Rogerius Filkockius in Anglia latebat ſub nomine) *ſive olim liber, ſive nunc mecum in compede: Vir excellenter humilis, patientiæ, pietatis, & charitatis exquiſitæ, dignus cujus exemplar vivendi norma ſit. Dictat mihi animus futurum, ut ſimul moriamur, qui ſimul tam diu viximus.*

Neque illum conceptæ fiduciæ eventus fefellit. Illuceſcente namque 27. Febr. uterque ergaſtulo ſuo eductus, & vehiculo craticeo injectus, per cœnoſam, atque alto inſepultam luto viam, ad patibulum raptatur. Cùm interim alacres totum illud iter ſacris concentibus expenderent, ab illo Eccleſiæ verſu exorſi: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Ad Tiburnum ubi ventum eſt, ſublatus è crate ſua P. Rogerius, videt è ſummo patibulo pendentem Nobilem, & heroicarum virtutum Matronam Annam, ex illuſtri & opulenta Heighami familia oriundam. Huic quia confitenti aures præbere ſolitus erat, mirificè ejus ſancto ſpectaculo recreatus eſt, incredibilem animi conſolationem & robur hauriens, quòd hoc

ipſo temporis momento prærogativam pugnæ triumphique illi obtigiſſe, ut ſe in cœlum præiret, cerneret. Hæc Patre Calviniſtâ genita, cùm pro fide ejectionem è domo, privationem dotis, & totius hæreditatis damna elegiſſet, poſt pauperis mariti, ſed Catholici nuptias, vidua, eò quòd ad perpetuos carceres fidei causâ damnatus, vivens interierat, totam ſeſe obſequijs Patrum conſecravit. Jámque triennium effluxerat, ex quo maternâ prorſus curâ, & reverentiâ ancillari, ſumptibus tamen Patrum, ijs miniſtrabat, ædes ab ijſdem conductas inſtar hoſpitæ cuſtodiens, & ſæpius ſolertibus latebris vitam eorum contutata: cùm denique proditoris Catholici indicio, die quodam ſolenni, repertis etiam apud illam ſacerdotalium veſtium, & Altaris apparamentis, capta, & in ergaſtulum detruſa eſt. Caverat enim ſæviſſimo edicto crudelis Elizabetha, ne quis Sacerdotes domo exciperet, ſacra audiret, divinis intereſſet; eodem crimine, & perduellionis pœnâ involvi præcipiens domeſticos cum hoſpite omnes, apud quem Sacerdotem divertiſſe, ac longè quàm maximè ſacra feciſſe, aut Sacramenta miniſtrâſſe comperiretur. Quòd cùm liberaliter, ultro etiam confiteretur Anna, id unum ſe dolere proteſtata, quòd non potuiſſet millies plures, quàm fecerit, hoſpitio Sacerdotes excipere, millies plura illis levamenta & miniſteria navare; in judicium producta eſt. Nec judicem miſericordia movit, quòd ſplendidis natalibus orta, quòd ægritudine & annis gravis, quòd alienis manibus ad Tribunal deportata, ne illic quidem in pedes ſeſe erigere potuerit; ſed criminis Majeſtatis poſtulatam, ejuſdem ream pronunciatam, perduellium pœnâ ad furcam damnavit. Vehementer ergo mortis illius generoſitate incenſus Rogerius, utpote quæ dulci oſculo furcâ ſalutatâ, ridens laqueo collum indiderat, præeuntem quantocius ſequi cupiebat. Sed antevertit eum P. à S. Marco, quem inhumanâ & inauditâ feritate carnifices, ne ex laqueo jam pendulus mole ipsâ corporis (erat enim procerâ grandiq; ſtaturâ) ante lacerationem ſtrangularetur, pedibus ſuſtentabant: atque ità reſecto properè fune, viventem ſpirantémque eviſcerârunt; tantâ barbarie, ut cùm exemtis jam inferioribus inteſtinis, in apertum plagâ capaci pectus immiſiſſet manum carnifex, ad revellendum ex eo cor, ſenſu doloris vivaciſſimo exclamârit: *O DEUS! miſerere mei.* Spectabat hæc carro ſuo inſiſtens P. Rogerius; & unde ad defectionem incitaretur alius, inde animos ipſe, ut eum mox conſequeretur, ſumebat, exclamans cum Apoſtolo: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Totúſque mox in cœlum animo & oculis converſus, illud ſolum ſuſpirabat, multis precibus & ſuſpirijs animam DEO commendans, in cujus manus eam eſſet jam jam redditurus. Ità nihil Socij laceratione conſternatus, nihil conturbatus, poſt non longam precationem, mirâ hilaritate fauces laqueo, pectus cultro carnificis ſubjecit, poſt eviſcerationem quadripartito diſſectus. An. 1601. 27. Febr.

P. FRANCISCUS PAGES.

POſtremus hic fuit ex Societate JEſu, in quem crudelis Reginæ Eliſabethæ ſævitia, implacabili in nomen Catholicum & Jeſuitarum dum vixit odio incenſæ, in Anglia deſævijt. Quatuor jam ſupra quadraginta annos adversùs Catholicos, 22. adverſùs Jeſuitas æſtuaverat, necdum ſanguine Martyrum ſatiata; cùm novum edictum, omnibus antehac promulgatis crudelius, in eos condit, omnes capitalibus ſupplicijs internecione deleri præcipiens, niſi intra 30. dierum ſpatium Regnum diſceſſu ſuo purgarent; omnibus qui eos tecto, aut re ullâ juvare præſumerent, proditorum morte indictâ. Cujus funeſtæ & ultimæ conſtitutionis progreſſus ſpectare non potuit, quadrimeſtri pòſt abrepta, cùm ageret annum ætatis 66. De cujus lamentabili exitu nihil attinet dicere, cùm illum plenum deſperationis fuiſſe, etiam Hæreticus Hiſtoricus Camdenus ſatis indicet, narrans illius poſtremos clamores fuiſſe: *Væ ſibi miſeræ!* & proh! ſe deſtitutam deſertámq; ab omnibus! gulam ſibi capiſtro obſtringi querentis: quam ſcilicet in tot Chriſti Martyribus crudeliter elidi vivens juſſerat. Ultima ergo immolata hæreſi ab Elizabetha, ſuprema Eccleſiæ Anglicanæ, ſi Dijs placet, ſacerdote victima, Franciſcus Pages ſeu Pagius, ortus fuit in Anglia, honeſtis & locupletibus, ſed Acatholicis Parentibus, à quibus in Hæreſi educatus, abſolutis Londini Legum ſtudijs, ut earum etiam praxim domeſtico faciliùs condiſceret uſu, apud Nobilem Virum, & in eo præſertim doctrinæ genere præcellentem, ſuam locavit operam,



P. Franciscus Pagius Anglus Soc: IESU Londini in Anglia pro Fide Catholica ſuſpenſus et ſectus A. 1602. 29. April.

C. Screta delin. Melchior Küſell f.

operam. Erat huic Filia præcellentis formæ & indolis, ſed pulchrioris à Catholicæ Religionis virtutibus animi, cujus in connubium potiundæ cùm natalium imparitas ſpem omnem præcideret, liberalis in juvene forma, & inſignis morum elegantia pari modeſtiæ conjuncta, quæ mutuam apud Virginem ipſi conciliavit amabilitatem, fecit, ut ſperaret eum poſſe habere conjugem, ſi modò ad eundem cum illa Catholicæ Fidei cultum accederet. Nec conditionem abnuit Franciſcus, quin P. Gerardum Tomſonum, in carcere Klinkio pene liberâ cuſtodiâ habitum, identidem de ſalute audiret, à quo in fidei rebus probè inſtructus, cùm de incerto divitiarum, & inani ſpe fluxæ felicitatis diſſerentem perciperet, ità his, & Gerardi præcipuè arduarum virtutum exemplo captus eſt, ut Chriſtianæ perfectionis ambitu inſtinctus, aulam, ſponſam, ſpes omnes caducas animo ejecerit, & P. Gerardi antiquo hoſpiti famulum ſe addixerit, quò liberiùs magiſq; inobſervatus ex vicina carceri domo, magiſterio ipſius uteretur.

Nec deſijt interim Patribus alijs per Angliam laborantibus opitulari, ſervire, omni officio proſequi, periculis eorum causâ caput obijcere; donec tandem eâ occaſione carceres & vincula expertus eſt. Contigit ſiquidem magno Juvenis incommodo, P. Gerardum è carcere Klinkio, ubi ejus quotidie divino frui licebat alloquio, transferri in Turrim, ubi cùm nulla ejus conveniendi ſpes affulgeret, quod unum licebat, proſpectu ſaltèm

tem mutuo orbitatem illam conſolari poſſe confidebat. Expiſcatus ergo quâ inter alias Caſtri illius Turri clauderetur, ad eam Tameſis præterfluentis ripam quotidie inambulare cœpit, quæ in ejus feneſtræ conſpectu erat; eò uſque, quoad Pater ſive fortuitò, ſive auræ captandæ gratiâ, poſtmodum verò obſervato jam agnitóque ex frequentia Page, de induſtria proſpiceret. Tum verò conſpicatus illum ſe exfeneſtra ſpectantem, aperto capite, ac ferme de genibus, quaſi aliud agens ſalutabat, nec recedebat, donec capitis inclinatione viciſſim ſalutantem, & ſacro Crucis ſigno bene fauſtéque precantem ſibi Gerardum advertiſſet. Quod officium cùm iteraret quotidianus, & jam importunus utriuſq; periculo ſalutator; cautior illo Gerardus, utpote inſidiarum experientior, impoſterum devitaturus erat: nisì vidiſſet fruſtra ſe inambulanti feneſtram claudere, duranti in loco ad ſeram veſperam, atq; apertioris ſuſpicionis obſervatoribus anſam præbenti. Qui demum longo tempore eodem loci conſtanter inambulantem conſpicati, neque ullam tot inclinationum & geſtuum probabilem cauſam aſſequentes, die quodam repentè in ipſo P. Gerardi conſpectu apprehenſum, ad capitalium criminum inquiſitores deducunt. Sed cùm artibus & minis nullis, ſive ex Page, ſive Gerardo expiſcari poſſent quidpiam, quod alterutri in præjudicium cederet & noxam, vinculis tantiſper adſtrictum, acceptâ non multò pòſt mulctâ pecuniariâ, innoxium dimittunt.

Factus jam ſui juris Pages, nihil periclitationibus hiſce fractus, ſed ad grandiora tentanda magìs magíſque convaleſcens, præſidia literarum ſacrarum comparanda ſibi omni ratione ſtatuit, quorum ope ad ſacros ordines provectus, comparatior poſtliminio in Patriam & aciem rediret, juſta arma hæreſi moturus. Ergo in Belgium tranſmiſſo Oceano evadens, cùm brevi tempore utroque potitus eſſet, remenſo pelago Angliam feliciter tenuit. Ubi Divina Myſteria magnâ animi fortitudine atque induſtriâ ægris ſaniſque miniſtrando, non multò pòſt in manus Quæſitorum incidit quidem, ſed prodigiosè pene evaſit. Dies purificatæ Virgini Sacer illuxerat, cùm in domum conductitiam Patrum, cujus hoſpitam agebat cuſtodem fervens illa Anna, de qua paulò antè in P. Rogerio Filkockio recenſuimus, magno numero convenêre Catholici, Divinum Sacrificium celebraturi. Et jam ad inſtructam Aram ſacerdotali indutus apparatu P. Franciſcus conſtiterat, Miſſam inchoaturus, cùm Inquiſitores à vicinia indicio accepto domum invadunt, tam celeri furore, ut vix ſacras veſtes exuendi ſpatium haberet. Quæ ùt erant properè depoſitæ, unà cum omni ſacra ſupellectile à ſuperveniente ſatellite deprehenſæ ſunt. Pater autem, inter promiſcuum turbam ſe recepit. Verùm non fefelliſſet ſingulari ſupra vulgus modeſtiâ, & vultûs majeſtate Apparitores, nisì ijs fucum facturus quiſpiam dixiſſet, operiri collectos illic Catholicos magno deſiderio venturum Myſtam, qui jam jam venturus eſſet. Accidit interim ut fauſto eventu fores cubiculi caſu aperiret quiſpiam, per quas furtivè Pater ſe ejecit, & reducto poſt ſe oſtio, notam latebrã feſtinus ſubijt. Quem cùm nullâ deinceps Quæſitores induſtriâ vel ſagacitate poſſent deprehendere, Annam abduxêre in Cuſtodiam, gloriosâ poſtmodum pro Religione Catholicâ, unà cum P. Filkockio morte defunctam.

His aliíſq; inter mille diſcrimina præclarè in Religionis cauſa geſtis, cùm ſe P. Gerardo carceri jam erepto, & P. Garneto Provinciæ Moderatori abundè probaviſſet, in Sociorum numerum receptus eſt, propediem Belgium repetiturus, ut ibi in Tyrocinio ſui unius culturæ incumbens, in Operarium fingeretur minimè vulgarem. Sed enim aliter DEO viſum fuit, qui in militia Chriſti Tyroni & Novitio, lauream Martyrij jam decreverat, multis veteranorum longo annorum, laborum, & meritorum curſu, ſæpe fruſtra quæſitam. Redibat nocte quâdam à procuratione animarum defeſſus, cùm Muliercula paulò antè Catholica, ſed tunc ſcelerato quæſtu vitam & libertatem ſacerdotum nundinari ſolita, eum ſequitur, ità pertinaciter veſtigijs, quantumvis elabi properantis inhærens, ut improbis denique clamoribus Sacerdotem, proditorem, rebellem, hoſtem Reginæ vociferans, concurrenti multitudini proderet, & viciniæ traditum committeret; quæ ſtatim ad Popamum ſupremum Londini juris vindicem traxit, & hic Limbo teterrimo omnium, Infernóque ſimillimo ergaſtulo mancipavit. Pauculis deinde interjectis diebus, cauſa illius acta peractáque eſt nullâ prævià quæſtione, nullâ rei confeſſione, nullo Actore, nullis teſtibus, ſed ſolâ Advocati Regij accuſatione, à duodecim-viris reſ Majeſtatis læſæ pronunciatus, & à Popamo perduellium ſupplicio addictus eſt, quòd auſpicijs Romanæ Sedis extra Regnum ſuſcepto Sacerdotio, in Angliam rediviſſet.

Hanc

Hanc mortis optatæ iniquam ſententiam, tanto exuberantis animi gaudio excepit, ut peractâ à reditu in carcerem apud Henricum Floydum Sacerdotem, totius vitæ confeſſione, cùm is Divinum Sacrificium celebraſſet, Pages ſui præ gaudio minimè compos, dubitaret, num ſibi, quantumvis proximo mane morituro, celebrare poſt illud fas foret, veritus ne in ſenſus & voces lætitiæ, quamvis invitus erumperet, non ſatis condignas reverentiâ rei ſacræ. Verùm animos addente Henrico, ſupremum illud & incruentum, ante ſuum cruentum, Deo obtulit ſacrificium, tanto cœleſtium delitiarum afluxu, & quadam intimâ præguſtatione, ut nullis ex toto orbe accumulandis cruciatibus diceret ſe à Deo ſeparari poſſe. Ut tamen diſceret non hæc ſuis viribus, ſed gratuito DEI adſcribere beneficio, nec quidquam ex ſe, ſed in Deo & gratia ejus poſſe, omni repentè illo divinorum guſtu & quiete internâ deſtitutus, cœpit incredibili quodam mœrore & triſtitiâ percelli, pavore ſimul & ſtupore mentis affici, ſic, ut toto corpore obrigeſcens, in eodem perpetuò duraret obtutu, Salvatoris noſtri ſupremam in horto agoniam expertus, quâ cœpit tœdere & pavere, ac triſtari uſque ad mortem. Duravitque atrociſſima carnis & ſpiritûs in eo lucta, uſque dum propè horam ſupplicij adeſſe denunciaturus carnifex, cubiculum ingrederetur; hunc enimvero tanquam boni nuntij Angelum excipiens, eâ momento delibutus eſt cœlitus dulcedine, & ineffabilis gaudij ubertate, ut non ad ſupplicij, ſed ad nuptiarum & feſtivitatis locum progredi videretur. Et cùm infinitam præ foribus inveniſſet multitudinem, comitatum ſibi ad Tiburnum præbituram, magnâ voce & conſtantiâ conteſtari cœpit Catholicæ veritatis ſanctitatem, & ad ſalutem neceſſitatem. Móxque ſe ultroneè in vimineam traham componens, dum alligatur, & per longiſſima Londini compita raptatur, nunquam à precatione deſijt, agonem ſuum intenſiſſimâ curâ, paulò antè virium ſuarum imbecillitatem nimiùm expertus, Divinæ Pietati commendans. Solutus à crate ubi feralem currum ſublimis conſcendit, repetitâ denuo Fidei proteſtatione, ejus causâ libentiſſimè ſe corpus laniandum exponere aſſeruit, non aliâ causâ ad necem damnatum, nisi quòd Sacerdos factus in Patriam regreſſus eſſet, ad conferendam animis ad ruinam præcipitantibus, quam valeret Religioſam opem. Palàm deinde profeſſus Societatis JEſu Novitium, dum ſacroſanctum illud nomen pronunciat, ſubtracto carro hæſit pendulus, donec expiraret. Extractis viſceribus quadratim diſſectus eſt, membra ad terrorem per Urbis vicos, caput autem in ponte turris ſublimè affixum eſt, die 29. Aprilis. A. 1602.

DOMINICUS COLINUS.

MAſculi & heroici pectoris Vir Dominicus Colinus, ſive cùm Regia terrenorum Principum caſtra in Gallia & Hiſpania ſequeretur, ſive cùm immortalia ſub vexillo Crucis in Societate ſtipendia mereret, natus fuit in Hibernia claris & ſplendidis Parentibus, Vici, cui Labranche nomen eſt, Dominis: Cujus etiam avitæ Nobilitatis teſſeram, ipſo, dum ſæcularis vixit, loquebatur in agnomine, vocatus more Gentis O Calanus (mos ſiquidem eſt Hiberniæ Nobilitati O literam, prærogativæ notam, agnomini præfigere) quod ipſe humilitatis ſtudio jam Religioſus, in Colini nomen mutavit. Ætatem ſub pijſſima Catholicorum Parentum educatione adeptus maturiorem, trajecit in Galliam; & quia generoſos in juvenili pectore fervere ſpiritus perſenſit, militiam continuè ſequi decrevit: religioſâ etiam illâ perſuaſus ratione, quòd in Chriſtianiſſimis caſtris, non tam Regis, quàm Chriſti auſpicia ſequeretur. Flagrabat ſiquidem tunc domeſtico correpta incendio Francia, quod illi ſeditionum ubiq; ferax Hæreſis excitaverat; in quo contra Sectarios arma in Regnum & Religionem corripere auſos, quinquennio militavit Dominicus, unius Centuriæ cum laude fortitudinis Ductor, licèt annos non amplius 22. natus. Eo bello confecto, alium Martis Campum quæſiturus migravit in Hiſpaniam, ubi à Philippo Rege in Catholicam militiam auctoratus, & dignis ſuo genere & virtute ſtipendijs auctus eſt. Octo integros in honeſtiſſimo Claſſiarij Ducis munere exegit annos, pacificos tamen magis, quàm ullo diuturniore bello inquietos, quibus in Galleciæ Portu, Corunia nuncupato, conſiſtens, cùm hoſtis expugnandus nullus eſſet exteriùs, ipſe alium quem impugnaret internum in ſe invenit. Itaque ſtativis illis militaribus non ad quie-



Dominic, Colinus Hibernus Soc: IESU, ab Hæreticis ſuſpenſus et ſectus Corkæ in Hibernia. A. 1602. 31 Octobris.

C. Screta d. *M. K. f.*

cem, ſed ad Spiritualem pugnam uſus, creberrimæ Sacramentorum uſurpationi, quotidianam rerum Divinarum adjecit lectionem & commentationem, ex qua implacabili in ſeipſum odio accenſus, multis afflictationibus, & moleſtijs corpus edomare pergebat. Quod dum ita conſtanti pietate urgere non deſinit, cœpit uſu virtutis paulatim vitæ ſeverioris cupiditate tangi, & alio jam oculo, quàm hactenus, vitæ perennis bona intueri. Nihil illi ſublime videri & excelſum, nisi cæleſte; viles è contra haberi ſpes omnes, quas vaſtis animis oſtentat fortuna. Certus proinde jam militiam ſub Imperatore JESU ſequi, vexillum duntaxat inter tot diverſa militantium Ordinum ſigna circumſpiciebat, ſub quo nomen ſuum & ſacramentum diceret. Et invitabat quidem primò illum ad ſe Franciſcanæ Diſcalceatorum Familiæ rigor, tum etiam celebratæ Prædicatorum per Hiſpaniam diſciplinæ vigor, quòd præſertim utrique ſpiritum ejus periclitati, ultro apud ſe gradum ſacerdotalem offerrent. Verùm diu multúmque re DEO commendatâ, & momentis omnibus maturè ponderatâ, decrevit ipſe minimam Societatem JEſu complecti, inque ea minimum Coadjutorum inter Laicos gradum, tanquam Sacerdotio vel indignus, vel ineptus, conſtanter exambire.

Cùm autem Patres Compoſtellani omnes (illuc enim ad Tyrocinium cultu corporis ornatiſſimo, in Amicorum & Famulorum, pro muneris & natalium dignitate, magno comi-

comitatu advenerat) judicarent, quantumvis tricenario majorem, minimè tamen obſequijs & laboribus illi ſtatui proprijs ſuffecturum, utpote qui ſervitijs aliorum uti aſſvetus, in tot corporis & fortunæ gaudijs vixiſſet. Ipſe ut timidam de ſe opinionem, in ſingulorum ore ac vultu obſervatam, factis refelleret, necdum primam Probationem egreſſus, aut pro ſæculari cultu veſte Religioſâ donatus, cùm ſæva repentè lues Collegium illud corripuiſſet, toto bimeſtri promptiſſimam opem laborantibus exhibuit, tantóque ambitu ultima & ſordida obſequia ambivit, quanto olim dignitates & officia conſectatus eſt. Sic per omnia periclitationum genera probatam in Tyrocinio Societati vitam, poſtquam religioſis votis arctiùs illi adſtrinxit, datus eſt ſocius P. Joanni Arcero, claſſem Catholici Regis, pro defenſione Catholicorum Hyberniæ inſtructam ſecuturo. Hìc verò ille zelum ſuum in corpora æquè ac animas Claſſiariorum exerere, inſervire ægris, die noctéque omni ope inſtar mediaſtini adeſſe, hortari ad patientiam: ſanis autem ſvadere virtutem, inculcare Sacramentorum uſum, vitiorum horrorem incutere. Quibus tamen nequaquam diſtineri ſe, aut in tantum obrui patiebatur, quin mente aſſiduè cum DEO conjunctâ, veluti in ſolitudine Collegij verſaretur, omne etiam macerandi caſtigandíque ſui ſtudium, tam in Oceani curſu, quàm poſt factam in Hybernia exſcenſionem retinens, perinde quaſi nihil exteriùs laborum exantlandum foret.

Et hæ nimirum erant ſpontaneæ exercitationes, quibus ad graviſſimas ærumnas & calamitates, mox à Fidei hoſtibus ſubeundas, animum & corpus durabat. Brevì ſiquidem ab excenſione in Arce Dombugenſi interceptus, & vinculis contra omne jus gentium, & Sacramenti fidem, ab hæreticis, unus ex omnibus adſtrictus eſt. Pacti namque ſalutem omnium Arcem propugnantium fuerant obſidentes hoſtes, & fidem munitione cedentibus ſervandam, in manibus ipſiusmet Dominici, pacificatoris & internuncij, ſacramento firmaverant. Noxæ nimirum indelebili, & fidem quolibet ſacramento dejeratâ à periurij labe vindicanti erat, Jeſuitam deprehenſum eſſe. Corcam inde militari manu abducitur, manib⁹ inſtar facinoroſi revinctus, & communi reorum ergaſtulo à Momoniæ Præſide, Catholicorum hoſte in paucis acerbiſſimo, includitur. Totum in hoc exegit trimeſtre, ſpontanea vinculis adjungens jejunia, & carnis macerationes, donec ſtato Provinciæ Comitiorum tempore appetente, quibus omnes captivorum cauſæ publicè agitari ſolent, judicio & ipſe ſiſteretur. Noluit aliter in Tribunali comparere Dominicus, quàm in conſueta Societatis veſte; ut ſi quam aliam fortè à Religionis & Fidei cauſa captivitatis ſuæ rationem obtenderent, eam ipſo habitu & cultu diluëret. Monſoyus Hiberniæ Prorex & Comitiorum Caput, magnis eum pollicitationibus ad Reginæ ſequendam militiam, partem exercitûs illi cum poteſtate Ducis regendam offerens, pellicere conatus eſt; mortem è contra, & diriſſima tormenta minatus, ſi in propoſito conſtans, Religionem cum Fide ejurare detrectaret. Accedebant domeſticorum & cognatorum deprecationes & invitamenta, vellet ſui ſuorúmque miſereri, & tempori ſervire, nec pertinaciter ſibi exitium, & illuſtriſſimæ Familiæ infamiam accerſeret. Poſſe illum ſecretò Fidem Catholicam in animo ſervare, & exteriori dumtaxat ſimulatione ad tempus libidini Reginæ parere. Verùm ſtetit infractus ad minas & blanditias Dominicus, & utroſque pari conſtantiâ reijciens, negavit ſe in cauſa tam nefaria poſſe conſilijs & mandatis eorum acquieſcere; excogitarent ſupplicia quæ vellent, inferrent tormenta quæ atrociſſima poſſent, nihil tam immane intentaturos, quod non DEI cauſâ toleraturus ſit. Nec alium ſe in factis exhibuit, quàm dictis prætulerat. acceptâ enim mortis ſententiâ, ut perduellium morte Fidei conſtantiam lueret, plenus hilaritatis in carcerem redijt, tempus reſolutionis ſuæ cum gaudio præſtolans.

Non tulit hæc viri Deo pleni ſolatia crudelis Momoyus; & ut dies ſupplicio prævios dolorum plenos efficeret, juſſit eum barbarâ immanitate, contra omne jus faſque torqueri. Cujus diriſſimos cruciatus cùm in delicijs etiam ipſe reponeret, & veluti præcipuos Cœli favores in gratijs haberet, in furorem ſcilicet & rabiem acti hæretici, tempus mortis accelerârunt. Ultimâ namque Octobris A. 1602. eluceſcente, nullâ habitâ diei reverentiâ, quòd Dominica eſſet, manibus à tergo revinctis, & laqueo in collum injecto, ad furcas educunt; qui in exitu illo Civitatis probroſam Chriſti ab Hieroſolyma eductionem contemplatus, ut dignè improperium Chriſti portaret, maximâ modeſtiâ, oculis in Cœlum, animo in DEUM ſemper erecto inceſſit, crucem ſuam eminus magnâ affectûs teneritudine ſalutans; cui factus vicinus, pronus in genua procubuit, dulciſſiméque

méque patibulum exoſculatus, agonem ſuum D E O ardenter commendavit. Tum Martyrum omnium Exemplar imitaturus, precibus aliquamdiu pro hoſtibus ſuis, pro Regina, pro ſalute Patriæ fuſis, magnâ alacritate, & immoti vultûs conſtantiâ ſcalas conſcendit. In harum ſummis gradibus conſiſtens, velut è ſublimi pulpito (erat enim cultu Societatis ordinario indutus) cœpit ardenter ſi unquam aliàs, Catholicos hortari, ut fidem conſtanter ad mortem ſervarent, Reginæ minas, blanditias, Miniſtrorum furorem, hæreticorum fraudes caverent. *Suſpicite*, inquiens ad extremum, *in cœlum, & quam veſtri majores Fidem conſtantiſſimè profeſſi ſunt, vos etiam nequaquam degenerès tuemini, pro qua vindicanda mortem, ùt videtis, ego nunc oppeto.* Et erant hæc ſuprema Dominici verba ad firmandos Catholicorum animos robuſtiſſima, cujus à generis claritate, & ſublimis fortunæ contemptu notiſſimi auctoritas, tam conſtanter eo loci & articuli aſſerta, fulminis inſtar mentes Acatholicorum etiam percellebat. Quod animadvertentes Miniſtri, nè commotos jam multitudinis animos in hæreſi labefactaret, præcipitari de ſcalis illum præcipiunt. Neque diu in furca pependit, cùm palpitanti etiam ac ſpiranti, in pœnam ſcilicet tam conſtanter aſſertæ Religionis, pectus carnifex diſſecuit, & direptis præcordijs elatum cor populo oſtentans, ſolenne illud *Vivat Regina* proclamavit: cujus auſpicijs poſtrema ipſe ex Hybernis DEO cadens victima, tot innocentum ſangvinis ream ad DEI Tibunal anteceſſit. Corpus dilaniatum Catholici nocte inſequente magnâ pietate collegerunt, & in Sacello, non procul à loco ubi paſſus fuit diſſito, terræ mandârunt.

EMMANUEL NERI.

MAgnis motibus, & turbulentiſſimis caſibus vexata, ſi quæ alia, fuit nobilis illa Hungariæ portio, Tranſylvania, ex quo domeſticum hæreſi præbuit hoſpitium. Varijs namq; viciſſitudinibus conflictata, modò hunc, modò illum patiebatur Dominum, Tyrannos etiam in quibuſdam erudeliſſimos experta, qui Turcarum & Tartarorum auxilijs oppreſſam, direptionibus & vaſtationi immaniter exponebant. Reſpirabat quidem illa nonnihil, & in priſtinam attolli ſortem videbatur ſub Principatu Sigiſmundi Bathorei, trophæis ex Turca relatis celebratiſſimi, niſi progreſſus ſecundos infami parricidio turbâſſet Hæreſis, quæ Catholico Principi phyltrum miſcuit, animi ſimul & corporis robur ità depaſcens, ut gubernandæ impar Provinciæ, faſces illius ſpontaneâ deditione Rudolpho II. Cæſari, certis conditionibus conceſſerit. Et verò optatiſſima bonis omnibus videbatur hæc in Domum Auſtriacam Tranſylvaniæ devolutio, cujus pijſſimis conatibus certa ſpes erat ab Hæreſum immenſa colluvie purgatam, ad Catholicæ Fidei puritatem reductum iri. Jamque Cæſaris auſpicijs Societate eò reductâ, Regio ſplendore & liberalitate Claudiopoli Collegium ipſi erectum ſtabat, Socijs undiq; ad utilem Provinciæ navandam operam eò confluentibus. Hos inter ſubmiſſus fuit Romano ex Tyrocinio, necdum Religioſis votis adſtrictus Emmanuel Neri, alijs Niger dictus, juvenis ætate minimè grandi, magnâ tamen & adultâ virtute. Qui Provinciâ montibus Jtaliæ Alpinis adſitâ (Pedemontium hodie dicitur) oriundus, juvenilem ætatem optimis moribus exegit, quos ne ſæculi vitia quandoq; corrumperent, Sanctis virtutum in Societate JEſu Regulis eos excolere & perficere conſtituit. Receptus eſt in eam Romæ Anno 1601. ætatis 26. ipſo feſto Purificatæ Virginis, adſcriptus numero Coadjutorum temporalium: in quorum proprijs virtutibus ut ſe quàm maximè Deo & Religioni probaret, ſacræ rudimenta militiæ potiſſimùm in ſui deſpicientia, & Chriſtiana Humilitate poſuit. Et cùm Obedientiæ, virtutum aliarum in Societate Reginæ, tribueret plurimùm, nihilq; niſi ex nutu & præſcripto illius faceret, in ijs tamen obſequium præſtabat propenſius, quæ ſenſui magis adverſa, plus vilitatis & abjectionis continerent. Accedebat magna Divinæ Majeſtatis æſtimatio, & ex illa prorumpens Divinæ charitatis ardor; cujus majorem vim cùm ſciret non poſſe exeri, quàm ſi animam ſuam pro DEO poneret, ingenti cœpit flagrare fundendi pro DEO ſangvinis deſiderio.

Accidit percommodè tunc, ut domeſtico Adjutore opus haberent Claudiopolitani ſocij,



Emmanuel Neri Italus Soc: IESV, odio Fidei Catholicæ ab Arianis trucidatus Claudiopoli in Tranſilvania. A. 1603. 9. Iun.

C. Screta d. *M. K. f.*

ſocij, eúmq; Jtalo fortè ſermone magìs etiam profuturum, abs Roma peterent; quem cùm accuratè circumſpicerent Patres, ut ejuſmodi Virum in Provinciam periculi plenam, & incurſionibus Turcarum Tartarorúmque famoſam mitterent, cujus firmatæ virtuti tutò confidi poſſet, non alium delegerunt quàm Emmanuelem, æquabili ſemper in virtutum ſtudio conſtantiâ conſpicuum. Appulit eò in ſummo periculorum æſtu, quando nimirum infeſtis armis Tranſylvaniam ſceptris Auſtriacis eripere injuſti invaſores maximè laborabant; quorum primus Michaël Weyvoda ferro flammíſque omnia devaſtans, feliciter profligatus eſt, fuſis univerſis copijs à Georgio Baſta, Catholicarum copiarum Duce, etiam vitâ exutus. Succeſſit mox peſtis alia longè pernicioſior, Moyſes Szekely, ſectâ Arrianus, qui Turcicis Scythicíſque armis inſtructus anno 1603. irrumpens, ejuſdem ſecum farinæ Hæreticos Claudiopolis incolas corrupit, ut Urbem ſibi deditione cederent. Præcipua inter deditionis pacta conditio erat, ut Collegium civium poteſtati permitteretur, cujus diripiendi, vaſtandi, evertendi, Patres exturbandi, necandi, jus & fas penes illos unicè foret. Patuit tunc quàm maximè, quos inter cives & vicinos, Vrbem ſocij incolerent. Hâc enim 9. Junij hoſtibus deditâ, direptum civicâ manu Collegium, dirutum Templum, Gymnaſium Regio exſtructum opere vaſtatum, Patrum alij pulſi, alij vulneribus, Emmanuel etiam morte, confecti. Ductor ſacrilegæ manûs Superintendens Claudiopoli Arrianorum fuit, quem ſecuti Hæreſum diverſi miniſtri, &

ſcholarum rectores, direptis Collegij Templique rebus omnibus, ut oſtenderent, in quos potiſſimùm bellum gererent, in glorioſiſſimum Reginæ Cœlorum Nomen maledicta conferre, ejus, Divorúmque ceterorum ſtatuas obtruncare, & ſacra omnia profanare inſtiterunt; ipſum ſacroſanctum Domini Corpus, ne quid impietati reliqvum eſſet, violato ſacrario in terram effundentes, ut pedibus omnium proculcatum obtereretur. Movit ea res tam immani ſacrilegio tentata zelum, & laudabilem iram in Emmanuele, qui facinus intolerandum ratus, ter venerandam Euchariſtiam, quam ipſe tanto ſtudio & reverentiâ, Sacriſtæ munere unà cum Valetudinarij officio fungens, obſervâſſet, ſceleſtiſſimorum hominum calcib⁹ proteri; verbis acriter invectus eſt, & atrox facinus, quod unum poterat, magno zelo exprobavit. Verùm hi in importunum ſceleris ſui objurgatorem converſi, pugnis, calcibus, & fuſtibus irruunt, impactâque capiti ſecuri primùm proſternunt, tum ſclopo trajectum penitus interimunt. In reliquos deinde ſocios lymphatus bacchantium, citra mortem tamen deſævit furor. Georgio Bartolichio dirâ verberatione duæ coſtæ confractæ, Patri Petro Majorio cruentæ plagæ impoſitæ, omnes, etiam ægritudine lecto affixi, civitate ejecti, & Scytharum Turcarúmque feritati expoſiti ſunt.

EDUARDUS OLDCORNUS.

SUblatâ è vivis Eliſabethâ Anno 1602. maxima ſpes Eccleſiam Anglicanam meliorum inceſſit, præſertim ubi præconum vocibus ſucceſſorem in Regno deſignatum eſſe percrebuit, Jacobum Scotiæ Regem. Quid enim non ſibi pollicerentur à Mariæ Stuartæ Filio, in Catholica Religione tam conſtantis, ut illius tuendæ causâ caput tandem ferro carnificis ſubjecerit? Expectabant ergo ſi non ejuſdem Fidei profeſſionem, venerationem ſaltem aliquam, & favorem Maternæ Religionis, benevolentiam & indulgentiam in Catholicos, ut qui jacturâ bonorum & vitæ, ſecuti eſſent Matris partes. Quomodo enim crederent Anglicanam Puritanorum Religionem propagaturum, cujus Caput Eliſabetha Matri vitam eripuerat, ejuſdémq; Hæreſis Aſſeclæ, Parentem Regem immani Parricidio ſuſtulerant? cùm è contrà Catholici, omni ſemper obſequio & obſervatione fidem in Regem conſervâſſent: ipſo adeò Rege plurimum hoc nomine Clementi 8. ſe debere profitente, qui peculiaribus literis Catholicos ad fidem & obedientiam illi, tanquam legitimo Regi continuandam, incitâſſet. Firmabant eam Catholicorum ſpem principiò magnifica quædam indicia, Regis ipſius pollicitatio, pari loco apud ſe futuros Catholicos, ùt ceteros Angliæ ſubditos: Religionis & conſcientiæ nomine, ne obolum quidem paſſurum exigi; *quin per me*, dicebat, *vel inde jam fas eſto cuivis habere domi Sacerdotem, dum ne publicè ſacra fiant, adéſque privatorum in Templa convertantur.* Captivi etiam Sacerdotes omnes, qui magno numero in varijs ergaſtulis tot annos, veluti ſepulti, pene computruerant, morte Reginæ ſuſcitati, & Senatûs conſulto, eâ lege, ut ſimul Angliâ exirent, dimiſſi ſunt. Inter quos P. Guilielmus Weſtonus fuit, 17. totos annos diverſis carceribus, & per ultimum quadriennium Inferno potiùs quàm ergaſtulo ſubterraneo concluſus, in quo, toto illo ſpatio faciem hominis non vidit, niſi Avernalium ſpectrorum, à quibus atrociſſimè ſæpius vapulans, tantis cæci illius ſpecûs, in quem totius carceris ſordes confluebant, afficiebatur ærumnis, ut oculis & viribus, & tantùm non mente captus inde prodierit; aſſeverans, quidquid in univerſa vita paſſus eſſet morborum, dolorum, & moleſtiarum, diei unius & noctis ærumnas, in quadriennali illo carcere exactas, æquare non poſſe. Verùm eò inanes Catholicorum expectationes evaſerunt, ut ab inauguratione Regis in eas repentè clades projectos ſe ſentirent, in quibus crudelem & ſævam Eliſabethæ memoriam ſuſpirarent, ejúſque ferrea tempora, præ ijs quibus modò arctabantur, aurea nominarent. Rex ſiquidem novus dulci illo fraudibus Aulicorum veneno ineſcatus, ut non humanâ ſolùm, ſed Divinâ etiam ſacráque poteſtate, ſupremum Caput in Regno adoraretur, ſtatuerat, Catholicos, hoc ſolo quòd Catholici forent, proditores eſſe, reóſque Majeſtatis in primo capite, ut qui Regi ereptum Regni dimidium, Papæ tribuerent. Quare utì primis Eccleſiæ perſecutionibus hoc unum quærebatur, eſſétne quis, an non Chriſtianus, eráṭq; ſatìs ad rogum & beſtias confeſſio nominis, non examinatio criminis, ſic Angli Catholici ſolâ una

PEduardus Oldcornus Anglus Soc: IESV, poſt atroces torturas, et in equu-leo diſtenſiones, odio Religionis Catholicæ ſuſpenſus et diſſectus in Anglia Vigorniæ. A. 1606. 17. Aprilis.

unâ profeſſione ſuæ fidei proditionem confiteri cenſebantur

Quibus calamitatibus ereptâ Catholicis æternùm ſpe omnis fortunæ mitioris, ad deſperata & cruenta remedia ſpectare inconſultâ perfidiâ cæperunt Nobiliorum quidam, duce Catesbyo, qui conſpiratione cum duodecim alijs primariæ Nobilitatis initâ (quæ ex cuniculo igniariæ machinationis, in quam erat deſitura, pulverariæ nomen accepit) extremum tollendo malo perſuaſit adhibere medium, ut Weſtmonaſterienſi Palatio, ubi Parlamentum cogendum erat, ſubjecto cuniculo, omnes Hæreticæ Angliæ Proceres, unà cùm Rege & Principibus Filijs, in auras & fumum eijcerent. In cujus ſceleris conſilium cùm nullum Sacerdotem, omnia ſcilicet contraria ſuaſurum, ad legiſſent, Machabæos idcirco ſeſe appellabant, quos Sacerdotibus excluſis legiſſet olim D E U S, ad vindicandam populi fidelis libertatem armis, quæ ſola tunc aliquid poterant, ſola ſupererant. Jamque dies exequendæ machinationi deſtinatus aderat, & totius Regni Proceres, Epiſcopi, ſummáque Regni Capita Londinum convenerant, cùm inopinatò patefactâ conjuratione, authores intercipiuntur, & crimen ultro liberaliter faſſi, tormentis tamen diriſſimis ſubijciuntur, ut Jeſuitas conſcios, imò primos infandæ conſpirationis authores fuiſſe confiteantur. Quod cùm conſtanter pernegarent & inficiarentur, tam in eqvuleo, quàm in patibulo omnes, & magno dolore,

ac la-

ac lachrimabili purgatione ſub furca revocaret Thomas Bateſyus, unius è Conjuratis famulus, eò quòd promiſſionibus ſervandæ vitæ inductus, tormentorúmque impatiens, P. Henricum Garnetum, cum duobus è Societate Sacerdotibus, criminis conſcios feciſſet; nihilominus implacabilis in JEſuitas explicandi odij hanc cauſam nacti Regij, tres illos pulverariæ conſpirationis authores, adeóque Perduellionis reos promulgant. Toto igitur Regno ſagaciſſimâ indagatione perquiruntur, quorum duobus Angliâ elapſis, Garnetus cum Eduardo Oldcorneo, Nobilis Catholici proditione deprehenſus, Londinum in vincula adducitur.

Erat Oldcornus Eboracenſi Provinciâ in Anglia natus, à Catholicis Parentibus, poſt exactam in levioribus literis primam ætatem, ad Rhemenſe Anglorum Seminarium, ac tum ad Romanum tranſmiſſus, ubi inter ardentiſſima Societatis ineundæ deſideria, ſex annos in Philoſophîa & Theologia exegit, in omnem interim virtutem, & eorum, quæ à Tyronibus noſtris fieri obſervabat, imitationem intentus, donec tandem in eorundem numerum, jam Sacerdotio initiatus, admitteretur Anno 1588. Et quia jam tum firmatæ in aſpera quæq; habebatur virtutis, eodem ſimul die mittitur à Generali Aquaviva in Angliam, unà cum Patre Joanne Gerardio, paris Virtutis ſocio, prima ponendo Tyrocinio ſtipendia, inter Martyrum exercitationes poſiturus. Periculosâ navigatione defuncti, in deſertum ſeptentrionalis Angliæ portum à Navarcho nocte exponuntur, quam perfrigidam, pluviam, cæcamque experti, naſcente die ab invicem, ut magìs lateant, neq; uterq; ſimul in hoſtium poteſtatem deveniant, digrediuntur, diverſis itineribus interiora Regni petituri. Tenebantur tunc non ſolùm Urbes omnes, portus, & oppida ſuſpicaciſſimis cuſtodijs, ſed & ſilvarum deſerta ac avia, pagorum & villarum aditus his ſepti erant, ubi in omnes alicunde advenas intenti miniſtri, ſuſpicioſiſſimo ignotos quoſvis ſubijciebant examini, aſtúq; omni & arte, an Catholici, hoc eſt proditores & hoſtes eſſent, inquirebant. Horum inſidias devitaturus Oldcornus, cùm jam aliquantùm in mediterranea per cœcos ſylvarum calles progreſſi eſſent, fauſto conſilio ſilvâ erumpens, ad mare regredi conſtituit, quaſi ex mediterraneis Regni pridem domeſticus Angliæ incola veniret, & navim mari Londinum trajecturus inquireret. Et juvit pium dolum Divina Providentia. namque portui appropinquans, advertit navigium quodpiam Londinum vela explicare, cujus ingreſſum præcipiti curſu, & nutibus liberè poſtulans, receptus eſt abſque omni ſuſpicione, velut civis domeſticus, qui pridem navigium, & occaſionem traijciendi præſtolatus fuiſſet. Atque hâc arte ſecurus loca omnia pervadens; tanquam unus foret ex nautis, & pridem Regni incola, Londinum admiſſus eſt. Ubi continuè operam omnem in ſalutem & animarum queſtum, ſub directione Henrici Garneti impendit, ad ardua quælibet, & expeditu difficillima adhiberi ſolitus, quòd indolis fervidæ, ad intricatiſſima quæque perrumpenda, præſens ingenium, & ſanctè pertinacem induſtriam afferret.

Erat inter reliquas Dorothea nobilis fœmina, Eliſabethæ Aulam à prima ætate in Gyneceo ſecuta, ejuſdémque Hæreſi innutrita; ad quam ſecuriùs conſervandam, Palatio Catholici Fratris, ſed tunc Fidei nomine carcere detenti, ſe incluſit, diurnis nocturníſq; cuſtodijs arctè aditus omnes ſepiens, ut ne acceſſus ullus propior Catholico, nedum Sacerdoti permitteretur. Ad hanc plurim Medicorum artibus fruſtra ſæpius tentatam, & præcipuam toto orbe, propriâ ſuâ opinione Theologam, Oldcornium etiam mittere Garnettus ſtatuit, experturum, ecquid è ſaxo duriſſimo exprimi poſſet olei. Sed hæc, rationum momenta, Patrum & Scripturæ teſtimonia, ingenio, quo egregio pollebat, eludens ſi poſſet, ſin autem, pertinaciam in errore, & arrogantiam fœmineam urgenti objiciens, omnem illius, utì aliorum præcedentium fefellit operam. Ergo nihil his artibus proficere ſe videns, in oratione & jejunio pertinax dæmonium expugnare aggreditur, tamdiu noctes & dies oratione, menſas jejunio tranſigere certus, donec manus veritati convicta daret. Spectavit eum Dorothea ſuæ menſæ convivam, uno & altero die integrè jejunantem, tertióque idem continuantem vehementer mirata eſt; donec quartâ diei inediâ expugnata, & jam mirè humilis, docilis, & modeſta, bidui explanatione de omnibus quæ dubitabat inſtructa, genibus Patris advoluta eſt: cujus exemplum familia omnis ſecuta, totis deinde 16. annis eum inſtar Angeli domi ſuæ habuit, magno vicinorum, & totius illius Worceſtrienſis Comitatûs emolumento, cujus ipſe habebatur Apoſtolus, uſurpantibus de illo, quod de S. Joanne Hieronymus, Catholicis: *Omnes illas fundavit, rexítque Eccleſias.* Exinde Palatium illud tanto cœpit ſacrorum,

conci-

conjonum, confitentium uſu indies frequentari, ut facilè majus Collegium noſtrorum inter Catholicos putâſſes: ità omnibus aderat ùt Pater, nulli operam ſuam, laborem, in ſpiritu & corpore auxilium ſubtrahens. Inter quæ jejunijs, cilicio, flagris, vigilijs, pene immaniter, & juſto ampliùs in ſe deſæviens, nimiâ contentione venam pectoris rupit, nec unquam ſatis deinde curato malo, copioſum ſanguinem conſtanter effudit. Acceſſit ad extremum corporis debilitatem, quâ vix pedibus quandoque inſiſtere potis erat, pertinaciter adhærens palato malum, gangrænæ perſimile, quod cùm nulla vis medica abrumpere poſſet, ad S. Wenefridam Virginem recurrit. Celebris illic in Walliæ tractu ſanctæ Martyri ſacer habetur fonticulus, eo ipſo loci, ubi caput Virginis reſectum deciderat, prorumpens, ad quem ſuſceptâ peregrinatione Pater dum tendit, & peracto in Divæ honorem Miſſæ Sacrificio magnâ fiduciâ opem implorat, repentè ſublato omni malo integrè convaleſcit, non alio uſus remedio, quàm lapilli ſanguineis maculis notati (quales meros fonticulus ille vehit) ad inſanabile ulcus applicatione. Quam ipſe reparatam cælitus ſanitatem ità integrè deinceps DEI obſequio, & animarum ſaluti conſecravit, ut geſtorum ejus famâ longè latéque divagante, magnopere perculſi Miniſtri, omni ſtudio libertati ejus inſidias ſtruerent, neutiquam indagines periculoſas evaſuro, nisì manibus ſanguinarijs ereptum, miris modis DEus liberâſſet.

Accidit aliquando, ut Apparitores famoſum graſſatorem inſecuti, Oldcornium nocte iter agentem cum viæ comitibus, qui totidem erant Sacerdotes, interciperent, & Judicis Tribunali ſiſterēt. Qui dum quærere cæpiſſet, *quis? cur ijs in locis, & de nocte? quo comitatu? & cur tanto? iter ſuſcepiſſet*; ecce tibi improviſus ſenex, quis, vel unde fuiſſet, reſciri nunquam potuit, repentè adſtitit, tam appoſitè cauſam Patris tuitus, ut nullâ de reliquo exploratione Judex adhibitâ, liberos omnes dimitteret; cùm tamen Pater Altaris ſupellectilem, & comitum quiſque Breviarium ſecum haberent. Aliàs Bromleius ſuperatis Palatij Dorotheæ muris, apparitores quàm plurimos per hortum immiſerat; qui Oldcornum in horto ſibi obvium ſalutantes dum prætereunt, ille domum eos ſecutus, ſe condit in latebras. Quæſitus diu nec inventus, ſuſpicionem movit, ne is ipſe in horto ſalutatus eſſet, cùm præſertim inter domeſticos non conſpiceretur. Verùm fugâ elapſum perſuaſit caballus ſtabulo abſens, quem paulò antè ibidem conſpexerant; itáq; ad omittendam fruſtra per latebras Patris inquiſitionem induxit. His digreſſis equus in prato inventus eſt, inſcijs omnibus, qualiter nemine ſolvente vel notante, ſtabulo domóq; totâ exiens, ad paſtum prodijſſet, ideóq; rem prodigio adſcribentibus. Iterum aliàs cinctum ſe indagine habere Patrem intra aliquam Palatij latebram certi milites, tres dies & noctes inquirebant, plus 20. locis perfoſſo pariete. Jámq; deprehenſâ, quâ crus religabat, faſciâ, non procul illum recondi ſuſpicantes, illummet quo latebat murum quatiebant; quorum ictibus ipſe ſignum Crucis ex adverſo objiciens, ità lapidem portentosè duravit, ut cùm nullo recuſſu inſtar adamantis ſonaret, nullam ibi ſubeſſe latebram ratus Bromlejus, infectâ re, triduanum Patri jejunium ſuo diſceſſu ſolverit.

Tandem ubi Divinæ libuit Majeſtati emeritum ſervum poſt 18. annos Angliæ impenſos, ad Coronam evocare, in eodem campeſtri Abingtonorum Nobilium Palatio, unà cum P. Henrico Garnetto hâc ratione tentus eſt. Claudebatur carcere Londini Henricus Littletonus Nobilis Catholicus, reus auxilij armato Catisbyo, conjurationis pulverariæ authori, præſtiti; is ubi inaudiſſet de tribus è Societate, Garnetto, Gerardo, & Greenvago, edicto Regio proſcriptis, acriter cœpit promiſſis tentari, quibus ad eos indicandos proditores invitabantur. Memor itaq; Patris Oldcornei, cui paulò antè in Palatio Abingtoni ad aram facienti & concionanti adfuerat, cogitavit illic fortè aliquem ex proſcriptis cum Patre Oldcorneo ſe abdere, cujus indicio poſſet ipſe vitam à Senatu Regio redimere. Itaq; indicio accepto Senatus, rem exequendam Bromleyo demandat, qui ducentis equitibus domum repentè cingens, dum portam majorem quatit, Oldcorneus interim & Garnettus latebris ſe condunt, diverſas duas ſubeuntibus eorum famulis, Nicolao Ovenio, & Rudolpho Aſſeyo. Expertus jam antè erat iteratò Bromleyus, fruſtra ſe in latebris veſtigandis inſudâſſe; aliâ proinde viâ elicere abditos ſacerdotes conſtituit, acceptisq; à loci Domina clavibus omnibus, ſcalas omnes, portas, conclavia, porticus, aulas, excubijs complevit, donec ultima fames & neceſſitas latentes cogeret erepere. Et Patres quidem deliberatum habebant intus inediâ emori, ne egreſſu proditi, in eaſdem ſecum perduellium pœnas totam nobilem traherent Familiam. At famuli

muli eorum toleratâ ſeptem integris diebus ſævâ fame, mortem Patribus ab eadem metuentes, foràs prodeunt, rati videlicet ſe pro ſacerdotibus tentos, malum ab eorum capitibus in ſe averſuros. At Bromleyus Oldcorneum de facie pridem notum habens, decipi non poterat; ideóq; alios 5. dies veſtigationi pertinaciſſimæ impendens, tandem ad latebram utriuſq; pervenit. Vinctum utrumq; unà cum Abingtono Worceſtrum ſive Vigorniam, ſed inde exploratâ jam utriuſq; virtute, & excelſo animo, honeſto comitatu liberaliter habitos, Londinum deducit, carceri mancipandos.

Tria fuêre Oldcorneo objecta, propter quæ capitis poſtulabatur; nullius tamen teſtis, uno excepto proditore Littletono, fide probatâ, qui tamen ſpe vitæ, quâ inductus in proditionem fuerat, dejectus, faſſus eſt in loco ſupplicij, ſe accuſationes adulteraſſe, & innocenti Patri crimina affinxiſſe. 1. Quòd P. Henricum perduellionis à Rege damnatum, ad latebras Abingtonij invitâſſet. 2. Quòd duobus conjurationis pulverariæ ſocijs receptum in Provincia Hexfordienſi per literas ſollicitâſſet, adeóq; ejuſdem cum ijs pœnæ reum ſe feciſſet. 3. Quòd Catesbeij tentatum facinus, licèt eventu deſtitutum, ût bonum factum, approbaviſſet. Quæ cùm Oldcorneus nullo negotio diluiſſet, invitatum ad ſuas latebras Garnettum non inficiabatur, uno tamen & dimidio menſe antè, quàm à Rege proſcriberetur. Quòd ſi ejuſdem occultatio crimini ſibi imputaretur, libenter ſe eâ causâ vitam & ſanguinem cum innocente daturum. Quinquies nihilominus poſthæc diriſſimè tortus eſt, & quidem vice quâlibet in quinque horas continuato eqvulei cruciatu, ut animo & mente linqueretur, nec poſſet deinceps manu vel digitis, tormenti acerbitate diſſolutis, uti. Quare ubi ad ſubſcribendam cauſam chyrographo ejus opus fuit, adſtrictum inter emortuos digitos calamum, arreptâ illius manu Wadeus ducere debuit. Worceſtrum poſt hæc remiſſus eſt, ut Urbe notâ, ad terrorem vicinæ Catholicæ à ſe excultæ, cum famulo Rudolpho, Abingtono Comite ſuo hoſpite, Wintero conjurationis reo, & Littletono proditore, ſupplicio plecteretur. Productus in judicium, quantumlibet falſò delata in illum crimina publicè denuo revocaret Littletonus, & perfidiam deteſtaretur, damnatus nihilominus cum ceteris à duodecimviris eſt, & in carcerem reductus. Detinebatur carcere eodem in craſtinum cum Patre ſupplicio mactandus juvenis facinoroſus, & ſcelerum omnium profligatiſſimus, qui Patris, & duorum Catholicorum ad mortem magnâ animi devotione, compunctione, & erratorum deteſtatione, ſe comparantium ſolicitudinem deridens, carcerem jocularì licentiâ cantillans obibat, cúmque obvijs luſitans, diem illum vitæ poſtremum nugando tranſigebat. Hunc nempe conſcientiæ ſtuporem in Calvini fide didicerat, Salvatorem per infinita redemptionis merita ità apud DEUM cumulatè nomina noſtra exoluiſſe, ut velle de noſtro aliquid ad obtinendam veniam peccatorum addere, crimen eſſet ſacrilegij & infidelitatis. Cui ſtultam fiduciam tam efficaciter exprobravit, & fidem Catholicam perſuaſit Pater, ut eâdem ſupremâ nocte generalem totius vitæ enarrationem inſtituens, multis lachrimis peccata defleverit, & obeundæ morti religioſiſſimè ſe comparârit.

Advenit demum deſignatus ſupplicio dies. 7. April. quo in crate viminea extenſus & alligatus Pater, viâ luto infectiſſimâ raptabatur, oculis in cœlum perpetuò defixis, cùm illi ab eo quem Chriſto lucrifecerat latrone, egregium acceſſit decus. Sequebatur ille cum duobus patibulo addictis pedes, verùm ad vitandum lutum ſemitâ domibus vicinâ: cùm repentè à ſocijs & apparitoribus divulſus, in medium deſilit lutū, cratem raptati Oldcornei proximè ſequens. Cúmq; ad ſicciorem callem revocaretur, *ſinite me*, reſpondit, *quàm poſſum proximè Patrem meum ſequi, qui in vitam æternam me genuit.* Exprobrantibus autem vetera ſibi ſcelera; *ſceleſtum me*, inquit, *fuiſſe non nego, ſed dum veſtræ Religionis fui; at nunc DEI & Patris gratiâ Catholicus, ſummè doleo talia patrâſſe.* Ad furcas ubi ventum eſt, ſublatum omnium primò Winterum Cateſbij in conjuratione ſocium, ſequebatur Littletonus; qui denuo coram omni multitudine deteſtatus ſcelus, veniam proditionis, & falsò affícti criminis, ab Oldcorneo ultimis precibus flagitavit. Sequebatur hos Oldcorneus, ad cujus ſcalas aſcendentis pedes affuſus Rodulphus, eos magno affectu oſculari cœpit, beatum ſe illius viventis famulatu, & nunc morientis ſocietate, voce magnâ proclamans. Ille DEUM pro ſe, hoſtibus, & Rege, ardenter precatus, teſtem DEUM appellavit, nullâ aliâ ſe causâ damnatum, quàm Religionis in Anglia propagatæ, & Garnetti hoſpitio recepti, multò antè quàm id eſſet à Rege vetitum; ceterùm conſpirationis pulverariæ ſe notitiam ullam habuiſſe,

buiſſe, juramento negavit. Tandem ſpiritum DEO, DEIparæ, DiviſqueCommendans, corpus carnifici permiſit; qui gradu dejectum, ubi aliquamdiu pependiſſet, vivum ſpirantémque ferro laceravit, uſitato in proditorum ſupplicijs more, anno 1606. Occiſi innocentiam ſingulari prodigio ornare voluit DEus. Defoſsa namque humo illius exuſta vitalia, ignem vivum & flammas dies 17. emiſêre, licèt copiosè cœlum plueret, & ſatellites affusâ multâ aquâ extinguere illum conarentur. Sed & locum, ubi in vincula conjectus cum Patre Garnetto, & tentus fuit, alio decorare portento DEO viſum eſt. Erat intra Palatium, ubi Patres vinciri contigerat, virens area, vario herbarum genere floreſcens; in hujus medio enata eſt viridis, Imperatoriæ inſtar Coronæ herba, perfectæ rotunditatis, foliorum tamen genere, colore, figurâ & magnitudine, penitus ab herbis alijs diverſa. Et ut miraculo ſimilior res evaderet, necato cum Patribus Palatij Domino Abingtono, cùm portæ areæ diſjectæ, multos menſes omnis generis pecora in deſertam aream intromitterent, hæc alias herbas depaſta, unam illam neque protritam pedibus, neque ore violatam ullius, indemnem reliquerunt. Verùm cui bruta pepercerant, brutalis non pepercit hæreticorum perfidia: invidens namque hoc innocentiæ ſervis DEI coronamentum, herbam humotenus reſecuit, quæ tamen novâ rurſus mirabilitate paulò pòſt in eandem, ſed priore formoſiorem & lætiorem formam germinavit.

P. HENRICUS GARNETUS.

ILluſtris penitus, & undequaque non ſolùm per Angliæ Regnum, ſed & toto Chriſtiano Orbe, celebrata fuit mors Henrici Garneti, odio Sacerdotalis & JEſuitici nominis, & quòd intellectam pro Sacro Pœnitentiæ Tribunali pulverariam conſpirationem non detexiſſet, ipſi illata. Patria illi fuit Notingamia, Derbyenſis in Anglia Provinciæ Urbs nobilis, Parens publicus illic literarum Profeſſor, à quo inſtillatam hæreſim mordicus per annos juveniles, ad uſq; Rhetoricæ exitum coluit, mirè Magiſtris ſuis in Collegio Winceſtrenſi, ob eximiam indolem, & præclaram in ſtudijs induſtriam, acceptus. Factus Catholicus, licèt eum miris modis certarent apud ſe retinere Stempeus & Jonſonus, & ipſi occultè Catholici Profeſſores, ſpebus tamen omnibus æternorum deſiderio calcatis, primùm in Hiſpaniam, dein Romam tranſivit; ubi in Societatem JESU cooptatus, Tyrocinium ſub magno illo vetuſtæ nobilitatis, & eximiæ ſanctitatis Viro Fabio de Fabijs; ſeveriores autem, tam humanas, quàm Divinas Diſciplinas, ſub Franciſco Suario, Roberto Bellarmino, Benedicto Pererio, Chriſtophoro Clavio abſolvit; omnibus Virtutū Religioſarum nomine maximopere æſtimatus; cujus jam defuncti innocentiam ſibi intimè perſpectam, purpurato etiam calamo, à ſcelerata Anglorum ſcriptorum infamia vindicandam ſuſcepit Bellarminus jam Cardinalis. Docuit poſtmodum & ipſe Romæ primùm linguam ſacram, Methaphyſicam, & biennio Mathematicas pro Clavio quæſtiones; cui etiam in ea ſchola ſucceſſurus Generalis deſignatione fuerat, niſi recuperata Clavio valetudo, viam ipſi in Angliam reſeràſſet. Doluit nihilominus totum Romæ Collegium, ingemuêre quotquot Viri excellentiſſimi dotes noverant; Præpoſitus ipſe Societatis univerſæ Claudius Aquaviva, in tam incertos eventus illum dimitti ponderans, urgenti miſſionem illius Perſonio, dixit: Angi ſe mirum in modum, quòd Agnum mitiſſimum ad crudele macellum iret expoſitum. Et quidem à puero cognomentum illi Agnelli apud omnes adhæſerat, ob mitiſſimam indolis lenitatem, quâ ſi quis unquam mortalium fuit benigniſſimâ, & pene prælanguidâ, ut nec poſſet ullus iræ motus vel indignationis in illum cadere, etiam tum, cùm de vitæ illius ſumma, coram injuſtiſſimo Tribunali à ſanguinarijs hoſtibus, per conficta nefariè crimina ageretur. Vitâ deinde & conſcientiâ tam fuit inculpatâ, ut præter caſtimoniam facto contrario quolibet, imò & cogitatione intaminatam, Deo teſte affirmaverit Thomas Staunneyus, ejus in Anglia per 16. ultimos vitæ annos confeſſarius, eum ad Sacrum Tribunal, nævos duntaxat minimos, & vix culpæ alicui obnoxios afferre ſolitum.

Obtentâ igitur, quam ſummis precibus toto vitæ Religioſæ flagitabat tempore, profectione Anglicanâ, menſe Julio A. 1586. in Angliam appulit; neque ullâ captâ quiete, totum ſeſe animarum lucris impendit.

P. Henricus Garnettus Anglus Soc: IESU. Religionis Catholicæ odio ſuſpenſus et ſectus Londini in Anglia. A. 1606. 3 Maij

C. Screta d. M. K. f.

Poſt biennium in privata Catholicæ rei procuratione naviter impenſum, juſſus cum ſuprema noſtris per Angliam regendis poteſtate præeſſe, onus ſinè ullo illic quidem honore, periculi & mortium feraciſſimum, magnâ fiduciâ in DEUM ſuſcepit. Nemo enim ad necem ab hæreticis quærebatur ardentiùs, nemo in perpetua latebrarum mutatione vivebat anguſtiùs, qui præter proprios caſus, omnium periculis afficiebatur, omnium moleſtijs, vinculis, ergaſtulis, mortibus affligebatur. Suſceptam Provinciam ſummâ circumſpectione adminiſtravit, quâto Catholicæ rei per univerſum Regnum incremento, tum ex operariorum, tum ex geſtorum multitudine patet; ſiquidem Angliam ingreſſus, unicum extra carceres invenit Societatis Sacerdotem, moriens reliquit 40. fructuoſiſſimè occupatos, quos tantâ per annos 18. rexit manſuetudine; ut nihil de illo à quoquam, toto illo tempore, nisì ſumma cum laude & commendatione ſcriptum fuerit. Hos ipſe idoneis monitis in Viros Apoſtolicos formabat, urgebat ſtimulis, & ſtatis anni temporibus in unum collectos, ſacris meditationibus excolebat, velut ignem deinde ſpirantes, & Diabolo factos terribiles, in campum denuo emiſſurus. Ubi mirâ ſemper DEI providentiâ conſervati, licèt jam propè manibus hoſtium tenerentur, incolumes ſemper à ſolitudine ſua ad colendam DEI vineam evaſerunt.

Indixerat his aliquando communem,

ad

ad reficiendos triduanâ ſolitudine animos, conventum, in quo pijs meditationibus, pœniſque ſpontaneis aſſumptis, rationes conſcientiæ Præpoſito ſuo candidè fidelitérque nudarent, eámque ſemeſtri confeſſione, pro more Societatis, expiarent. Et jam 9. convenerant varijs ex locis ad Londini portas Sacerdotes, in ſuburbanum illic palatium illuſtris Matronæ Catholicæ à Garnetto introducti. Die S. Lucæ ſacro, inſtauratione Votorum exactâ, & jam diſcumbentes, ſic affatur Garnetus: *A prandio ſtatim neminem teneo, abire illico, qui volet, poteſt. Hucuſq; enim DEI erat peculiari tutelâ nos cingere, utpote legi ejus in Ordine noſtro ſanctiſſimæ ſatisfacturos; nec me quidquam habebat ſollicitum, etſi duplo plures unà fuiſſemus; nunc verò hoc nomine exolutis, oportet DEI curæ ſuam unumquemq; induſtriam adjungere.* Digreſſis feliciter his, mox ſuperveniunt alij ſeptem, quibus eodem ſacro munere perfunctis, dum idem Divino planè inſtinctu inculcat Garnetus, omnes jam jam abituri, paratis ad iter equis fuerant; cùm repentè Sacris priùs operari volentes, multitudo armatorum circumdat. Nihil reſtabat effugij, præterquam ſi clauſis portis, armatâ vi urbico ſatellitio ſe opponerent. Ergo totum Matronæ ſatellitium correptis armis ad portam conſiſtit, in ſicarios, invaſores, latrones (tales enim ſe eos credere, quantumvis à Senatu & Judicibus miſſos profiterentur, fingebat) opem viciniæ magnis vocibus implorat; dum interim Patres nudato celerrimè Altari, ſubterraneo cavo reconderent omnia, ſéque adeò ipſos numero ſeptem, unà cum omnibus, quæ eorum facere poterant indicium. Tum demum veluti primùm fori ſatellites ex feneſtra recognoſceret Filiafamilias, juſſo arma ponere famulitio, portam aperit, & totâ domo præiens, ipſa circumducit. Stabant interim in area complures inſtrati equi, veſtésque diverſæ, qui Patres & eorum ſervos operiebantur jam jam profecturos; qui ne ſuſpicionem hoſpitum unicè illis quæſitorum facerent, piâ arte, ùt erat ingenio velox, Puella occurrit. Cœpit enim multis dolere, & graviter queri, quòd eo temporis & diei veniſſent, quo ipſa iter peregrè deſtinâſſet; jubebátque interim doctos in ejuſmodi ſubitas occaſiones famulos, reliqua in viam accelerare, dum ipſa ſcrutaturos domum, & rogatos ut paululùm feſtinare vellent, interim circumduceret. Sed in caſſum futura erant omnia, quæ bello ingenio fideliſſima virago excogitaverat, nisi cuſtodem ſervorum ſuorum egiſſet Dominus. Ferreis ſiquidem malleis muros ubique pertentantes, calcabant ipſiſſimam non ſemel, quæ Patres tegebat, cavernam; quin & latera circa operculum tentantes quatiebant, in cujus planum ſi ictu fatali vel ſemel incidiſſent, exitialis è cavo reſpondens bombus, latentes momento prodidiſſet. Sed & domeſticam in penetralibus ſupellectilem excutientibus, in manus venit elegans ſacerdotis ornatus, & Dominico ſervando corpori ſacra pixis, ex cujus uſu quæſitam prædam indubiè olfeciſſent, nisi mente illis turbatâ hanc occultâſſet DEUS.

His aliiſque modis, non ſinè prodigij ſpecie, gubernationem Garneti ſæpiſſimè juvabat DEus, tam ſecundis Fidei progreſſibus, ut totâ Angliâ Hæreticis non alio nomine, quàm parvus Papa diceretur, cui ſimilem Eccleſia, & Romanus Pontifex non haberet. Accidebat ſæpiſſimè, ut cùm eo numero conveniſſent, quo poſſent grande Collegium conflare, conſulturi de re illius Eccleſiæ, repentè Londino adeſſet anhelus nuncius, diſceſſum ab invicem ijs feſtinatò indicens, ni vellent mediâ nocte armato ſatellitio præda fieri. Quibus ipſe extemplò notas apud diverſos Catholicos aſſignabat domos & latebras, ipſe periculum exibat ultimus. Et idcirco non falsò illi ceterorum ſociorum fructus omnes quadantenus adſcribi poſſunt, qui magnâ rerum & agendi experientiâ, non tantùm cuique ſuam deſtinabat Provinciam, ſed & labores, eorúmq; præſcribebat modum, artes innumeras ſuggerebat, mille cautiones ſolertis & providentiſſimæ circumſpectionis miniſtrabat. Mirâ ſiquidem pollebat ingenij perſpicacitate, exquiſitâ prudentiâ, ſoliditate cordati judicij, & quæ his rarò conjungitur, candidiſſimâ morum ſimplicitate, & facilitate; quibus fiebat, ut cuivis, etiam maximè inexperto, & rerum ignaro, libentiſſimè cederet, ſuúmq; judicium poſthaberet. Atque his virtutibus, non ſuorum dumtaxat ſibi devinxit affectus, ſed omnium Catholicorum in Anglia veluti uno corde amabatur Patris loco, quòd ſe viciſſim diligi ab ipſo experirentur ùt Filios, certíque eſſent, ità ſe illius animo inſculptos, ut neq; infirmaretur quisquam, neque ſcandalizaretur, quin & infirmaretur ipſe, atque ureretur. Neque id adverſarios latere potuit; & idcirco nemo unquam tam amenti hoſtium ambitu inveſtigabatur; quem plus unum valere cernebant ad rem Catholicam augendam, quàm ipſi omnibus

ſuis artibus & tormentis ad illam extirpandam. Quem cùm millies delegatis lictoribus, apparitoribus, & totâ fori colluvie, fruſtra eſſent ſcrutati, per poſticum illo ſæpius evadente, cùm adverſarij domum portâ ſubirent; inſtituerunt in omnibus Catholicorum & Sacerdotum torturis, præcipuum articulum quærere, ubinam lateret Garnetus? *Anni ſunt octo*, ſcribit ipſe de ſe, *ex quo nullus torquetur Catholicus, quin ab eo medijs in cruciatibus quæratur, ubi degat Garnetus? quibuscum agat? quam Provinciam, quâ veſte incolat?* & tamen is plerumque Londini, aut non ità remotus habitabat, cùm illuc nova ex Jtaliæ, Hiſpaniæ, Belgij ſeminarijs, auxilia communiter deferrentur; quibus omnibus ipſi de tecto, veſtitu, laboris & induſtriæ campo, proſpiciendum erat. Aderat etiam quotidianis Catholicorum per diverſas domos neceſſitatibus, ipſos adeò in carceres Londinenſes aliquando ſe cum ſatellitio penetrans, ut opportuna captivis ſocijs ferret ſolatia; in quem ſi attentiùs tunc aliquis oculum fixiſſet, agnitum deprehendere nullo negotio poterat, ex oris conformatione, & lineamentis in tabella ad vivum depictis, quæ locis publicis paſſim affixa per urbem proſtabat. Prodebatur quidem non ſemel ab illectis magnitudine præmij fictis Catholicis, ſic ut ſcriberet ipſe ad ſororem ſuam in Belgium, prodito duplici, in quo latere ſolebat, hoſpitio, vagum & incertum ſui, hoſpitium novum ſe indagare. Non tamen idcirco deſinebat ipſe protectionis Divinæ ſecurus, operâ ſuâ Catholicis propè palàm adeſſe. *Feſtum enim nihilominus Corporis Chriſti*, (pergit ad eandem ſcribens) *nec ſinè paratu magnifico, nec ſinè muſicis egimus, & octavo poſt die pium ſupplicantium ordinem circa hortum ingentem duximus, ignari domum proditoribus eſſe obnoxiam.* Quæ tot illius effugia, & fruſtratas ſuorum per annos duodeviginti toto Regno poſitas indagines, dedecori ſcilicet ſibi vertebant Adverſarij, & veluti injurijs indignabantur; donec tandem Cæcilius, rerum tunc in Aula facilè potentiſſimus, Catholicorum, & imprimis Garneti hoſtis juratus, deſperatum, & fatale conſilium, tenendi quantocyus Garnetum, Regi ſuggeſſit.

Tenebantur pulverariæ conſpirationis, præter Catesbium, & tres alios in prælio ſubitaneo occiſos, reliqui ſocij, & concordi confeſſione facinus ultro, ſinè cruciatibus, conſciósque omnes poſt varia examina aperuerant; inter quos nullum ex Sacerdotibus ac præcipuè Jeſuitis nominari, dolebat magnopere Miniſtris; qui hac occaſione immanis parricidij crimine voluiſſent involutos Jeſuitas, non ùt conſcios modò vel ſuſpectos, ſed tanquam auctores & hortatores conſiliorum impiorum, immanibus ſupplicijs totâ Angliâ extirpare, & diris omnibus devovendos toti Europæ exponere. Sed cùm ne veſtigium quidem conſpirationis ſimilis ullâ quæſtione deprehenderent ex conſcijs, tormentis exprimere confeſſionem quantumlibet falſam aggreſſi, immanibus adeò cruciatibus conjuratos diſtenderunt, ut luxatis artibus ferale poſtea pegma, niſi alienis adjuti brachijs, nullatenus aſcendere quiverint. Potuiſſent dolores humanis viribus majores à quantumlibet robuſta mente, uno verbulo redemptionem ſui faciendam impetrare, niſi in generoſos, omnéſque nobiles animos incidiſſent, qui pari ſemper conſtantiâ Garnetum, totámque Societatem à ſceleris nedum communione, ſed etiam conſcientiâ eximebant, utpote omnis violenti remedij hoſtes acerrimos, qui ad patientiâ perſecutionis Catholicos ſemper hortati, vim & arma non tantùm efficaciter diſvaſiſſent, ſed etiam eorundem inhibitionem cum cenſura, ùt aliàs ſæpius fecerant, Româ procuraſſent. Unus in reorũ cenſebatur numero Thomas Bateſius, conditione ſervus, cui ortus abjectior nequibat ſpiritus generoſos afflare, faciebátque perfidiæ, ſi ſervandæ vitæ fiducia affulgeret, magìs obnoxium. Quam ubi ex Cæcilio redimi ſic poſſe ſperavit, dixit ſuſpicionem ſibi eſſe cognitæ Garneto conjurationis, cujus ſuſpicionis duas afferebat cauſas, quòd uni ex conjuratis primario ſolitus eſſet confitenti aures dare, & quòd non ità pridem ante tentatum facinus, vidiſſet Garnetum Catesbyo Hero ſuo loquentem, alteriúſque ad alterum tuliſſet epiſtolam, neque tamen ſciret quid ea contineret. Satìs hoc viſum eſt habere evidentiæ Cæcilio, ut in cauſæ ſummam, pro rerum capitalium Tribunali reis prælegendam, imponerentur Jeſuitæ, veluti eorum confeſſione facinoris complices. ſperabant enim illos inter ea quæ de ſe faſſi fuerant, unà obliq;, ac nihil advertentes, hoc, quod de Garneto, duobûſq; ejus ſocijs permixtum erat, aſſerturos, & habitum iri univerſâ Europâ illos tantis, & tam inſignibus teſtibus convictos. Verùm non ſuſtinuêre imponi ſibi falſam, & Societati crudelem calumniam cordati Viri, quorum omnium una vox fuit, *nihil abs ſe negari eorum, quæ ad ſe pertinerent, ſed quæ eſſent ijs inter-*

interjectâ ad involvendos crimini Jesuitas, hoc verò à se pernegari, & fictè falsòque à se confessis inferi. Addidit quin etiam cordatior ceteris Faukesius, *prodeat ex nobis, si quis illos accusat, aut cujus testimonio rei sint, vos ipsi edite; si autem nemo est, quid agunt in causa nostrâ Patres? & quod tam longè à vero abest, cur confessione nostrâ verâ assertum prætexetur?* Quæ eadem ex ferali deinde pegmate, in quo excarnificandi erant, ad ultimum usque spiritum constanter asseruerunt; & Batesius ipse spe falsâ condonandæ sibi vitæ delusus, lachrymabili revocatione, quam de Garneto & Socijs suspicionem fecerat, sub patibulo, & paulò ante mortem scriptâ epistolâ, totâ deinde Londino vulgatâ, purgavit. Et tamen Cæcilius, qui pro arbitrio versabat Regnum & Regem, persvasit illi, Patres Gerardum, Grenwayum, & Garnetum, pro totius conjurationis, non jam conscijs, sed machinatoribus & auctoribus damnare. Et quidem fatebatur Cæcilius, totum se in parandum exitium Garneto immersisse, ut in uno ipso Jesuitas omnes, in Jesuitis Papistas universos, & Religionem Catholicam in Anglia perderet.

Pependit illico acerbissimum edictum 15. Januarij datum, quo ex conjuratorum insuper confessionibus certis, totius criminis fabri nominabantur, denunciabantur proditores, capturis præmium, occultaturis aut excepturis crimen, & pœna rebellium ponebatur. Et primi quidem duo feliciter, licèt non sinè præsenti discrimine, ex Anglia evasêre. Garnetus autem Socijs omnibus Præfectus, ne cui gratiam hospitij exitio supremo penderet, nec vagus in sylvis, nec securè in cavernis sub terra lateret, precibus paulò antè & invitationi Oldcornei cedens, in Palatium Abingtoni se recepit, ibidem non multò post cum ipso, ut in gestis Oldcornei retulimus, comprehensus. Ad tertium Februarij in carcerem Londini detrusus, quæsivit ex captivis, *num qui Religionis causâ illo detinerentur?* quibus respondentibus, *esse verò permultos: consoletur vos DEUS*, subjecit, *& me pariter vobiscum; eandem ob causam servus vobis futurus & socius venio.* Non multò pòst in turrim conclusus, examina subijt viginti tria, primarijs Aulæ huic muneri semper destinatis, ut magni alicujus arcani existimationem in vulgo conciliarent, cui investigando præcipua Regni Capita insudarent. Spargebant interim Urbe totâ, confessum ultro conjurationis scelus; quin & excogitatum à se cuniculum, præfectum negotio Catesbium, inductos ad scelus conjuratos, invitatos ad occupandum, necato Rege, desertum Regnum exteros Principes. Et cùm similia ex ipsiusmet ore excepisse se Viri graves asseverarent, factum est, ut non Angli solùm & Hæretici, sed & Regum & Rerumpublicarum Ministri, qui Legatos agebant Londini, ejusdem nuncij Principes suos facerent certiores; fieretque ità Garnetus publicis Urbium, & privatis omnium literis, Orbe toto, conjurationis universæ confessione propriâ primus Architectus. Ad hæc infelicem etiam illum impatientiâ mœroris, dedecore sceleris, & pœnarum expectatione, mente motum, catenâ attineri ut insanum. Quæ uti narrabantur, passim credita, & ultrà semper studiosè vulgata, magno mœrore consternabant Catholicos; donec solenni indicto Tribunali, publico judicio sistendum Garnetum ad 28. Martij diem innotuit. Ceterùm cùm examinibus illis juridicis omnibus (quæ non fuisse sinè acerbis quandoque cruciatibus retulit ipse Amico, sibi in damnatione fortè assistenti) nihil omnino exprimerent, unde perduellionis nomine reum facerent; & aliunde nec testis ullus, vel delator saltèm & accusator sceleris adesset, conjuratis omnibus ejus innocentiam; morte etiam contestantibus, fixum tamen ac firmum illis erat, Garnetum patibulo addicere, in cujus capite Catholicos omnes, & Ecclesiam Anglicanam damnare se credebant. Neque hoc Garnetum latere potuit, qui ad Sacerdotem alio carcere pariter Fidei nomine detentum scribens, *nulla me*, inquit, *innocentia absolvet, quò minùs reus pronuncier. Obstat enim mihi illud Caiphæ: expedit ut unus moriatur homo pro populo.* Erant quidem multa alia, quorum reus postulari, & juxta iniquas Elisabethæ leges, perduellium supplicio plecti poterat; ut quòd Patriâ Anglus, Sacerdotium authoritate Pontificiâ susceptisset, revectus in Angliam tot annis Sacramenta ministrâsset, Templa Hæreticorum frequentari à Catholicis nefas docuisset, & scripsisset; quæ & alia his adnexa, capitalia illic erant crimina. At enim quia hæc nomina nihil apud externos Catholicos continebant probri, volebant reum ejus culpæ mori, quæ esset Rei Catholicæ maximè infamis; atque idcirco nervum omnem dexteritatis exeruerunt, ut patibulo addiceretur tanquam inventor conjurationis, & moderator consiliorum Catesbij. In hunc finem fraudem commenti sunt innocenti perdendo ingeniosam, quâ conjurationis

nis notitiam ſibi fuiſſe proprio ore fateretur.

Carcerem Garneti ab alio ei contiguo carcere ſolus paries dividebat, cavus interius, ut aliquot hominum capax eſſet, perquem arte ſimulatâ, ad ſimilitudinem hiatûs fortuiti, rima admittebat mutua utrinque carceratorum alloquia; invento ad reos ex ſecretis colloquijs per latentes arbitros deprehendendos & arguendos. Translato igitur in vicinum carcerem Oldcorneo, edoctus fraudem à Turris Præfecto Garneti cuſtos, docet illum per eximij cujuſdam favoris & amicitiæ ſimulationem, poſſe, ſi velit, ſecreto Oldcornei uti alloquio, toties quoties alluberet; dummodo rem, capitis alioqui periculum ſibi creaturam, tacitus obſervet. Optatiſſimus Garneto venit fraudulentus cuſtodis favor, nihilque doli, ut erat animo innocenti, ſuſpicatus, oblatam gratiam avidè arripuit. Itaque ſolitarius ad rimam (conſulto enim perfidus exceſſerat) cum Oldcorneo admiſſus, neque ullum intereſſe colloquentibus ratus, ante omnia Confeſſione ſacrâ animum expiavit. Poſtquam rogatus ab Oldcorneo, etiamne adhuc proceſſus examinum conjurationis protelaretur? reſpondit, nihil haberi prorſus, unde poſſit convinci ejus fuiſſe conſcius, quòd enim de illa reſciſſet aliquid paulò antè quàm in lucem prodiret, neminem eſſe mortalium omnium, præter unum, qui hoc poſſet teſtari, conſcium. quæ ultima verba inſonti fuere mortifera. Scripto enim à latentibus in parietis cavo duobus arbitris excepta, confeſtim à quæſitoribus evocato Garneto fuêre objecta. Faſſus eſt ingenuè Garnetus, notitiam ſibi conjurationis factam paucis antequam erumperet diebus, ſed non nisi intra Sacramentale Pœnitentiæ Tribunal; cujus proinde neminem præter unum eſſe poſſe teſtem edixerat, eundem nempe, qui hoc in Confeſſione ſibi aperuerat. Patrem Grenwayum juſſum à Catesbyo ſuum de ea ſenſum, ſub ſacroſancto tamen Confeſſionis ſigillo, exquirere. Quam proinde ſi non denunciâſſet, in cauſa fuiſſe Religionem Divini ſecreti, quo Sacerdotum linguas & conſcientiam obſtrinxit Chriſtus. Ceterùm hoc excepto, omnia alia ad evertendum Catesbij propoſitum ſe egiſſe, impuliſſéque Grenvayum, ut modis omnibus ab immani Parricidio Catesbium dimoveret; qui etiam precibus ejus pervictus, ſanctè, ſed fictè ſpoponderit, nihil ſe moturum, ſaltem quoad Pontifex de miſero Catholicorum ſtatu moneretur. Hunc itaque iteratis precibus à ſe ſollicitatum eſſe, ut Catholicos omnes anathematis pœnâ à rebus novis, in Regem præſertim, ac Regni quietem tentandis, abſterreret. Et erat hæc damnandi conjurationis Garneto quoad Hæreticos cauſa legitima, neq; Religionem ullam ſecreti Sacramentalis, ſed neque Sacramentum aliquod in Pœnitentia agnoſcentibus, quia tamen mortem hoc titulo illatam, per honorificam illi apud Catholicos fore, quâ in Martyrij candidatum evaderet, pervidebant, tormentis illum atrocibus diſcruciare aggreſſi ſunt, ut aliquam extra Sacramentum facinoris notitiam ſe habuiſſe, dolorum impatientiâ fateretur. Sed cùm eam conſtanter inficiaretur, diem tandem judicio, & ſupremæ in eum ſententiæ ferendæ indicunt 28. Martij.

Dici non poteſt, quantis conatibus inſudârint Cognitores cauſæ, ut omiſſis omnibus, quæ reum capitis Garnetum liquidiſſimè in Anglia faciebant, illud ſolum, quod ſemper negabat fortiſſimè, quod nullâ probatione unquam, vel teſtimonio aſſeri potuerat, conjurationis ſtigma illi inurerent. Volumen grande, & tædij plenum conflarent, ſi excuterentur omnes perplexiſſimi per 23 examina, in ſcriptis Notariorum labyrinthi, ad unum hoc evolvendum punctum fruſtra intricati. Huc etiam faciebat tanto apparatu, non ex plano, ſed in theatro editiore inſtitutum judicium, in Aula vexillorum, mediâ Urbe ſita, cùm aliàs mos eſſet de reis quantæcunque dignitatis, in Aula Weſtminſterienſi cognoſci. Voluit eidem extra omnem morem, Rex ipſe interjecto velo intereſſe, unà cum Regina, & Primarij Regni Adminiſtri; ut nempe ex Majeſtate loci, & Aſſeſſorum, fucus fieret populo cauſæ veluti præjudicatæ, & quæ notoriâ immanitate, & ineluctabili evidentiâ, ſolenniore præter uſum damnatione configi mereretur. Et præferebant id palàm, jactabántque impudenter cum Cæcilio Aulæ Miniſtri, & ad nefarij proditoris judicium exterorum Principum Oratores omnes invitârunt, audituros ex propria confeſſione, imò & ſubſcripto chyrographo, conſpirationis pulverariæ condemnandum Auctorem. Exſpectabant ergo univerſi cauſam paucis conficiendam, clara duntaxat evidentis proditionis argumenta, & jactatam toties facinoris ex chyrographo & ore proprio confeſſionem: cùm interim Fiſci Cauſidicus Eduardus Cookeus horâ diei 9. in Garnetum actionem exorſus, &

per 6.

per 6. continuas horas ad 3. uſque pomeridianam dictionem protrahens, nihil præter inaniſſimas conjecturas, & ſuſpicioſas Garneti cogitationum interpretationes attulit, nullâ magìs divite orationis materiâ, quàm invectivis in Pontificem, Jeſuitas, Sacerdotes, & Catholicos recuſantes, quos omnes extra cauſam penitus forenſis ſtentor Dæmonibus nequiores perſvadere ſatagebat. Patuit tum demum Legatis Principum, & quotquot aderant, non tantùm Catholicis, ſed & Proteſtantibus, fraudulentum Miniſtrorum conſilium, nihilque ſub conſpirationis nomine aliud in Garneto puniri, quàm Religionem, & ex Sacerdotio Catholico ſervatum Sacramenti ſecretum: ubi præſertim Garnetum audiverunt cordatis reſponſis innocentiam ſuam ſedatiſſimâ manſvetudine aſſerentem, & vaniſſimas Cookei ſuſpiciones momento difflantem. Reſpiravêre continuò qui mærebant Catholici, & Legati Principum credulitati ſuæ non mediocriter irati, falſa, quibus Provincias implerant, nuncia revocârunt, cauſam decipiendi publici, fictæque conjurationis tandem patuiſſe, ne ſolius Fidei & Sacerdotij odio, quod revera fiebat, necari videretur. Invitatus erat inter alios Hiſpaniæ Legatus, ut confeſſionem illius audiret ſpontaneam (ità enim fore aſſerebant) in os illi, velut conjurationis architecto ingerendam. Perducto ad finem judicio, cùm nec mentio illius ſubſcriptæ confeſſionis interveniſſet, quâ tamen, conjurationem mordicus pernegantem Garnetum, convinci omnino oportebat, quærit Legatus, ubinam ergo illa haberetur? cui reſponſum eſt, haberi omnino; promiſsúmque; ut illam videret die inſequenti: ſed hodiéque adhuc videndam expectat, exhibendam ad Græcas Calendas. Tenuit iniquiſſimum judicium 10. integras horas, quo omnia verſabant Judices, ut Garnetum conſpirationis reum facerent, & licèt conveniens argumentum nullum adeſſet, damnavêre tamen illius reum; re ipsâ non alio titulo, nisì quòd Sacerdos & Jeſuita, ſecretum Pœnitentiæ obſervâſſet.

Reductus eſt in Turrim Garnetus, & ſpatio demum unius menſis crate viminea ad patibulum raptatus. Erat illud non in Tiburno, ubi communiter alijs ſupplicium irrogari conſvevit, ſed in medio Londini foro, ad majus S. Pauli Templum, ſuper elato pegmate extractum: ad quod protractus Garnetus, bene precantes ſibi de feneſtris, ex plano, fronte lætiſſimâ ſalutabat, ingenti delibutum gaudio oſtentans animum, cui ſolius Religionis causâ, ceterorum innocentiſſimo, ea mors inferretur. Infinita hominum omnis ſtatûs & conditionis, quanta nunquam aliàs, convenerat multitudo, in equis, ſubitaneis theatris, ex tectis, feneſtris, magni Jeſuitæ, & Catholicorum in Anglia Papæ (ità loquebantur) funus ſpectatura, cui redimendo oblata Regi garriebat 80. millia: cupidiſſima audire ſcelus confitentem, & Papiſmo remiſsâ Fide, Calvino illam (utrumque enim religioſiſſimè pro templorum exedris promulgaverant Verbi Præcones) obligantem. Depoſitus è crate, pegma conſcendit; quem ſecuti duo Decani cum alijs miniſtris, à Rege ſe miſſos dicunt, ut vel hàc ultimâ vitæ periodo faſſus conjurationem, veniam ab eo peteret. Ille placidiſſimo aſpectu è crepidine pegmatis populum univerſum conſalutans, petijt, *eſſetne fas tantisper DEO animam oratione commendare*? Sed Montagutius Recordatoris in Aula munere fungens, ad poſcendam ex Rege priùs conſpirationis indulgentiam, impotentiùs urgebat. *Nihil habeo*, reſpondit Garnetus, *cujus veniam rogem, qui ità nullo prorſus unquam Regem læſi, ut etiam omnes modos diſturbandæ conjurationi adhibuerim. Si tamen ſacro illam ſecreto mihi in Confeſſione creditam, & ideo religiosè celatam dant vitio, peto dignentur condonare, quod absq; ſalutis æternæ jactura non licuit aliter facere. Hâc causâ, iniquo veſtro jure æquiſſimâ, Divino & Catholico injuſtiſſimâ morte, libenter morior.* Hìc Montagutius, ſceleſtiſſima fraude verbis Garneti abuſus, quaſi agnitum his verbis crimen retractâſſet; *Audite*, ait magnâ voce ad populum, *Quirites, Garnetus à Rege veniam petit conjurationis.* Sed excepit mox ſceleſtũ vafri hominis mendacium Garnetus, & *facìs*, inclamat, *atrocem mihi injuriam. Negavi me Regem offendiſſe, & pernego, negavi me quidquam veniâ dignum admiſiſſe, nisì ſilentium rei in Sacramentali confeſſione acceptæ. Negas igitur*, objicit impudentiſſimus Montagutius, *cujus tamen habemus tuâ manu Chyrographum, conjurationem tibi extra Confeſſionis Tribunal perſpicuè innotuiſſe.* *Nego*, inquit Garnetus, *& pernego, ullum aliunde ejus indicium ad me perveniſſe.* Videns ſuam Montagutius coram univerſo populo famam in arcto poni, ſcrutatus primùm ſimulatè ſinum & ſaccum utrumque, velut illud apud ſe habere crederet; mox unum ex famulis vocans, hoc ipſum velut in manus illius paulò antè depoſitum, ab illo repetit:

petit: negante interim audenter, ardentérque Garneto, futurum unquam, ut tale aliquod ſuum chyrographum proferatur. Magna inde populo facta eſt expectatio, utra pars mendacij convinceretur; quæ mox in riſum & cachinnos, cum æterna ſycophantæ infamia, evanuit. Excuſante poſt longam ſaccorum ſcrutationem famulo, ſcriptum illud alicubi à ſe repoſitum, ubi verò, ſe nequaquam meminiſſe. *Neque verò memineris, aut reperies uſquam gentium,* ſubjecit Garnetus; *ſiquidem res aliter ſe non habet, quàm in æternitatis confinijs poſitus nunc aſſero, cujus teſtem appello DEum, & ſalutem æternam pignus pono.* Atque hanc ſuam innocentiam dimidio ferè horæ ſpatio pluribus ad populum conteſtatus, multùm etiam ſibi gratulatus eſt de die illo inventioni S. Crucis ſacro, qui erat 3. Maij, morti ſuæ deſtinato. Tandem Catholicos vehementiùs ad malorum tolerantiam exhortatus; à ciendis ſimul tumultibus, conjurationibus, & violentis remedijs, quæ nec Deo, nec ejus in terris Vicario probarentur, eos abſterrere laboravit. Tum DEum ardenter, licèt perpetuò à Miniſtellis interpellaretur, precatus, veſtes poſuit, ùt ſolent, quibus detrahenda ſunt viſcera, & longo in induſio, utrinque ad tibias colligato, conſtitit, ut nihil poſſet, etiam aurâ perflante, oculos honeſtos ferire. Mirum eſt, quàm ea tota ſervi DEI modeſtia populum conciliaverit; inter cujus optimas apprecationes liberis manibus ſcalas conſcendens, Carnificem rogavit, ne ſe, niſi admonitus, gradu deijceret. Atque tum iterum populo valedicentem, & Catholicam Fidem ardentiſſimè ſupremùm ſuadentem, interpellavit nonnemo: *Atqui ſperabamus te noſtrum fore, velleque, utì ſpoponderas, proteſtantem mori. Nunquam omnino,* repoſuit Pater, *tam execrabilis mentem meam voluntas ſubijit, qui pro Catholica Religione, mille ſi poſſem mortes ſubire paratus ſum.* Poſt quæ DEO iterum animam ſuam, Regem, Principes, filios, Senatum & Regnum univerſum commendans, laqueum collo induit, & S. Crucis identidem ſigno ſe muniens, cum hac prece: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi: hoc ſignum Crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit*: Carnifici innuit: à quo ſcalis dejectus, cancellatis in crucem ad pectus liberis manibus, quietiſſimè pependit, vultu planè renidenti, & nec mortis anguſtijs, nec doloribus turbato. Parabat quidem Carnifex ſemivivum de more diſcerpturus, aliquoties laqueum abrumpere; ſed populi clamoribus totiès prohibitus eſt, expectare jubentis, dum animam egiſſet. Qui etiam deinde caput cum corde exenterati proferens, neutiquam ſolenne illud: *Vivat Rex*, ſed mæſtiſſimum retulit ſilentium: cenſentibus viris graviſſimis, plus utilitatis Rei Catholicæ morte ſuâ Garnetum attuliſſe, quàm vitâ per annos 20. quantumvis Apoſtolicè tranſactâ.

Certatum deinde magno ſtudio à Catholicis eſt, ut diriperent aliquid ex ejus reliquijs; cujus induſium Marchio à S. Germano, extra ordinem Regis Catholici Nuncius, magno pretio redemit: alij alia, quanti Carnifex edixiſſet. Præcipuum retulit Joannes Wilkinſonus, qui extraordinario penitus, nec ullâ animo quietem relinquente inſtinctu, quo ei procerto ſpondebatur, fore, ut aliquid videret in viri innocentiam mirè faciens, adactus, proximè pegma conſtitit; ubi diſſecto quadratim corpore, dum occaſionem aliquid tollendi opperitur, ecce tibi ſpica quædam ex ſtramento, quo theatrum ad imbibendum lanienæ cruorem conſtratum erat, Garneti conſperſa ſanguine, nec opinanti in manus incidit, quæ genuinam Garneti effigiem, in unica cruoris gutta perfectiſſimè expreſſum referebat. Hanc cùm ſummi infimique certatim, etiam ex intima Regis aula magno ſtupore inſpectam mirarentur, & Rex indignè ferret, Divino teſtimonio prodigioſè abſolutum videri, quem ipſe Majeſtatis reum damnârat, Inquiſitionem Cantuariæ pſeudo-epiſcopus inſtituit inſpicæ authores, & portenti promulgatores, qui non minùs conſtanter rem naturæ viribus majorem aſſeruerunt, quàm pictores hæretici, ut miraculi pondus ſimilis in culmo Imaginis expreſſione eluderent, acciti. Ingenuè namque pernegârunt, humano rem poſſe perfici artificio. Accedebat aliud totâ Londino celebratum; Caput Garneti palo præfixum in Ponte Tameſis, cujus ſpecies, lineamenta, color, conformatio, per multas hebdomodas nativus oris habitus, nullâ re penitus à vivente diverſus, univerſam Urbem ad ſui contemplationem provocabat. Et verò cælitus etiam prodigij opinionem ſpicæ illi aſſeri judicabant, qui miraculosè per eam ſe adjutos exiſtimabant. Ex quibus Matrona Nobilis periculoſo enixu ad vitæ deſperationem adducta, reverenti ejus ſpicæ attactu puerum continuè incolumis enixa eſt. Alia ex graviſſimis morbi doloribus fato vicina; ùt primùm ſpicam religioſè manu comprehendit, momento convaleſcens, ſemihoræ ſpatio ad conſueta munia

exe-

exequenda redijt. Nobilis item Hiſpani filiolus anno 1611. violentâ febri Gadibus de ſpe vitæ dejectus, applicato linteolo Garneti ſanguine delibuto, illico ab æſtu recreatus, poſtridie ex integro ſanus evaſit. Sed præcipuo loco cenſendum eſt, quod meritis & precibus Garneti retulit P. Gerardus, eâdem cum Garneto proſcriptione conjurationis damnatus. Hic Adverſariorum manus ex Anglia fugitans, in portum evaſerat, unde Hiſpaniæ & Belgij Legati ſolvebant ad reditum. At ij, quidquid Nauclero promiſſum eſſet, negant ſe in navim admiſſuros; maximo Regiæ indignationis periculo abſterriti, ſi reſciret ereptum ſibi hominem, quem habebat pro hoſte & inſidiatore. Dies erat Maij tertius, Garneti ſupplicio dictus, hora & punctum temporis idem, quo Garnetus necabatur; cùm repentè mutati animis Legati, ultro & inexpectatò accerſitum, veſtes non ſatìs tutas ponere, & familiarium comitúmque ſuorum cultu ornari jubent. Itaque adversùs exploratorum inſidias munitum, in navim ſecum adducunt, & velut unum è ſuis in via & Belgio habent: qui proinde annos quibus ſuperſtes vixit 31. omnes ſoſpitatori ſuo Garneto debere aſſeruit, meritorum ejus non ſolùm diſertiſſimus laudator, ſed & perpetuus imitator.

NICOLAUS ODOENUS.

IIdiſſimi, & perquam utilis famuli munus apud P. Henricum Garnetum, & P. Joannem Gerardum, 18. annos egit, magnus in puſillo corpore DEI ſervus Nicolaus Odoënus, ſive Owenius. Hic in medio Nationis pravæ ortus in Anglia, vitam penitus vixit innocentem, & ab omnibus ſæculi illecebris intaminatam; quem etiam Virginem mortuum ſanctè teſtatus eſt, qui ab uſque puero labes animi recenſentis conſcientiam inſpexit. Præcipua, quam Societati in illis Regni procellis exhibebat opera erat, fabricatio latebrarum, & ſervandis contra repentinos hoſtium aggreſſus Sacerdotibus, cuniculorum ſtructura. Hos ille ſubterraneis ſemitis ducere, intermedijs muris recondere, receſſu impenetrabili ſepelire, anfractibus & mille mæandris intricare, arte, quâ ſibi parem non habuit, incomparabili noverat. Et quod erat operoſius, cavernæ aditus diſſimulabat, ſpecie prætexebat tam alienâ & peregrinâ, ut nihil minùs quàm ingreſſum, aut os latibuli loqueretur. Porrò eos ipſos, quos fabricâſſet receſſus, ità apud ſe occultos ſervabat, ut nunquam latebram unius, alteri notam faceret Catholico; unde eas deſignabat, & conſtruebat ſolus, procul omni arbitro, inexhauſtâ induſtriâ & labore, licèt perrumpendi plerumque forent grandiores muri, ſaxa excavanda brachijs ſolidioribus, quàm forent ipſius in puſillo & infirmo corpuſculo debilia, quod illi etiam ad aſcitium nomen Joannis, Parvi cognomen attribuit. Atque hoc ejus artificio plurimi à veſtigatorum rabie ſervati ſunt Sacerdotes, nec facilè inventus eſt aliquis, qui non latebris illius vitam ſæpius deberet, beneficio in omnes Catholicos redundante, quorum progreſſus, & Divina uſurpandi facultas illi debebatur. Quem ipſũ in ſtruendis, tam proſperis eventibus, cavernis, ſucceſſũ, eximiâ ſuâ mercari à Cœlo videbatur pietate; quandoquidem aliquam aggreſſurus, à ſumptione SS. Euchariſtiæ ſumebat initium, progreſſum autem juvabat continuâ precatione, exitum offerebat ſoli DEO, nullum unquam laboris admittens pretium, præter meritum charitatis, & ſolatium operæ, in Catholicorum fructum & utilitatem impenſæ. Fremebant interim hæretici, tantum numerum operarum impunè toto Regno vagari, quantum nunquam aliàs, nec quantalibet proditorum & emiſſariorum arte, è manibus penè labentibus Sacerdotibus, deprehendi poſſe, latebrarum fiduciâ ſecuros: ideóque dici non poteſt, quanto odio apud illos flagrârit, quanto ſtudio earum latebrarum artifex Owenius inquiſitus ſit.

Hanc ejus indefeſſam pluribus annis operam expertus Garnetus, quâ pro Catholicis non poſſet Sacerdos ſtrenuus utiliorem præſtare, legitimè illum Societati auctoravit; quod etſi ſtudiosè cealrent Patres, ne ſi Laicis pateret in eam aditus, cogerentur multos primæ Nobilitatis, qui admitti rogâſſent, repulsâ offendere, ùt qui nullâ re poſſent utiliter in Anglia occupari. Nequijt tamen Owenius ità famulum ſimulare, quin ſuâ virtute Religioſus non obſcurè proderetur, ideóque æmulos habuit conditionis ſuæ magnos viros, qui cupidè eam à Garneto ambivêre. Eminebant enim in ipſo probatiſſimi Religioſi virtutes, aſſiduum precandi



Nicolaus Odöenus Anglus Soc. IESU. odio Religionis Catholicæ tormentis enectus Londini in Anglia A. 1606. 12 Novembris.

C. Screta del. *Melchior Kyſell f.*

ſtudium; paupertatis amor tantus, quantus filioli in Matrem eſſe poteſt chariſſimam; in afflictationum uſu ſpontaneo ardor pene nimius; patiendi pro Chriſto deſiderium inextinguibile, cujus multiplex dedit ſpecimen, tribus vicibus ergaſtuli pœnis & tormentis ad ſatietatem hæreticorum afflictus. Primæ captivitati eum objecit libera Campiani, cujus etiam ſervus fuerat, ùt innocentis pro Chriſti Religione necati, palàm & publica laudatio; cujus impatientiâ Miniſtri proteſtantes, fædiſſimo ergaſtulo incluſum, catenam coëgerunt diu è tibia geſtare ferro gravem: cui ipſe pœnas ſpontaneas adjiciens, cilicium horridum perpetuò circumferebat. Adhæc vidit illum quandoq; Pater Gerardus colaphorum densâ grandine à famulo Cuſtodis operiri, ſilentem ad injuriam & dolorem. Translatus ex hoc ad fædius aliud, cum tribus ſocijs, ergaſtulum, tam dirâ ac diuturnâ ſame tortus eſt, ut uni ex ſocijs per inediam vita erepta ſit. *Ipſe autem ſpiram mihi*, ſcribit idem Gerardus, *cadaver apparuit, tam ſtipatis pediculorum & vermium examinibus oppletus, quàm egeſta à talpis in cumulum gleba, curſantibus abundare formicis ſolet.* Evaſit nihilominus inde incolumis, P. Gerardo famularem deinceps impenſurus operam: donec cum eodem comprehenſus, & præter putidum denuo Londini ergaſtulum, quæſtioni admotus eſt. Cùm autem neque pretio, neque minis blanditiisve induci poſſet, ut indicium Sacerdotum aut Catholicorum faceret, ſuſpenſus eſt è manibus ferreas indu-

indutis manicas, & tres amplius horas pependit ſublimis, corpore convulſo, nervíſq; contentis, tantò atrociùs, quantò pedibus onere prægrandis ferri appenſo, libratiùs degravabatur. Sed & his, divinâ ſpiritûs vi obarmatus, fortiter ſuperatis, nihil unquam edidit, quod cuiquam obeſſe Catholicorum poſſet; demúmque ingenio & arte feliciter uſus, iterum carcere non tantùm evaſit, ſed & P. Gerardo è turri Londinenſi clam elapſo, in tempore adfuit, ſublatúmque in eqvum, ante crepuſculum ad Garnetum, tunc ruri degentem, attulit, magno utriuſque gaudio, & Catholicorum gratulatione. Quod quomodo acciderit, quia ſimul narratio exactam torturæ Anglicanæ deſcriptionem, à P. Gerardo confectam refert, juvat hic aponere. Hic enim ille eſt Gerardus, qui & Odoëni in carcere tormentorúmque ſocius, ope ejuſdem ergaſtulum & mortem evaſit, & poſtmodum ſervitijs ejuſdem uſus, tandem cum Garneto pulverariæ machinationis falsò damnatus fuit. Ut adeo penitus ad propoſitum futura ſit inſerta de eo, quantumlibet prolixior hìc narratio.

Compluribus jam menſibus P. Gerardus arcto in carcere tenebatur nullo tentatus cruciatu, donec Sacerdos quidam, ejuſdem ergaſtuli incola, in ſpem libertatis adductus, apud Regios nefariâ proditione eum inſimulavit, frequentioris literarum cum Garneto, per Nicolaum Odoënum internuncium, communicationis. Nullâ poterant Miniſtri Reginæ accuſatione ardentiùs incendi, ad extorquendum quovis tormento, ubinam Garnetus lateret; quem tot annis nullâ vi, nulla fraude, perfidiâ, emiſſarijs, ſumptibus, authoritatibus deprehendere potuiſſent. Judices quinque ad Bartleyum Turris Londinenſis Præfectum convenerant; qui cùm blanditijs ſe nihil proficere viderent, ad horrendam illam & formidandam ſpecum, reis torquendis deſtinatam eum deducunt. *Et ibant* (placet enim verbis ipſius deinceps narrationem pertexere) velut ſupplicabundi procederent, portantibus funalia famulis, & prælucentibus ad ſubterraneum ingreſſum. Vaſtum intus & terribile armamentarium, vario inſtructum reorum excruciandorum apparatu, quorum ſingulis eſſem admovendus. Proin mihi maturè conſulerem, hortabantur; quærebántq; num vellem deniq; mandatis parere? negavi me velle, flexíſque genibus pauliſper oravi. Producor inde ad álteram ex duabus, quæ tectum fulciebant columnis, cujus ſumma ex parte porrigebant ſe quædam ex ferro organa, uncinis inſtructa & annulis, ponderi ſuſtinendo aptis. Mihi arteria manûs diviſim utriuſque circulo ferreo cingitur: fulcra duo ſuppedanea vel tria conſcendere jubeor, & ſurſum brachia tollere, quorum ſeorſim ad ſingula inſertus utrimq; per manicas bacillus, ſeorſim item per columnæ anulos tranſmittitur. Fulcra demum, quibus inſtiteram, paulatim ſubducuntur, & corporis totâ mole de manibus pendeo. DEum illic aliquamdiu precatus, interpellor à cognitoribus, vellémne, quæ poſcebar, fateri? nolo, inquam, quia nefas ſcio. Erátque jam tanta doloris acerbitas, ut illa quatuor efferre verba ægrè potuerim. Vexabat autem tormenti atrocitas potiſſimùm pectus, ventrem, brachia, & manus, in quas mihi videbar quidquid erat in corpore ſanguinis mittere, & extremis expreſſum digitis fundere, quod tamen reipſa non fiebat. Sed intumuêre tam deformi aſpectu manus & brachia, ut tumoris labra manicas ſepelirent: eóque tunc accrevit dolor, ut animo linquerer, nec putarem poſſe diutiùs perferri. Nunquam tamen animo ſuccurrit efferre, quæ tacenda erant: ſed magno potiùs DEI dono luctantem in extremis refovit hæc cogitatio, quòd optâſſem pro Chriſto toties mortem oppetere; tunc tempus agi rem, nec defuturum mihi ſuâ ope Chriſtum. Hoc deſiderio moriendi recreatus eſt non mediocriter ſpiritus, viſique ſunt dolores corporis minui. Delegati meo abacti ſilentio, robuſtis cuſtodibus me ſervandum relinqvunt, adjuncto mei carceris cuſtode, qui fronte ſudorem detergebat, quo totus continuò madebam. Mandatum etiam ſibi ajebant, me tamdiu torquerent, donec aut animam inter cruciatus egererem, aut quod premi ſecreto dolebant, ederem. Precabar interim ſubmiſsâ voce, ùt poteram, JESUM & MARIAM, quo à verbis illorum attentionem avocarem. Poſt horam correptus deliquio, ſed brevi, ùt ſuſpicatus ſum: nam pondus corporis tantiſper brachijs ſtatim erexêre, & fulcra pedibus reddidêre, quoad animum recepiſſem. Atque hìc denuo, dum animadvertunt reſtitutum, denuóque orantem, iterum me tormento admovent, removéntque fulcra, repetúntq; has vices horarum quinque ſpatio, novies, prout defectiones vitæ, quibus violentis opprimebar, cogebant illos ne morerer cavere. Redit quinque poſt horas Vadeus, vides, inquit, tuóque experiris damno, Reginæ parendum, ejúſque Conſiliarijs. Dic ergo ſis

vel nunc, quod tibi fuerat conducibilius antè dixiſſe. Ego, urgetis, inquam, idem quod antea, proin idem vobis quod antè reſpondeo. Saltèm, ait Vadeus, dic te Regij ſcribæ Cæcilij colloquium poſcere. Ne id quidem, ajo, facturus ſum, quòd nec illi quidquam dicendum habeam, & offenſioni futurus ſim ſuſpicaturis, me victum cruciatu, aliquid ei quod erat tacendum indicâſſe. Ergo, infit diſcedens & frendens Vadeus, illic pendens putreſce, dum membra tibi fruſtatim defluant. Poſt aliquod tempus ex tormento depoſitus, etſi nec tibijs, nec pedibus læſus, in pedes tamen nequivi conſiſtere, reportatus igitur ſum in meum carcerem.

Poſtridie referor ad heſternam mei ſupplicij columnam: ſed non potuêre manibus indui circuli ferrei, niſi intra ſulcos, quos grandes pridie impreſſerant: ſic intumuerant cetera, ut nullus par ijs eſſet circulus. Suſpenſo doloris quàm priùs ſenſus atrocior vexabat manus, ex quibus pendebam, mitior ventris & pectoris: quare mente & ore precando abſque deliquio animi duravi aliquamdiu; ſed ſupervenit defectio virium & ſenſuum tanta, ut ijs non poſſem reſtitui. De me ſolùm hoc ſcio, uti oculis ùt cæpi, video me in trunco ſedere. Exprobrabat mihi hic Eques Bartleyus ſilentium pertinax; ſed tantum mihi DEUS affudit vocis & pectoris, ut referrem, malle me millies, ſi toties poſſem, vitam profundere, quàm hominum gratiâ DEum offendere. Miſereri me viſus, admonuit tamen, nondum horam fluxiſſe torquendo deſtinatam, iterandúmque ſub veſperam tormentum. Ergo, inquam, eamus. Conatúſq; fruſtra in pedes aſſurgere, alienis manibus ad meam columnam acceſſi. Et hos mihi animos ſuggeri in gratiam Societatis agnovi, cujus licèt maximè indigna, pars tamen ſum aliqua. Alligatus ùt priùs, ſummum quidem probavi corporis dolorem, ſed magnam animi voluptatem, profectam, ùt reor, ex deſiderio moriendi. Mihi quidem certò videbar moriturus, & conſolabatur me ſingulariter divini placiti conſtans amor, ſpretâ cujuſvis mortalium voluntate. Nondum horâ integrâ penſilem me, dum cuſtos meus lacrymoſus carceri redderet, protulit pauxillum aliquid quo refocillarer: ſed emortuis manibus exiguum illud quod ſumebam, cogebatur terere in minutal, oríque indere. Reviviſcentibus deinde digitis, quod carpere poteram, non tactu, ſed pondere ſentiebam. Poſt menſes verò tres ſenſus manibus redijt, ſed æger & ſtupidus; nec niſi poſt menſes inde ſex, cùm me Turri ſubduxi, manus ad officium integrè redière. Hàc autem ratione ex Turri illa evaſit.

Stabat ex adverſo ejus, quâ claudebatur, turris alia, horto interjecto, muro & foſſis propinquior, quæ caſtrum cingebat. Ardenum habebat virum Nobilem, Catholicæ Fidei ergo decennem captivum, ſuo velut ſepulchro carceris, dum abſumeretur, derelictum. Is cuſtodis ſui conniventiâ, in plumbei tecti plano, liberiorem auram dum quotidie captaret, Patri, mox ùt in ſuo ergaſtulo comparuiſſet, flectebat genua, quærens ſibi ab ipſo benedici. Ac Pater quidem carcere in cellulam verſo, poſt iterata integro menſe S. Jgnatij Exercitia, inter continuum anni totius jejunium, quotidie pariter ſuam ſanctam fallebat pietatem, recitabátque totam Miſſæ formam veluti celebrans, & ſpiritualiter Chriſti corpore reficiebatur. Sed Julij ultimo anni 1597. die S. Jgnatio ſolenni, ſanctiori inſtinctus cogitatione, ſperavit poſſe rem divinam ex vero in Ardenij carcere facere. Ardenij enim uxori bis quot hebdomadis licebat, recens linum, & alia privatim neceſſaria, marito deferre: fore igitur pronum, ut ſupellectilem Altaris totam, paulatim ad eum deferret. His mente verſatis, ſignificavit Ardenio varijs nutibus, miſſurum ſe ad illum pia munuſcula, cruculas ex mali aurei cortice effictas, & precatorios globulos, quos ſucciſivis horis concinnabat; ſed chartam explicaret, quâ involverentur, admoverétq; illam igni, lecturum in ea quid vellet. Succo enim malorum aureorum (quæ illi ſubinde cuſtos carceris largiebatur) conſcripta, quod cælaverat candore, ignis objectu infuſcatis literis, legendum referabat. Ægrè quidem, ſed tandem & nutus, & ſucco mali aurei velatum characterem percepit Nobilis, & Cuſtodis gratiam nummis expugnavit. Hic poſtridie natalis Deiparæ Gerardum ad Ardenium introductum, ſollicitè, nil ſuſpicans, concludit: qui nocte totâ in præparatione ad ſacroſancta myſteria, decem annos Ardenio fruſtra expetita, ſolidè impensâ, conſecravit ſimul 22. hoſtias, quas ſecum in ſolatium, & futurum mortis viaticum referret. Poſthæc dum multa inter ſe loqvuntur, advertunt ab ea turri tam propè abeſſe tum foſſam, tum à foſſa murum, ut non videretur fuga inſuperabilis, & ſi cui pectus non deſit, etiam prona & facilis. Ergo rem ad Garnetum, ex ejus ſententia, ſive remanendum, ſive fugi-

endum

endum judicâſſet, facturi, per internuncium deferunt. Ille ex Catholicorum Nobilium ſenſu, fugiendum, ſi tutò, & vitâ incolumi poſſit, reſpondet. Ergo hi modum fugæ intus per literas digerunt, Amici foris ex condicto apparatûs curatione moliuntur.

Certâ nocte adfuturi erant in ſcapha prono Tameſi Joannes Lillius, & Richardus Fulvodius, linum ſinguli ad pectus candidum, ùt internoſcerentur, præferentes: quibus ſcapham ad turrim applicaturis, Gerardus cum Ardenio funiculum demitterent, & alligatum illi ex navicula rudentis extremum, ſurſum ad ſe attollerent: cujus extremum alterum ad truncum arboris turri oppoſitæ fortiter adſtrictum, & quantâ poſſet vi maximâ tenſum, cùm foſſam velut ponte junxiſſet, commendarent ſe Deo ſuiſq; brachijs, quibus per funem illum fugam promoverent. Rebus ità conſultis, expugnatôque iterum nummis Cuſtode, ut Gerardo noctem in Ardenij carcere iterum indulgeret, tres ſcripſit Gerardus epiſtolas, quas eſſet à fuga in turri relicturus. Primam ad carceris ſui cuſtodem, quâ eum evadendo capitis diſcrimini ad fugam invitabat; adfuturum certâ domo (quam deſignabat) eqvum, & viæ ducem, à quo in tutum ſalvus ſubduceretur, habiturus quamdiu viveret florenos in annum ducentos, & omnia ad vitam neceſſaria. Alteram ad Bartleyum Caſtelli Præfectum, quâ omnem à cuſtode ſuſpicionem amovebat. Tertiam ad Regium Senatum, quâ fugæ cauſam recenſebat: non mortis timorem, ad quam paratiſſimus ſtaret, ſed mortis iniquæ injuſtiſſimas cauſas, quibus vita & fama Garneti, Viri ſancti & innocentis, coactè petebatur: ſe fugâ, naturæ jure innocuis conceſsâ, ſervare voluiſſe, ut animorum prodeſſet ſaluti. Adeſt interea gerendæ rei articulus, ejus eventum cælitus fortunari oratione, indictis jejunijs, eleemoſynis, afflictatione ſui, votis etiam quidam in totam vitam factis, procurare certant Catholici. Primum ejus tentandæ conatum inanem fecit è vicinia Vir, illos in ſcapha conſpicatus, eiſque collocutus: ex quo illi putârunt, cautiùs nocte illâ nihil experiri. Sed cùm prono feruntur Tameſi, pleno maris redeuntis fluento impares, abripiuntur in trabes pontis interſertas paraſtatis, DEum & homines in opem magnis clamoribus vocantes. Actum erat de illis, niſi grandis, & periculo par accurriſſet navis, & jactis è ponte funibus emerſi conſtitiſſent. Amiſſis rudentibus & ſcaphâ evadentes, ſpectabat audiebatque è turri cum Ardenio Gerardus: & ſuo ſe uterque carcere, Amicorum præcipuè mæſti infortunio, abdidere, omni aleæ denuo mittendæ poſitâ cogitatione.

Sed primo mane ſcribit ad Gerardum Lillius, bene omnia per DEI gratiam poſt naufragium habere. redirent poſtridie horâ eâdem, & operirentur adfuturos. Extortâ duplicato pretio Cuſtodis venià Gerardus tertium cum Ardenio pernoctandi, advertunt cimbam ſurdo remigio propinquantem, filum proijciunt plumbo ad pondus faciendum alligatum, trahúntque ad ſe innexum rudentem: quem firmis ad proſtans è turri tormentum bellicum adſtringunt nodorum vinculis. Vice versâ qui erant in cimba, truncо arboris ingenti colligant, & vehementiſſimè intendunt. Verùm haud valuit vi tantâ intendi, quin tanto, quod jungebat ſpatio, flacceſceret, & in arcum penderet, ſic ut per eum equitaturus non ſatis ſui pondere juvaretur, ſed nervis opus eſſet ad ſuperandam illam rudentis curvaturam, & dexteritate ad æquilibrium tenendum. Utrumque tamen metu æterni carceris, aut mortis indubiæ, feliciter exegit Ardenius. At Gerardus lentato jam laxiùs, quàm fuerat antè, rudenti ſe committens, accitâ in auxilium DEI Matre, & carceris ejuſdem duobus ante ſe incolis Southuuello & Walpolo, aliquantum confecit viæ. Sed nervorum defectu mox in ſupinum everſus, pependit è cannabe, promovitque nihilominus uſque ad medium. Hinc prorſus defectus viribus & halitu, nec valens tranſverſum digitum procedere, ſtatuebat ſeaquis præfocandum, cùm ruinæ proximus in foſſam immineret. Ergo collecto quod ſupererat extremo ſpiritu, evaſit ad murum extremis pedibus tangendum. Inde illum adrepens traxit Lillius in terram exanimum, & balſamo modicè recreatum cimbæ impoſuit. Pòſt ſecto rudente de turri pendulo, in adverſam ripam celerrimè traijciunt, liberatis & liberatoribus DEO infinitas gratias cum lachrymis agentibus. Ibi eos præſtolabatur cum pari equorum Nicolaus Odoënus, quibus inſcenſis eò volant, ubi eos Garnetus expectabat. Ceterùm Gerardus paucis, quibus vires perfectè reciperet, menſibus, Londinum redijt, ædes conduxit, Miniſterij ſancti labores repetijt, eò confidentiùs, quò animadvertit, tentum ſe iterum propè ab adverſarijs ſæpius, illorum ſemper ſe manibus DEI beneficio exiſſe.

At verò libertatis ejus adminiſter Odoënus, his

his aliiſque rudimentis DEO, & 20. annorum fidelibus obſequijs Garneto probatus, (neque enim Sociorum in numerum ſuccenturiatus, famuli nomen aut munus omiſit) unà cum Domino ſuo, & P. Oldcorneo, in hoſtium tandem manus tertiò delapſus eſt; ſolâ charitate, quâ majorem nemo habet, utanimam ſuam ponat pro Amicis ſuis, proditus, dum latebrâ ſponte, ùt paulò antè in Garneto retuli, cum famulo Oldcornei erepſit, ut ab hoſtibus tenti, & pro Sacerdotibus habiti, utiliorem Catholicis eorum vitam ſervarent. Incredibile eſt, quantis ejus capturâ inceſſerit gaudijs Regni ſcriba Cæcilius; gnarus quanta ſtruendarum latebrarum Nicolao eſſet peritia, quâ innumera Sacerdotibus totâ Anglia occultandis ſtruxiſſet cæca cubilia. Certâ igitur ſpe polliceri ſibi videbatur, Sacerdotes ad unum omnes ejus indicio deprehenſos, Angliâ exterminaturum, & præcipuæ Nobilitatis opibus, quòd latibulis domeſticis eos excepiſſent, fiſci nomine direptis, opulentiam ſuam locupletaturum. Hæc prima illius exultantis, ùt primùm Owenium captum intellexit, vox fuit; *non lentâ nunc demum agendum manu, eblandiendum ex ipſo, ſi velit opimâ ſacerdotum prædâ vitam paciſci; ſi nolit, tormentis urgendum exquiſitis, & cruciatuum duritie exprimendum.* Acta res omni ingenio eſt atq; induſtriâ. Principio Piratico in carcere penè liberâ cuſtodiâ habitus fuit, ut quinam ad eum inviſerent, diſſimulanter obſervarentur, unde conjectura de occultis capi poſſet. Sed eâ expectatione per ſagacem viri prudentiam deluſus Cæcilius, in turrim Nicolaum tranſtulit, omni genere atrocitatis urgendum atque mactandum, donec ea, quorum deſiderio impotens ardebat, edidiſſet. Wadæus ergo turris tum cuſtos, inſanis in Religionem Catholicam ſuapte naturâ odijs, & Cæcilij hortatu plenis obſequijs in eam barbariem incubiturus, ſex illum dies quantumvis debilem, & pridem herniâ laborantem, in atrociſſimo cruciatu pendentem habuit, & horas quidem aliquando ſeptem continuas. Nec eos à crudelitate abſterrebant Leges Patriæ, herniâ laborantes reos diſtendi vetantes, ne pondere ruptis omentis ilia prorumpant, homine, quem necdum conſtitit morte mulctandum, extincto. Providit quidem opportunum periculo remedium crudelitas, & ut in carnificina duraret, ventrem illi ferreæ complexu laminæ, ne viſcera prorumperent, coërcuit. Sed ea fuit quæſtionis atrocitas, in qua ventrem ac pectus potiſſimùm dolor vehementiſſimus occupat, ut nullo complexu viſcera retineri poſſent. Cùm enim patientiſſimus in tormento Nicolaus, ad omnia Wadæi quæſita magis piſce mutus, cum ſolo DEO loqueretur, JESUMque & MARIAM ſuaviter in auxilium vocans, cætera quietus penderet, rabie ferinâ percitus Wadæus conniti jubet carnifices, & quidquid poſſent viriū, in diſtrahendo ſceleſto novis gravato ponderibus, exerere. Quod dum ſtrenuè ultimo exeqvuntur conatu, laceratis omentis, erupere miſerandum in modum rupto corpore viſcera, ipsâ ferri acie in patentius vulnus ventrem diſcindente. Linquitur inter hæc animo Nicolaus, & ſupremis DEO votis ſpiritum commendans, in cataſta moritur.

Moviſſet illud hominis quantumvis ſceleratiſſimi fatum, etiam ferinum pectus; Wadæum tamen & Cæcilium in belluas pridem degeneres etiam exaſperavit, ut inauditâ, eâque probroſiſſimâ calumniâ famam defuncti obruerent. Edidêre in vulgus, typo & ſcalpello, eum ſponteneâ morte cruciatus, quos imminere metuebat, prævertiſſe, & deſperatione actum, dum neſcio quid aliud ergaſtulo abſens Cuſtos agit, cultro ventrem diſcidiſſe; cujus deſperati conſilij cauſam fuiſſe, falſum metum tormenti gravioris, cùm à Cognitoribus juſſus fuiſſet modico duntaxat ſpatio pollice utroque de trabe ſuſpendi. Verùm fruſtra vecordiſſimi mortales tam aliena à veritate mendaciorum finxêre argumenta; notior enim erat viri etiam apud Acatholicos virtus & fortitudo, quam annis abhinc decem eâdem quæſtione diriſſimè tentatus abundè probaverat, quàm ut perſuaderentur per intolerantiam & deſperationem ſpontaneam ferro animam exturbâſſe. Unde poſtea vili & deſpicabili ſervo cultellus menſarius, (tali enim viam inteſtinis aperuiſſe fingebant) ad ſcindendos cibos permiſſus eſt, quod reis etiam ſupremæ dignitatis illic nunquam conceditur, ut neque ab addictiſſimo ſibi Cuſtode P. Gerardus cultellum calamarium, ad aptandam ſcriptioni in vicem calami feſtucam, impetrare potuerit? Cur deinde Cuſtodis ſive incuria, ſive indulgentia in ferro permittendo, ſolitis pœnis non eſt penſata? cur non Ovveni cadaver præſcripto legibus & uſu, homicidarum talium affectum dedecore, & palo per medium adacto, extra Urbem rure, aſini ſepulturâ conditum? Quomodo etiam, ùt verum foret cultrum ei permiſſum, totâ manu ad ſcindendum patenti vulnere

nere corpus uti potuit, cùm palàm ſit, paulò vehementiùs eo tormenti genere tentatos, ità diu manuum impotes eſſe, ut ne tractare quidem cultrum, aut manum comprimere poſſint? atqui emiſſus ad ſororem, ut neſcio quid Owenij nomine peteret, carceris cuſtos, excuſavit emortuos illi ex immani eqvuleo digitos, cui ne duobus quidem ſcribendis ad illam verbis ſufficerent, cùm neq; ad veſcendum, neq; alium vitæ uſum manibus uti poſſet. Qui etiam veri & facti teſtis oculatus, quòd eum præſens & coràm vi cruciatuum, & viſcerum ex tormentis ejectione mori vidiſſet, Catholicis juramento confirmavit. Et ex carnificibus, qui eum torſerant, unus miraculo ſimilem viri patientiam in continuato ſex diebus eqvuleo, & fortitudinem, inter illas dolorum lethaliuma preſſuras, humanâ majorem, ità deprædicabat, ut nunquam ſibi in manus veniſſe tantæ hominem generoſitatis, & Chriſtiani ſpiritûs aſſereret. Nec defuêre Viri magnanimi, qui populo cadaver Owenij expoſitum ſpectanti, rem ùt geſta erat ſibi optimè perſpectam, animoſè conſtantérq; narrârunt. Qui licèt idcirco rapti in carcerem, veritatem loquí prohiberentur, fama tamen extra carcerem libera ſuum D E I famulo nomen reſtituit, & glorioſo pro fide Catholica agone, generoſiſſimè ad ultimum uſq; halitum decertâſſe celebravit.

P. THOMAS GARNETUS.

SUblato è vivis & percuſſo Paſtore, P. Henrico Garneto, diſperſæ ſunt à lupis oves, & univerſo Regno ſub graviſſima ſupplicio-rum interminatione proſcripti Societatis homines, & ſacerdotes omnes. Deportatis extra Inſulam, quos carceres varij claudebant, omnibus; tentus tamen eſt P. Thomas Strangeus, ne immanem prorſus & barbaram miniſtrorum Regiorum immanitatem, toto corpore Provincijs alijs loqueretur. Tribus enim diebus à Wadæo crudeliſſimè tortus, altero triduo manicis ferreis excruciatus; totos inde, quos vixit, annos, elumbis, captus membris, doloribus capitis vexatus, ſanationis expers egit; ſatentibus tamen ipſismet cognitoribus, ne ſuſpicionis quidem, ad fulciendam contra illum cauſam, ſibi fundamentum ſuppetere. Neque hic conſtitit Jacobi Regis ſanctè promiſſus in Catholicos favor. Juramentum ab omnibus Catholicis exegit, quot capitibus, tot perfidiæ ſacrilegijs plenum, quo omnem ſpiritualem Romani Pontificis in Regem & Regnum Angliæ proteſtatem execrari, neque ullam ipſius, præter Regiam ſolam, in ſe, ſuóſque jurisdictionem in rebus ſacris & conſcientiæ agnituros, jurare cogebantur. Blackwellus, Sacerdotibus ex Clero, Pontificiâ authoritate præpoſitus Archi-Presbyter, in ſcelus prolapſus, poſt quadrimeſtrem carcerem juramentum admiſit, & pernicioſo exemplo ſacerdotes, & ex Catholicis quàm plurimos in ruinam traxit. Reſtitêre conſtanter ex Societate operarij unus & quadraginta, & nefarium juramentum omni execratione fugiendum Catholicis prædicavêre. Ex quibus primus Pater Guilielmus Wrigthus, veritatem hanc Catholicam carcere ærumnoſiſſimo, P. Thomas Garnetus, Henrici Garneti Nepos, etiam morte aſſeruit. Natus eſt Londini Patre Richardo Juris peritiſſimo, ſed direptione bonorum, carcere, ærumnis pro Fide toleratis, longè clariſſimo, à quo ad annum ætatis 16. literis & virtutibus eductus, Audomarum in Belgium, ac poſtmodum Valliſoletum eſt tranſmiſſus; ubi, abſolutis ſtudijs ſuperioribus, ſacris initiatus eſt cum Marco Bereuvorthio, poſtmodum in Catholicæ Fidei teſtimonium, laqueo ſimiliter in Anglia præfocato.

P. Thomas reverſus in Angliam, ut vires & valetudinem Cœlo Hiſpanienſi labefactatam, Patrio aëre reſtauraret, ſex annos in hominum ſalutem, omni verborum & exempli efficaciâ impendit, intérque uberrimos fructus numeravit conjugum paria aliquot, ſua perſuaſione ad Virginitatem in matrimonio, votâ D E O continentiâ, ſervandam inducta, eſto ætate, generis claritudine, bonis fortunæ, ad omnem commoditatem & voluptatem affluerent. Cùm autem & ipſe ſanctioris vitæ deſiderio, à Patruo Henrico Societati Angliæ Præpoſito, admiſſionem inter ſuos conſtanter flagitaret, cooptatus tandem eſt poſt longa & multa vota, in Belgij tyrocinium tranſmittendus, niſi conſpiratione Catesbyana præcluſis in Belgium vijs, ejuſdem ſuſpicione tentus, in carcere priùs vinculis Martyrio, quàm in Novitiatu religioſis exercitijs Societati ſe probare coactus eſſet. Suſpectum conjurationis fecêre ſolæ Henrici

P. Thomas Garnettus Anglus Soc: IESV, pro Fide Catholica ſuſpenſus et diſſectus Londini in Anglia Anno 1608: 23. Iunÿ.

C.S.d. M.K.f.

ad illum datæ literæ, & interceptæ, quâ causâ ergaſtulo conditus eſt arcto, frigido, ſordium & putredinis pleno; ex cujus ſitu gliſcente in medullas contagio, per omnem deinceps vitam doloribus acutis laboravit. Cùm autem neque interceptæ literæ, neque ullus aliunde rumor de Thoma quidquam loqueretur, quod ex eo per Judices de conſpiratione quæri poſſet, minis tormentorum, & examinum perplexitate exprimere conatus eſt Cæcilius. Sed omnibus in caſſum adhibitis, ſquallore ærumnoſi carceris abſumendum, ſuo ſepulchro reſtituit; è quo proſcriptione Regiâ poſt novem menſes protractus, & in Belgium, quod antè non licebat, ultro nunc Regio navigio ad Tyrocinium Religionis tranſvectus eſt. Vixit Lovanij, eo conatu & profectu ad ſumma virtutis conniſus, ut Novitijs Socijs poſſet Magiſterium præſtare; qui ab heroica virtute ductis indicijs, gloriosâ morte occubiturum olim, tanquam præſagio jam tum dictitabant. Quâ conſummatæ perfectionis æſtimatione, mox anno vertente, necdum abſoluto tyrocinio, remiſſus eſt in Angliam, mirum quàm opportuno & neceſſario Catholicis firmamento, ad recuſandum fidei Regiæ jusjurandum, Chriſti Vicario infidele.

Vix Regnum ingreſſus, proditione Apoſtatæ Roveſij comprehenditur, & poſt non diuturnum Carcerem, Pſeudo-Epiſcopi Londinenſis Tribunali ſiſtitur. Et cùm nihil contra recentem advenam prætendi poſſet, varijs de rebus promiſcuè interrogatur,

num Sacerdos, & Jeſuita eſſet? utrùm literas ex Anglia ad P. Gerardum conjurationis in Regem damnatum tranſtuliſſet? quorum priora duo liberali confeſſo, cùm tertium nullo argumento, vel apparenter probari poſſet, ſeveritate depoſitâ, cœpit eum verbis in omnem comitatem & blanditias effuſis hortari Epiſcopus, ut fidelitatem Regi, indicto recenter juramento, præſtaret, abiturus hâc obedientiâ omne, capitalis etiam cauſæ, periculum. Renuit animosè Pater ſervandæ vitæ iniquam conditionem, neque ad deliberandum ullâ opus eſſe dicebat morâ, quam inſidiosè quatuor menſium offerebat Epiſcopus, ut calumniæ Societatis Sacerdotes exponeret, quia & ipſi jam ambigerent de illius jurisjurandi perfidia. Cùmque commotior Antiſtes extrema minaretur, illa non invitè ſubiturum ſe pro ſanctis Eccleſiæ legibus reſpondit; cùm nefas ſit poteſtatem Vicario ſuo à Chriſto conceſſam, temporali Principi aſſerere. Excanduit adhæc, qui Examini in Epiſcopio aderat, Wadeus: &, *juro*, inquit, *hujusmodi hominum examinibus me nunquam affuturum, nisi extemplo hunc rapi jubeas ad novæ portæ cuſtodiam* (eſt ea Tiburno vicina, ex qua rarus incluſis, nisi ad furcam, exitus) *Tuo arbitratu fiat*, ſubjecit mitiſſimus Præſul; *& ſi Rex jubet eum mori, per me licet.* Ad quos mitiſſimè Thomas: *ego*, inquit, *Domini, & ad portam novam præſto ſum, & ad Tiburnum expeditus, & mors mihi ſumma Votorum eſt, ut cui pridem cor meum mancipavi, totus à meo JESU poſſidear.* Infrenduit ſcilicet ad tantam viri libertatem, veritatis omnis expers Wadeus, & inſani more terram pedibus rabidè quatiens, convitijs omnibus, quæ amenti in buccam venire poſſunt, innocentem proſcidit. Epiſcopus autem gravi admonitione hortari inſtitit, ne fuco prætextæ pietatis, & veræ religionis deceptus, æternum ſibi exitium accerſum iret, qui eximijs à natura dotibus ornatus, multum poſſet in Evangelio Calvini DEI gloriæ prodeſſe. Dedit ſub hæc Thomas literas ex carcere ad Præſidem Societatis, qui in locum Garneti per Angliam ſuffectus erat, P. Holtbeyum, enixè rogans, ne Catholicos pateretur pro ſui liberatione quidquam tentare, cùm præter propriæ ſalutis certiſſimum lucrum, majus ſperaret emolumentum ſuâ illis morte, quàm longioris vitæ quantavis operâ allatum iri.

Sed timorem omnem abſterſit præpropera ejuſdem ad tribunal judicum, quatriduo ſcilicet poſt privatum illud examen, evocatio; in quo quadruplicis criminis reus peractus eſt; quòd Sacerdos Romanæ ordinationis; quòd Religioſus eſſet Societatis JESU; quòd in Angliam regreſſus Catholicos à Regis obedientia ſeduceret; ac demum, quòd debitæ Regi obedientiæ ſacramentum præſtare nollet. Faſſus eſt ingenuè priora duo, cùm nullis teſtibus idoneè probata fuiſſent: tertium rejecit efficaciter, ut cui nihil in votis & conatu magis fuerit, quàm ut Catholici omnes debitam Regi in temporalibus, penes fidelem Pontifici in ſpiritualibus ſubjectionem præſtarent. Sed & obedientiæ, quæ Regi competeret, Sacramentum dicere ſe ſemper paratum; illud etiam ad teſtificandam ſubjectam mentem in ſcripto attuliſſe. Quòd ſi authoritatem Vicario Chriſti jure Divino debitam, & per ſacrilegium Principi terreno arrogatam, nollet juramento firmare, hoc verò non poſſe infidelitati in Regem imputari. Protulit exinde juramentum fidelitatis ſcripto à ſe in carcere elucubratum, cujus exemplar unum ad P. Holtbeyum tranſmiſerat, & ex altero obedientiam Regi debitam publicè in Judicio, & iterum ſub patibulo, coram omni populo recitare parabat. Verùm prohibitus tunc quidem eſt, erepto ſibi per vim, & diſcerpto chirographo: cujus tamen verba ex P. Holtbei autographo recitare placet. *Ego Thomas Garnetus, ſincerè atque ex animo, & coram cæleſti curia profiteor, me Regi meo legitimo Jacobo, fidelitatem omnem & obedientiam præſtiturum, quæ illi Naturæ, Divinâ & veræ Chriſti Eccleſiæ debetur lege. Fidei meæ teſtificatio ſe parum videtur ſufficere, teſtis mihi ſit & Judex DEUS, orbiſque univerſus, Regum neminem poſſe plus fidelitatis à ſuis exigere, quàm quod ei lex Divina concedit: ſubjectorum neminem Regi poſſe majorem ſpondere ac jurare obedientiam, quàm quæ ab Chriſti Eccleſia probatur. Mea hæc mens eſt. ſic me DEus adjuvet in hora mortis.*

Damnatus læſæ Majeſtatis, ubi ad carcerem reductus eſt, certatim à Catholicis adibatur, omnia pene illius, quantumvis reluctantis, in piam memoriam diripientibus. Biduum ultimum egit in ſubterraneo ſpecu, Limbi nomine, manus pedeſque compedibus gravis, & catenis undique circumcinctus, ne deſperatè mortem, voluntariâ ſcilicet nece, anteverteret, qui paulò antè offerentes Catholicos ad evadendum è turri operam & funes, animoſus rejecit, dicens, *malle ſe in aëre collo pendulum à fune ſubſultare, quàm manibus prehenſo in terram ſalvum demitti.* Inſtante ſupplicij horâ ad cratem alligandus,

lætus & alacer prodijt, proinde geſtiens, acſi ad convivium & nuptias ducendus foret. Protractus Caballi caudâ ad Tiburnum, ubi crate ſolutus fuit, præſtolantem ſe habuit Thomam Cæcilium, Regi ab arcanis Conſiliariũm; qui Regis nomine impunitatem omnem obtulit, ſi modò in animum induceret juramentum fidelitatis præſtare. *Vel quinquies mille vitas*, reſpondit Pater, *ſi crimine tam impio lucrari poſſem, neutiquam facerem.* Carrum ergo de more juſſus conſcendere, primò omnium ſigno crucis ſe munivit; trabi, cui appendendus erat, oſculum impreſſit; injectúmque collo laqueum detraxit, & ducta deſuper benedicentis ritu cruce, piè itidem oſculatus, ſtatim collo repoſuit. Parantem ad populum quædam dicere, indignabundus Prædicans, ut miſſis ludicris juraret potiùs fidelitatem, & religionem Calvini, hortabatur. Cui P. pulſato amicè humero, *ne hoc loco*, ait, *amabo te inimicitias exerceamus.* Exorſúſq; ad populum dicere, *ſacerdotem ſe ex Societate JESU* profeſſus eſt, *omnium, qui vivunt, mortalium, illa die feliciſſimum, quo nullum ſibi, ex quo in lucem editus eſt, fuiſſe jucundiorem, Deo teſte aſſeruit.* Detrahentem interim ſibi veſtes carnificem ſtrenuè adjuvit, & invitantem denuò ad juramentum Cæcilium, gratiæ & vitæ oblatione, ſimpliciter rejecit. Tum dictionem ad populum reſumens, *novem ſe annos Catholicis operam conſuetis ſacerdotis officijs in Anglia navâſſe* faſſus eſt; quàm alienum ab omni in Regem inobedientia vel rebellione, ex juramento ſuo colligi velle, cujus in morte editi teſtem, omnem populum diceret. Recitavitque ſub hæc relatam ſuperiùs ſacram formulam. Sublatis demùm in Cœlum oculis & manibus, ubi Deo pro tam beatæ mortis beneficio gratias egiſſet; *avertat ab hoc Regno*, ſubjecit, *iram ſuam DEUS, nec à Rege meum ſanguinem exigat. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Apoſtata Sacerdos Roveſius me prodidit, DEus illi condonet. Apparitor Craſſius comprehendit, DEus illi condonet. Epiſcopus Londinenſis carceri addixit, DEus illi condonet. Ejus ſecretarius infenſum illum mihi ſuis ſuſurris reddidit, DEUS illi condonet. Wadeus mortem meam promovit, DEus illi condonet. Montagatius, & teſtes falſi multa in me commenti ſunt, DEus illis condonet; détque mihi videre omnes in cœlo ſalvos.* Orare poſthæc ad extremum de genibus cùm vellet Pater, Ave, & Credo, nec brevitate laquei impeditus poſſet, rogavit Catholicos, ut eadem ſecum precarentur: Quibus ipſe hymnum, *Veni Creator Spiritus*, ſuperaddens, in ijs verbis, *ſermone ditans guttura*, ſubducto carro pependit, prohibito per Cæcilium carnifice, ne laqueum priùs, quàm animum efflaviſſet, ſuccideret. Id quod factum eſt die 23. Junij, anno 1608. ætatis 34.

Porrò inter amicos quatuor, qui protractis pendentis pedibus (id enim propinquorum in Anglia muneris eſt) breviorem cruciatum acceleratione mortis curare ſatagebant, fuit etiam unus ſectâ hæreticus, quem manu altera protenſa viſus eſt Pater velle à ſe amovere, altera verò cruce verſùs illum ductâ ſignare; quem cum fixo in eum obtutu poſtremùm reſpexiſſet, vivere deſijt. Laniati corporis reliquias ardenter expetiêre Catholici, & feliciſſimè omnium Atkinſonus, Garneto amiciſſimus, fruſta carnis cum veſtibus à carnifice multâ pecuniâ redemit; paulò enim pòſt morbo oppreſſus curationis deſperatæ, applicatis pectori P. Thomæ reliquijs, momentò meliùs habuit, ſic ut die poſtero integrè ſanus, ad conſueta munia rediret.

P. JOANNES OGILBEUS.

REgnum Scotiæ Fidei Catholicæ quondam tenaciſſimum, peſtilente Calvini hæreſi, ſub eadem quibus Anglia tempora, depravari cæpit; donec Jacobo Stuarto Rege ad ſceptrum Angliæ aſſumpto, in unam coronam coaleſcens, perfidiæ penitus ceſſit. In eo familia Nobili, Parentibus Catholicis natus eſt Joannes Ogilbeus, opulenti patrimonij jure primogenituræ futurus hæres, niſi Fidei theſauro in hæretica Patria metuens, illum in tutiora ad exteros efferre maluiſſet. In Belgium itaq; traijciens, pluribus annis in ſuæ gentis Seminario literis operam navavit, quibus eximiè inſtructus, ut tantò utiliorem laboranti Scotiæ operam impenderet, Societatem JESU exambivit. Quàm ſolidarum eâ Magiſtrâ virtutum apparatu, ſublimis ſanctimoniæ capacem animum inſtruxerit, exitus vitæ potiſſimùm oſtendit. Erat enim Divini Numinis reverentiſſimus, majoribus obſequentiſſimus, zelo animarum ità accenſus, ut vitæ pericula flocci penderet; nullius rei majori deſide-

rio



P. Ioannes Ogilbeus Scotus Soc: IESV, pro Catholica Religione ſuſpenſus, et diſſectus Glaſci in Scotia, 10 Marty A. 1615.

C.S.A. *M.K.f.*

rio æſtuans, quàm mortis in tam nobili cauſa oppetendæ. Sortitus erat in hoc munus animam à DEO penitus capacem, vivaci & peracri indole, fervido ingenio præditam, in quo domicilium nacta virtus, generoſitatem quandam & audaces ſpiritus induit. Abſolutis à Tyrocinio, Græcij in Styria Philoſophiæ & Theologiæ ſtudijs, in Scotiam, quantumvis arctè per excubias obſeratam, ſe penetravit; ubi maximo animarum fructu aliquamdiu laborans, Glaſci comprehenſus eſt, proditione nefariâ unius ex quinque, à quibus Glaſcum, hæreſim ejurare cupientibus, evocatus fuerat. In domum Prætoris Urbici adductus, alapâ ab Pſeudo-Epiſcopo ſalutatus eſt. Quam ſecuta eſt, quaſi dato ſigno, tota tempeſtas colaphorum, verberum, alaparum, à manibus miniſtrorum in caput & corpus ejus undique deplua, ut longo d-inde ſpatio quaſi mentis inops, ad ſe demum vix poſtliminio redierit. Alij barbam vellere, faciem unguibus lacerare, pecuniam, ſigillum, Breviarium, & ex hoſpitio equum, ſacram ſupellectilem, & quidquid literarum erat diripere: alij veſtes etiam, aduſq; induſium detrahere. Quod dum Viro caſtiſſimo impudentiſſimus ad ludibrium elevare tentat, *quid viſurus es*, objurgat ille audacter, *bipedum impudentiſſime, quod, ſi vir es, ipſe non habeas?* Die inſequenti ad aulam Epiſcopalem conſeſſum Prædicantium, Baronum, & Regni Senatorum adductus, multa juridicè quæſitus fuit; ad quæ generoſæ animoſitatis plena reſponſa, quæ ex ipſo gratiùs percipientur,

entur, ipſiusmet verbis, ex epiſtola ad Præpoſitum Generalem Societatis excerptis, referam; ſuccinctè tamen, multis, quia fuſiora ſunt, prætermiſſis.

Quærunt an Nobilis ſim? dixi eſſe me, & Parentes fuiſſe. Quærunt, dixiſſemne miſſas in dominijs Regis? reſpondeo: ſi hoc crimen eſt, non debet examinari jurejurando, ſed teſtibus. Probabimus ajunt teſtimonio illorum, qui te viderunt. ℟. Si vobis teſtes ſufficiunt, eſto. Cæterùm faxo, ut nec meâ inficiatione infirmetur, nec aſſertione roboretur ipſum teſtimonium, donec mihi viſum fuerit. Esné tu, inquiunt, Sacerdos? ℟. Si demonſtraveritis me miſſas dixiſſe, convincetis me Sacerdotem eſſe. Quî, interrogant, vocaris? ℟. Cur vos id inquiritis? ſi vobis ſuſpectus ſum, crimen proferte. haud eſtis de me tam bene meriti, ut in veſtri gratiam quidquam dicam. Quærunt, num Regem agnoſcam? ℟. defacto Jacobus eſt Rex Scotiæ. Dicunt, jura. ℟. Quorſum? dicunt, ut cognoſcamus, num quid contra Rempublicam moliaris. ℟. fruſtra jurare, peccatum eſt, id quod ego facerem, cùm ſcirem per leges nihil mihi hoc poſſe prodeſſe; nam leges in criminalibus excipiunt juramenta. Interdum enim amor proprius multis ſuadet pejerare, propter corporis ſalutem. Dicunt, tûne Regis nomine jurare renuis? ℟. quid jurabo? Ajunt, dicturum te ſinè æquivocatione, quidquid nos interrogabimus. ℟. tametſi nullo jure obſtringar, jurabo dicturum me, quæ mihi fuerint viſa, de alijs dicam, nolle me dicere. Et quare, ajunt, iſta non dices? ℟. quia non obligor, & nolo peccare; peccarem autem, ſi proximum innocentem læderem. Et ſic poſt longam diſputationem, juſſus ea tantùm jurare, quæ vellem, juravi. Et mox interrogatus nomen meum dixi, familiam, Patriam, Cognatos, Gradum, ubinam ſtuduerim, Religionem. Interrogatus, num Miſſas dixerim in Regis dominijs? ℟. Hoc propter decreta Parlamenti mihi præjudicare & proximo, nec ad Regis forum pertinere: Judices ſi ſunt, crimina, non ſacrificia debere inveſtigare. Dicunt, Regem non eſſe laicum. ℟. non eſſe Sacerdotem, ac ne primâ quidem tonſurâ inſignitum. Quærunt, quare in Scotiam venerim? ℟. ut dedocerem hæreſim. Quærunt, quis mihi jurisdictionem dediſſet, cùm neque Rex dederit, neque ullus Epiſcopus. Ridens ℟. omnes illos unà cum Rege laicos eſſe, nec ullam jurisdictionem habere. Oves Chriſti Petro eſſe commiſſas; eas, qui velit paſcere, ab Apoſtolica ſede jus petere debere. Ajunt; crimen eſt læſæ Majeſtatis aſſerere, Papam habere ſpiritualem jurisdictionem in Dominijs Regis. ℟. de fide eſt ipſum habere. Dicunt, audésne ſubſcribere? ℟. etiam ſanguine, ſi opus fuerit; & ſic ſubſcripſi. Dicunt, poſſitne Papa Regem deponere? ℟ Legitimum, & obedientem filium Eccleſiæ, ùt ſic non poteſt. Dicunt, quid ſi fuerit hæreticus? ℟. multorum doctorum eſt aſſertio, quòd poſſit. Quid tu, inquiunt, dicis? ℟. cùm fuerit definitum eſſe de Fide, pro illâ moriar: & cùm Judex Regis & Papæ fuero, dicam quid hic poſſit, quid ille mereatur. De pulveraria conſpiratione interrogatus, dixi, me deteſtari parricidia. Dicunt, ea, JEſuitas & Papiſtas docere. ℟. Legant, ſi lubet, acta Concilij Conſtantienſis, & videbunt ſimilia docere cum Wicleff hæreticos, damnare Catholicos. Multa interrogant deinceps de P. Garneto. ℟. Ipſum fuiſſe innocentem, nec debuiſſe prodere nomen Sacramentaliter confitentis, pro totius orbis ſalute. Ait Archiepiſcopus, ſi quis mihi confiteretur aliquid contra vitam Regis, etiam perſonam confitentis proderem. ℟. ideo nemo debet tibi confiteri. Dicunt, ideo Garnetum Papa canonizavit. Unde vobis id, inquam, conſtat? Quia pingitur, inquiunt, Romæ inter veſtros Martyres. ℟. debile argumentum, quod à Poëtis & pictoribus deſumitur. Dico tamen martyrem ipſum eſſe, ſi pro confeſſionis ſigillo ſervato mortuus eſt: etſi Papa ipſum Martyrem declaraverit, paratus ſum aſſerere per mortem, quòd martyr ſit. Archiepiſcopus ait, apage cum hypotheſibus tuis. Tu quid dicis? ℟. ſi vera ſunt quæ ipſe è carcere ſcripſit, & duorum Regum Legati, atq; alij multi nobiles teſtati ſunt ſcripto, bene & ſanctè mortuus eſt, innocénsq; fuit pulverariæ conſpirationis. Sed ut ut ſit, ego à nemine factus ſum harum rerum Judex. Veni enim in Patriam ut Chriſtum, non ut Garnetum prædicarem: ego mea nunc, uti tunc ille ſua curavit: quiſq; pro ſe, DEus pro omnibus.

Jam 26. hora erat, ex quo nihil guſtaveram, & laborabam febri; & licèt clamore diſputationis incaluiſſem, paroxiſmus tamen ſuperveniens algere me fecit. Et ſic ad ignem juſſus ſum recedere. Ibi à Scoto quodam, nequam compellor, & mendax, perjurus, qui honeſtum mentitus cognomen Ogilbei, ſceleſtam profeſſionem palliaſſem. Et niſi tot Nobilium, qui aderant, & Epiſcopalis Aulæ, rationem haberet, fore, ut me in

focum

focum detruderet. ℟. nunquam id mihi commodius eventurum, cùm valde nunc frigeam. Sed cavendum illi, ne cineres & carbones per domum disjicerem, quàm ipse cogeretur everrere. Consul civitatis affirmavit, me non esse Ogilbeum, sed Stuartum, & suum civem; fratrem mihi Prædicantem non procul urbe esse, matrem adhuc vivere. Ego nego, illi asserunt. Adest die sequenti mater, filium non agnoscit, quòd digitos non haberem concretos, nec essem hebes, sed nimis acer; sic rideò irrisores meos. Paulò pòst oblongo ferro, perticæ in modum ducto, librarum 200. duobus annulis innector, ità ut sedere, & supinus jacere duntaxat possem. Jubeor interim Londinò ocrearum crurifragio examinari. Veniunt à Rege Commissarij, ij damnant partim suspendio, partim rotâ, quatuordecim Catholicos mecum captos; ego Edinburgum ducor; ubi maneo in domo Episcopali. Ocreæ crurifragiales adferuntur, extrema minantur quotidie, ut loca & personas prodam; libertate propositâ & lautis muneribus, si fecero. Imò si hæreticus fiam, Præposituram in Meffet cum nobili matrimonio, & dona Regia pollicentur. Dixi ridens, hæc ob nominis affinitatem P. Moffeto offerri debere, non mihi. Responderunt, ipsum esse nimis simplicem. Ego contrà, certè est me multò doctior & sapientior. Si ipse ineptus est, ego aptus nunquam ero.

Die dictâ quærunt Senatores, ubi primùm diversatus sim, cùm in hanc Urbem veni. Dico me non teneri personas & loca dicere. Crimina illos, non personas debere inquirere. Urgent Regem de hospitio posse interrogare. ℟. Si merè Civilis esset quæstio, responderem; at cùm ipsum non agnoscam in spiritualibus Judicem, illi respondere non debeo. Ajunt, merè civilem esse quæstionem. Ego contrà inficior. Nam finis Regis spiritualis est, quia in odium fidei quærit, ut deprehendat Papistas ac puniat. Quærunt iterũ, ergo Regi parère non vis? ℟. quæ Regi debeo, omnia præstabo. Dicunt, Rex Missas prohibet, tu eas facis. ℟. Christóne an Regi parendum magis, vos judicate. Rex prohibet, at Christus Lucæ 22. instituit, & jussit Missas fieri: id si Rex damnat, quomodo non vult haberi persecutor? Pergunt Senatores, contra Regis voluntatem non debuisses venire in Regnum. ℟. Regem sinè causa legitimâ mihi Patriam prohibere non posse, cùm æquè naturalis sim subditus, atque ipse Rex. Dicunt meritò sibi & Reipublicæ timet à vobis JEsuitis. ℟. Faciat ea tantùm, quæ mater ejus, & omnes ante ipsum Reges Scotiæ fecêre, nec erit cur à Jesuitis sibi magis timeat, quàm Hispaniarum Regi. Quid ampliùs ipsi debemus, quàm hujus Majoribus Majores nostri? si jus omne regnandi à Majoribus habet, cur ipse plus exiget, quàm ipsi hæreditario jure relictum ab illis? illi jurisdictionem spiritualem nec habuerunt, nec usurpârunt, nec aliam unquam Fidem, quàm Catholicam Romanam. Unus Senatorum iratus dixit, Magnates disputandi gratiâ non venisse. Ego illi repono, nec ego disputo, sed ostendo me Patriâ privari non debere, nec ad Regem pertinere quæ postulatis, cùm crimen nullum fecerim. Si quid feci testibus probent, me in Rempublicam deliquisse. Ait unus, haud meliùs te purgares à suspicione conjurationis, quàm si dixeris, hìc fui cum isto, hæc & illa egi in Scotia, ipsos interrogate; & si ipsi me convicerint, reus sim; at dum taces, magis te reddis suspectum. ℟. utar consilio isto, cùm mihi expedierit; sed nunc non expedit, tum quia DEum offendendo, & proximum proditor perdendo, animam meam necarem: tum quia vos terroribus, & Regijs oblatis muneribus, imbecilles adigeretis, ad imponendam mihi conspirationis alicujus invidiam, ut pallium haberetis crudelitatis in nece meâ, quem nunc ob timorẽ infamiæ non punitis, uti velletis. Dicunt, Regem propter Religionem neminem necare. Instо, cur ergo Glascuenses ad rotas & patibula sunt damnati? Quærunt, Suarine doctrinam defendam? ℟. Non legi Suarij librum; si quid habet, quod non sit de fide, ipse defendat, qui docuit. Ego Suarij satelles non sum. Si quis ipsum vult refutatum, scribat librum de eodem argumento meliorem.

Tunc me abire jusso deliberârunt, quo me tormento cogerent omnia edicere; placuit autem vigiliâ. Igitur octo diebus, totisque 9. noctibus, stylis, aciculis, acubus, vellicationibus, coëgerunt me vigilare; mira interim minitantes, grandia promittentes, si parêrem. Re desperatâ, tandem Episcopus dixit, ingenti pecuniæ summâ se redemptorum, si posset, ne quid mecum negotij suscepisset. Nobilis, qui vigilijs meis præerat, minatus est, effecturum se, ut atrocissima quæq; mihi irrogarentur. ℟. egregij carnifices: ego vos omnes in hac causa nihili facio. agite pro hæretica vestra malitia, vos non curo, neminẽ rogavi, neminem rogabo unquam: possum, & volo lubens pro hac causa

plura

plura pati, quàm vos omnes poteſtis inferre. Deſinite mihi talia objicere. Me iſta accendunt, non conſternant; nec aliter iſta rideo, quàm ſtrepitus totidem anſerum. Paulò pòſt idem reverſus, amicè me interrogat, numquid mihi deſit. R. lectum deeſſe ad dormiendum. Redeunt die 10. Senatores, méque accerſunt. Eram autem pervigilatione tam debilis, ut vix ſcirem quid dicerem, vel agerem, ſæpiſſimè nec ubi locorum, nec qua in Urbe eſſem. Commemorant clementiam ſuam, qui me vigiliâ, non cruri-fragio tentâſſent. Ego illis repono, ſi cruri-fragio me examinâſſent, portatus in ſcholam, vel templum, docendo, aut exercitia Sacerdotis in confeſſionali obeundo, panem lucrari potuiſſem: at cùm per inſomnia pene extinxiſſent partem ſenſitivam, quod potuerunt peſſimum, feciſſe, quippe cùm ex vocatione mea non tibiarum, ſed judicij exercitio, Chriſto ſerviam & Eccleſiæ. Dicunt, niſi ſatisfeceris Regi, atrociora venient. R. ſi vobis omnia dicturus fuiſſem, jam tamen non dicerem, ne viderer dixiſſe coactus, & ſenſu, ùt beſtia; non ratione, ùt homo motus, atque ductus. Tentate ocreas. oſtendam DEO duce, me in hac cauſa non pluris tibias, quàm vos tibialia facere. Exiſtimo me ad majora natum, quàm ut ſenſu vincar. Verùm non in me, ſed in DEI gratia confido.

Poſtridie Epiſcopus Inſularum Andreas Knokius dixit, bene mihi proviſum iri, ſi vellem inventiones humanas relinquere, & Religionem ipſorum ab Apoſtolis prædicatam, ſequi. R. Religionem ipſorum nondum eſſe decennem. nam me puero tenebatis pro articulo fidei, nullum eſſe, aut dici debere Caput Eccleſiæ, præter unum Chriſtum; nunc omnes jurant Regem eſſe Caput Eccleſiæ in ſuis dominijs. Tu ipſe contrarium antea juràſti, & concionatus es Paſſeti contra Epiſcopatum, & confeſſus es palàm, Diabolum eſſe, & in faciem conſpui dignum, quiſquis Epiſcopus fieret: quinto decimo tamen pòſt die factus es Epiſcopus; nec contentus uno, pinguiorem alterum in Hibernia occupâſti. Dicite quæſo, eſtisne ſecundùm Apoſtolum prævaricatores? Ajunt, non: ſed magìs innotuit veritas, & nunc videmus ampliùs, quàm antea. Infero. bene eſt, videtis millia Epiſcopi in reditibus, cùm vix centum numeraretis Prædicatores. Ait Epiſcopus, Domine Ogilbee ſpiritus habes, multos tibi ſimiles optarem aſſeclas, bene ijs uterer. R. Mallem quidem Carnificem ad ſuſpendium ſequi; ad Diabolum enim rectà tendis. Itáne loqueris, inquit, mihi? R. ignoſce Domine, non didici aulicíſmos; & nos Jeſuitæ loquimur, ùt cogitamus; nolo adulari. Honoro te propter civilem dignitatem, & veneror canos tuos, cedens ætati: propter Religionem & Epiſcopatum nihili facio: laicus es, nec plus jurisdictionis ſpiritualis habes, quàm baculus tuus. Doleo, inquit, te ob egeſtatem, factum ex Prædicatore Papiſtam. R. tuo me pede metiris, qui duos Fidei tuæ articulos ejuràſti, pro duobus Epiſcopatibus. Archi-Epiſcopus de me abſente interrogatus, ait mihi ſimilem in has partes nunquam veniſſe: Siq;, ego evaderem, velle ſe pro me pendére: pulverem enim me in Olla poſiturum (Scotico proverbio) ſi evaderem.

Glaſguam in pervigilio Nativitatis Domini reductus ſum, & utroq; pede perticæ meæ innexus fui; nunc altero tantùm pede teneor, ferè, & cuneis duobus firmantibus ferrum, ne ſemper ſupinus, malum in dorſo contraham. Vocor deinde ad conventum Magnatum, ubi in menſa jacent Suarius & Bellarminus. Quærunt, poſſítne Rex excommunicatus Papæ juſſu interfici? R. Vos jurisdictionem ſpiritualem nullam habetis: quare ne videar illam in Rege agnoſcere, nolo ad quæſtionem de Chriſtiana Religione reſpondere. Si inſtructionis gratiâ me conſuleritis, dicerem: ſed cùm tanquam Judices interrogetis, non poſſum ſalvâ conſcientiâ dicere, quid ſentiam. Quærunt, habétne Papa poteſtatem ſuper Regem? R. Si Chriſtianus baptizatus eſt, habet. Vrgentibus, quomodo poteſt excommunicare hominem, qui non eſt in ejus Eccleſia? R. Eſt in Eccleſia hæreticus, quoad poſſibilitatem punitionis, non quoad communionem donorum, & chariſmatum ſalutis. ſicut enim bannitos & latrones poteſt Rex capere & punire, ſic Papa rebelles hæreticos. At hoc, inquit, Archiepiſcopus, faciet multos abhorrere à baptiſmo. R. ità eſt. ſed ſuperbos duntaxat, qui Chriſti humile jugum ſpernunt, & cum Patre Diabolo, non Chriſti, ſed ſuam gloriam quærunt.

In alijs ad eundem Generalem literis commemorat, ſe poſt ejuſmodi diſputationes, acerbis torturis, & terribilibus ſupplicijs affectum fuiſſe; quæ tamen in ſpecie qualia fuerint, non expreſſit. Tandem poſt carceris & ferreorum vinculorum moleſtias, allatæ ſunt Londino literæ, mortem Ogilbeo, in articulos ſubſcriptos fidelitatis juramento revo-

revocaret, denunciantes. Pridie quàm ad judicium, & inde ad ſupplicium educeretur, lotis pedibus, adſtantes invitavit, ad ſuas poſtridie inſtituendas (ità ſupplicium ſuum vocabat) nuptias. Ad quod manè, poſt longam noctis precationem, à Prætore evocatus eſt, brevi & detrito pallio ſub axilla ſemicinctus, pridem horam illam ſibi exoptatam profeſſus. Introductus in Aulam, recitatis Judicum nominibus, interrogatur, haberétne in ijs quid excipiendum? Cúmque illos ſibi capitaliter hoſtes, diceret æquos Judices eſſe non poſſe; reponunt: Româ ergo tibi Judices, aut ij, qui Miſſas tuas audierunt, accerſendi ſunt. Hi, inquit ille, pauperum mercium diſtractione, ſibi ſuiſque familijs meliùs norunt proſpicere, quàm criminalibus cauſis præſidere. Objcit Archi-Epiſcopus, at tu eos pauperes reddidiſti. Cui ille: imò verò id ipſe potiùs feciſti, dum eos carcere maceratos, rem familiarem tibi ad redimendam vexationem tradere coëgiſti. Mentiri eum impudenter ait Archiepiſcopus. Cui ille: definias ſi potes mendacium; ego utì ſentio, & quæ vera eſſe ſcio, loquor. Quæſitus, num inter judices eſſe vellet virum nobilem Catholicum, qui Miſſis ejus interfuiſſe inſimulatus fuerat? Ut periculo eum eriperet, reſpondit, ſibi ſuſpectum eſſe, ne ſui causâ accuſatus, & injuriam paſſus, vindictæ ſtudio contra ſe incitaretur. Tum Archi-Epiſcopo interroganti, num eſſet in Patriam rediturus, ſi donatus vitâ in exilium mitteretur? Si ob patratum, inquit, facinus aliquod exularem, caverem utique redire; at ob hanc cauſam, quam ſuſtineo, exul factus, non omitterem in patriam remeare. Atq; utinam ſinguli capilli capitis mei mille poſſent ad Fidem orthodoxam convertere, & te imprimis Archiepiſcope: neque enim iniquis hiſce veſtris ſtatutis, ſinè lege, ſinè authoritate, contra veræ Religionis cultores editis, refragari conſcientiæ duco. Quòd ſi Rex vos omnes Miniſtros egiſſet in patibulum, quando vos ei oppoſuiſtis in Conciliabulo Taiduni, aut Aberdoniæ habito, ſtatuentes nullum debere caput Eccleſiæ in terris agnoſci, tum profectò vererer ab exilio in patriam reverti. At cùm vobis in tam iniqua cauſa pepercerit, cur ego non obediam potiùs Chriſto, quàm Regi? cur eum in tam juſta cauſa non ſperarem fore beneficum, qui vos in tam injuſta etiamnum tolerat?

Digreſſi interim ad conſulendum ſuper ejus capite Viri duodecim, & paulò pòſt regreſſi, capitis in eum ſententiam dixerunt; quâ jubebant ex ſuſpendio ſemianimem exenterari, & reſecto capite quadratim dividi. Magnâ ille gratulatione ſententiam excepit, eámque proferentem complexans, Judicibus omnibus, etiam Archiepiſcopo dexteram junxit, ex corde ſe illis ignoſcere, ſicut à Deo ſibi donari peccata optaret, proteſtatus. Quibus ad prandium digreſſis, à carnifice, cui traditus fuerat, per frequentiſſimum populum eductus, eum & patibulum amplexatus, atque exoſculatus eſt, procumbens ſtatim ad orandum. Cùm autem interim Prædicans populo venditaret, eum non Religionis, ſed perduellionis causâ interfici, neque renutu illius, aut capitis agitatione (loqui enim prohibitus erat) à maledicentia compeſceretur; tum Pater Joannes, *Miror*, inquit, *veſtrum agendi modum. me pro mea cauſa loqui prohibetis, & interim cauſam, méq; ſimul veſtris mendacijs apud populum traducitis. Nihil in Regis præjudicium dixi, aut feci. Tantùm aſſerui, Papam habere ſpiritualem jurisdictionem in dominijs Regis, & in toto Mundo apud Chriſtianos, & poſſe Regem hæreticum excommunicare. Si quid aliud dixi, populo oſtendatur; nam hiſce, quæ retuli, ſubſcripſi, & pro ijs mori paratus ſum. Vos autem falſa de me ad Regem ſcripſiſtis, & nunc ea populo etiam perſuadere vultis.* Interroganti Miniſtro, *an mortem timeret? Non magis*, inquit, *pro tam bona cauſa, quàm tu patinas, cùm ad cœnam accedis.* Ligatis poſt hæc arctiſſimè, ut digiti contremiſcerent, manibus, dum inter precationem, & Beatiſſimæ Virginis ſanctorúmque invocationem ſcalas conſcendit, juſſus eſt ab indignante vice Comite ſæpius è gradu dejici. Quod cùm tandem multâ compaſſione renitens carnifex exequeretur, univerſus populus magno clamore & tumultu crudelitatem deteſtans, pœnam injuſtæ mortis in Judices iniquos averti à ſe poſtulabat. Cujus etiam intuitu factum eſt, ut funis pendentis, priùs quàm animam egiſſet, reſectus non fuerit, neque cadaver, ùt mos & ſententia ferebat, quadratim ſectum, ſed loculo incluſum, & deſtinato reis ſepeliendis loco ſepultum. Id quod actum eſt decimâ Martij, Anno 1615. ætatis 34.



P. Melchior Grodecius Silesius, et P. Stephanus Pongratz Hungarus Societatis IESV odio Fidei Catholicæ crudelissimè necati à Calvinistis in Hungaria A. 1619. 7. et 8. Septembris

C. S. d. M. K. f.

P. STEPHANUS PONGRATZ, ET P. MELCHIOR GRODECIUS.

EXitialis illa tempestas, quæ classico hæresis, rebellionum matris, in Ferdinandum II. Cæsarem concitata, Boëmiam, Moraviam, Silesiam, Austriam inundavit, Hungariam quoque eodem contagio involuit. Jam rebelles in Dominum suum subditi, præcipitatis ex Castri Pragensis fidelibus Regis Ministris, arma palàm corripuerant, jam Societatis JEsu homines omnes totà Boëmiâ & Moraviâ proscripserant; cùm remotum etiam hostem Ferdinando paraturi, Transylvaniæ Principem Gabrielem Bethleem in fœdus evocant, eiq; iniquissimo Marte occupandæ Hungariæ partes committunt. Irrupit hic validâ manu sub initium Septembris, Anno 1619. in superiorem Hungariam, & Cassoviam obsidione cinxit; quam etiam primo impetu, adjuvantibus strenuè hostem civibus Calvinistis, sinè sanguine occupavit die 5. Septembris. Rakocius pro Gabriele militiæ Dux, ubi duos è Societate Sacerdotes, unà cum Domino Marco Crisino Canonico Strigoniensi,

enſi, ibidem Catholicis civibus operam navantes, intellexit interceptos, arctâ cuſtodiâ in domo, ubi nunc Collegium ſtat, juſſit detineri, omni aliorum acceſſu, cibo & potu, toto triduo, donec ſcilicet vitâ exturbati ſunt, prohibitos. Nihil his conſternatus P. Pongratz, natione Vngarus, rogat per internuncium Ducem, ut ſe nihil tale meritum libertati reſtituat, neque conſuetis miniſterijs adeſſe Catholicis prohibeat. Renunciat Rakoczi, ut paululùm præſtoletur, facturum ſe brevi, unde Pater intelligat, quid facto opus ſit. Obtulerat interim Criſino Canonico cum libertate ampliſſimos etiam reditus, ſi ejuratâ Religione, Calvinum ſequi in animum induceret: ſed is, hortatu maximè Patris Pongratz, ſceleratam conditionem animoſè rejecit, Diaboli partes agendas à Rakoczio ſuſcipi aſſerentis, dum eum à Chriſto & Eccleſia niteretur avertere, pro qua omnes parati eſſent ſanguinem & vitam profundere.

Moriendum ergo illis, quia Papiſtæ eſſent, die inſequenti clarè denunciatur. Quâ cauſâ mortem ſibi optatiſſimam accidere teſtatus P. Pongratz, aptatâ continuè ferro cervice reliquis præibat. Sed nequaquam crudelitati ſat erat tam ſiccâ morte DEI ſervos è medio tolli; ſatiari innocentium cruciatibus, ni fidem abijcerent, volebat. Quod cùm nullis promiſſis, aut conatibus obtineret, igne primùm & facibus agere cœpit, quarum aduſtione eouſque in latera è trabe ſuſpenſorum deſævijt, quoad defluente univerſâ carne nudatæ coſtæ, ipsâque adeò inter oſſium crates intima viſcera apparerent. Totam illam in Sabbatum euntem noctem tenuit carnificina, in qua cùm nihil ampliùs exurendum reſtaret, omni ferâ belluâ truculentiores hæretici, novo tormenti genere, ſilicem inter ac rotam bombardarum interceptas carnes, ac potiſſimùm abſconditas partes corporis, caſtiſſimis hominibus immaniter primùm comprimebant, ac tum laxatâ rotâ fædè dilacerabant. Ità teſtata eſt vicinia, totam illam noctem ejulatibus & ſuſpirijs innocentium, diritate cruciatuum expreſſis, infeſtata, & nonnulli carnificinæ præſentes, à quibus etiam ſequentia prodita ſunt.

Urgebant inter atrociſſimos dolores ingemiſcentem Canonicum, cur ſimul cum ipſis in bonum Patriæ non conſpiraret, ſed eorum conatibus ſeſe opponeret? Negavit ille ſe ipſis opponere, qui bono Patriæ ſtuderent, ſed cum ijs & ſentire, & conſpirare velle. Suſpicionem ea verba P. Stephano fecerant, animi tormentorum impatientis, & in perfidiam ex dolorum intolerantia inclinantis. Itaq; cruciatuum ſuorum incurius, licèt in ſanguine ſuo humi volutaretur, ſcirétque longè adhuc acerbiora ideo ſibi inferenda; ut Canonicum confirmaret: *abſit*, exclamat, *Domine Criſine à te, ut ijs conſentias; abſit à te, ut relictis Chriſti ſignis, ſpe brevis & caducæ vitæ, ad hoſtium caſtra transfugias.* Sed exemit errorem Patri Canonicus, non eo fine aut ſenſu, talia à ſe dici conteſtatus, ut hæreticis accedere vellet, ſed cum ijs duntaxat ſentire & conſpirare, qui Patriæ bono ſtuderent, quales utiq; ſoli eſſent Catholici. In rabiem hâc tam animosâ proteſtatione in Patrem ac Canonicum acti milites hæretici, cùm hunc inter tormenta jam jam expiraturum viderent, caput gladio à corpore reſcindunt, & in proximam cloacam præcipitant. Ad Patrem deinde, veluti pertinaciæ auctorem, regreſſi, ſæva tormenta furore amentes inſtaurant, ac digitos omnes ſigillatim gallo & rotulæ bombardæ ſubjectos crudeliter premunt, lacerant, diſcerpunt, oſſa comminuunt, identidem ſuggerentes, *uno verbulo, ſi Calvini ſectam amplecti vellet, ſignificet, tormenta omnia, & mortem redempturum* Negantiſ hoc tantum ſcelus admiſſurum, capiti circumactum funem fuſte intercipiunt, itaque conſtrictam cervicem torquent, & coarctant, ut ipſi jam crederent animam ex doloribus efflaviſſe; præſertim ante cruciatus impactâ pectori ferratâ clavâ tantùm non exanimatum, certè ità debilitatum, ut in terram corruens, longo tempore vix ſpirans & palpitans, ſemianimis jacuerit. Ergo jam exanimi caput ſimiliter reſcindere parabant; ſed quia ità humi corruerat, ut commodè amputari nequiret, duobus lethalibus capiti inflictis vulneribus, in ſuo cruore volutatum relinqvunt; dum interim Patrem Melchiorem Teſchini in Sileſia natum, ſociorum in immani carnificina otioſum hactenus ſpectatorem, ijsdem cruciatibus afficiunt. Sed cùm eundem in ipſo actum agere ſe vident, properantem exire animam, multis vulneribus conciſo capite exturbant, penitúſq; interemtum, ad eandem poſt Canonicum cloacam abijciunt.

Vivebat tum adhuc cæteris robuſtior Pater Stephanus, quem ſemimortuis etiamnum vocibus ad DEum ſuſpirare indignati hæretici, vivum & palpitantem eodem præcipitant, & partem aliquam muri ſuper eos, ut obruerentur, deijciunt. Inter eas ſordes

acerbiſſimóſq; cruciatus identidem gemens, auditur ab ædituo Catholici Sacelli : à quo cùm fruſtra petijſſet, ut ſuo nomine opem Domini Georgij Hoffman, Regiæ Cameræ Conſiliarij, ad ſe inde extrahendum poſtularet, eò quòd Hoffmannio ab hæreticis jam necato, ipſe quoque ædituus ad necem quæreretur: eundem hortari ardenter inſtitit, ne tormentorum aut mortis metu, induci ſe ſineret ad ejurandam fidem. *Nos*, inquiens, *brevì hinc in Cœlum ad dulciſſimum JESU conſpectum evolabimus, etiam tu illius miles es, certa ergo bonum certamen uſq; ad mortem, ut coronam immarceſcibilem adipiſcaris.* Omni ergo humano deſtitutum ſe videns auxilio, totus in DEUM ſe convertit, & ad ſupremum agonem vires colligens, plenus æternorum ſpe, ſanctiſſima JESV & MARIÆ nomina invocare cœpit; donec inter Seraphicos virtutum actus, ipſas viginti horas ſuperſtes, partim vulnerum & cruciatuum dolore confectus, partim intolerandis latrinæ fœtoribus ſuffocatus, purgatiſſimam animam Deo reddidit.

Atque hæ fuêre victimæ, quibus crudelitati ſuæ hæreſis Calvini Caſſoviæ parentavit, & ſalus Catholicorum Civium redemta fuit. Paulò antè ſiquidem conſtitutum erat, omnes Catholicos, unà cum Patribus neci dare. Obijt Pater Stephanus ipſo Beatiſſimæ Virginis die Natali 8. Septembris, ætatis anno 36. cùm P. Melchior pridie necatus deceſſiſſet, anno ætatis 35. Chriſti 1619. Poſt aliquod tempus miſſi carnifices, eruta inde corpora, loco ſicciore in eadem cloaca extra ſordes ruderibus contexerunt; donec poſt quatuor circiter menſes Illuſtriſſima Comes Catharina Palfia, Regni Palatini conjunx, magnis precibus à Tyranno Gabriele obtinuit, ut ea ſibi auferre liceret; quæ à ſordibus diligenter purgata ſerico involuit, decenterque ciſtulis impoſita, curru ſejugi in Parochiam Sebeſienſem devexit, inque templo Beatiſſimæ Virginis prope ſummum Altare religioſè tumulavit. Translata poſtmodùm quindecim elapſis annis fuêre Tyrnaviam, & magnâ devotione in æde Sanctimonialiũ depoſita; cujus cœnobij Antiſtita ſanctè affirmavit, juratiſque teſtibus ſe probare poſſe pronuntiavit, frequenter Angelicos concentus in eo Templo, præcipuè per noctis quietem, audiri, ex quo ea pignora ibi repoſita ſunt. Retulit ſimiliter Ladislaus Deaki, Præpoſitus & Canonicus Strigonienſis, ſe cum hæretico viro nobili locutum, qui ſanctè affirmavit, ſe circa latrinam, in quam Chriſti ſervorum carnifices corpora abjecerant, ſuaviſſimum perſæpe concentum audiviſſe. Illud autem accidit memorabile, quòd eorum ſanguis in pavimentum & parietes diffuſus, nullâ diu potuit exterſione ablui, nullâ induſtriâ aboleri, adeò vividus recénsque conſpectus, acſi tum primùm funderetur. Quo eodem aſperſam veſtem ſuam unus carnificum, cùm diu fruſtra omni arte & conatu eluere ſtuduiſſet, tandem eâ depoſitâ aliam induit. Mirum dictu! etiam in illa, quam recenter induit, apparuêre cruentæ ſanguinis maculæ, neque ullâ diligentiâ aut arte aboleri, abſtergive potuêre. Quibus permoti multi Catholicorum, quòd ſupra naturæ vires hæc fieri judicarent, magnâ pietate, veluti opinione ſuâ ſanctos, proſecuti ſunt, & privatâ religione invocare cœperunt; & Illuſtriſſima Comes Catharina Palfia, Patris Stephani digitum thecæ decenter incluſum, ſemper ad venerationem penès ſe geſtavit.

P. GODEFRIDUS THELEN.

WIckradium in Juliacenſi Ducatu oppidum, natale ſolum Patri Godefrido fuit. A parentibus pietate magis & virtutibus, quàm opum affluentiâ nobilibus, ad omnem morum decentiam ab infantia inſtitutus eſt; ex qua Divinum Numen revereri aſſuetus, neque per ſtudiorum deinde curſum, vitæ pœnè Religioſæ tenorem reliquit. Abſoluto Philoſophiæ triennio, ubi ad Societatem ingreſſum obtinuit, cùm in vita Religioſa profectum ſuimet victoriâ metiendum eſſe didiciſſet, tanto ſuiipſius odio exarſit, ut jam tum mortis pro Chriſto oppetendæ tyrocinium ponere, & duris quibuſque perferendis aſſuefieri dixiſſes. Cilicij exinde uſus illi perpetuus, quo ſummis in æſtibus accinctus, ſcholas Magiſter & diſcipulus frequentabat. Flagris in ſe tum aliàs, tum præcipuè pridie ſynaxis, copioſiùs ſæviebat; quam etiam ſevero jejunio, nocturnâ vigiliâ, aliiſque aſperitatibus anteverte-bat. Aſſiduo precandi ſtudio ità mentem animúmque DEO conjunxerat, ut neque agendo cum proximis ab eo divelli poſſe videretur, ſolitus ab ijs, cùm ex nomine vocare il-



P. Godefridus Thelen Germanus Soc. IESV. Fidei Romanæ odio sclopetorum ictibus confectus ab Hæreticis in Germania Cauba. 25 Septemb. A. 1620

C.S.d. M.K.f

re illum neſcirent, ità deſcribi : *ille Pater, qui tam frequenter, atque ardenter DEUM orare & ſuſpirare conſuevit.* In Religioſa Vocatione acquieſcebat, ut mortem ſubiturum millies potiùs diceret, quàm ab ea deſciſceret; pro cujus beneficio identidem DEO Euchariſtico affuſus, tenerrimas quotidie gratias agebat. Nec minor in DEI Matrem fuit devotio, quam ternâ quotidie roſarij repetitione ſalutabat; nihil æquè ejus interventione obtinere à ſuo Filio contendens, quàm copiam fundendi pro eo ſanguinis. Cujus ubi affulgere ſibi occaſio viſa eſt, eo in quævis diſcrimina caput obijciendi ardore exarſit, quo alij pericula vitare ſolent. Sacris initiatus ordinibus, jam propè finem moralis Theologiæ ſtudio imponebat; cùm appulſus in Palatinatum Catholici Regis exercitus, Duce Ambroſio Spinolâ, Sacerdotibus aliquot, pro curando ſpirituali operâ milite, indigebat. In quam periculorum & ærumnarum feraciſſimam ſortem magno deſiderio incenſus, edixit, ſe copioſâ ſui diverberatione gratiam repoſiturum illi, qui primus tam beatæ miſſionis à ſuperioribus ſibi imponendæ, nuncium attuliſſet. Verùm ſperatam illi fortunatæ ab hoſte hæretico necis, aliâ viâ DEUS copiam ingeſſit, dum Noveſium proficiſci à Moderatoribus ſub finem Septembris juſſus, in hæreticorum militum poteſtatem incidit.

Deſcendebat ſecundo Rheno Moguntiâ per Palatinatum, cùm inſequentem illorum manipulum devitaturus nauta, littori appli-

cuit, ut quod unum poterant, ſalutem pedibus vectores, in ſaltibus, vineis, aut oppido vicino Cauba perquirerent. Et tendebat quidem directo curſu cum nonnullis Pater Godefridus Caubam; ſed conſpicatus inde Calviniſtas milites, qui Palatini nomine præſidio illam tenebant, obviam prodire, vitiferos montes arduo conſcenſu petebat. Verùm & hinc ab hæreticis vinicolis ſaxorum imbre repulſus, in manus denique præſidiariorum incidit. Erat jam tum Pater apud Urbem Bacharacum rebus omnibus, viatico, literis, ab hæreticis exutus, & convitijs, contumeliiſque oneratus; quæ iſti ex integro dum in innocentem inſtaurant, & tanquam omnium bellorum incentorem, Papæ ſatellitem, falſi Evangelij ſeminatorem, verberibus, flagris afficiunt, unum ex ſuis, ad præſidij Ducem ablegant, qui ſententiam & nutum illius exquirat, quidnam captivis fieri velit? Revertit ille non multò pòſt, juſſiſque captivis ſe in locum editiorem ſequi, militibus in aurem teſſeram inſuſurrat; quâ acceptâ explosis bombardis internecioni eos dare præcipiebat. Nec latuit Patrem decretoria ſententia; ſocios proinde ad patientiam, & cruciatuum Domini memoriam hortatus, ut pro Catholica Religione, quæ ſola in mortis cauſam inermes, & ceterà innocentes prætendi poterat, libentibus animis vitam ponerent, omnes in aſcenſu à noxis abſolvit. Jamque in clivum Oppido proximum evaſerant, cùm iterato ſibilo admoniti milites, ſclopos in ictus expediunt, admotiſque ſomitibus mortem denunciant. Procumbit illico in genua Pater, oculiſque ac manibus in cœlum elatis, verba paulò antè inter navigandum meditata inclamat: *Domine exaudi orationem meam; & non intres in judicium cum ſervo tuo.* Ab excepto pectore globo humi mox ſternitur; in quem furore barbaro illi irruentes, caput ſclopis penitus contundunt, ſenáſque inſuper grandiores, lethales omnes plagas jacenti, & JESUM ac MARIAM ingeminanti infligunt. Eâdem ſævitie quinque alios Catholicos tollunt, exutáque ad nuditatem corpora in vicinam vallem præcipitant. Quæ apud Patrem adhuc reſidua, in ſpolium militi præter veſtem ceſsêre, cilicium fuit ſetis horridum, & cum theca agni cerei flagellum è funiculis contextum, quæ illi Vulcano veluti faſtidioſa conſecrârunt.

Ecce autem poſtridie, dum ſubulcus in vallem pecora paſtum educit, videt illa triſti mugitu cædis locum implere, erutámque pedibus humum magno furore ſpargere. Rei tam inſolitæ cauſam ſcrutatus, advertit terram ſanguine fædatam, vultúſque malè ſepultorum cum pedibus humo proſtantes. Quod cùm ad oppidum recurrens obvijs quibuſque nuntiat, moti ex his miſeratione nonnulli, loculis ligneis necatorum corpora incluſerunt, illatáque in cæmeterium decenter contumularunt: donec quinquennio pòſt Gubernator Caubenſis Catholicus, in loco cædis Sacellum elegans conſtituit, S. Cruci dicatum, in quo necis hiſtoriam eleganter depingi curavit. Nec ullus civium dubitavit, ſolo Religionis odio Patrem interfectum, cùm homicidæ illius nefarij palàm jactarent, non aliâ causâ præter illum ſævitum etiam in alios, quàm quòd ſocij itineris cum Jeſuita prehenſi fuiſſent, quos omnes cuperent eodem, quo unum exitio, de medio tollere. Contigit mors hæc in Palatinatu Caubæ 25. Septembris Anno 1620.

P. ARNOLDUS â BOECOP.

SUpremum conſummatæ Sanctitatis gradum, quem tertium humilitatis modum S. Jgnatius in Exercitijs appellat, ſtudiosè conſectatus P. Arnoldus, *etiamſi nullo ſuperaddito laus DEI par foret, ſive in ſæculo vitam commodis & divitijs opulentam, ſive in Religione moleſtijs & difficultatibus aſperam duceret, ad majorem tamen imitationem Chriſti, elegit potiùs cum eo paupere, ſpreto & illuſo, pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulum in Societate ejus amplecti, quàm opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem.* Unicus is erat ſuæ Matri viduæ filius, Patrimonij prorſus opulenti, & avitæ in Geldriæ Ducatu nobilitatis hæres; unde maximæ illi ad propagandâ in poſteros generis proſapiâ exortæ difficultates, quemvis alium ab Religionis amplexu removiſſent; quæ tamen à conſangvineis objecta, tantò ampliùs eum ad deſpiciendum terrena excitabant. Igitur ſuperatis remoris omnibus, Societatem JESU ingreſſus, in id incubuit maximè, ut virtutes à Chriſto ad imitandum præ reliquis propoſitas, ſuas faceret, eſsétque in omnes mitis, & humilis corde. Inde viliſſima omnia in munijs, veſtitu, & victu, præcipuo quærebat ambitu, gaudens poſtponi alijs, neque alio loco haberi,

P. Arnoldus á Boecop Nobili loco in Belgio natus Soc: IESV, veneno ab Hæreticis ſublatus in Germania A. 1622. 19. Februarij.

C. S. d. M. K. f.

haberi, quàm poſtremo omnium. Ex qua ſuæ vilitatis profunda æſtimatione, cupiebat alios ſua de ſe judicia metiri, & ineptum ad præclara munia obeunda æſtimari. Atq; hinc ſingularis Viro Majorum imperijs obſequendi promptitudo. Uno, jubentis ire, vel aggredi quidpiam, Moderatoris imperio, omnia adverſa perrumpere, non retro reſpicere, non obducere moras; certus rem conficere, eſto moriendum in parendi ſtudio foret.

Jamque Theologiæ curſum emenſus, Sacerdotio initiatus fuerat, & ad provolandum in labores Apoſtolicos nutum Superioris avidus expectabat; cùm juſſus è Belgio Moguntiam proficiſci, magnis animis periculoſum iter arripuit, vias omnes militeo heterodoxo inſidente. In quorum delapſus manus (quæ illorum in Jeſuiticum nomen eſt benevolentia) in cuſtodiam innocens compingitur, magno ſtudio probabilem cauſam inquirentibus, ut necem illi, aut malum aliud crearent. Sed cùm nullius mali vel apparenter reum, ſuſpectumve, publicè necare poſſent, pharmacum illi venenato mixtum poculo propinant, itaque liberum è carcere dimittunt. Vix Coloniam attigerat, cùm gliſcente in venis malo, & atrociſſimas præcordiorũ convulſiones ciente, coactus ſubſiſtere, totos 5. menſes cum lethalibus doloribus luctatus eſt; ijs invictæ patientiæ documentis, quibus ſocijs omnibus perpetuam heroicæ virtutis memoriam, & ad ſtrenuè conſectandum exempla reliquit, ſublatus vi immedicabilis toxici 19. Februarij Anno 1622.

P. HER-

P. Hervæus Malvesius Gallus Soc. IESV. odio Religionis Catholicæ crudeliter interfectus ab Hæreticis, in Gallia Cleraci 21. Febr. A. 1622.

C. Screta. del. M. Küsell. f.

P. HERVÆUS MALVESIUS.

MUcidanum Galliæ Oppidum Patri Hervæo natale ſolum fuit; Viro domi & foris præclarè rebus pro DEO geſtis claro. Sive enim cum poteſtate Rectoris præeſſet alijs, ſive privatis munijs occupatus domi ageret, conſtanter Religioſæ diſciplinæ obſervans, in ſui deſpicientia aſſiduus, & obedientiæ cultor prorſus eximius fuit. Foris autem verè fuit Vir zeli pro Religione Catholica, hæreſis oſor, ad illius ſectatorum ſalutem, infenſiſſimus; cum illis tamen æquè ac cùm fidelibus, animi candore & ingenuitate adeò non vulgari agere ſolitus, ut ſibi per eam omnium animos, quibus innotuiſſet, arctiſſimè devinciret. Gubernaculis Rhutenenſis Collegij cum laude defunctus, ſtudium & operam ad Miſſiones Apoſtolicas toto ardore convertit; itinera omnia pedes, licèt ætate omnino devexâ, percurſare, & non niſi parabilem valde cibum admittere ſolitus. Multis interim hæreticorum odijs & inſectationibus appetitus fuit, tum præſertim, cùm in Regio adverſùs ſectarios exercitu, ſtrenuam Catholici Sacerdotis operam militibus præſtare notatus eſt. Horum præſidio in Urbem Cleracum impoſito additus, dum Regios ad agendum fortiter in ſectarios obſidentes hortatur, & omnia ſeduli Paſtoris munia procurat; repentè hoſtes proditione invadentes, mœnia occupant. Pater ſui incurius, & ſaluti

luti aliorum unicè intentus, dum obvijs quibuſq; ad ſacram exomologeſim aurē commodat, tandémq; in Aulam Epiſcopi delatus, eodem Sacramento domeſticos ejus expiat, deprehenſus agnitúſq; ab irruentibus hoſtibus, de nomine per ludibrium ſalutatur Salutationem ludicram mox ſeria vulnera ſubſeqvuntur, quorum primum glande plumbeâ ad lævam mamillam unus ei infligit, altero mediumguttur alius enſe transfigit, ac mox verticem tertius, odio Sacerdotalis coronæ, luculentâ plagâ conſauciat. Demū certatim quiſq; velut in communem odiorum ſcopum irruentes, decem facilè vulneribus, omnibus pectore adverſo generosè exceptis, ſicâ, gladiô, lanceâ cadentem confodiunt. Qui SS. JESU & MARIÆ nomina inclamans, feliciſſimè extinctus eſt die 21. Februarij An. 1622. ætatis 64. Societatis 35. Interempti corpus hoſtes ad uſque induſium expoliarunt; quod poſt aliquot menſes à cæde repertum eſt integrum, quaſi recenti tunc adhuc ſanguine reſperſum. Affirmavit quin etiam perſanctè P. Joannes Tournerius, ſibi vultum ejus Cleracum abeuntis, viſum eſſe Angelicis quibuſdam radijs coruſcare.

P. Ioannes Sandæus Belga Soc: IESV, ab Hæreticis interfectus prope Wepſtadium ad Rhenum A. 1622. 30. Martÿ.

C. Screta del. Melchior Küſell f.

P. JOANNES SANDÆUS.

NAtus eſt P. Joannes Sandæus Harlemis in Belgio, boniſque artibus inſtitutus, animum ad Societatem applicuit. Cujus compos effectus, totum ſe ad agendum in oratione cum DEO addixit, ut omnis ejus actio, jugis quædam dici poſſet ad DEUM oratio. Mundum & terrena omnia

mnia ità deſpiciebat, ut animum ab illis penitus avulſum, nihil nisi cœlum & ſuperna in delicijs & deſiderijs habere oſtenderet. Animarum lucris nihil illi fuit pretioſius, nihil optatius: harum ſalutem illis potiſſimùm procurare medijs cupiebat & vijs, quæ plus diſcriminis haberent, & moleſtiarum. Unde cùm obtinuiſſet à Moderatoribus, ut militum ſalus maximè neglecta, & ſubſidijs curaque Sacramentorum in caſtris deſtituta, ſibi committeretur, nulla vitabat diſcrimina, intérque volantia hoſtium tela imperterritus ſuis conſtanter aderat, ut ne ullus ſupremæ abſolutionis expers inexpiatus decederet. Infirmis, aut ex vulneribus debilitatis, paternâ ſollicitudine aderat, animabus ſimul & corporibus prodeſſe contendens. Eminebat inter hæc eximium quoddam in illo patiendi pro Chriſto ſtudium, ſic, ut quò plura toleranda occurrerent, eò majora ipſe obvenire adverſa optaret; quæ ſi demum plenâ cruciatibus & tormentis morte coronari contingeret, tum demum nihil ſibi ad plenam in terris felicitatem deſore cenſeret. Nec vota fidelis ſervi Dominus fruſtratus eſt. quam enim inter arma & tela mortem effugit, hanc bello ſoluto extra militiam & caſtra invenit. Redibat è militari ſua ſtatione à caſtris Cæſareis in Belgium, cùm per inſidias in regreſſu ab hæreticis intercipitur: qui ex veſtitu agnitum, implacabili, quo in Societatis homines ardent odio, non ſolùm violentè captivant, ſpoliant, direptíſque omnibus, contumelias & verbera ſuperaddunt, verùm etiam ternos in eum ſclopos lethalibus glandibus diſplodunt; quibus immoriens, gloriosè vitam ſanguinémque pro fide teſtanda profudit, prope Wepſtadium Urbem Spirenſis Diæceſis, die 30. Martij, Anno 1622. ætatis 40. quæ eadem Urbs honorificum ei ſepulchrum apud ſe conſtituit.

P. JOANNES LA GARDE.

DIctum Sapientis de Juſto, fatis ante tempus è vita ſubducto, tam bellè in P. Joannem la Garde convenire videtur, ut verè de eo dici poſſit; *Conſummatus in brevi, explevit tempora multa.* Sap. 4. *cujus vita* in brevi Sacerdotio *celeriter conſummata, condemnat longam vitam injuſti*; imò & juſti, in Spiritûs languore vitam tepidam in Religione exigentis. Vitam, quam in Gallijs natus accepit à Parentibus pietate & virtutibus magìs, quàm nobilitate conſpicuis, ità ab omni graviore noxa, maximè quæ Caſtimoniæ adverſaretur, illibatam ſervavit, ut creditus omnibus fuerit, liliatas illius nives in tumulum ſecum retuliſſe. Innata quædam morum facilitas omnibus illum reddebat amabilem; cui accedens candidiſſimæ indolis ſincerum apertúmq; ingenium, omnes illi obnoxios faciebat. Quas animi innocentis dotes ad DEI obſequium in Religionem cùm attuliſſet, initio ſtatim intimâ cum DEO familiaritate agere cœpit, totum ſe ad agendum per orationem cum DEO impendens, tantâ arctiſſimæ amicitiæ conſvetudine, ut nunquam in oratione vel minimam animi pateretur evagationem. Conſtat ſiquidem illum totis undecim, quibus in Societate vixit annis, ità orationis tempore unum in DEum immergi ſolitum, ut nullam penitus unquam mentis aberrationem experiri eum contigerit. Hinc ea internæ mentis in pacatiſſimo animo ſecuta eſt malacia, ut nullâ paſſionum tempeſtate turbatus, nullo impatientiæ ſpiritu vel leviſſimè commoveri, nunquam in alium à ſe mutari, nemini unquam vel aſperiori verbo, vel triſtiori vultu moleſtiam creare notatus ſit. Accedebat in eximia doctrina, & tam Theologicarum diſciplinarum, quàm etiam linguarum peritia, rara adeò morum ſimplicitas, ut in eo ſinè fictione videretur Adam minimè peccaviſſe. Tanta præterea animi demiſſio, ut non erubuerit duos circiter annos, quibus in Miſſione fuit alteri adjunctus ſocius, omnes Coadjutoris partes magnâ cum facilitate & alacritate obire. Singularis deinde in proximum Charitas, & ardens Animarum zelus, omnium commodorum & utilitatum contemptum illi inducebat, ſic, ut ſui immemor, frigoris caloríſque perinde incurius, nudâ humo plures hebdomadas decumberet, lætus ſemper & alacer, in ſolum animarum lucrum intentus. Adhæc tantâ morum atq; omnium geſtuum erat compoſitione, ut in eo nullus unquam quid protervum, aut non compoſitum animadvertiſſe deprehenſus ſit; tantâ patientiâ, ut nunquam ad tot diſcrimina & labores, quos in difficillima expeditione adivit, indoluiſſe dicatur; eâdem generoſæ mentis alacritate mortem excipiens, quâ in patrocinio Virtutis,



P. Ioannes la Garde Gallus Soc: IESV, pro Dei cauſa veneficio ſublatus in Gallia S. Riani. 1622. 15. Aug.

C. S. d. *M. K. f.*

tutis, cujus per omnem vitam amator extitit, operâ nefarij venefici interijt.

Navigabat P. Joannes cum Regis Chriſtianiſſimi claſſiarijs, ut dum ipſi Patriæ littora ab hoſte & pirata tuentur, ipſe ſpirituali operâ, quoties neceſſitas ferret, opportunè adeſſet. Obſervavit interea in ea triremi, quâ ipſe vehebatur, adeſſe veneficum, à quo mali quidpiam timeri claſſi meritò poſſet. Hunc poſtquam conſtituiſſet quacunque demum ratione, eſto incommodum inde aliquod, imò & mors ipſa ſubeunda foret, tempeſtivè exigere; ne quid temerè aggrederetur, néve homo improbus ſolis ſuſpicionibus præſtigias ſibi affingi contendens, crimen pertinaci inficiatione elideret, inſtituit nocte quadam ei advigilare. Et ecce deprehendit illum magicis neſcio quibus circulis occupatum, ſcelerato carmine dæmonem in veneficium evocare; ad quem proinde improviſus accurrens, in ipſo nefario opere deprehenſum arctè brachijs conſtringit, palámque magiæ convictum, libros etiam damnatæ artis producit, & ut navigio ejiciatur apud militiæ Ducem omni ratione contendit. Juſtiſſimum Sacerdotis zelum injuriam ſuam interpretatus magus, dum è navi extrahitur, adſtanti fortè Patri Joanni carmen neſcio quod veneficum in aurem inſuſurrat, quo Pater illico perſenſit valetudinem ſibi turbari, vertigine caput circumagi, febrim cieri. Sed nihil veneficio turbatus, *etiamſi me tuis*, inquit, *incantationibus, DEO ſic permittente, occideris, profectò beatè mecum agitur, qui vel*

morte meâ tam gravem à triremibus, & contagioſam peſtem averterim. Gliſcente exinde in venas & viſcera pernicioſo malo, cùm fruſtra eſſent medicorum remedia, chariſſimum ſibi Patrem milites in Pictonibus, pecuniâ ad ejus curationem hoſpiti attributâ, deponunt. Sed cùm robur in dies morbus acciperet, jamque ad extrema deduci Pater videretur, biduo ante obitum in proximum S. Riani pagum, in Inſula Riais, ad Ligeris oſtium delatus, magnâ charitate à Parocho excipitur, à quo Sacramentis ritè munitus, in Crucifixi complexu, inter ardentiſſimos Divini Amoris actus, magnâ ſanctitatis opinione expiravit, die 15. Auguſti, An. 1622. ætatis 27.



P. Theodorus Riswig Belga Soc. IESV. inter Carceris ærumnas odio Religionis Catholicæ confectus. Neomagi in Belgio. 4. Iuly. A. 1625.

C. S. d. M. K. f.

P. THEODORUS RISWIG.

NOviomagum Urbs Belgij, Patri Theodoro Riswig primam vitæ uſuram contulit, illâ etiam avitæ ſtirpis, & Progenitorum laude nobilitato, quòd magni illius Patris Caniſij, *cujus laudem eſſe in Evangelio per omnes Eccleſias*, Cardinalis Cæſar Baronius aſſerit, civis & cognatus fuerit. Omnibus ille quidem virtutibus in Societate, quam pene puer amplexus eſt, enituit, potiſſimùm tamen animi demiſſione, & corporis afflictandi ſtudio. Quo tempore in gubernando Gochienſi in Geldria Collegio præfuit, Hæreticus Neomagi pro Hollandiæ Statibus Gubernator,

tor, per fraudem oppido occupato, ipſum in captivitatem cum ſocio Sacerdote abduxit. Ex qua fruſtra illi ſeſe eripere, & objecta vetere Hæreticorum fraude crimina diluere conati, illud reſponſi à Curia Hollandiæ Hagâ Comitis tulêre: jure ac legitimè captos, in vinculis attinendos eſſe; abundéq; ad maleficium ſufficere, quòd Jeſuitæ eſſent. A qua ſententia P. Theodorus in commune facinoroſorum Neomagi etgaſtulum detruſus, quòd illi cuſtodiendo parùm eſſent perpetuò excubantes militum vigiliæ, uni atq; eidem catenæ cum tribus alijs innectitur, ut ab ſe invicem longè divelli non poſſent. His ille cuſtodiæ anguſtijs, pedore, illuvie, victûs & ſomni incommodis, alieniore, præſertim jam ſupra ſexagenarium ætate, ſuperatus, vitam ipſo in carcere, ſexto ferè ærumnarum menſe, pietati & Religioni impendit 4. Julij, Anno 1625. Paucis ante obitum diebus interrogatus, num alieno eſſet animo in eum, qui calàmitoſæ captivitatis, atq; adeò acceleratæ ſibi mortis auctor fuerat? negavit omnino. Ceterùm ad juſtum arbitri Numinis Tribunal propediem illum ſecum evocandum, ut ibi cauſa utriuſque diſcuteretur. Nec vaticinium exitus fefellit: paucis ſiquidem ante felicem Patris obitum diebus, infelici alter ille exitio vitæ ereptus eſt. Quem paulò pòſt ſecutus eſt alius, irrogatæ eidem mortis reus, qui linguâ tetrum in modum intumeſcente, & præ ardoribus turpiter exertâ, ac ſubinde in horridum atrorem deformatâ, ream ſceleris animam impiè evomuit.

P. EDMUNDUS AROUSMITHÆUS.

LAncaſtria Vrbs Angliæ nobilis, Edmundum eadem & in lucem protulit, & poſt annos vitæ 43. luce privatum, morte perduellium affecit. Societatem JESV jam vir ætate maturâ ingreſſus, quinq; duntaxat annos in ea vivendo tranſegit; ſed ità præclarè factis & meritis plenos, ut primis etiam AngliæApoſtolis meritò accenſeri poſſit. Acer cumprimis erat, & vehemens in redarguendis Hæreticorum erroribus, nihil iniquis Parlamenti edictis, aut præſentiſſimo mortis diſcrimine abſterritus, quò minùs in publica etiam cum Miniſtellis, & errorum doctoribus certamina deſcenderet. Inter quæ celeberrimum fuit, quo cum Pſeudo-Epiſcopo Ceſtriæ congreſſus eſt, ubi in plurium Miniſtrorum corona, Fidei Catholicæ veritatem, & Romanæ Sedis ſuper omnes Eccleſias primatum, ità firmis aſſeruit argumentis, ut ad ignominioſum ſilentium infelicem ſenem cum ludibrio adegerit, victoriâ per omnem latè Lancaſtriæ Provinciam vulgatâ, cujus ipſe præmium conſecuturum non dubitabat, laureolam diu optatæ pro Religione mortis. Sed placuit tum quidem Divinæ Bonitati ſpem ejus tantiſper differre, cujus non ità multò pòſt compos effectus eſt. Cùm enim Hæreſeos magiſtri nupero certamine glorioſum, liberè intuerentur eâdem in Provincia agentem, Fidémque orthodoxam prædicantem, Apoſtolicum viri zelum intolerandam audaciam, ſuíq; contemptum interpretati, vinculis & carceri illum mancipant. Sed neq; vinculis adſtringi libertas potuit, quò minùs & illic ſpolia Hæreſi detraheret. ità enim ferventer, conſtantérque Religionem Catholicam alijs captivis ſuaſit, ut deniq; unum ex illis furti convictum, Eccleſiæ adjunxerit, futurum deinde ejuſdem ſecum ſupplicij ſocium, quantumlibet ei vitæ copiam, ſi Hæreſim reciperet, offerrent Miniſtri.

Venerat per eos dies Lancaſtriam novus Provinciæ Præſes, homo ſævus, & Catholici nominis crudelis inſectator, qui continuè ſiſti ſibi P. Edmundum pro tribunali imperans, objectare illi per ludibrium nuperum cum Epiſcopo certamen, & ex illo conceptam ſuperbiam cœpit, cùm tamen nihil omnino poſſet tuendæ aſſerendæque Catholicæ Fidei, quod firmum foret aut vero ſimile, in medium afferri. Cui cùm animosè Pater, neminem ſe in diſputatione reformidare, neminem detrectare, reſpondiſſet, contra quem veritatem Catholicam tueri, & pro ea aſſerenda ſanguinem etiam fundere paratus eſſet; in tantam ille iracundiam libertate provocationis excanduit, ut DEum & ſacra omnia teſtatus ſit, non antè ſe Vrbe digreſſurum, quàm diſtracta quadratim Patris membra, conſuetis affixa locis cerneret. Nec mora. die judicio confeſtim dictâ, ſiſtitur tribunali Pater, & à duodecim viris perduellionis reus condemnatur, quòd Sacerdos, & Jeſuita, & ſeductor eſſet, quoniam extra Romanam Eccleſiam haberi ſalutem non poſſe, coram duobus teſtibus, quibus à Parlamenti



P. Edmundus Arcouſmithæus Angl. Soc. IESV pro Fide Catholica ſuſpenſus, et diſſectus Lancaſtriæ in Anglia. 7. Sept. A. 1628.

C. Screta d. M. K. f.

Religione defectionem ſuadebat, affirmâſſet. Petijt Edmundus, quod facinoroſiſſimis etiam Patriæ leges concedunt, eos binos teſtes palàm exhiberi; ſed minimè auditus, & atrociſſimis è contrà contumelijs, ab impotente iræ Judice & Aſſeſſoribus oneratus eſt. Secuta eſt de more Judicis extrema ſententia, quâ præter ſuſpendium & exenterationem, juſſus eſt immanibus, atq; adeò inuſitatis vinculis onerari, ut deportari in carcerem, cùm illis ferendis impar, pedibus ingredi non poſſet, à lictoribus debuerit. Ubi ad commune facinoroſorum ergaſtulum pervenit, tanta captivos omnes illius cæpit miſeratio, ut confuſione gemituum & lachrimarum, quas edebant, omnia perſonarent, & ad bis mille omnino paſſus exaudirentur. Interim Judex moræ impatiens, ût erat ſanguinis ejus ſitientiſſimus, diem ſontium pœnis decretum antevenit, eúmque pridie, feriâ 5. hebdomadæ, quæ erat Septemb. 7. anni 1628. juſſit educi; juramento ſe obſtringens, non antè cibum guſtaturum, quàm carnificis manu necatum Patrem accepiſſet. Ergo in viminea crate raptatus ad furcam Pater, poſtquam horæ circiter quartam partem DEum ſub illa precatus eſſet, trinâ genuflexione DEum, adjunctis tertiò his verbis veneratur: *ultro ac liberaliter tibi dulciſſime JESU vitam hanc meam devoveo, in ſatisfactionem peccatorum meorum.* Et nequicquam importunâ Miniſtellorum & lictorum interpellatione turbatus, proſequitur: *JESU, vita & gloria mea, toto tibi animo hanc vitam reſtituo, quam*

quam à te accepi, & ni tu dediſſes, jam ea nequaquam ſuppeteret, ut reſtitui à me poſſet. Semper optavi, DEUS animæ meæ, tibi, & pro te, vitam hanc meam dare: & illam exhibeo nunc, & agnoſco ejus pro te jacturam, lucrum eſſe: ejus ſinè te incolumitatem, eſſe detrimentum. Morior pro amore tuo, pro noſtra S. Fide, pro tuenda auctoritate Cathedræ Vicarij tui in terra, Pontificis Romani, legitimi Succeſſoris ſancti tui Apoſtoli Petri, veri Capitis Eccleſiæ Catholicæ, à te inſtitutæ. Mea peccata, Domine, tuæ cauſa mortis extitere. Sed in hac mea morte, te ſolùm veram vitam expeto. Ne permtte benigniſſime JESV, ut evadam tormenta, quò vitam habeam ſinè te. neque enim bonum eſt ibi vitam habere, ubi tu non es. Da mihi, bone DEUS, conſtantiam ad ultimum uſq; articulum, neque me uno momento vivere ſinas abſque te; quia tu cùm ſis vera vita, malè poteſt hæc in me eſſe, ſi tu meo in corde non vixeris. Majorem concipio dolorem, dum recogito me offendiſſe te, vel poſſe à quoquam offendi, quàm ullus eſſe poſſit, quem hac ex mea morte concepero. O vita totius vitæ meæ! quanquam qui totius, ſi aliquando à te alienus fui? ſed tibi tamen demum devotus, toto ijs corde condono, qui eam mihi ſtudent eripere. Facta interim ſæpius Edmundo eſt vitæ poteſtas, atque optio, dummodo nefarium illud juramentum Fidelitatis conciperet. Sed ille conditionem Sedi Apoſtolicæ adeò injurioſam aſpernatus, veniam Judici, decemviris, hoſtibus ſuis, ardenter à Deo expetijt, rogatis etiam ſi qui adeſſent Catholicis, ut ſuas ſecum preces conjungerent, Deúmque pro ſe, Rege, & Patria orarent. Negavit interpellans Leus Miniſter, ullum ibi reperiri Catholicum. Pater, qui plurimos præſentes, ſed hoſtibus ignotos videbat, ne inficiando illis malum crearet, *vel hoc ipſum eſt*, inquit, *quod me vehementius excruciat, qui optem, ſi liceat, toties mortem oppetere, quot hìc adſtant mortales confertiſſimi, hâc unâ ſponſione, ſi ad Catholicam omnes Eccleſiam ſe conferant.* His dictis, conſcenſis alacriter patibuli ſcalis, è ſummo gradu Catholicos ad Religionem retinendam, Hæreticos autem ad complectendam, ſereno explicatóque vultu hortatus eſt. Póſtque non diuturnam è deprompto libello precationem, reſtem collo induens, nocturnum capitis integumentum in oculos demiſit, de reliquo carnificem ſuum munus exequi permiſſurus.

Ubi denuo cogitationibus jam in æternitate verſantem ſollicitans Leus, *Domine Edmunde*, inquit, *Rex apprime miſericors vitæ copiam tibi concedit, dummodo vel nunc juſjurandum Fidelitatis præſtare in animum inducas.* At ille reductâ ab oculis vittâ, ore & vultu ſevero, *deciperis in me*, reſpondet, *longè ab ea cogitatione abſum.* Omnésque denuo ad Catholicorum partes ſequendas exhortatus, *veniet enim aliquando*, ſubjecit, *dies illa, cùm vos hujus nec tædeat, nec pœniteat, ſed permagno vobis ſolatio ſit & adjumento.* Tum verò indignum ulteriore vitâ conclamantes Miniſtelli, præcipitari continuè è ſcalis imperant, etiamnum aliquamdiu labiorum motu, & decuſſatis in crucem ante pectus manibus, DEum invocantem. Judex, qui ex ſpeculâ per tubum opticum carnificinam omnem ſpectabat, veluti religione impij juramenti ſolutus, tum demum cibum admiſit. Poſt quod allatos ſibi dono binos ex venatione cervos, cùm laniati quadripartito Patris membris (quæ & ipſa afferri ſibi volebat) crudeli petulantiâ componens, in adipem illius barbaro & inepto joco luſit. Sed neque vel tum innocentis nece explens rabiem, cùm paulò pòſt Urbe digrederetur, præfixum in Arcis pinnis inter alia ſontium capita, Edmundi caput conſpicatus, haud ſatis alto loco poſitum dixit, altiùs ſuper reliqua attolli præcipiens, ut omnibus bene conſpicuum, diſcerni à reliquis poſſet. Sequente poſt oppetitam glorioſam mortem nocte P. Ambroſio Barlo Ordinis S. Benedicti, decumbenti, & ſupplicij ejus penitus ignaro, ſuâ formâ conſpicuus adſtitit, quámque ſecum fortunatè actum eſſet Lancaſtriæ, edocuit. Ageret porrò & ipſe in cultura Anglicanæ vineæ alacriter, idem præmium laborum à DEO, eódem loci, & quidem omnium poſt ſuam necem primùm conſecuturus. Id quod revera Anno 1641. 20. Septembr. factum eſt. Quin etiam aſſerunt quidam, idem ipſi prænunciatum ab Edmundo in carcere, cùm illum à ſe, poſtremùm illi ante judicem ſententiam confeſſus, vale dicto dimitteret.

P. Mathias Burnatius Silesius Rosembergensis, occisus ab Hæreticis Rurícolis in Boëmia prope Rowenskum, 9 Augusti A. 1629.

C. Screta del. *Melch. Küsell sc.*

P. MATHIAS BURNATIUS.

PEſſimum malorum omnium Hæreſis, quam inter pœnas ab irato Numine deſperatis mortalium ſceleribus ultimò immitti ſolitam, Dominus ipſe S. Brigidæ revelare dignatus eſt, ex hoc vel maximè eſt formidabilis, quòd diuturna præ cæteris, ſæcula etiam pati ſoleat. Experta id præ reliquis eſt Boëmia, Regnorum dum Catholica fuit feliciſſima, quæ tamen Wicleffi Hæreſi per Huſſium ſemel infecta, ità varijs deinceps erroribus, per duo & ampliùs ſæcula eſt conflictata, ut nullo quantovis Auſtriacorum Regum Catholico Zelo, integræ Fidei reſtitui potuerit. In ejus inſtaurationem præ alijs ardentiùs incubuit Ferdinandus II. ſacratiſſimæ memoriæ Imperator, qui poſt celeberrimam de rebellibus in Albo Monte, non ſinè prodigio relatam victoriam, ut rebellionum in legitimos Reges radicem excinderet, ſubditos non alios habere in Regno voluit, quàm Catholicos. Incredibile dictu eſt, quantos ea res Apoſtolicis ex Societate Viris, quos potiſſimùm in Miniſteriū hoc adhibere placuit, ſudores pepererit, quot diſcrimina conciverit! in gente præſertim ruſtica, quæ utì ad rationum penetranda momenta eſt hebetior, ità in pertinacia retinendi erroris eſt obſtinatior. Horum pagi aliquot orthodoxâ Religione imbuendi

buendi cùm P. Mathiæ, navo imprimis & pleno zeli operario commiſſi eſſent, mortem illi pro vita, quam animabus illorum afferebat, retulerunt.

Natus hic Roſenbergæ in Sileſia, exactam in honeſtiſſimis litterarum ſtudijs juventutem, ut ab illecebris ſæculi immunem conſervaret, duodevigeſimo ætatis anno Societatem complexus eſt. In qua poſt eruditam annis aliquot in ſcholis humanioribus juventutem, eidem in Seminarijs Crumlovij & Gitzinij educandæ præfectus, quia amplo ſuo, & plurium capaci pectori hæc non ſufficiebant, unà cum his curis quinque Parochias, indefeſſo labore, ampliùs quinquennio, in ſumma Parochorum inopia, adminiſtravit. Ampliorem tamen meſſem ultimo quadrimeſtri retulit; in quo reducendo ad frugem Gitzinenſi Circulo adhibitus, complures pagos, oppida, civitates, in Catholicæ gremium Eccleſiæ feliciter reduxit. Has inter oppidum erat Rovenskum nomine, incolarum pertinaciâ proterviâque famoſum, cui proinde ſi detrectaret, etiam quadam ſanctâ violentiâ in Dominicum ovile compellendo, militem armatum adhibere, Cæſari placuit. Verùm non ità ſecretò res agi potuit, quin civibus ſuboleret, qui proinde certi impetum armis propulſare, multitudinem inſuper ruricolarum vicinam, continuato æris campani pulſu in auxilium exciverunt. Miles ubi ſe majori numero, deſperatione & furijs armato, imparem futurum vidit, irritatus importunitate pulſantium, & continuo ſonitu plebẽ ad arma evocantium, ignem turri ſubjecit; cujus violentiâ æra campana, toto eo tractu à ſono celebratiſſima, liquata ſunt. Præſtolabatur interim militaris expeditionis ſucceſſum Pater in pago pene contermino; ut ubi ad recipiendam verbi Divini ſementem aures incolarum ſubactæ forent, ipſe ſuperveniens, ſuo concionandi docendiq; munere fungeretur. Periculum nihilominus in tam ancipiti expeditione præſagiens, ſocium nullum die illo, præter puerum è ludo literario, qui Sacrum facienti inſerviret, admittere ſuſtinuit, ut ſi quis caſus ferret, ſolus ipſe furoris victima caderet. Jamque Sacrificium peractum, & natus recens infans ſalutari aquâ reſperſus erat; cùm miratus Pater nihil Rovensko nunciari, duos tresve paganos, rem exploraturos tranſmittit. Quorum nullo ad Patrem reduce, ecce tibi furibunda repentè adeſt ruſticæ plebis colluvies, omni genere telorum ruralium armata, ſudibus, ferreis bidentibus, plumbatis, haſtâ, ſclopo.

Vix quæri ſe ad necem Pater intellexerat, cùm jam ad fores vim facturi conſiſtunt, nequam illum ſacrificulum ad commeritas pœnas poſtulantes, qui Eccleſiæ Huſſiticæ theſaurum, æra campana, militum ſcilicet manu, igne corripuiſſet. Evadere Pater poſtico in apertum campum tentavit; ſed qui ad poſticum obſervabant, properantem conſecuti, lethale vulnus illi primò telo cuſpidato dextro in ſincipite imponunt, eodémque ictu, dum corruens dexteram objicit, duobus digitis mutilant. Erectus ex lapſu in genua Pater, dum ad ſe militum facinus nullatenus pertinere conteſtatur, interim à tergo quiſpiam bidente furcâ geminum illi vulnus infligit, ex quo ictu procumbenti denuo in terram, tertius glandem majore ſclopo ſecus humerum lævum adigit per ipſa præcordia, & ſacra JESV & MARIÆ nomina invocantem conficit. Inde ad puerum Patris comitem, qui ad fugam eqvos adornabat, abrepti, 12. luculentis confoſſum plagis, lutulentâ fimi lacunâ demergunt. Indoluit præter Socios, tota latè Gitzinij vicinia indignâ Patris cæde, quem nulla unquam aëris tempeſtas, non pluviæ vel nives, neque frigoris ulla vis ab excurſu in pagos prohibuit. Jactabant ejus in concionando zelum, quo ſermonem ad hæreticam plebem erudiendam duas trésve horas continuabat: prædicabant in curando templorum decore ſollicitam induſtriam, quibus alibi nova altaria, alibi ſubſellia, cathedras, vexilla, aliáque id genus ornamenta induſtriè providebat. Facies Patris longè, quàm dum viveret, amœnior, & in quendam veluti riſum declinans, bonitatem cauſæ, quam morte aſſeruit, omnibus probare viſa eſt. Corpus Libuno, ubi occiſus eſt, 9. Auguſti, A. 1629. Gitzinium translatum, ibidem Societatis Templo maximâ ſolemnitate illatum eſt.



P. Ioannes Arnoldi Westphalus Soc. IESV. Religionis Catholicæ odio ab Hæreticis in Germania iugulatus Visselhofdæ. 11. Novemb. A. 1631.

C. Sweta. d. M. Küs. fec.

P. JOANNES ARNOLDI.

QUod indefeſsâ Chriſtiani Jmperij in terram ſanctam prolatione ſibi commeriti ſunt agnomen Reges Franciæ, appellati Chriſtianiſſimi, & Reges Hiſpaniæ à Catholicæ Religionis in Mauros, & Orbem novum propagatione dicti Catholici, hoc ab Apoſtolico ejuſdem Fidei dilatandæ zelo, jure merito ſibi vendicavit, ſacratiſſimæ memoriæ Ferdinandus II. Cæſar, dici meritus Apoſtolicus. Siquidem nullo ſolitus eſt victrices Aquilas proferre, quo non continuè Religionem inferret Catholico-Romanam; ratus non eſſe Cæſaris Chriſtiani, Eccleſiæ Protectoris, latiùs dominari, quàm regnaret Chriſtus. Quocunque locorum arma Cæſarea penetrâſſent, internecionem afferebant Hæreſi & excidium, cui profligandæ non minùs ſuccenturiabat militem gladio ſpiritûs & Verbi Divini gravem, quàm ſubjugandis hoſtibus exercitum armis & ferro potentem. Perdomitis compluribus Germaniæ Vrbibus, in poteſtatem etiam Verda devenerat, in qua continuè Religioni tuendæ præſidium ex Societate JEſu conſtituit, unde excurrentes in viciniam operæ, perpetuis aſſultibus vires Hæreſis attererent, & Fidem orthodoxam promoverent. Inter primos Collegij ejus inco-

incolas fuit P. Joannes Arnoldi, Warburgi in Weſtphalia natus, vaſti animi, & indefeſſi vir laboris, qui Catholicis ſacris viciniam procurans, ternas ſimul Paræcias adminiſtrandas ſuſcepit. Et licèt valetudinis eſſet tantùm non proſtratæ, obibat tamen ſedulus loca ſibi credita, nec hiemis rigore, nec æſtûs intemperie abſterritus, quò minùs itinera difficillima, hoſtibus Fidei, & ſupremis periculis refertiſſima, alacri animo percurſaret. Et licèt experimentũ eorũ, præſenti vitæ diſcrimine, luculentum aliquando cæpiſſet, glande plumbeâ pileum ab inſidiatoribus trajectus, nunquam tamen idcirco retineri domi paſſus eſt, donec Apoſtolicorum laborum promiſſum à DEO ſtipendium conſecutus eſt, mortem pro Chriſto.

Inclinatis in Germania, acceptâ ad Lipſiam clade, Fidei Catholicæ rebus, cùm ſalutem fugâ non Eccleſiaſtici duntaxat & Religioſi ex ſuſpectis Vrbibus, ſed ipſa etiam Principum Catholicorum Præſidia quærerent, atque adeò deſtituta milite Verda hoſtium direptioni & injuriæ pateret, fugæ tamen conſilium, veluti turpe, aſpernatus P. Joannes, remanere cum ijs, quos adhuc in Fide inſtituerat, neque omni Sacramentorum præſidio deſtitutos hoſti obijcere, conſtituit. Dum itaq; more priſtino Paræcias ſui ſecurus procurat, & feſto S. Martini Divinis Viſſelhofdæ peractis, Verdam (vicenis quinis paſſuum millibus diſtantem) ſolus in eſſedo, aurigante puero, revehitur, repentè interceptum hæreticorum paganorum occupat manus, violentè curru detrahit, terræ affictum crudeli fuſtuario excipit, tantúmq; non eliſo clavâ cerebro exanimat. At ubi reſpirare, ſeſeq; colligere, & Cœlites oculis ac voce in auxilium vocare vident, novo furore incitati, ſemianimem corripiunt, atque ad arborem alligant; cui unus, cæteris perditior, jugulum ferro petit, præciſiſq; faucibus impiâ crudelitate oggerit: *hoc ore poſthac, ſi potes, tuum illud Dominus vobiſcum inculca.* Inter quæ bonus Pater fidelem Domino ſuo animam egit 2. Novembris. An. 1631.

BLASIUS SCHELLING.

BLaſius Schelling Jngolſtadio, nobili Bavariæ Civitate oriundus, relictis cum ſæculo rebus & ſpebus omnibus, Chriſtum ſequi in ejus Societate, & quidem in ſtatu Coadjutorum humili & poſtremo decrevit. Omnem pene, quam in Societate diuturnam egit, vitam, in obſonatoris, & rerum oeconomicarum Curatoris munere, conſumpſit, rara humilitatis, quâ ſe omnibus libentiſſimè poſtponebat, de ſe præbens ſpecimina. Neque tamen temporalium curâ ſpiritum extingui, opprimive paſſus eſt, ità quotidianæ precationis & meditationis obeundæ tenax, ut ne ſuperveniens repentè occupationum multitudo eam interturbaret, ipſe maturiore ante alios manè vigiliâ, conſuetam orationis horam anteverteret. Per id tempus, quo Bavariâ repentino incurſu potitus exercitus Suedicus, omnia latè, expilatis maximè templis & rebus ſacris, deprædabatur, Eberspergæ degebat Blaſius, & ab annis omnino 27. œconomiam ruralem Collegij Monachienſis ſedulò procurabat. Servat ea Vrbs in maximo theſauro, ab annis jam ampliùs ſeptingentis, S. Sebaſtiani cranium, à prodigijs celebratiſſimum, ideóque donarijs & anathematis magni pretij opulentum. Ejus à militum violentia cuſtodiendi cura, ſocijs reliquis in tutiora dimiſſis, Blaſio commiſſa eſt, tantò alacriore parendi ſtudio ab eõ ſuſcepta, quantò propior fundendi in tam ſancta cauſa cruoris ſpes affulgere videbatur. Nec ſua illum fefellit expectatio. Miles enim hæreticus, & prædarum cumprimis avidus, ubi primùm Ebersbergam attigit, cranium Martyris, ejusdémque theſaurum ſibi à Blaſio exhiberi depoſcit. Quem ubi nec minis, nec plagis & verberibus, nec veſtium direptione, ad prodendum templi theſaurum permoveri videt, ad ſeria tormenta digreditur. Igitur frontem viro ad ſtipitem alligato reſte conſtringit, quem fuſte interceptum crudeliter contorquet. Tantúmq; non diſſiliente cranio oculos elidit, extremum minatus ſupplicium, nî proditione ſecreti mortem redimat. Sed ille dolores omnes in lucris reputans, nihil ad inſanien-

Blasius Schelling Bavarus Soc. IESV, ob defensionem sacrarum Reliquiarum crudeliter tortus, et necatus ab Hæreticis, in Germania Eberspergæ, 1. Junij, A. 1632.

C. S. d. *M. K. f.*

tium voces reponebat aliud, nisi sacra JESV & MARIÆ nomina, negans se margaritas ante porcos projecturum, & sacra pignora hæreticorum ludibrio expositurum. Quâ illius infractâ constantiâ militum unus acerbiùs irritatus, gladio caput unà cum fune dissecuit, & cerebrum dispersit; alij verò pertinax silentium etiam in demortui cadavere ulturi, fimo illud contumeliosè obruerunt. quod tamen Catholici biduo pòst magno honore in Parochiali templo tumulârunt. Passus est fidelis Deo & Societati per annos 53. servus 1. Junij, Anno 1632. ætat. 78.

P. JO-



P. Iodocus Maiering Vestphalus, et Andreas Martini Franco Soc. IESV. crudeliter ab Hæreticis necati in Germania Rubeaci 15. February. A. 1634

C.S.d. *M.K.f.*

P. JODOCUS MAYERING. ANDREAS MARTINI.

NAtus est P. Jodocus in Westphalia, Osnaburgensis Diæcesis vico, Mellen dicto, Andreas autem in Franconia Winckenij; juvenili uterque ætate Societatem ingressi, uterq; gradum in ea Coadjutoris, ille spiritualis, hic temporalis, consecuti. Volitabant impunè per ea tempora toto Imperio Suecorum arma, quorum auspicijs Otto Raingravius, acer cumprimis hæreticus, Rubeacum Alsatiæ oppidum, arctà obsidione, nequidquam animosè propugnantibus Cæsarianis, premebat, violento deniq; assultu, post tridui impressionem Vrbe potitus 15. Februarij An. 1634. Versabatur eo tempore Rubeaci paulò antè officio Rectoris Hagenoæ defunctus P. Jodocus, unà cum duobus Fratribus, Joanne Ascerman, & Andrea Martini, quóque tempore Vrbs expugnabatur, coram Venerabili Sacramento in Templo principe prostrati, unà cum D. Joanne Hornio loci Parocho, & alijs septem Sacerdotibus, precationi intendebant. Trucidatis per domos & Vrbis plateas passim obvijs, ad Templum eodem tenore ventum est, ac multo sanguine per confertum intus populum

factâ viâ, ad ipſam uſque Aram, ubi genibus illi nixi DEum ardenter in auxilium vocabant. Hìc verò ubi Jeſuitas adeſſe conſpicati ſunt, continuò magno furore involare, onerare convitijs, mox etiam vi ac manu rem gerere, ferali voce inſultare, *prodite nebulones ſacrificuli, & vos inprimis mortalium peſſimi Jeſuitæ, malorum omnium inventores, in peſtem & exitium orbis nati.* Prima militum procella in P. Jodocum deſævijt, cui obverſo ſclopeto graviter aliquot ictibus concuſſum caput: ipſe ſemianimis in terram corruit. Nec dubitabant omnes eodem loci moriendum ſibi eſſe, ideóque excipiendis ſive enſium, ſive bombardarum ictibus, flexo humi poplite ſeſe aptabant; niſi decurionum unus exquirendam priùs Ottonis ſententiam, ne quid præcipitanter fieret, cenſuiſſet: diſponente in bonum ſuorum ſuaviter DEO, ut ſedato jam à furijs animo innocentiſſimis ſacerdotibus nex conſcita, conſtaret non alia cauſa, quàm Religionis & Ordinis odio inferri. Itaque pallijs, & rebus omnibus in veſtigio deſpoliatos, Templo educunt, inque Civicam Curiam pertractos, anguſto loco omnes ſimul concludunt; ubi longo plurium horarum ſpatio, donec domus omnes expilatæ, & civitas direpta foret, hæſerunt.

Redijt poſt hæc, qui exploratum Ottonis, acerrimi inter paucos Catholici nominis, ac Jeſuitarum hoſtis, ſententiam abierat, & *vobis*, inquit, *nebulones funeſtus venio nuncius. moriendum omnibus eſt. Vos veſtram nunc MARIAM invocetis licet, viſuri quid opis adferre hoc articulo poſſit.* Quibus non ſegniter magnâ devotione illam & JESUM, ut ſupremâ horâ ſibi adforent, cientibus, ille procaciter inſultans, *non audit*, inquiebat, *altiùs clamandum eſt; & licèt audierit, auxiliari tamen non poteſt.* Móxque ipſe contentioſiùs exclamans, *Sancta MARIA*, quæ teſſera illi cum militibus ante fores præſtolantibus convenerat, ſignum inferendæ necis exhibuit. Quo accepto irrumpentes milites, in proximos quosq; ferro deſæviunt, & P. Jodoco graviter in capite ſauciato, coxendicem gladijs punctim confodiunt. Magno hìc ille & præſente ſemper animo, ad patientiam hortari alios, & ſpem beatitudinis ingerere, donec à tergo inſiliens aliquis, ſicam ei ad pectus uſque adegit; quo vulnere exanimatus ſanctiſſima Nomina ingeminans, ſuper Joannem Aſcerman moribundus concidit. Eundem corpore ſuo Andreas Martini, lethali ictu accepto, & capite ſecuri diffiſſo, contexit. Qui ternis cadaveribus (nam unius præterea Sacerdotis ſuper eum inciderat) ſepultus, quia mortuus credebatur, vitam ex ea carnificina, poſt multos mortis terrores, retulit. Regreſſi namque horæ ſpatio milites, ne quis ſacerdotum vivus evaderet, omnibus denuo ſecuri capita diffiderunt. Et jam eundem Ioanni feralem ictum præſtolanti, & DEO ac DEIparæ animam tacitè commendanti, omnino impacturi erant, niſi eos piguiſſet cadavera, quibus obruebatur, devolvere, & caput, quod ſubter menſam abdiderat, protrahere. Quatuor jam horis inrer cadavera latitanti, poſt multos demum ſpectatores unus aliquis incomitatus ſupervenit, qui enſem oleo imbuens, *experiar*, ait, *in iſtis ſacrificis, verumne ſit, quod de mucrone oleo delibuto vulgò jactabatur.* Jámq; omnium perfoſſis jugulis Joannem petebat, cùm hic repentè ſe erigens, vitam ab homine, ſi poſſet, exorare contendit. Tantùm non terrore exanimatus principiò miles, mox in fugam, mortuos in ſeſe conſurgere ratus, concitari cœpit; ſed iteratò à Joanne interpellatus, 100. imperialibus unde unde mutuatis, vitâ redimere jubet. Quos cùm in deſpoliata Vrbe non reperiret, ſclopū ille in innocentem, niſi interventu Ducis prohibitus foret, diſploſurus primùm erat: quem ne deinceps auribus & naſo mutilaret, multis precibus vix piæ quædam matronæ exorârunt. Tandem poſt acerbas plagas, pugnos, & calces, à nonnemine 50. imperialibus poſtridie redemptus, obſcuro ruſtici habitu inter alios agricolas, poſt quartum diem ex Vrbe ad ſocios evaſit. Corpora occiſorum in cæmeterio leviter humata, Aræ Templorum omnes dirutæ, ſtatuæ & imagines Sanctorum exuſtæ ſunt.

P. JO-



P. Ioannes Boddens, P Gerardus Paësman, et Philippus Nottin, Belgæ Soc: IESV, odio Religionis post crudelissima tormenta capite plexi à Calvinistis, in Belgio Traiecti ad Mosam. A. 1638. 14 et 20. Julij.

C. Sweta del *Melch. Kusell. f*

P. JOANNES BAPTISTA BODDENS.
P. GERARDUS PAESMAN.
PHILIPPUS NOTTIN.

SÆvijt in fortunatam Heroum istorum triadem Calvini furor crudelitate immani, qualem nulla barbaries, etiam apud Antipodas hactenus adinvenit. Venerat in Batavorum potestatem honestis pactum conditionibus Trajectum, nobilis Belgij Civitas Mosæ imposita, inter quas ea erat potissima, ut sua Catholicæ rei libertas, & quæ hactenus tranquilla Religiosis & Ecclesiasticis sedes, permitteretur. Nec principiò quidquam admodum contrarium pactis tentatum fuit; ubi tamen successu temporis libertas illa sensim restringi, & legibus quibusdam in arctum cœpit redigi, oppositêre se magno spiritu cum alijs, etiam Societatis homines; quos inter P. Paësman, quia zelo ardentiore promissorum fidem urgebat, odium eorum in se hostium conscivit prorsus implacabile. Nec minùs illud in se accendit P. Boddens Collegij Rector, qui diu multúmque cum Vrbis Gubernatore Duce Bullionio

lionio agere ſolitus, detectis feliciter Calvini erroribus, orthodoxæ Religioni tandem eum adjunxit. Quo ſucceſſu, & publicâ præſertim Principis hæreſum ejuratione exaſperati, de medio etiam Rectorem tollere ſtatuunt, in ſolam deinceps cauſam intenti, cujus obtentu mortem odio Religionis inferendam, alio cujuſpiam criminis colore poſſent prætexere. Nec multò pòſt ultro illa in manus venit; cujus ut innoxios penitus viros religioſiſſimos fuiſſe conſtet, ex ipſius Bullionij Ducis narratione, propriâ manu gallicè conſcripta, & in Tabulario Societatis Romano aſſervata, totius rei ſeriem placet breviter excerpere.

Conſtituerat Gubernator Catholici Belgij Trajectum quaquâ demum ratione recuperare, habebátq; in ipſa Vrbe homines aliquot, qui ſuffoſſis per cellam cereviſiariam mœnibus, militem Hiſpanum admittere promiſerant. Ex quibus miles Burgundio ſupra conditionem gregarij pecunijs abundare conſpectus, ſuſpicionem aliquam proditionis fecit; quo nomine comprehenſus, rem totam illico patefecit, & conſcium Lansmannum, cereviſiæ coctorem, ac cæmentarium quendam nominavit. Elapſo fugâ cæmentario captus Lansmannus, & ad quæſtionem vocatus, P. Vinckio ex Ordine S. Franciſci, molitionem ſe aperuiſſe faſſus eſt. In quo, utì & alio poſtmodum examine, tormentis interrogatus ſæpius, neminine præterea Trajectenſium Eccleſiaſticorum conjurationem patefeciſſet? ipſe conſtanter, nemini præter P. Vinckium, reſpondit. Quindecim jam à Lansmanni captivitate fluxerant dies, cùm incitatus à quodam Hofmayero eſt, capitali Jeſuitarum inſectatore (eò quòd his auctoribus crederet ſe Bruxellis fuiſſe datum in vincula) ut eos in criminis ſocietatem, ac præcipuè P. Boddens, Brugis in Belgio natum, ſeptimum jam annum Trajecti Rectorem, vocaret; non aliâ certiùs viâ ſupplicium evaſurus, quàm molitionem ſceleris in eos derivando, qui proditionis homini idiotæ, & talium artium ignaro, auctores fuiſſe crediti, pœnas ab ejus capite in ſuum derivarent. Hac ſpe Lansmannus infelix illectus, citra quæſtionem edicit, ſe P. Rectori, præſente ejus ſocio laico, & Patri Paëſman conſpirationem credidiſſe. Patribus ſub veſperam comprehenſis, omnes ſimul Collegij ſocij ad Gubernatoris ædes producuntur, ut ſocium inter illos Rectoris Lansmannus recognoſcat. Ille omnes aliquamdiu contemplatus, ſacerdotem quendam pro laico deſignat; quem quia omnibus conſtabat Concionatorem ad S. Nicolai agere, deprehensâ Lansmannus ſuâ fraude, alium quendam fratrem, Stephanum nomine demonſtrat. At is atrocem calumniam præſente animo amoliturus, ſciſcitatur ex eo, *quanam lingua Rectori locutus fuerit, ut eam ab ipſo intellectam dixerit?* quo, Flandricà, reſpondente: *atqui ego Leodienſis ortu, neque ullum Flandricè verbum ſcio.* Adhæc cereviſiæ domi parandæ intentus, neque unquam Rectorem foras comitatus ſum. Quibus doloſâ hominis techná palàm adſtantibus factâ, domum remittuntur: & nihilominus, licèt deſignari ab illo poſſet nullus, quia Rectorem neci dare deliberatum erat, capitur poſt biduum Philippus Nottin Lovanienſis Belga, qui prodeunti è Collegio ſocius eſſe conſueverat.

Inficiabatur conſtanter notitiam conſpirationis P. Boddens, & neque P. Vinckius acerbiſſimis tormentis tentatus, neque ullus ex alijs conſcijs, quidquam ſe de communicata Rectori, vel Patri Paëſman proditione ſcire fatebantur: & Lansmannus ipſe nunquam aliàs illum ſibi cognitum dicebat. Certâ tamen vitæ promiſſione, dummodo in crimine Patribus imputando conſtans perſiſteret, inductus, calumniari viros innocentiſſimos ad mortem uſque perrexit. Quod ut tantò propenſiùs faceret, ex eo tempore liberiùs extra vincula in eomodo cubiculo agere permiſſus eſt: útque crederet neutiquam ſe moriturum, Jacobus Fiesback Adjutor militaris, de cereviſia pro ſe ſuáque familia coquenda, in totum inſequentem annum, pretio cum illo convenit. Itaque vitæ jam ſecurus, eſto poſt dies aliquot mortis in eum fuiſſet lata ſententia, tamen quia ad ſpeciem duntaxat id fieri (ut conſtanti ſub gladio etiam confeſſione tantò certiùs Jeſuitas reos faceret) perſuaſus eſt, lætus, & minimè conſternatus ad ſupplicium prodijt. Ibi ligatis oculis, paulò antequam excipiendo ictui genua flecteret, interrogatus ab adſtante Miniſtro: *Lanſmanne, nihilne ampliùs de P. Vinckio & Jeſuitis loqueris?* ille mortis ſuæ culpam in eos derivaturus, exclamavit: *ô P. Vincki, & Jeſuitæ!* Et ad eundem Miniſtrum converſus, ſubmiſsâ voce, *hâc*, inquit, *ipsâ horâ domum revertar.* Sed cùm Miniſter paululùm receſſiſſet, carnifex Lanſmanno caput momento abſcidit: bis terque infelici, quòd vitæ temporalis ſpe, ipſam etiam in DEum Religione perdidit, adeò ſui ſecurus, ut ipſo die Veneris Sancto carnibus veſceretur. Poſtrema ea Lanſmanni ad Miniſtrum

verba,

verba, à pluribus, qui ſub pegmate ſtabant, audita, & ab illis mihi (Verba ſunt Ducis Bullonij) relata ſunt, inter quos fuit Alenthoven, Legatus Tribuni Eſchelle.

Sublatis non multò pòſt carnificis enſe P. Vinckio, cæteriſque quomodolibet proditionis conſcijs, quamvis nullus Jeſuitas in illius notitiam vocare auderet, adducti nihilominus ſunt ad quæſtionem contra jus & fas omne, ad unius facinoroſi conductum teſtimonium; eámque morte quâvis & ſupplicio acerbiorem, ingeniosâ crudelitate in ſervos Dei excogitatam, cujus hæc fuit ratio. Reus ad pudendam uſque nuditatem exutus, ſedere cogitur in humili ſcabello. Illud autem eſt ferrea crux decuſſata, inſtar cultri acuta: ſuper quam Patri inſidenti manus pedéſque per digitorum extrema retro poſt tergum colligantur, quibus injiciuntur manicæ compedéſque aculeis ad intra obverſis præarmatæ, ut omni ex parte, ſi ad evitandum dolorem commoveantur, atrociter compungant. Collare præterea triplici acutarum cuſpidū ordine internè rigens, è quatuor angulis ergaſtuli funibus dependet, quod torquendo collo circumdatum, nullam in partem ſinè fæda laceratione caput aut corpus declinare patitur, ſed erectum ſemper conſidere, ut æquabili undiq; uſtulatione torreatur, adigit. Nam luculentus ignis circumaccenſus, ità corpus univerſum uſtulat, ut flammarum vi tumefacta pellis, primùm in puſtulas, mox immani cruciatu in hiatus divellatur, intra quos carnifices acetum, ſale, pyrióque miſtum pulvere, immittunt.

Primus diriſſimum tormentum ſuſtinuit Philippus Nottin, ſemel per horas denas, iterum deinde quaternas: tanto cruciatu, ut caro paſſim aduſta ad pugni altitudinem ebullierit. In quo nullum omnino verbum prolocutus, nullo ejulatu dolorem teſtatus, ad rabiem ſcilicet adverſarios concitavit. Ex quibus Centurio ictum pede tam validum dorſo ejus impegit, ut ſpinâ dorſi pene confractâ, collum undique aculeato circulo fœdum in modum dilacerârit, cum addito: *Loquere canis mute.*

Secundo loco tortus eſt Pater Gerardus Paëſman 27. Martij, per horas itidem denas, & poſt biduum per ſenas: cui in tormento præter coſtam unam diruptam, collum undique perterebratum, mamilla inſuper una fœdè aduſta, & coxendicis pars ità laniata eſt, ut exſcindi penitus, ſicut & pars quædam è ſecretioribus membris debuerit.

Ultimò reliquis diriùs excruciatus eſt P. Boddens, tres continenter & viginti horas; & iterum aliquantò pòſt per quatuor; nam diutiùs vitâ ſuperſtite non potuit. Umbilicus illi vi flammarum elicitus, inteſtinum in ſecretioribus expreſſum, genua diffiſſa, ſiniſtra manus torrefacta, pars ventris inferna ſemipedali plagâ dirupta, corpus totum laceratum, fractum, & inutile penitus redditum, ut nunquam deinde pedibus conſiſtere poſſet; octiduum nequaquam ſupervicturus, niſi gangrænam partes illas jam invadentem, tempeſtivo ſupplicio intra quintam diem prævertiſſent. Cæterùm nihil aliud in tam barbara laniena extorqueri ab innocentibus potuit, quàm nihil ſe unquam de proditione ejus Urbis habuiſſe conſilij, neque conſcientiæ. Quo non obſtante, producti ſunt tamen in judicium, & ſupplicio capitis, tanquam rei Majeſtatis, damnati.

Antecedit reliquos denuo Philippus; qui in ferali pegmate conſtitutus, dum plena falſarum criminationum ſententia mortis prælegeretur, imperterritus toto capitis renutu cauſam inficiatus eſt, *Non eſt*, inquit, *ità: iſtud eſt mendacium; illud mihi affictum eſt: hæc non dixi*: conſtantérque ſe unius Catholicæ Fidei odio interfici proteſtatus, inter illa verba: *in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, ictum carnificis & mortem excepit 14. Julij An. 1638. ætatis 39. Caput confixum palo, ſublime in mœnibus expoſitum eſt, corpus ſub patibulo humatum.

Sexto pòſt die ſecutus hunc eſt 20. Julij P. Gerardus, Weſaliæ ad Rhenum natus, qui prætenſum conjurationis crimen pari ad extremum conſtantiâ inficiatus, capite utì prior imminutus eſt, anno ætatis 50. Corpus unà cum capite Collegio illatum, inque Templo honorificè conditum eſt. Eodèm die unâ poſt priorem horâ, elatus eſt à quatuor bajulis geſtatoriâ ſellâ (nam vi tormentorum fractus ingredi per ſeſe non potuit) in theatrum P. Rector, ingenti totius Urbis ejulatu & comploratione, præſertim ubi viderunt ſupremam ejus petitionem, quâ manus vinculis eximi poſtulaverat, crudeliter reijci. Collocatus in medio theatri, prælectam mortis ſententiam multiplici renutu falſitatis coarguit: *ad quid iſta leguntur*, inquiens, *quæ de verbo ad verbum falſa & commentitia ſunt? Sed quando vobis ſic collibuit, agite porrò, ac pergite.* Tum ne priùs, quàm ea quæ conſtituerat, ad populum fuiſſet effatus, à carnifice cæderetur, eum ante ſe ſtare voluit, ac

ſubinde præmiſsâ totius populi ſalutatione, innocentem ſe, penitúſq; conſpirationis ignarum, ſolius Religionis cauſa occidi, multis argumentis conteſtatus eſt. Poſt quæ munus ſuum exequi carnificem ſinens, altâque voce in manus Domini ſpiritum commendans, gladio ictus vitam gloriosâ morte conſummavit, anno ætatis 42. Caput cum corpore loculo incluſum, in ædes Præfecti militiæ delatum eſt, ibíq; cum duobus alijs loculis pari magnitudine, parique ex ingeſta arena pondere confuſum eſt, qui alio alióque loco clàm delati, quo demum loco defoſſi ſint, reſciri non potuit. Tantopere cavit diffidens prætextæ mortis cauſæ hæreſis, ne veluti Martyris pignora Catholicis veneratione eſſent, quæ illum proditionis reum jure cæſum eſſe credi volebat. Neq; tamen effecit, quin Lovanij, Trajecti, & paſſim toto Belgio privata opinione habeantur pro Martyribus, & reliquiæ eorum, funes quibus revincti, inſtrumenta quibus excruciati ſunt, magna veneratione afferventur. Ipſi quin adeo fœderati Belgij ordines, ejus Actionis indignitatem & injuſtitiam notantes, vetuerunt quidquam de illa in lucem emitti, ullámve pro illius æquitate tuenda contra jurisperitorum in varijs Vniverſitatibus ejus iniquitatem demonſtrantium, Apologiam edi.

P. JOANNES MEAGH. MARTINUS JGNATIUS. WENCESLAUS TRNOSSKA.

EUo tempore Panerius, Suecicæ militiæ poſt Guſtavum Regem Dux Generalis, ex Imperio in Bohemiam irrupit, ejúſque Metropolim Pragam obſidione preſſit, ſocij Collegij Kuttenbergenſis vicini hoſtis vim reveriti, tutiores & remotiores Urbes circumſpicere cœperunt. Novam Domum aliquot ex ijs tendebant, cùm repentè ab inſidentibus ſylvam hæreticis ruricolis, uno Kuttenbergâ milliario invaduntur, deſpoliantur, & tres inſuper, reliquis fugâ dilapſis, crudeliter necantur. P. Joannes Meagh natione Hibernus, Patria Corcenſis, Litanias Lauretanas cum ſocio recitabat, cùm primo ſtatim vulnere plumbeâ glande ſclopi, pectus trajectus, occubuit. Martinus Jgnatius Zemeticij in Sileſia natus, præter bombardæ ictum pectore ſimiliter exceptum, graviter ſecuri in capite cæſus eſt; utrique tamen vulneri aliquamdiu ſuperſtes, ad truncum arboris adrepſit, genibus ad eundem nixus poſtridie exanimis repertus. Wenceslao Trnoſska Proſnicenſi Moravo, tempora globus ità penetravit, ut effluente cerebro animam ſimul eodem vulnere exegerit.

Vehebant ijdem ſecum, ne profanis hæretici militis manibus polluerentur, innumeras ſanctorum reliquias, non ità pridem Româ à P. Nicolao Lancicio (nam & ipſe comes itineris & fugæ aderat) allatas, in quas hæreticum furorem impij prædones potiſſimùm exerentes, ciſtis, quibus honorificè includebantur, ejecerunt, abjectáſque in terram, & impiè proculcatas, diſperſis inſcriptionibus ità confuderunt, ut ab invicem diſcerni pleræq; nunquam deinceps potuerint. Sed nihilominus poſt cædem devotè collectæ, multis in Boëmia Societatis JESU Collegijs in theſaurum pietatis & templorum ceſſerunt, hodiéque paſſim in Altaribus publicæ veneration expoſitæ viſuntur. Ut autem notius fieret, quid impij latrones in Patrum cæde perſecuti ſint, ſolam videlicet Religionem & propagandæ Fidei in illa vicinia ardorem: neminem ex ſæcularibus, quorum longè plures fugæ comites aut duces aderant, violârunt, aut moleſtiâ quâvis affecerunt, quin imò bono animo & ſecuros eſſe juſſos, pacificè cum rebus ſuis dimiſerunt.

P. Joannes Meagh, quem mors in Fidei cauſa non longè pòſt in Hibernia fortè obeunda (eò enim tunc Superiorum nutu, ad populares juvandos redibat) in Boëmia antevertit, poſteaquam voluntarius Religionis causâ à Patria exul, Italiam, Galliam, ac ſubinde Hiſpaniam peragrâſſet, liberalibus Catholici Regis ſtipendijs donatus, Neapoli aliquamdiu veluti ſecuro in portu vixit. Incidit illic aliquando felici caſu, eodem quo Societatis IEſu primus Parens eventu, in librum geſta ſanctorum explicantem, quem priuſquam evolveret, elevatâ in DEVM mente ardenter petijt, ut ejuſmodi ſancti vita, fortuitò volumen aperturo, obveniret, cujus exempla vivendo à ſe potiſſimùm exprimi

P. Ioannes Meagh Hibernus, Martinus Ignatius Silesius, Wenceslaus Trnosska Moravus Soc. IESV. occisi ab Hæreticis Ruricolis in Bœmia ad Guttenbergam A. 1639. 31 Maij.

C. S. d. *M. X. f.*

primi DEus ordinâſſet. Sed cùm explicanti librum vita S. Dympnæ martyris, popularis ſuæ obveniſſet, ratus virginis puellæ vitam minimè ſuæ imitationi appoſitam, aliam identidem novâ indagine ſortiri parabat. Sed arcano ſemper impulſu retractus, nihilominus eandem, quamvis renitens legere pergebat. In cujus decurſu deprehendens, qualiter Virgo Regia inceſtuoſam Parentis erga ſe libidinem, ſpontanea ab Regno exul effugiſſet, & carceres & martyrium pro Fide ac Virginitate ſubijſſet, cogitare cœpit, quid ſi me ab eadem Hybernia hæreſin fugientem, velit DEus inſuper peccatorum occaſiones ulteriore in quampiam Religionem fugâ devitare? quid ſi deinde eodem quandoque redire jubens, martyrio dignetur coronare? Quæ dum paucis apud ſe diebus ſecretò deliberat, inopinatò flagitioſi criminis falsè poſtulatus, carceri mancipatur, ubi deſtitutus omni hominum ope, unico S. Ignatij, cujus in pariete affixa erat imago, innocenter etiam in ergaſtulum dejecti, exemplo ſe ſolabatur, certò apud ſe ſtatuens, Deo cordi eſſe, ut in ejus Religione Cœlo famularetur. Quam numinis eſſe indubiam mentem novus deinceps caſus certum penitus illi confecit. Sancti namque illius patrocinio ſubindè carcere dimiſſus, dum Romam proficiſceretur, graviter læſâ tibiâ, Collegio PP. Societatis exceptus, & magnâ charitate curatus eſt. Quam Ignatij filiorum in ſe peregrinum benevolentiam, & vulneris in ſaucio crure cum eodem ſancto ſimilitudinem profundè ponderans,

divinæ vocationis jam certus, in Societatem recepi Romæ ſummis precibus flagitavit; unde acceptis à Præpoſito Generali ad Neapolitanum Provincialem literis, Tyrocinium ibidem, jam initiatus ſacerdotio, magno ardore auſpicatus eſt. Hoc ubi confecit, in Boëmiam interim, dum arduæ in Hyberniam miſſioni matureſceret, ad durandam vitæ Religioſæ exercitijs virtutem, miſſus eſt. Enituit hìc in ipſo ſingularis ad animarum quæſtum faciendum ardor, zelúsque ijs adjuvandis flagrantiſſimus, quem in colloquijs omnibus inducebat, nullos alios ſermones miſcere ſolitus, nisì qui Divinitatis æſtimationem ingenerando, animum fervore & heroicis deſiderijs incenderent. His ille pleniſſimus ſemper quidem, ſed in ſanctiſſimo præcipuè ſacrificio apparebat, eam pietatis & devotionis exuberantiam, dum litaret, præferens, ut illâ adſtantes etiam ad teneritudinem & fervorem inflammari ſe faterentur. Acceperat jam tum diſceſſum in Hyberniam imperantes à Præpoſito Generali literas, & ad eum ſpiritualibus S. Ignatij Exercitijs animum comparaverat, tantâ infundentis ſeſe Divini ſpiritûs ubertate, ut certum fundendi pro Chriſto ſanguinis pignus in ijs ſe accepiſſe diceret. Sed dum profectionem ex Bohemia in Hyberniam apparat, eam etiam fugâ maturare cum ſocijs mars Suecicus compulit, in qua non longiore quam unius milliaris itinere, ad terminum felicitatis æternæ pertigit, odio Religionis ab hæreticis cæſus 31. Maji. An. 1639. ætatis 41.

Reliqui duo ſocij fuêre è numero Fratrum Coadjutorum; & Wenceslaus quidem annorum 40. Janitoris plerumque munere per annos 17. fungi ſolitus: Martinus autem omnia propè ſtatûs ſui munia, cum magna perfectione per 42. Religionis annos ità obijt, ut non vulgaris ſanctitatis opinionem apud ſocios ſit commeritus. Eluxit in eo vitæ integritas cum circumſpectione, quâ leves etiam imperfectionum nævos procul amoliebatur: Pietas in divinam Euchariſtiam tenerrima, quam lachrymarum profluvia in ſacra Communione abundè teſtabantur. His acceſſit devotio in Deiparam ſingularis prorſus, & ad familiarem uſque conſuetudinem provecta, quam & aſpectabilem aliquando, & ſe alloquentem, imò & mortis pro fide obeundæ prænunciam, creditur habuiſſe. Eſt in Baſilica Kuttenbergenſi S. Barbaræ, ſtatua Matris DEI, prodigijs, & in mortales beneficijs percelebris, magnâ idcirco totius viciniæ devotione frequentari ſolita, & periculoſis bellorum temporibus unicum Patrum Societatis illico refugium, non ſinè miraculi ſpecie ſæpius extremam perniciem à Collegio amolita. Ejus Baſilicæ curam per id tempus Æditui munere gerebat Martinus; qui illud in præcipua felicitate reponens, officium Cubicularij apud Dominam ſuam commiſſum ſibi credebat, eratque in veneratione illius aſſiduus. Ante cujus aram quidquid temporis occupationibus alijs ſupererat, genibus nixus, vel etiam, dum ſinè arbitris ſe eſſe credebat, in terram proſtratus, precabatur, & devotiſſima, veluti ſi cum ſpirante & vivente ageret, mittebat alloquia, neceſſitates ſuas confidenter aperiebat, & remedia poſtulabat. Cùm verò martyrij ardens deſiderium ſemper animo circumferret, & ore quâlibet penè ſermocinatione reſonaret, hanc præcipuè gratiam ſibi ut Mater à Filio exoraret, importunus inſtabat. Paucis ante cruentam cædem hebdomadis, ſolito ferventiùs ante dictam ſtatuam pro incomparabili hoc beneficio ſupplex factus, audit ex illa voti compotem futurum, & non longè poſt ſanguinem pro Filio ſuo daturum. Quo accepto, gratijs immenſis DEIparæ actis, dum tardiùs quàm conſueverat, Collegium repetit, & amœnâ hilaritate præter morem renidens, oculis etiamnum à lætitiæ lachrimis rubentibus apparet, quærit ex eo ſociorum unus, ſingulari confidentiâ, ob morum & virtutis ſimilitudinem eidem obſtrictus (à quo id ipſum mihi aliìsq; ſæpius narratum accepi) tam inſolitæ jucunditatis cauſam? Qui præ gaudij magnitudine pene exiliens, *quidni mi frater*, inquit, *lætus ſim & jucundus, qui à Domina mea reſponſum accepi, oppetendæ per ſanguinis in Fidei cauſa effuſionem beatiſſimæ mortis?* quæ ei feliciter obtigit anno ætatis ſupra ſexageſimum quarto.

P. LAU-

P. Laurentius Passokius Silesius, et P. Matthæus Cramerus Bœmus Soc. IESV, odio Catholicæ Religionis necati ab Hæreticis ad Lipsiam 2 Nov. A. 1642.

C. S. d. M. K. f.

P. LAURENTIUS PASSOKIUS. P. MATTHÆUS CRAMERUS.

WRatislavia, princeps Sileſiæ Civitas, P. Laurentium inter medias Hæreſeos tenebras in lucem protulit, qui ne filius lucis unquam eſſe deſineret, ſolem juſtitiæ quàm proximè poſſet ſectaturus, ad ejus Societatem 24. ætatis anno acceſſit. Tota pene ejus, quam à Sacerdotio egit, vita, in laborioſis fuit Miſſionibus, vel in munijs omni genere ærumnarum & periculorum refertiſſimis. Miniſter primùm Collegij Sagani, ac deinceps etiam Rector, bis in exilium, hæreticorum civium & militum violentiâ, ab Vrbe pulſus eſt. Vnde Glogoviam non meliore fortunâ ſe recipiens, dum ea paulò pòſt in Svecorum conceſſiſſet poteſtatem, interceptus etiam ipſe eſt. Neq; præſens exitium tunc effugiſſet, nisi militiæ Suecicæ Præfectus Wittenbergius, hominum Societatis Patronus, & quod in Lutherano Duce meritò obſtupeas, etiam non rarò Benefactor durante illo bello præcipuus, morti eum & furori ſuorum eripuiſſet. Quem etiam tam diu menſæ ſuæ convivam (quod & alijs ſocijs faciebat, quoties per captivitatem, vel aliam cauſam in caſtra Suecorum deveniſſent) adhibuit, donec ſecurâ commoditate, non ſinè præſidio militum ad ſuos tranſmitteret. Quam in ſervos ſuos beneficentiam, cumulatâ remuneratione penſavit illi Deus,

quando in bello Sueco-Polonico in captivitatem redactum, atq; in cuſtodia Polonica ad extremum uſque ſpiritum detentum, lumine veræ fidei paulò ante mortem illuſtravit, & piè Catholicéque defuncti animam, utì bene ſperandum eſt, immortali præmio donavit. Ereptus ità ſupremo diſcrimini P. Laurentius, mox in arenam periculoſæ inter Sileſios heterodoxos miſſionis alacer redijt, eouſque magno indefatigabilis animi ardore in ea verſatus, dum ſuperiorum nutu ad Cæſarea Caſtra ſequenda, ut Religioſam operam militibus navaret, evocaretur.

In hac diſcriminum & incommodorum feraciſſima vocatione, quibus non ſolùm vita quotidianâ morte, ſed etiam virtus familiaribus illic vitijs periclitatur, quam intaminatâ vitæ perſtiterit integritate, aſſeverârunt complures Legionis Webelianæ, quam procurabat, milites, faſſi ſe illius vel ſolo aſpectu mirificè intrinſecus ſolitos ad quendam pietatis ſenſum commoveri. Tanta Viro inerat modeſtia, tam ſancta morum & vitæ ad omnem perfectionis legem compoſitio! Nec defuit exercendæ ipſi patientiæ multiplex occaſio, vice-Tribuni Legionis præcipuè malevolentiâ, quocum menſæ illi contubernium Legionis Dux Webelius aſſignaverat. Hic enim odio in convivam Jeſuitam, utpote Acatholicus, ardens, eum frequenter negligebat, & menſa cibóq; fruſtratum, ſæpe totos dies inediam ferre cogebat; tolerantiſſimum tamen ejus injuriæ, & nè verbo quidem aut nutu, moleſtiam apud Ducem ſui peramantem conqueſtum. Rudimenta videlicet hæc erant, quibus ad fortunatum in Fidei cauſa obitum, cujus erat appetentiſſimus, ſe Deo probare ſatagebat, & tandem etiam compos effectus eſt.

Pugnatum erat ad Lipſiam, auſpicijs Leopoldi Archiducis ſanè infeliciter, perfidiâ auxiliaris Equitatûs, qui pugnare in hoſtem detrectans, peditatum nudo latere cladi expoſuit. Fuſa fugatâque acies, cæſi innumeri, reſiſtente prope ad internecionem ingentibus animis peditatu. Integrum erat Patri cladis initio fugam capeſſere, & vitam in locum ſecurum ex acie ſubducere: ſed certus non deſerere fidum Cæſari & Deo militem, ne cum exitio corporis animæ ſimul vitam deperderet, inter cadavera cæſorum ſui ſecurus diſcurſare, ſacramentalem peccatorum veniam illis tribuere, omnésq; ad piè & Chriſtianè moriendum hortari perrexit. Poſt multos ità ad beatam æternitatem ſacerdotali operâ tranſmiſſos, fortè Tribuni graviter ſaucij confeſſionem excipiebat, cùm à ſuperveniente hoſte occupatur, & &quisnam eſſet rogatus? Catholicum, Sacerdotem, & Jeſuitam eſſe, animoſus profitetur. Hìc verò intentato ſclopo, juſſus, ſi vivere vellet, beatiſſimã DEI Genitricem execrari atq; ejurare; ille contrà omni contentione eam invocare cœpit. Quo ſtudio furorem in ſe militis excitans, gladio ſimul confoſſus, & plumbeâ glande trajectus, in veſtigio glorioſus victor concidit 2. Novemb. A. 1642. ætatis 42.

Similem vitæ, eodem in loco, & die exitum, in eodem Exercitu miſſionarij Caſtenſis officio perfunctus habuit, P. Matthæus Cramerus, natione Boëmus. Hic ubi diſperſâ acie miſceri funeribus omnia, & totis agminibus in fugam cohortes effundi aſpexit, ſalutem & ipſe pernici, quo vehebatur equo, ſibi quærendam ſtatuit. Jámque in tutum propè, ex hoſtium in cæde occupatorum conſpectu evaſerat, cùm imploratur à Tribuno graviter ſaucio, & vulneribus ſuis immoriente. Tum verò Pater boni Paſtoris zelo incitatus, ne fugitivus unam etiam Chriſti ſanguine redemptam ovem, in perſequentium, rapientium, & perdentium luporum faucibus deſtitueret, animam pro illa exemplo Chriſti ponere conſtituit. Ergo ſinè mora ex equo deſiliens, ut confitenti abſolutionem impertiret, interim ab ingruente hoſte opprimitur. Is fuit Carolus Franciſcus è Lawenburgicis Saxoniæ Principibus, obſtinatè Luthero addictus, & Catholicis, atq; adeo maximè Ieſuitis, infenſus. An verò is talis deprehenſo in actu ſacramentalis, quam maximè odêre hæretici, Confeſſionis, ignoſceret? Rogabat quidem unà cum pluribus ſecum deprehenſis militibus, vitæ veniam Pater, quam reliquis eo articulo poſcentibus non gravatè ille ex more militari concedens, Patri non ſolùm denegavit, ſed propriâ ipſe manu, gloriam ſcilicet ex nobili ſacerdotis victima prenſans, confecit, ſtratúmque minoris bombardæ globo per tempora trajecit. Nec indeptam ex tam præclaro facinore gloriam animo digerere apud ſe potuit; verùm ut Evangelicum in perſequendis Lutheranæ doctrinæ adverſarijs Jeſuitis zelum oſtentaret, ipſe coram Dorſtenſonio, totius Suecorum militiæ Imperatore, in copioſa Tribunorum corona, per ambitioſam jactantiam gloriatus eſt, quod zelo Eliæ, aut Phinees, zelatus pro puritate ſui Evangelij, canem Papiſticum in flagranti idololatricæ Religionis actu deprehenſum, orco immolaviſſet,

P. THO-



P Thomas Hollandus Anglus Soc: IESU, odio Sacerdotij Catholici ſuſpenſus, et in quatuor partes diſſectus, Londini in Anglia. 22 Decemb. An: 1642.

C.S.d. M.K.ſ.

P. THOMAS HOLLANDUS.

AUdomarum in Belgio exulum ab Anglia Catholicorum Civitas refugij, P. Thomam Hollandum, in Lancaſtrenſi Provincia natum, ſeminario ſuo excepit, & per ſexennium in bonis literis & pietate educatum aluit. Ubi nec Patronorum impenſas, nec præceptorum expectationem ille fruſtratus eſt, non tantùm improbo labore, ingenij tenuitatem ad condiſcendas humaniores doctrinas compenſando, ſed in virtutum etiam Chriſtianarum palæſtra tantis progreſſibus connitendo, ut ſæpius condiſcipulorum ſodaliúmq; ſuffragijs præeſſe Mariano Cætui juſſus ſit. Jam tum etiam generoſæ indolis ſpecimina dare, & futuri adultioribus annis zeli indicia præbere cœpit, dum, quò latius in alios pietatis ſemina derivaret, duobus tribúſve ſeſe horâ relaxationis adjungebat, pium aliquod argumentum colloquio ſuggerens, aut etiam ad Roſarij penſum communi precatione Deiparæ exolvendum inducens; hâc etiam lege inter eos ſtabilitâ, ut veſperi ante cubitum, ſuarum ſe mutuo culparum blandè atque amicè commonerent. Valliſoletum Audomaro ad Philoſophica ſtudia digreſſus, Carolum Walliæ tunc Principem, poſtea Britanniæ ſceptris potitum, & publico demum à ſuis ſupplicio internectum, Latinâ oratione, ſuæ Nationis nomi-

nomine, Madriti, (quo is nuptias cum Infante Maria, pòſt Imperialis tori cum Ferdinando III. Conſorte, facturus advenerat) ſic compellavit, ut eam ſibi gratam accidiſſe Princeps oſtenderet, & corona Procerum ſecundâ admurmuratione faveret. Poſt biennium repetito Belgio, Societatem IEſu magno ardore exambivit, in qua Theologiæ ſtudio, dum ſivit valetudo, operam navans, & ſecundùm ea ſtudia ſacerdotio initiatus, primùm in Collegio Anglorum miniſtri munus Leodij, tum Confeſſarij in ſeminario Convictorum Audomari diu ſuſtinuit, eximiâ prorſus juventutem illam tractandi dexteritate, quâ omnium conſtantem in ſe affectum promeritus, diuturnam poſt ſe in eorum animis memoriam reliquit. Mirâ pollebat tum ibi, tum in Anglia deinde familiaribus colloquijs ſpiritualia inſerendi facultate, in quæ cùm minimè importunè aut intempeſtivè, ſed feſtivè & ex occaſione influeret potiùs, quàm ea ingereret, paſſim à ſæcularibus hominibus idcirco dicebatur ex rebus ſpiritualibus concretus conflatúſque, viva vivorum librorum Bibliotheca.

Gandavi poſthæc in Tertiæ Probationis Domo, votis publicis Coadjutoris ſpiritualis illigatus, quia conſtanter adverſâ valetudine premebatur, in natalem Angliæ auram deſtinatus eſt; in qua tamen haud ſecundiore fruitus, quia ſæviſſimæ perſecutionis procellâ in publicum è latebris pedem vix unquam Londini efferre, neque privato in horto ſpatiari, aut ſaltèm apertis feneſtris auram liberiùs capere per menſes integros licebat, inde cibi appetentiam ferè omnem amiſit, debilitate faſtidióque ſtomachi vix quidquam cibi retinente. Ex quo noctes plerumque ducens inſomnes, à diurnis ſacerdotum occupationibus moleſto capitis dolore arcebatur. Atque his malis annos aliquot conflictatus, vix aliter juvandis proximis operam, ſeptem illos, quibus Londini verſatus eſt annos, præſtare potuit, niſi oſtundentibus ſe veſperi, aut durantibus manè tenebris erepens, ad ſolandos & Sacramentis reficiendos Catholicos. Quod ipſum alio ſemper habitu & perſonâ facere cogebatur, capillum, barbam, amictū, colorem immutando, aliam atque aliam linguam, Gallicam, Flandricā, Hiſpanicam, nativam etiam vernaculam externorum more inſcitâ pronuntiatione ità appoſitè adhibendo, ut quoties perſonam induiſſet alienam, ne à familiariſſimis quidem perſæpe, donec ſe ipſe prodidiſſet, agnoſceretur. Verùm incidit tandem anno 1642. in ſagaciſſimorum, qui eum veſtigijs omnibus inſectabantur, exploratorum manus, inque Novum Carcerem, ex quo vix aliò, quàm ad furcas exitum concedi aliàs monuimus, compactus eſt.

Creverat jam per id tempus eouſque Religioni Parlamentariæ impudentia, ut neſciret, quemadmodum Eliſabethæ Imperio, erubeſcere, ſed poſitâ fronte nullum alium necandis Catholicorum ſacerdotibus perduellionis colorem prætexere ſatagebat, hac ſolâ causâ patibulis & laniationi eos addicens, ſi ſacerdotij (quod caput inter læſæ Majeſtatis crimina conſtituerat) convinceretur. Invidendà ſuper priores, & meliore Athletarum iſtorum felicitate, quibus necem non alio, quàm Fidei Catholicæ odio conſciri, perſecutores ipſi palàm profiterentur. Jactabant quidem Patris Thomæ comprehenſores Sacerdotem eſſe, decretóque huic Ordini ſupplicio necandum; quia tamen nullis ſat certis revincere id poterant indicijs, perrexit Pater, ne mortem ipſe ſibi accerſſeret, Laici Catholici perſonam, quam in comprehenſione adſciverat, denuo ſimulare. Itaq; agendi loquendíque rationem ad Laici modum accommodans, latinè ſe convenientes magiſtros, capitis renutu, veluti non intelligens, expediebat; ſtudioſè cavens, ne qua re doctrinam, aliáſve ſuas proderet facultates. Eâ tamen interim in victu, ſomno, rebúſq; cæteris agebat moderatione, támque ſingulari morum innocentiâ, comitate, ut animis omnium, qui eâ cuſtodiâ tenebantur, etiam à Catholicis aliàs abhorrentium, conciliatis, eos poſt obitum virtutis ſuæ nactus ſit dilaudatores; aſſerentes, nullius unquam hominis meliùs morati, magíſque innocentis conſuetudine uſos eſſe. Noctes enim ferè ducebat pervigiles, precando, & cœleſtia mente retractando; ubi ſomnus obrepſiſſet, non lectulo ad quietem, ſed ad conſidendum ſellâ uti ſolitus. Interdiu porro ſi colloquijs divinioribus & utilibus opportunitas deeſſet, ſolitudinem animo colligendo ſtudioſè captabat, & in cubiculum hortúmve ſecedens, Canonicarum illic precum officium, ſi vacaret arbitris, perſolvebat.

Poſt duos carceris menſes in Curiam Judicialem productus, Sacerdotij, quod unum agebatur, publicè à quatuor juratis teſtibus poſtulatur. Sed cùm præter ſuſpicionum indicia afferre nihil certi poſſent, eáq; P. Thomas nullo negotio refelleret; atque ad extremum adderet, ſi ſacerdotij convinci poſſet, libenter ſe mortem oppetiturum; intulit

tulit judex, *jurâ ergo te ſacerdotem non eſſe, & periculum omne momento à te depuleris. Non eſt ea*, repoſuit Pater, *in Anglia conſuetudo, ut qui ſceleris accuſatur, ſcelere ſe ipſe jurejurando purget, cùm omnem vim probationis reorum juramento Patriæ leges adimant. Sed vel evincendum eſt certis indicijs, quod votatis, crimen, vel ego abſolvendus ſum.* Seceſsêre nihilominus viri duodecim, ut, convictúſne ſacerdotij, an non, P. Hollandus videretur, diſpicerent. Nec multò pòſt reverſi, contra omnium, qui Judicio intererant, expectationem, convictum videri pronunciârunt. Tam injuſtâ, neque ex iniquiſſimis etiam ejus temporis legibus, latâ ſententiâ damnatus Pater; ex præſumptione, ùt ajebant, quam legitimæ & certæ probationis locum tenere dicebat Judex, in carcerem novæ portæ abripitur: palàm edicente Garrowayo ſenatore graviſſimo (qui etiam Iſaaci Ponnigagnoni Prætoris ſenſus fuit) ſe ad illam Duodecim-Virûm ſententiam, vel totius Orbis compendio, nunquam acceſsurum fuiſſe. Secundùm acceptum triduo pòſt à judice mortis edictum, inuſitatæ lætitiæ ſignificatione geſtiens Pater, ſocios carceris, ut ſecum unà *Te DEum laudamus*, recitarent, & infinitam D E I in ſe beneficentiam gratularentur, amantiſſimè invitavit. Biduum vitæ reliqvum totum in devotionis, ac intimis Charitatis in D E U M actibus, quantum ex omni genere & conditione inviſentium Catholicorum fine-bat accurſus, expendit. Referebant illi plena pietatis & ſapientiæ à Patre documenta, & ſuam certatim, Regalis etiam Galliæ ſtirpis Principes, Londini tunc fortè agentes, avertendo ſupplicio operam addicebant. Quam ille conſtanter omni contentione deprecatus, literis etiam ad ſuperiores datis, ità averſabatur, ut enixè ſit obteſtatus, ne ullos ſibi redimendo ſumptus fieri, nullius authoritatem, interceſſionémve interponi paterentur. Rogatus à multis, ut quodpiam ſui, licèt exiguum largiretur monimentum; conſtanter renuit. Nonnullos autem lineamenta ſui vultûs pictoris penicillo excipere flagitantes, vultu etiam ſubirato ſeverè rejecit; donec à ſuperioribus obtento obedientiæ præcepto redeuntibus, ultimâ vitæ nocte, ut faciem expingerent, coactus aſſenſit. Pridie mortis (ea erat Dominica 4. Adventûs) multis confitentibus aures dedit, & ſacrificio Miſſæ peracto (damnatis enim ad mortem Sacerdotibus, immunitas omnis hujus muneris exercendi permittebatur) divinum Chriſti corpus diſpertivit; quorum nonnullis arctiore ſibi confidentiâ junctis, verba, quibus ad contritionem niterentur, ſuggerens, tantâ ferventiſſimæ charitatis expreſſione præivit, ut vel ſolâ ejus recordatione ſe illi deinceps ad D E U M incitarent. Invitatus ad cœnam, quam ei ſupremam in carcere Amici paraverant, accubuit quidem hilaris, melioribus ſpiritûs dapibus eorum animas refecturus; induci tamen non potuit, ut præter unum ovum, & vini cereviſiâ permixti pauxillum, quidquam præterea deguſtaret; ajens, plus inde ſanguinis ſibi futurum in venis, quod craſtinò Fidei causâ eſſet profuſurus. Expeditis omnibus, Oratori etiam Hiſpaniæ, ſe, Regisque negotia enixè commendanti, precibus & interventione apud DEI conſpectum adpromiſsâ, ad modicè carpendum ſomnum, ut alacrior ad furcam compareret, ſe compoſuit: quo perfunctus, officium ejus diei (erat is dies lunæ 22. Decembris, Apoſtoli Thomæ, translatæ ex Dominica feſtivitati, ſacer) aliásque preces ante horam tertiam P. Thomas abſolvit, Sacrum in apparato à PP. Capuccinis, qui in Aula Reginæ impunè degebant, Altari, poſt generalem totius vitæ confeſſionem apud unum è Societate inſtitutam, ardentiſſimo pietatis ſenſu ſupremùm peregit.

Sub horam deinde decimam productus è cuſtodia, trahæ vimineæ ſupinus injicitur, cui colligatus, & ad Tiburni furcas, altero ab Urbe lapide raptatus, inter infinitam illic mortalium vim, Legatum etiam Hiſpaniæ ſe conſalutantem, & ſacerdotem è Societate habitu ignoto, cui paulò antè in carcere confeſſus fuerat, prope ipſum patibulum reperit. Hic apprehensâ P. Thomæ dexterâ, *Eja*, inquit, *bono animo nunc eſto, teque fortiter gere.* Cui ille, *non eſt per D E I gratiam, quod vereare; non deerit, ut ſpero in D E O, animus.* In pedes è crate erectus, & conſcenſo animosè carro, collum laqueo furcæ affixo indutus, ubi miro ſilentio populum in ſe defixum advertit, vivificæ Crucis ſigno, claris verbis prolatâ formulâ ſe ſignavit, & *Adductus huc ſum*, inquit, *ad mortem eo nomine ſubeundam, quòd ſacerdos, ac Jeſuita eſſe exiſtimer. Verumtamen hìc affirmare poſſum, nullum hactenus argumentum ſat firmum contra me, quo is eſſe convincerer, allatum eſſe.* Quibus inſuper ex ordine relatis, & confutatis, *efflagito*, ſubijcit, *ab adverſarijs meis, ſi fortè hìc adſunt, ut ſi à vero diſcedo, liberè me hìc falſi coarguant. Jam verò ut multorum expectationi, me noſſe cupientium fiat ſatis, cùm jam confecta ſint omnia, & pronuntiatum de capite meo, ecce palàm nunc*

meâ ſponte confiteor, & Catholicum me eſſe, & Sacerdotem, & quæ infinita in me DEI benignitas eſt, Societatis JESU Religioſum; primum item ex eo Ordine, qui ab hujus Parlamenti exordio, morte multatus ſim. Pro quibus omnibus indigno collatis beneficijs, immortali DEO, quas poſſum maximas gratias ago. Tum magnâ libertate Catholicæ Fidei veritatem, extra quam nemini ſalutem obventuram affirmabat, conteſtari exorſus, à Miniſtello progredi inhibitus eſt, séque ad mortem comparare juſſus; dum ipſe interim binos latrones, qui ob ſua ſcelera eidem cum Patre patibulo ſuſpendendi adſtabant, ad eandem diſponeret. Obſecutus mandanti Pater, eam temporis moram, quam ille allocutione, & comprecatione Prædicantica, ſanè verboſa, & Pſalmi unius alteriúſque decantatione conterebat, aliorſum converſus, ſuum DEO agonem tacitus commendabat. Ut ſuas nænias Miniſter abſolvit, *nunc me viciſſim*, inſtat Pater, *elatâ voce DEum orare ſine, ut ea omnes, quæ dixero, intelligant.* Quo multùm tergiverſante, nihilominus exorſus Pater, genuáque, ſigno Crucis facto, reverenter ſubmittens, ſermone Anglico in hæc verba precatus eſt: *Suſcipe ô Pater miſericordiarum, qualemcunque me vides. Suſcipe has indignas perpeſſiones meas, quas ſanctiſſimæ Vnigeniti tui, Domini mei, conſociatas morti, propenſiſſimâ tibi voluntate repræſento, eorum virtute conjunctionéque, quæ paſſus eſt dulciſſimus Redemptor meus JESUS, unà cum meritis omnium, qui in lege Naturæ, in lege Moyſis, & Gratiæ, Divinæ Majeſtati Tuæ accepti fuerunt, ſunt, & erunt; futuras, ut ſpero, gratiores. Ignoſco Judici, ejúſque Aſſeſſoribus; ignoſco Duodecim-Virùs; ignoſco accuſatoribus meis, & qui inferendæ necis mihi quoquo modo cauſa extiterunt.* Tum precatus pro Rege, Regno, ejúſque ad Fidem Catholicam reductione: *ſi tot mihi ſuppeterent*, ait, *vitæ, quot crines in capite, quot in Oceano guttæ, quot in Cœlo ſtellæ, quot perfectiones & excellentiæ in DEO, illas ego perlibenter omnes eum in finem impenderem.* Quibus cum ingenti approbatione acclamantis populi prolatis, ubi aliquamdiu clauſis oculis ad eliciendam contritionem conniſus eſt, mox eos apertos in adſtantem carro ſacerdotem defixit; qui eo ſigno monitus, poſtremam ei peccatorum abſolutionem ſic impertivit, ut extrema formulæ verba potuerit exaudire. Subducto interim carro, placidiſſimo ipſe vultu, oculis ſemper in Cœlum intentis pependit, nullâ oris contorſione, nullâ brachiorum, pedúmve indecorâ jactatione, ſed manibus ante pectus (liberæ enim illi permiſſæ erant) ſurrectis, & orantis in modum conjunctis; perinde quietus, & toto corpore modeſtè compoſitus, ac ſi expiraſſet, aut optatiſſimo ſitu vivens conquieſceret.

Ex tam inuſitato, & Angelico planè morientis Patris aſpectu, notam aliquam hæreſi ſuæ metuens Miniſtellus, continuò funem præcidi volebat. Sed mitior illo carnifex, id facere priùs, quàm totam egiſſet animam, omnino renuit; quem cùm lanienâ conſuetâ partiretur, nullâ militum, aut carnificum vi reſiſti potuit, quin complures fruſta carnium, ſtramenta, & ſtrophia cruore Patris madefacta, unus etiam ex Gallici Oratoris familia, cor ipſum è medio rogo diriperet. Veſtimenta item omnia magno pretio à lictoribus redempta, & fruſtatim in Catholicos, certatim ea depoſcentes, diviſa, ſingulari veneratione, privatâ cujuſque devotione ſervata fuêre. Paſſus eſt P. Thomas Londini 22. Decembris An. 1642. ætatis 42. Societatis 22.

P. BRIANTUS CANSFELDUS.

AN Niverſa P. Brianti vita, quam in Societate IEſu religioſiſſimam totos 39. annos vixit, merum fuiſſe cenſeri poteſt Martyrij Tyrocinium. Ità enim aſper, ne dicam crudelis, in corpus, ejúſque cupiditates conſtanter ſævijt, ut nihil, quod caro concupiſceret, ei largiretur, ſenſibus autem abhorrentia, veluti gratiſſima Dominicæ Paſſionis analecta, magnâ cupiditate amplecteretur. Natus in Lankaſtrenſi Angliæ Provincia, & voluntario Fidei cauſâ exilio in Belgium profugus, exactis laudabiliter juventutis annis, è ſæculo in Societatem IEſu ſe recepit; in qua virtutum & excellentis doctrinæ merito, quatuor votorum ſolenni nuncupatione auctoratus eſt. Et quia omnia illius deſideria, omnia animi vota, unam ſpirabant Angliam, in qua Apoſtolicis laboribus fortunatæ pro Chriſto mortis coronidem imponere poſſe ſperabat, dimiſſus tandem eſt in campum certaminis, non minore ſuperiorum voluntate, quàm animi ſui ſolatio. Ubi nihilo minore cæteris conatu, ſub adſci-

P. Briantus Cansfeldus Anglus Soc: IESV, poſt verbera et atroces iniurias, ſqualore carceris in cauſa Fidei Catholicæ è vivis ſublatus Eboraci in Anglia A. 1643. Menſe Auguſto.

adſcititio Chriſtophori Bertonij nomine, quotidiana inter vitæ pericula, & incredibiles perſecutionum ærumnas, conſtantem animarum lucris operam per annos complures, ad uſque 65. ætatis annum, ità impertivit, ut copioſos ex hæreticis reductis, & firmatis Catholicis, in horrea Domini manipulos reportârit. Ità meritis plenus, & Cœlo maturus, dum beatæ per ſanguinis effuſionem mortis laureolam vix ampliùs ſibi obventuram ſperat, repentè præter omnem ſuam expectationem, imò & comprehenſorum intentionem, eam ſibi in manus à Cœlo ingeri deprehendit.

Erat Judici criminalium cauſarum in Eboracenſi provincia conjunx, olim Catholica, quam ex ſimulata hæreſi ingentibus animi angoribus cruciatam, unus aliquis è Patribus Societatis Eccleſiæ reconciliaverat. Exarſit hoc auſu in graviſſimas iras maritus, dimiſiſque quaquaverſum exploratoribus, Patrem omni ſagacitate veſtigabat; non antè quieturus, quàm patibulo affixi & eviſcerati ſanguine, implacabile ejus odium reſtinxiſſet. Ecce autem dum apparitores Sacerdoti illi deprehendendo omnia rimantur, & domos, quantumlibet levibus indicijs ſuſpectas rimantur, incidunt in Patrem Briantum, ſacris tùm penitus operantem: quem utì ad Aram conſtiterat, ſacro apparatu veſtitum, ornatúmque corripientes, inter lùdibria & ſannas ad judicis exaſperati domum trahunt, vexant, verberibus exagitant, ac demum in tetrum ergaſtulum detrudunt. Inclementer

omnino & diriter, quamdiu illic detinebatur, habitus eſt; ſed cognito poſtmodum errore, & placato judicis animo dimiſſus, & ſuo, quo vellet, ire arbitratu permiſſus eſt. Verùm non erat ampliùs, quo ſollicitus dono acceptam vitam collocaret ſecuram; fractas enim proſtratâſque acerbâ tractatione, ærumnoſi carceris ſitu, cibi potúſque incommodis, ſeniles vires vix cuſtodiâ efferens, nullis deinceps inſtaurare potuit fomentis. Itaque uno pòſt ferè menſe, conſcitam ergaſtuli malis mortem, inter noſtros in Eboracenſi miſſione oppetijt, Auguſto menſe. Anno 1643.

P. RODULPHUS CORBÆUS.

FOrtunata, ſi quæ alia, & ſingulari prærogativâ integrè ad ſuum famulatum à DEO electa fuit P. Corbæi familia. Pater & Mater cum omnibus prolibus vitam Religioſam amplexi, ille cum 3. filijs in Societate JEſu, Mater cum binis filiabus in S. Benedicti familia, pleni virtutibus & meritis ad mortem uſque perſtiterunt. Parentes ejuratâ, quam primùm ſequebantur, hæreſi, voluntario extra Angliam ſuſcepto exilio, P. Rodulphum Corbæum, aliàs Corby dictum, in Hibernia non longè Dublinio ſuſcepêre, ſimulatæ fictionis, & omnis diſſenſionis tantum ab infantia oſorem, ut nunquam à veritate quid alienum, minúſve ſincerum protuliſſe, nunquam certare, aut contendere de ulla re ſit notatus, quamlibet diſceptationem hiſce dirimere ſolitus: *ergo ſit ità, ùt dicis & vis, nec de hoc ampliùs diſceptemus.* Nullus illi pecuniæ amor; quam ſi aliunde accepiſſet, continuò fratri tradebat. Obſervantia in parentes, reverentia in DEUM ac Cœlites, ac præcipuè in Deiparam ſumma, quam à puero recitatione Officij Mariani, omnibus Feſtis & Dominicis colere conſuevit. Anno ætatis 15. in Belgium, ac ſubinde in Italiam Hiſpaniámque transgreſſus, in varijs Anglorum ſeminarijs ſcholas omnes, cum Theologia quinquennio audita, perſolvit, factúſque ſacerdos, & in Belgio Sociorum numero adſcriptus, totum ſe divino obſequio addixit. Profundiſſima cumprimis in eo enitiuit humilitas, quâ perſuaſus ineptum ſe, ad quidlibet rectè diſcernendum, & proprio arbitrio gerendum, eſſe, ad omnem ſuperiorum nutum cerâ flexibilior evadebat. Ab his remiſſus in Angliam, pedes ſemper, ſcipione fultus, ruricolæ aut tabellarij habitu, pauperum Catholicorum tabernas, quos nec egeſtas ſacerdotem domi alere, neque obſcuritas illum in ædibus ditiorum adire ſineret, percurſabat, quà Sacramenta miniſtrando, quà privatis alloquijs ad veritatem, ad virtutem, inſtruendo; nam publicè ad concionem plurium dicere, & conventus celebrare, nunquam totis 12. annis, quibus Angliam excoluit, periculi magnitudo; neque privatas has tenuiorum Catholicorum luſtrationes diurno tempore fieri, acerbitas perſecutionis permiſit. unde non aliàs magis, quàm intendentibus ſe tenebris, vel nocte intempeſtâ, pagatim eorum intrabat domicilia, eodem cum ijs cibo, qui ex improviſo occurriſſet, victitare ſolitus. Nec eum ab humilibus & laboriofis conatibus retardabat adverſa valetudo, quâ perpetuò conflictabatur; cujus moleſtijs ultimis octo vitæ annis vires capitis uſque eò proſtratas ſenſit, ut neque diutiùs meditari, neque prolixiùs lectioni vacare poſſet. Et concurſabat tamen ille remotas etiam in medijs ſilvis Catholicorum domos, donec in una earum improviſè interceptus, in partem beatæ pro Chriſto necatorum ſortis devenit.

Stabat ille ad Aram, Miſſæ Sacrificium, in quo jam Epiſtolam legerat, offerens, Hampſterlæi domo, in medijs ſilvis, in Comitatu Dunelmenſi ſolitariè ſita; cùm irruentibus per vim militibus comprehenſus, & ad Parlamenti Commiſſarios Sunderlandiam abreptus, jubetur propriæ manûs ſubſcriptione Sacerdotem ſe, & in Sacerdotali functione deprehenſum fateri. Quod promptiſſimâ voluntate executum, imò & Jeſuitarum è numero unum eſſe profitentem, navigio nocte intempeſtâ imponunt, & unà cum Joanne Ducketto Sacerdote ſæculari, Londinum avehendum committunt. Huc appulſos continuè carcer Novæ Portæ, veluti propriâ confeſſione Majeſtatis reos excepit; nec ipſi aliò, quàm ad patibulum exitum inde ſibi concedendum ominabantur: unde ſecluſis rerum humanarum curis, uni DEO totos ſeſe heroicarum virtutum exercitio impendebant. Conati ſunt varijs artibus Catholici P. Rodulphum morti ereptum in libertatem vindicare, quos inter Prolegatus Londini Cæſareus, captivi in Germania Tribuni militaris

P. Rodulphus Corbæus Hibernus S. I. odio Sacerdotij Catholici ſuſpenſus, et membratim dilaniatus, Londini in Anglia 17. Septemb. A. 1644

C.S.d. MK.f.

litaris Scoti commutationem cum Patris capite urgebat. Sed deprecatus eſt ille magnopere favorem inexpectatum, ac ſenectutem, infirmam valetudinem, inutilem jam in vineæ Chriſti cultura vitam prætexens, in Dominum Duckettum viribus validum, præclaris à natura dotibus inſtructum, beneficium transferri oravit. Verùm & ille ingrati muneris oblatione perculſus, viciſſim illud à ſe in P. Rodulphum amoliebatur; defixis admiratione, qui aderant, concertationiſque novitate ſtupefactis. Inter hæc bimeſtri captivitatis elapſo, dies 14. Septemb. Exaltationis S. Crucis ſacer eluxit, quo citatus uterque ad Tribunal eſt, & Judicum ſententiâ, ex propria cujuſque confeſſione, Sacerdotij, hoc eſt, læſæ Majeſtatis, condemnatus. Abducti à Tribunali, præter morem detruſi ſunt, barbarâ maligni cuſtodis inhumanitate, in tetrum ac vile ergaſtulum, inter homicidarum, maleficorum infandam fæcem, catenis inſuper, ac ferreis compedibus onerati, tantâ inclementiâ, ut Præfectus carceris factus certior, facti atrocitatem exoſus, juſſerit abſtineri.

Igitur honeſtâ cuſtodiâ, reliquo uno ante ſupplicium die & nocte concluſos, certatim domeſtici, exteríque Catholici, & in his plerique Orthodoxorum Principum Oratores convenêre, ultima ſuis rebus conſilia, ſalubria monita, & apprecationes poſtulando, negotia precibus eorundem commendando, & Sacramenta Confeſſionis & Communionis obeundo. Et Galliæ quidem Legatus, poſt-

quam cum ſuis omnibus ſacram exomologeſim apud P. Rodulphum obijt, Roſarium ab eo, ac numiſma benedictum, Reginæ Matri dono mittendum in Gallias accepit. Quod idem præſtitit Dux Guiſia, quæ cum Marchione de Broſſay,& utriuſque comitatu, ſupremam noctem totam in carcere, tanquam in ſacris vigilijs perſtitit, ſacrificantibus adfuit, & ſacro Epulo ex manibus itidem P. Rodulphi,cum plurimis alijs Catholicis paſta, demum calicem, quo rem Divinam fecerat, numerato pretio comparavit, & ceu pietatis theſaurum in excelſo ſemper habuit. Cæterùm ipſi ab accepta mortis ſententia miram toto ore ſpirabant hilaritatem; quantóque ab exceſſu vitæ per intervalla aberant propiùs, tantò majore teneritudine liqueſcebant, erumpentibus ſubinde præ gaudij magnitudine lachrimis: ſic,ut Rodulphus Sacerdoti de Societate, qui ei habitu minimè ſuſpecto ſemper in carcere tunc aderat, profiteretur, nullo ſe prorſus tangi, teneríve metu. Vltimo tamen ſacrificio vehementer animo percelli, turbari, & conſternari ità viſus eſt, ut toto corpore ſuccuſſus, nec verba ſatis proferre interdum poſſet: quas tamen mentis triſtitiâ obnubilatæ tenebras, in eodem adhuc ſacrificio imploratum ab eo Numen, cum fœnore etiam,& auctario ſolatiorum reſtituit.

Appetente ſupplicij horâ prodiêre uterque alacres, raſo in coronam Sacerdotalem vertice, proprio quiſque, non autem alieno, ùt antehac conſuêrant, habitu; P.Rodulphus in veſte ordinaria Societatis, & D. Ducketus in tunica talari,Catholicis Clericis uſitata. In cratem vimineam ſimul colligati, ubi raptatione ad Tiburnum in conferta multitudine pertracti ſunt, patibulum amplexu primùm,atque oſculo devotiſſimè conſalutârunt; tum conſcenſo ferali plauſtro, inſertiſq; laqueo cervicibus,ſtetêre permiſti quinque flagitioſis, ſcelerum çausâ eâdem pœnâ ſecum damnatis. Hîc Rodulphus pauca de mortis ſibi irrogandæ causâ præfatus, cùm fatentem etiam Vice-Comitem Londinenſem, qui ex officio neci reorum intereſſe ſolet, habuiſſet, eam non aliam eſſe, quàm ſacerdotium authoritate Romanæ Sedis ſuſceptum, reditum in Angliam, & munus ſacerdotale illic exercitum; tum enimvero Pater magnopere ſibi in tam bona cauſa mortem gratulatus, Deo etiam immenſas pro illa gratias ſe agere,magno pietatis ſenſu declaravit. Nec plura effatus, totus ſe ad roborandum in Fidei confeſſione Havardum quendam, unum ex ijs quinque ſceleratis,convertit. Huic adulteratæ monetæ falsò, ùt ajunt, poſtulato, & paulò ante ſupplicium ad Fidem Catholicam converſo, plurimum negotij faceſſebant eo ſupremo articulo Miniſtelli. Verùm is tum ſponte ſuâ, tum Patris adhortatione, palàm conſtanter edicebat, ſinè fide Catholico-Romana,ſpem nullam ſalutis eſſe poſſe. Tandem perberevi mentis ad interna collectione, Pater indicium in turba Sacerdoti fecit impertiendæ abſolutionis, quam veluti ex arena miſſionem adeptus, & D. Duckettum ſuaviſſimè amplexatus, ſubducto plauſtro pependit, donec uterque animam edidiſſet. Diſſectorum è carnibus aut ſanguine, ne partem ullam, vel reliquias ſubducere poſſent Papiſtici (ùt vocant) canes, crudeli diligentiâ cavit juſtitiæ Præfectus, jubens cremari, quidquid eorum cruore conſperſum eſſet, ipſa adeò lintea, quibus præcincti erant carnifices, & manicas, quas brachijs induerant, elui. Pervenit tamen in Catholicorum poteſtatem altera D. Ducketti manus, & P. Rodulphi toga integra. Paſſus eſt 17. Septembris, Anno 1644. ætatis 47. Societatis 20. eodem die, quo ante ſeptennium Parens ejus Gerardus, Watenis in Societate piè placidèque deceſſit.

P. RICHARDUS BRADLÆUS.

LAncaſtrenſis Angliæ Provincia P. Richardo natale ſolum fuit, magni animi Viro,ſanguinis & vitæ, quoties uſus ferret,aut neceſſitas, prodigo. Societatem ingreſſus eſt duodevicenarius, à cujus diſciplina,virtutibus & literis in aptiſſimum Divinæ gloriæ inſtrumentum formatus, quatuor in ea ſolemnia vota profeſſus eſt. Quantum in vinea Domini exantlârit laborum, quantum in animarum queſtu ſubierit diſcriminum, nihil attinet explicare, cùm de eo verè dici poſſit: Anima ejus in manibus ipſius fuit ſemper. Certè in Caſtrenſi miſſione,quæ animoſæ illius virtuti ante Anglicam profectionem campus fuit, præſentiſſimum ſæpius vitæ adijt diſcrimen, ità ſui ſecurus, ut in medio æſtu præliorum,ordines militum

per



P. Richardus Bradlæus Anglus Soc: IESV, ærumnis et illuvie carceris pro Fide Catholica confectus in Anglia Marcheſtriæ. 30. Ianuarij. A. 1645.

per univerſam aciem, à fronte uſque ad poſtrema auxilia, inter volitantes globos impetterritus percurſaret, ſolo armatus manum Salvatoris de Cruce pendentis ſigno, cujus oſtento & præliantes ad fortiter in Fidei hoſtes pugnandum, & vulneribus proſtratos ad fortiter in tam bona cauſa moriendum animabat. Accidit aliquando, ut dum in cruento præ alijs conflictu, denſo plumbearum glandium imbre caput circumvolante diſcurreret, nullâque ſui ratione habitâ ad milites è vulnere lapſos accidens, aures ſemper omnibus præſens afferret, militum quiſpiam periculi magnitudinem conſpicatus, & ſaluti Patris metuens, caſſide ſibi detractâ caput illius, Angelum vitæ ſacerdotis cuſtodem fuiſſe ſuſpiceris, obarmavit. Vix id perfecerat, cùm impactus capiti illius è ſclopo globus eſt, impetu cerebrum cum vita eliſurus, niſi fidelem ſervum tam præſente cuſtodiâ ſervâſſet Cœlum.

Jam quæ in Angliæ procuratione difficillimis temporibus toleranda occurrerint, facile eſt ex alijs divinare, cùm nunquam in luce prodeundi in publicum facultas, ſed noctibus duntaxat Catholicos inviſendi, ſolandi, roborandique fas eſſet. Et licèt hoc ipſum cautiſſimâ Richardus ageret circumſpectione, tentus nihilominus tandem eſt ab emiſſarijs Parlamenti, & in Mancheſtrenſem carcerem in Provincia Lancaſtrenſi detruſus. Nec aliud præſtolandum ipſi manebat, niſi ſacerdotibus Anglis omnibus irrevocabiliter decretum patibulum, eviſceratio, exuſtio; niſi

nisi calamitates ærumnosissimi carceris animam illi antè expressissent. Porrò si quis avet rescire, cujusmodi in Angliâ sacerdotum fuerint custodiæ & ergastula, audiat unum alterúmve ex ipsis illa perpessum, & notitiâ experimentali nobis describentem.

P. Ioannes Gerardius Societatis JESU, qui multis annis fructu incomparabili in Anglia labores Apostolicos produxit, captus tandem sub Elisabethæ imperio, *demissus sum*, narrat ipse, *angusto ostiolo in subtegulaneum carcerem, ægrè lecticuli capacem, staturâ meâ breviorem, fenestrâ noctu diúque apertum, & quod erat gravissimum, somno, valetudini, naribus maximè infestum, tam pestilentis & acutæ graveolentiæ, quantam poterat explicare cloaca, in quam diversi & multiplicis carceris sordes omnes undiq; confluebant.* P. Guilielmus Vestonus ex eadem Societate, atrocissimis perpessionibus totâ Angliâ notissimus, detrusus est in carcerem tam horrendâ, præter alias ærumnas, graveolentiâ, ut, quod ipsemet scribit, præfocaretur ejus mephiti, sentirétque naturæ proclivius fore semel mori, quàm diu in tantis durare miserijs. Capi somnus illic non poterat, nisi defectum viribus corpus humi prostratum concidisset. cujus per 50. noctes à se capti tempus si colligeretur, scripsit ipse, non confecturum spatium horarum decem. Lumen non nisi malignum incidebat, quantum scilicet immittebat angusta, instar balistarij foraminis, fenestella: ut in beneficio duxerit, se non penitus esse excæcatum, caput & cerebrum in deliria solutum licèt ita viribus & mente exhaustus fuerit, ut ultra quatuor lineas scribendo vel legendo progredi non posset. Plura sparsim in prioribus, de incredibilibus Anglicanorum carcerum ærumnis memoravimus: quibus P. Richardus priùs confectus est, quàm ad publicè propugnandam felici suspendio rem Catholicam educeretur. Die videlicet 30. Januarij Anno 1645. ætatis 41.

P. HENRICUS MORSÆUS.

FOrtunatæ in Fidei causa *mortis responsum*, in se ipso, ex nomine suo habuisse, videri potest Pater Morsæus, aliàs Mors agnominatus, in Norfolciensi Angliæ Provincia Parentibus Heterodoxis editus, & in hæresi ad usque Jurisprudentiæ comparatam Londini notitiam, persistens. Tum enim reclamantis conscientiæ perplexa neque devitare ampliùs, neque eluctari seipso valens, in Belgio Magistros perquisivit; à quibus Catholicam veritatem edoctus, tantâ firmitate complexus est, ut mox repetitâ Patriâ, priusquam exactum à se (quo Fidem Catholicorum explorari solitam sæpius monuimus) fidelitatis præstaret jusjurandum, primùm carcerem, dein etiam exilium tolerare elegerit. Romam ergo, Veritatis sedem contendens, Pontificio Gentis suæ Collegio receptus est, annos natus 23. in quo post septem annos Philosophiæ & Theologiæ navatos, sacerdotio initiatus, cùm virtutum dotibus Apostolico muneri paribus jam tum instructissimus notaretur, in Angliam, Pontificiâ fultus auctoritate, ad quæstum animarum faciendum remissus est, iterum pro hospitio carceres habiturus in Patria. In ipso siquidem Insulæ portu Neocastri naufragium libertatis passus capitur, examinatur, ob Fidei professionem publicæ custodiæ traditur, ampliùs triennio gravissimis inediæ, frigoris, squalloris, ergastuli incommodis maceratur; quibus exhausto penitus corpore, & exangui macie torrido, non minùs pene vultu, quàm nomine deinceps mortem loquebatur. Ferebat ipse à Præposito Generali secum potestatem, mox ùt Angliam teneret, Societatem IEsu ingrediendi; cui opportunè sanè pro Tyrocinij palæstra triennalis carcer, & in spiritûs magistrum sacerdos quidam ex Societate, eâdem cum illo custodiâ tentus, obtigit. Sub ejus directione (erat enim in Asceticis doctrinis apprime versatus, & exercitatus) quantum in virtutum, ac præsertim zeli animarum usu profecerit, eo maximè patefecit, quòd toto eo carceris tempore, vix unus illinc maleficorum eductus sit ad mortem, cui non ipse in Catholica Religione viam feliciter ostendisset ad vitam.

Ex triennali custodia actus iterum in exilium, Belgium petijt, ubi jam ipsi inter socios computato, Anglos milites Religiosis ministerijs procurandi provincia demandata, cùm ab illo extremo conatu, laboribúsq; pene citra modum, sanè ultra vires susceptis obiretur, in ruinam valetudo extremam, & tantùm non in exitium præcipitata est, sic ut eum deinceps utcunque restauratum, non alijs, quàm Ministerij domestici munijs, Watenis & Leodij occupandum duxerint superiores.

P. Henricus Morſæus (alias Mors) Anglus S. I. ob ſuſceptos Sacros Ordines ſuſpenſus, et diſſectus, Londini in Anglia, 1. Februar. A. 1645.

C. S. d. M. K. ſ.

riores. Quod ipſum tamen magno diſciplinæ Religioſæ ceſſit emolumento, cùm ipſe Regularum ſcita, Superiorum juſſa, quàm ſervaret ipſe, tam ab alijs diligenter exigeret; ab obedientiæ præſcripto, rectíve conſcientia, ne latum quidem unguem, ſeu gratiâ, ſeu metu diſcedens. Namque ſpiritu fortitudinis robur corpori ſuggerente, cùm infirmabatur, tunc potens erat, ardensq; ſalutis alienæ cupiditate, unius Collegij parietibus contineri non poterat. Igitur in patentes Angliæ campos denuo ſuperiorum annutu evadens, tanta unus corpuſculo ægritudinibus fracto, & agendo perfecit, & tolerando pertulit, quanta vix plurium fortes lacerti ferendo ſuffeciſſent. Certaminis arena Londinum fuit, tum aliàs, tum præcipuè annis ſupra mille ſexcenteſimum trigeſimo ſexto, & ſeptimo: quibus peſtifera lues urbem populata, contagionis metu omne auxilium ſubſidiúmq; ab ægrotis, pauperibus præſertim, amovebat. Horum ſolatio, non tantùm qui ex Catholicis, ſed ex quolibet ſectarum grege, malo corriperentur, operam & vitam ſuam apud Superiorem devovit; tantis ex obtento annutu incedens lætitijs, ut vix ſe capere poſſe videretur. Igitur Exercitijs S. Ignatij, votorúmque inſtauratione ad palæſtram comparatus, domos imprimis Catholicorum, quò commodiùs conveniat ſingulos, ſibi deſcribit; quorum ſpatio quadrimeſtri ſolas contagio infectas, cenſuit ampliùs quadringentas. Has igitur dum primâ curâ (nam ſectarios minimè negligebat) diù

noctúque percurſat, incredibile eſt, quantum ærumnarum & moleſtiarum exhauſerit. Subeunda erant cubicula odoris atque animæ gravis, agendum cominus, eo ipſo loco aſſidendum, ubi contagioſi nauſeantis naturæ proluviem profuderant: cooperti flagitijs, & ad ſalubria monita obfirmati, quà blandiendo, quà terrendo, ad ſalutis conſilia perducendi: Confeſſiones veteres corrigendæ, ab ultima pueritia repetendæ. Accedebant continuæ exploratorum inſidiæ, & tenſæ ab inveſtigatoribus paſſim indagines, quibus repentè in domo, ad quam venturum ad ægros condixerat, obruendus, ancillæ indicio periculum evaſit, eandémque trans horti parietem proſpectantem, celeriter inſtruxit, confitentem audijt, DEO & Eccleſiæ reconciliavit.

His aliisque officijs dum prodeſt alijs, & præter multos æternitati tranſcriptos, plus quadraginta morbi beneficio ab hæreſi reducit, pro ſalute animabus inſpirata, ipſe lue, à peſtiferis eorum corporibus, afflatur. Brevi tamen præſtantis Medici curatione ſibi reſtitutus, & ad periculoſum miniſterium alacrior reverſus, quia ſibi nuſquam parcebat, luem iterum, longéq; graviorem conſcivit. Sed neque hæc ultra periculum progreſſa, eo ipſo momento, quo Superioris literas, omnem tantisper ægrorum curam inhibentis, & propriæ valetudinis curam mandantis, perlegit, illum deſtituit, ſic, ut ad inſtitutum ægros viſendi paulò pòſt redierit. Quo in munere magnâ alacritate rurſus verſantem, improviſò apparitores occupant; à quibus cubiculo concluſus, ante omnia S. Euchariſtiam, quam ſecretò ad ægrum deferebat, ne impiorum deveniat in manus, abſumit: ſub veſperam tamen ad examen Magiſtratûs vocatus, quia quæſtionibus nonnullis ſatisfeciſſe viſus, etiam laudatus dimittitur. Hunc ille ſucceſſum Deiparæ beneficio, quam examini Patronam invocaverat, attribuens, majore ſecuritate, DEI protectione confiſus, ſalutari operi incumbebat: cùm iterum ab emiſſario quopiam, manus illi, domos ægrotorum obeunti, ſunt injectæ; ſed oblatâ libertatis mercede, ùt eſt illis fides pretio venalis, non difficulter laxatæ. Dum autem pergit munus ſuſceptum imperterritus præſtrenuè exequi, rurſum in Apparitores prioribus iniquiores, quia potu madidos, ab ægra quapiam revertens, incurrit, qui comprehenſum in Weſtmonaſterienſem carcerem, non ſinè blaſphemis exprobrationibus, viſuros ſe, num Maria, & Sancti illum eſſent erepturi, traducunt. Invènit hìc illum, poſt longam urbe totâ conquiſitionem, ſuſpicatus, quod res erat, ab emiſſarijs carceri mancipatum, ſuus famulus, quem ille publicè (nam ſoli colloqui prohibebatur) rogavit, ut Reginæ, quo eſſet loco, quàm primùm indicaret. Quod Pater quidem non ſeriò, ſed ut hâc ſpe libertatis, etiam ab invitis extorquendæ, interjectâ, minore ſumptu cum cuſtodibus depaciſceretur, dicebat. At famulus ſeriò peti ratus, rem egit per Confeſſarium apud Reginam impigrè. Cujus actionis ignarus Pater, cùm libertatem interim certâ pecuniæ ſummâ à Cuſtodibus redemiſſet, factus rei certior, parúmque conſtanter & honorificè Reginæ facturum exiſtimans, ſi poſt ejus imploratam opem, ante illius eventum ereptâ libertate uteretur, ultro apparitoribus in eandem ſe cuſtodiam ſiſtit. Multis illic injurijs per dies aliquot affectus, rebúſque omnibus exutus, in carcerem Novæ Portæ, juſſu Conſilij Regij transfertur; unde poſt unum ferè menſem ad Tribunal evocatus, duorum criminum, teſtimonio virorum quatuor, ac trium mulierc ularum, accerſitur; Sacerdotij videlicet, & ſeductorum à Fide, & obedientia Regis ſubditorum.

Primus Neotonus, jam pridem ob perjurij notam è ſubſellijs, & jure teſtandi eliminatus, juramento firmavit, Patrem aliquando ſibi faſſum, eſſe ſe ſacerdotem. Inficiatus factum Pater, *cur enim*, inquiens, *inſidiatori infeſtiſſimo faterer, quod ſcirem ex Regni legibus eſſe capitale?* obteſtabatur judices, ne notorij nebulonis teſtimonio fidem adhiberent. *At*, inquit, *ſupremus Judex, fac nebulonem eſſe, fieri tamen poteſt, ut ejus teſtimonio ſuſpendaris. Jura ergo, ſi potes, te ſacerdotem non eſſe. Nisì id juraveris, reus eſſe manifeſtè convinceris. Profectò Regni leges*, reſpondit Pater, *jusjurandum ab accuſatis exigi non ſinunt, eámque probationem nullam eſſe volunt.* Juravit deinde Grayus viſum à ſe Nobilem, flexis genibus Patri confitentem; & mulier Halla nomine, addidit, ſe fatentem moribundam audiviſſe, illi eſſe confeſſam. Madiſona autem affirmavit, inunctam ab illo quandam ægram fuiſſe, neſcio quâ re, è panniculo rubro à collo pendente. Reſpondit ille: Nobilem virum, quem Grajus confeſſum eſſe diceret, eum ſitum in colloquio idcirco elegiſſe, quòd ad levandum dolorem, cùm æger eſſet, foret illi tunc commodiſſimus; an verò confeſſio hæc fuerit, nec ne, id ſciri à Grajo non potuiſſe, cùm confeſſio ſit ſecreta. Hallam verò nec intelligere, quid rei ſit confeſſio. Suaſiſſe qui-

quidem ſe moribundæ, ut conſcientiam examinaret, atque eam in rem, ut faciliùs contritionem eliceret, etiam juviſſe. Ad Madiſonæ teſtimonium, reſpondit, ſe medicamentum ægræ applicuiſſe, quod in panno murice tincto geſtaverit. Dimiſſi poſt hæc de more ſunt ad deliberandum Viri duodecim, qui mox reduces, Sacerdotij reum videri pronuntiârunt, non item ſeductionis ſubditorum. Quo accepto, comiter Judici gratias Pater egit. Qui ad Aſſeſſores converſus, *en etiam gratias*, inquit, *mihi agit, quòd compertus ſit reus. Imò maximè mi Domine*, reponit Pater, *gratias ago, idque ex intimo corde.* Comparantem ſe exinde ad excipiendam fortiter mortis ſententiam, & mortem ipſam, repentinus favor Regis excepit, qui interceſſu Reginæ inductus, & indignatus ſe à Conſiliarijs deceptum, fore, ut ſi judicio rem permitteret, evidenter ſeductorum à Fide, & Regis obedientia ſubditorum, convinceretur; libertati Patrem reſtitui, & ſolo exilio multari præcepit.

Tertiùm igitur Patriâ proſcriptus, ſuam in Belgio operam Anglicæ legioni, caſtrenſis iterum Miſſionarius, navavit, eâ integritate & virtutis exemplo, ut non aliâ, quàm S. Patris appellatione à legionis Tribuno Gagio indigitaretur. Brevi nihilominus anguſtijs his impatiens concludi vaſtus animus, in Patriæ remitti auxilium aſſiduis precibus apud Superiores contendit, tantóq; cordis ſolatio Anno 1643. nuntium obtentæ Miſſionis excepit, ut in genua ante Moderatores provolutus, actis gratijs, omnium continuò Patrum Gandavi cubicula obierit, gaudia illis ſua impertiens, & abſolutâ quâdam ſponſione memoriam eorundem apud DEum, ubi ſub patibulo plectendus conſtiterit, promittens. Hâc fiduciâ ad partes Angliæ Boreales renavigans, ſeſquiannum circiter ſtrenui, utiliſque operarij munus, cum multarum ſalute animarum, implere pergebat, cùm in hoſtium poteſtatem etiam non quæſitus, pro alio, cui inſidiabantur, denique incidit, Dunelmum in carcerem, ſub militum cuſtodia deducendus. Ex itinere, quod longiuſculum erat, ad vicinam publicæ pacis in quodam vico Conſervatoris domum, nocte aſſervandum captivum tradunt, quem omni humanitate per Viri abſentiam excipiens Conjunx, clàm illi Catholicam ſe eſſe aperuit; cui vicißim ſacerdotium ſuum prodenti, copiam evadendi, priùs quàm rediret maritus, ultro obtulit. Cùm verò prorſus ille abnueret, tanto hoſpitæ incommodo & periculo clàm profugere, illa periculum nihili pendens, ſcelere quin potiùs tam atroci illam ut eximere fugâ pergeret, urgebat, quo alioqui ſe proditione ſacerdotis hoſtibus Fidei involutura eſſet. Ceſſit tandem diu reluctatus, & nocte illâ quaterdenis paſſuum millibus per devios tramites pedes confectis, ſex circiter hebdomadis obſcuro quodam Regionis ejus angulo delituit. Inde ſecurum jam emergere poſſe ſperans, hominem fidum, viarúmque gnarum adſcivit, quo ductore in aliam Regni partem, ubi ignotus rem Catholicam procuraret, tranſibat. Sed ille viæ ductor ſeu fortuitò, ſeu divino conſilio, in ſumma ſemitarum illarum gnaritate, omnem earum memoriam ità amiſit, ut quà procederet, penitus neſciret. Quod ergo reſtabat unum, ad conſpectam in vicinia domunculam divertit, de via percontaturus, unáque ibat P. Henricus; cùm in limine conſiſtens, & quaſi ex compoſito opperiens eos vir, ex Patre quærit, an non is idem ſit, qui nuper Dunelmum captivus miſſus, è cuſtodia militum elapſus profugiſſet? Pater improviſâ ictus percontatione, cùm diffiteri nollet, capitur, vincitur, & poſt gravem, fœdúmque multarum ſeptimanarum Dunelmi carcerem, Londinum denique navigio tranſmittitur.

Infandas eo itinere à nautis perpeſſus injurias, & periculoſâ procellâ, quâ navium altera ante oculos fluctibus hauſta eſt, defunctus, in carcerem Novæ Portæ Londini die 24. Januarij detruditur, priùs aliquot tamen horarum ſpatium pretio à ſatellitibus mercatus, ut Oratorem Hiſpaniæ, & Comitem Egmontium ex officio ſalutaret, qui etiam in ſecretum conclave deducto, ibique Sacris operanti miniſtravit, & benedictionem expetijt. Advolavit interea Londinum Patris Henrici frater, D. Morſæus, Vir opulentus, & inter Juris Advocatos authoritatis magnæ; qui licèt ſectam Proteſtantium ſequeretur, ternis nihilominus florenorum millibus ejus libertatem redimere, ſed fruſtraneâ licitatione contendebat. Siquidem 30. Januarij ad Tribunal evocatus, recitatâ accuſationis formâ: *quòd ante annos aliquot ſacerdotij convictus, Regnóque egreſſus, revertiſſet:* iterum ſolenni formâ de ſacerdotio, hoc eſt, de perduellione damnatus, & in perendinum diem ſupplicio deſtinatus eſt. Totâ illâ die & nocte, quæ illi ſupremæ fuêre, ab omni grege hominum etiam Acatholicorum ità obruebatur, ut neque cibi capiendi ſpatium haberet. Omnes Viri tanti vel aſpectum,

vel ſolatium, vel fauſtam apprecationem, vel in rebus perplexis conſilium, eſto haud modico ſui periculi pretio, comparare ſtudebant. Quorum non pauci ab irruentibus mediâ nocte militibus intercepti, & toto noctis reſiduo, ac die inſequenti, Parlamenti juſſu detenti, pecuniâ vexationem redimere coacti ſunt. Magnâ etiam honoris ſignificatione eum per ſe, vel internuntios convenêre, Cæſaris, Catholici, & Chriſtianiſſimi Regum Oratores; & Luſitanus quidem unà cum Conjuge pedites, quamvis cæno à denſa pluvia ſquallebant viæ. Lapſa inter hæc officia Patri nox tota inſomnis jam erat, & hora quarta prope crepuſculum jam matutinum. Ergo recitatis nonnullis pro Angliæ converſione precibus, inexplicabili pietatis teneritudine, Miſſam de Sanctiſſima Trinitate, in gratiarum actionem pro beneficio mortis, Chriſti causâ oppetendæ, celebravit; poſt quam perſolutis ejus diei Canonicis horis, ſingulorum, qui eodem carcere claudebantur, circuivit ergaſtula, quos omnes ſupremùm valere jubens, eâ vultûs amænitate renidere illis viſus eſt, ut tantam animi non caperent magnitudinem. Ac præcipuè Pater Chriſtophorus Ultanus, è Sancti Franciſci Familia pro Chriſto vinctus, tantâ animi lætitiâ, & martyrij cupiditate, ex ejus amplexu perfuſum ſe expertus, ut quoties deinde ejus rei mentio incidiſſet, lachrymis gaudio manantibus exclamaret, *bone JESV! nam qualis ille vultus erat!* adijcere ſimul ſolitus; *ſi ad id tempus in hæreſum, aut gentilium errorum tenebris hæſiſſet, uno illo Patris cœleſti aſpectu, & hauſtâ ex amplexu mentis ſerenitate, ejus, pro qua moriebatur, Fidei veritatem agnituram fuiſſe.*

Ab hoc ad ſolitarium conclave Pater ſe contulit, & uno de Societate Sacerdote, qui ſemper tum præſto aderat, arbitro, totum ſe in ardentiſſimos affectus, & heroicos Charitatis, Fidei, Spei, doloris, ac gratitudinis actus, viribus omnibus impendit, quoad fatalis nuncius horam ſupremam inſtare eum admonuit. Quo audito, bone DEus, quàm promptus & alacer provolutus in genua, oculis manibúsque in Cœlum ſublatis, immenſas DEO, pro infinita felicitate, gratias egit! quanto affectu gratiæ hujus magnitudinem prædicavit! dúmque alter ſuggereret, *pergeret porrò in occurſum Chriſti, & DEI para Sanctorúmque amplexum*, exclamans excepit: *Veni mi JESU dulciſſime, ut tibi indiſſolubili nexu vinctus, nullâ dehinc vi, nullo unquam tempore, nec æternitate divellar. Venite vincula, crates, tormenta, mortis laniena, venite! JESU Salvatoris mei causâ, grata mihi inprimis & jucunda eſtis!*

Eductus eſt ad traham craticeam quatuor equis junctam, manu Vice-Comitis Londinenſis, in qua raptatum ad furcam conſecutus eſt in via Legatus Galliæ, palámque totâ inſpectante multitudine deveneratus, Regem & Regnum Chriſtianiſſimum ei commendavit, & bene ſibi dici demiſsè poſtulavit. Quod in loco ſupplicij denuo repetiturus, è curru ſuo deſilijt, & ſub furca Patri collocutus eſt, ſtrophiolo, quod ad manum tunc ſolum erat, in memoriæ pignus à Patre donatus. Magno exinde animo plauſtrum conſcendens, laqueum ipſe collo induit, confertámque multitudinem his ferè alloqui exorſus eſt. *Veni huc, ſi neſcitis, Religionis causâ moriturus, illius inquam Religionis, quam Eccleſia profitetur Romana, quæ à Chriſto fundata, ab Apoſtolis ſtabilita, per omnia deinceps ſæcula, ad hunc uſq; diem, Hierarchiâ ſemper viſibili propagata fuit; Scripturarum teſtimonijs nixa, Sanctorum Patrum, & Conciliorum authoritate fulta, extra quam denique ſpes nulla ſalutis eſſe poteſt.* Interpellatus hìc à Vice-Comite, útq; ſimilibus miſſis, ſi quid potiùs proditionũ in Regem, aut Parlamentũ nôſſet, ediceret, monitus eſt. *Bene mones*, reſpondit Pater, *omnino magnum arcanum adhuc dicendum habeo, quod totius Regni, & Parlamenti, permagni intereſt.* Hoc accepto, remotiores ex Magiſtratu, admotis equo calcaribus, cùm propiùs audituri acceſſiſſent: *Tunc Anglia*, ſubijcit ille, *erit beata, ubi veram Fidem Catholicam, Apoſtolicam, Romanam, in ſuas ditiones revocaverit, & Angli ſub uno in terris capite, Chriſti Vicario, tanquam obedientes Filij, vixerint. Præter hanc, nullam ego proditionem aliam novi, nedum ullius particeps fui. Hoc verò certiſſimè exploratum habeo, cauſam horum omnium tumultuum, calamitatum in Anglia, hæreſim eſſe, quæ quamdiu veneni inſtar per hoc Regnum ſerpſerit, nec vos fruſtra quietem, malorúmve ullum remedium expectabitis.*

Juſſus iterum hæc miſſa facere, & ſua magìs in leges Regni crimina fateri; breviter annorum vitæ omnium, quos in hæreſi primùm, ac deinde Catholicus & Religioſus in dilatatione Evangelij tranſegiſſet, ſeriem recenſuit, uſque ad feliciſſimam illam mortis horam, *pro qua Divinam Majeſtatem*, inquit, *annis 30. crebris precibus ſupplex popoſci. Habes ergo nunc*, ſubijcit cum Miniſtris Vice-Comes, *quod petiſti.* *Ità eſt*, ait Pater, *eóque nomine gratias immortali DEO, quàm poſſum maxi-*

maximas, ago, precórq; , ut mors mea pro hujus Regni peccatis, aliqua ex parte ab eo ſuſcipiatur. Certè ſi mihi tot vitæ forent, quot arenas mare alluit, eas ego tibi libentiſſimè hunc ob finem, & ob Fidei Catholicæ teſtimoniũ, omnes prodigerem: quæ nimirũ Fides ſola eſt vera, ſola eſt certa, atq; ſola (hìc zelo incitatus interrumpi noluit) *continuis miraculis confirmata: cæci enim vident, muti loquuntur, mortui reſurgunt. Quid ais Domine Vice-Comes? ſi ad vitam redire mortuos cerneres, nónne crederes? dic ſodes, nónne veram aſſereres eam eſſe Eccleſiam, ubi hæc patrantur? enimvero teſtimonia tua Domine credibilia facta ſunt nimis!* Noluit hìc pati Vice-Comes, ut progrederetur; ad mortem ſe precando comparare jubens. Obſecutus Pater, animum paulisper collegit, & oculis manibúsque in Cœlum intentis, elatâ voce pro ſe, Angliæ converſione, Regnis, & Principibus Catholicis, ac demum pro hoſtibus ſuis longiuſculè oravit. Ac poſtquam agonem ſuum DEO Diviſque ardentiùs commendâſſet, ſublatis altiùs manibus, magno animi ſenſu pronunciavit: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*; percuſsóque dolentis ritu pectore, ſimul ab adſtante clàm Sacerdote, ùt convenerat, ſacramentaliter abſolutus, ſimul pedibus currus ſubductus eſt. Pependit ille, quietiſſimus, nullo incondito motu edito, dum expirâſſet. In cujus deinde laniati ſanguine complura ſudaria, Legatorum, & Comitis Egmontij rogatu, intincta ſunt, & ad venerationem partim ſervata, partim Catholicis Majeſtatibus tranſmiſſa. Partes diſſecti corporis ad quatuor Urbis portas, caput ad pontem ſublimè affixum eſt, reliqua omnia igni abſumpta. Acta ſunt hæc Londini 1. Februarij Anno 1645. ætatis ejus 50. Societatis circiter 20.

P. JOANNES GROSSUS.

VItam, quam in Anglia Norfolciæ P. Joannes divino munere accepit, ejuſdem utilitatibus magno ardore, Feltoni cognomine ad ſecuriùs latendum uſus, per annos 27. gratus impendit. Nihil pene calamitatum & incommodorum cogitari poteſt, quo non exercitus, ultimis præſertim his temporibus, fuerit, quibus Parlamentum in Regem conſurgens, aperto bello, nimiam illius inter reliqua in Catholicos lenitatem ultum ibat, tanto ſimul in Sacerdotes & Jeſuitas furore ſæviens, ut nullo ampliùs Regni angulo ſatìs ſecuri, nullâ arte, habituve ſat tecti, venalem perditiſſimis emiſſarijs animam in horas agerent. Inter has tamen quotidianas mortes animæ prodigus, dummodo pretio Martyrij eam mercari daretur, P. Joannes, ne publicis quidem conventibus & exercitijs abſtinuit, nullo unquam Dominico, feſtóve die (quod de nullo alio legiſſe memini) per tot annorum ſpatia ad collectos fideles concionem habere, aut doctrinam Chriſtianam explicare intermiſit. Quâ indefeſſâ Apoſtolicæ functionis contentione, non tantùm utendum ſibi putavit tum, cùm copioſæ in Eccleſiæ horrea conferendæ meſſis ſpes affulgeret, ſed vel unius colligendæ ſpicæ, unius reducendæ ad caulam Chriſti oviculæ, ſpem dignam judicavit, in cujus lucrum vitam & ſanguinem, corpus & animam profunderet. Id quod luculenter palàm fecit, per eam, quâ in hoſtium, & mortis manus incidit, occaſionem.

Tenebatur Lincolniæ arctiſſimâ Parlamenti cuſtodiâ P. Joannes Huddus, Sacerdotij reus, & proximè celebrandis illic Judicum Comitijs, ùt certò ferebatur, perduellium ſupplicio necandus. Ultimo preſſum caſu ſocium dilectiſſimum, durum videbatur P. Joanni, abſque ſolatio Sacramentorum deſtituere; verùm id efficiendi, & nedum in carcerem, ſed vel in Urbem ſe penetrandi, via nulla ſuccurrebat. Certus nihilominus etiam cum vitæ diſpendio obſtacula perrumpere, hominis ruſticani perſonam ſtato fori die aſſumit, & permiſtus agricolis, diverſa rure vænum importantibus, & ſinè noxa diſcedentibus, manè tenebris ingreditur: in carcerem tamen toto illo die incaſſum fraude aliquâ ſe inſinuare conniſus eſt. Ergo infectâ re, dum matutino aſtu cum plebe ruſtica, quaſi mercatu ſoluto Urbem egreditur, excubitores in porta, qui pro libidine tunc quoſvis obvios, nullâ etiam probabili ſuſpicionis anſâ præbitâ, veluti ſacerdotij ſuſpectos invadebant, detinebant, & nisì pecuniâ libertatẽ redimerent, dirè vexabant; prehenſum Patrem ſiſtunt, & ſacerdotij, cujus tamen nullum habebant indicium, nullum fundamentum, obtentu, examinandũ ad Gubernatorem ducunt. Nihil optatius eâ captivitate obtingere tunc illi poterat, quòd ſperaret, ſe eodem cum Patre Huddo carcere conclu-



P. Ioannes Grosſus Anglus Soc. IESV. carceris ſqvallore in Anglia pro Religione Catholica enectus Lincolniæ 27. Februarij. A. 1645

C. S. d. M. K. f.

dendum, tantopere exambitum ſolatium hâc opportunitate illi præbere poſſe. Verùm militari cuſtodiâ juſſum attineri Gubernator, ingenti mœrore, jubens in alium carcerem deduci, conſternavit; quem tamen omni ad P. Huddum deinceps penetrandi ſpe intercluſum, aliqua ex parte refecerunt ferrea vincula, & carceris illius aliquot hebdomadas toleratæ calamitates, hominúmq; perditorum injuriæ, quibus ex Fidei odio quotidie, in ſumma rerum ad victum, veſtitum, & cubitum inopia, ſaginabatur. Interim quia Regius exercitus Vrbi, quæ Parlamenti præſidio tenebatur, obſidionem admovere parabat, captivi milites omnes, unáq; P. Joannes, Vrbe ſcaphis evecti, in deſerto S. Botolphi templo, ſub cuſtodia incluſi ſunt.

Egit hìc Pater, ſexagenario jam annis quinque major, anni tempeſtate perfrigidâ tres ipſos menſes, loco ventis pervio, omnis auxilij, fomenti, ſolatij, & tegumenti, ad repellendum gelu nocturnum, expers: unde rurſus ad alium commodiorem corpori locum translatus, interiorum ſpiritûs afflictionum tantò infeſtiorem moleſtiam eſt expertus, quantò dolentiùs injurias in DEUM, blaſphemias, maledicta, perditorum hominum ſentiebat, præ anguſtijs proprijs. Tandem poſt captivitatem in ſeptimum jam menſem prolatam, cùm nullum ſacerdotij probabile indicium, nullum in caput ejus teſtimonium colligi poſſet, libertatis ſpes offerri cœpit, ſi numerato illam pretio redimeret. Quo ex piorum liberalitate tandem colle-

collecto, dimiſſus quidem ille eſt ex carceris cuſtodia, ità tamen ex diuturnis illius ærumnis proſtratâ valetudine, ut brevì dimitteretur ex corporis ergaſtulo in pace. Quanquam dubium eſſe poſſit, utrùm non ex carcere ſimiliter migraverit in carcerem: ſiquidem hoſpite, cujus domicilio receptus antehac ſuſtentabatur, belli domeſtici malis exacto, & in exilium exturbato, in dirutas quaſdam ædes, & à militibus expilatas, recipere ſe coactus eſt. Ubi menſem non integrum ſuperſtes, & vix animam, tot malis pro Chriſto in vinculis exercitam, trahens, poſt celebratum die 27. Februarij, An. 1645, Miſſæ ſacrificium, in ipſa gratiarum actione ſemianimis in terram concidit, ac paulò pòſt inter edita pœnitentiæ, ac ſingularis in DEUM charitatis indicia, placidiſſimè expiravit Lincolniæ.

CURBERTUS PRESCOTTUS.

NUllibi propè terrarum gravioribus, & ipsâ perpetuitate acerbioribus inſectationibus preſſa fuit Societas I E S V, quàm in Provincijs Britanniæ, cujus nulli fuêre carceres, quos ipſa non impleviſſet, nulli eqvuleì, patibula, ſecures, quas non cruentâſſet, nullæ Urbium portæ, pontium, turrium, murorum pinnacula, quæ non ſuorum laniatis membris, præfixis capitibus, horruiſſent. Verùm ſi unos habuiſſet hoſtes hæreticos, non foret admodum ei dolendi materia. Iacturas enim has penſabant lucra glorioſa immenſo fœnore, vitæ factis ingentibus, & heroicis mortes ſpiritibus illuſtratæ: ex quibus duobus ventura ſæcula admirationem ducent, & exemplum. Damni majoris, & frugis nullius extitêre, Catholicorum quorundam in nos factioſa molimina, & apud ſupremos etiam Religionis vertices intentata litigia: proinde à Proteſtantibus, quibus uſui maximo erant, omni ſtudio promota. Auſi fuêre hi, porrectis etiam libellis, à Pontifice Clemente VIII. poſtulare, ut quicunq; forent in Anglia Sacerdotes Societatis, juberentur edictione ſeverâ Pontificis, quod neque Eliſabetha, neque Parlamenta ſuis proſcriptionibus & tormentis efficere potuêre, Regno æternùm faceſſere. Hoc enim facto Catholicos omnes, & reliquos Sacerdotes, pacificè illic & liberè acturos, nihil fore ab Adverſarijs, qui in ſolis Jeſuitis importunum & factioſum zelum perſequerentur, gravius ferendum. Mera hæc Parlamenti, & Regiorum vota fuêre, quódque illi deſperabant vi ullâ in Anglia conſequi, hoc ſi dolo & arte Romæ adipiſcerentur, non dubitabant à ſe Catholicam Religionem toto Regno exigendam. Nec multò pòſt improborum conatuum, ſi ceſſiſſent, eventurus fructus patuit: quando propoſitum Catholicis, ſi pacificè in Regno vivere vellent, Fidelitatis juramentum, peſſimo Archi-Preſbyteri, & quorundam Sacerdotum ſæculariũ exemplo, omnes Catholicos in Religionis ejurationem, ne confiſcatione bonorum, & perpetuis ſimul carceribus mulctarentur, pertracturum erat. Cui accedens altera Parlamenti ſanctio, quâ teneræ juventutis in ſcholas tranſmarinas profectio, perduellionis, & læſæ Majeſtatis crimen, extremo piandum ſupplicio ſtatuebatur; jubebantúrq; Catholicorum filioli, gremijs parentum erepti, ad uſq; annum 17. Calvini Didaſcalis tradi, omnem Religionem everſura erat, niſi Pontificio decreto firmata in Angliæ ſtatione Societas JESU, utrique Hæreticorum molitioni obviam iviſſet. Itaque cùm Fidelitatis Jurisjurandi iniquitatem fuſo etiam ſanguine plures è Societate ſtabiliviſſent, omnem curam in deligendo Catholicæ pueritiæ flore, mittendóq; ad ſeminarium Audomarenſe, quod Perſonius maximis ſumptibus fundaverat, intenderunt.

Hujus delectûs faciendi cura commiſſa fuit Curberto Preſcotto, Lancaſtriâ oriundo, & propter eximiam Viri virtutem, probatúmq; Fidei & animarum zelum, in numerum eorum Sociorum admiſſo, qui Sacerdotij expertes, in Marthæ miniſterijs adjutoriam Societati præſtant operam. Multos annos operi ſanè laborioſo, & curarum æquè ac diſcriminum pleniſſimo, incredibili ſolertiâ atque induſtriâ impendit; ùt cuivis facile eſt divinare, cogitanti, inter acerbiſſimarum legum pericula, colligendæ toto Regno pueritiæ moleſtias, in eadem navigijs imponenda, portubus arctiſſimâ cuſtodiâ obſeſſis emittenda, opportuno viatico providenda, difficultates. Egit tamen munus impoſitum inconfuſibili ſolertiâ; & quamvis ad Regni exitus ſagaciſſimè ſatellites & excubitores in deprehendendos ejuſmodi Juvenes vigilarent, nullo tamen anno pauciores centenis, fre-



Curbertus Prescottus Anglus Soc. IESV post plurium annorum ærumnosum carcerem, eiusdem sqvallore miserijs, pro Religione Catholica consumtus, Londini, 20 Febru. A. 1647.

C.S. d. M.K. f.

frequenter etiam propè ducentos, ex omnibus Regni provincijs Audomarum transmisit, qui deinde longâ Societatis industriâ, per omnes doctrinarum & virtutum gradus in Viros formati, suscepto Sacerdotio in Angliam, futuri Catholicæ illic rei præsidio, postliminio remeabant. Non potuit diu Ministros Regios latere, tam copiosa coloniarum in transmarina Seminaria traductio, unde in ejus auctorem intenti, toto Regno exploratores disponunt, emissarios constituunt, à quibus semper quæsitus, sæpe captus, tractúsque ad judices, ità semper rem suam ipse egit, ut in eorum potestate diu nunquam restiterit, semper è manibus & carcere, usque ad tristissima, Regnũ invadentis Parlamenti tempora, incolumis evaserit.

Sub hujus mox primordia, cùm atrociùs in Catholicos, ac Sacerdotes potissimùm, quàm unquam antea inquireretur, inter primos ipse in manus incidit, atq; in facinorosorum ergastulum conjectus, de Sacerdotio, crimine Majestatis, ut perduellium morte plecteretur, postulatus fuit. Verùm Sacerdotij expers deprehensus, cùm solo Catholici nomine patibulo addici per leges Patriæ non posset, Fidelitatis præstare juramentum, hoc est omnem Christo subjectionem in suo Vicario ejurare jubetur. Quod cùm frustra minis & malis omnibus à Viro cordato, & mille mortes pro Fide subire parato, exigerent, ei pœnæ, quam *Præmunire* vocant, subijciunt; cujus est, fisco addictis bonis omnibus, æternis concluſum carceribus reum detinere.

tinere. Omnem igitur ſibi, præterquam ad ſepulchrum, præcluſum exitum videns, prolatum hactenus per omnem latè Provinciam animarum zelum, inter parietinas carceris ità contraxit, ut in anguſtum collecta, intenſior ejus Virtus appareret. Hìc ille omnia Vocationis ſuæ munia, ſerviendo captivis Sacerdotibus, ultima miniſteria præſtando Fidei causâ exercitis Cathôlicis, & omnibus ex animo ſuam operam addicendo carcere detentis, ità naviter & conſtanter annis aliquot exercuit, ut amorem apud omnes, & altiſſimæ perfectionis opinionem apud carceris cuſtodes ſit promeritus. Certè eleemoſynas, quas toto Regno inter Catholicos notiſſimus, non parcè accipiebat, ità liberaliter in vinculorum ſuorum conſortes partiebatur, ut plures eorum vitam ipſi, per inediam alioquin enecandi, tulerint acceptam. Cujus proinde è vivis diſceſſum non minore luctu, quàm Filij Parentis, Pupilli optimi Nutritij mortẽ proſecuti ſunt. Obijt Londini, ærumnosâ carceris illuvie conſumptus in vinculis 20. Febr. A. 1647. ætatis 55. Societ. 23.



P. Guilielmus Boytonus Hibernus Soc. IESV. pro Religione Catholica ab Hæreticis Anglis occisus in Templo, Rupes S. Patritij nuncupato, in Hibernia. A. 1647. 13 Septembris.

C. Screta del. *Melch. Küſell f.*

P. GUILIELMUS BOYTONUS.

PRoſtrato Caroli Regis Angliæ exercitu, & partibus illius fractis & diſſipatis, victoria penes Parlamentum ſtetit. Cujus fructibus non ſatis uſum ſibi viſum fuiſſet, niſi Catholicam Religionem in triumphum, omnibus Catholicis veluti ſub haſta vænum expoſitis, duxiſſet. Quocunque victricia arma, ad uſque extremos Hyberniæ fines circumtulit, vaſtitatem unà, &

ultimum Catholicis excidium non minabatur ſolùm, ſed re ipsâ poſſeſſionum direptionibus, exilijs, cædibus, funeribus, intulit. Quis enumeret bonorum in ſola Hybernia perpeſſiones? ubi quia majore hactenus, quàm in Anglia libertate agebant Catholici, & Religionis exercitia pene impunè obibant Sacerdotes, eò diriorem experti ſunt hæretici exercitûs ſævitiem, tam implacabili in miſeros odio furentis, ut neque decrepitæ ſenum, neque teneræ infantium parceret ætati. Eſt apud Caſſelenſes templum nobile, rupes S. Patricij communiter dictum, in quod A. 1647. 13. Septembris, irruentes ſeptem millia Parlamentariorum, totum cædibus & ſanguine repleverunt. Receperant ſe illuc metu hoſtium undiq; è vicinia Catholici, & Urbe in hæreticorum poteſtatem redactâ, velut ad aſylum refugientes, circùm altaria ſtrati jacebant cives Orthodoxi, cani ſenes, imbellis ætas & ſexus, armata roſarijs & libellis: qui omnes diritate planè hæreticâ, & neque ægris in lectulis parcente, crudeliter trucidati ſunt.

Maxima tamen ſævitiæ pars in ſacra DEO capita deſævijt, quos inter magni zeli Vir è Societate JEſu, P. Guilielmus Boytonus, natione Hybernus, cecidit. Hic irruentibus hæreticis, magno fervore ad ſubeundam conſtanter pro Religione Catholica mortem illos adhortatus, ijsdem Sacramento Pœnitentiæ expiandis unicè intentus erat. Quo in opere diſtentum perfidi occupantes, cruentâ internecione cum Filijs Patrem occiderunt. Verùm ultus eſt indignam ſuorum necem DEus, & patenti oſtento ſceleris hujus, & aliorum deinceps immanitatem declaravit. Impoſitum erat in ea rupe hæreticum deinceps militum præſidium, cùm nocte intempeſtâ adeſt Præſidij Gubernatori ſenex, auguſtâ ſpecie; & manu prehenſum, ac in editam templi turrim violentè eductum interrogavit, quâ veſanâ audaciâ ſacer ille locus tam impiè proſtitueretur? ſimúlque trementem, nec quid reſponſi daret habentem, in ſubjectum cæmiterium dedit præcipitem; ità tamen, ut reliquâ nocte, confractis licèt oſſibus, vivus adhuc iſtic inter mortiferos dolores jacuerit, vitámque traxerit in lucem uſque ſequentem, ut oſtenſam in ſe vindicem Numinis manum, locuples ipſe tantæ rei nuncius teſtari poſſet.

A cædibus hominum, ad Cœlites impugnandos verſi nefarij, Crucifixum capite, manibus, pedibúſque truncârunt, imagines ſacras pedibus impiè proculcârunt: ex quibus majore procaciâ nonnemo, raptam è Societatis domo Deiparæ ſtatuam, per plateas joculariter circumferens, cibo in os ingeſto edere jubebat, & alijs petulanter dictis & factis, applaudente ſceleſtiſſimorum fæce, laceſſebat. Quæ dum per luſum maximè joculariter ſecurus agit, ſenſit ſeriam è Cœlo in flagranti ultionem; ſiquidem prægrande è vicinæ domûs pariete ſaxum in tranſeuntis caput deciduum, os impium, ac cerebrum eliſit.

P. ROBERTUS NETERVILLIUS.

Neceſſe eſt primæ & diviniſſimæ gubernationis, quæ Regia eſt, tranſgreſſionem, eſſe deterrimam: inquit Ariſtoteles, Monarchiæ præcipuus Patronus 4. Politi. c. 2. Experta id ingenti ſuo damno fuit Anglia, cùm Regiam poteſtatem peroſa, Parlamenti Dominationi ſe ſubjecit; tantùm non in chaos quoddam, novæ Reipublicæ molitione, redacta. Et ut de Catholicorum preſſuris ſolùm memorem: à funeſta, & rariſſimi in Veterum annalibus exempli, Caroli Angliæ Regis An. 1648. 9. Febr. palàm Londini ſupplicio extremo addicti, & ſecuri à carnifice percuſſi, tragœdia, nunquam in Britanniæ Regnis, ac Hybernia præſertim, ærumnoſo magis ſalo navigavit Catholica Chriſti navicula, hæreſi pluſquam decumanis fluctibus in Catholicorum fortunas, ſanguinem, ſacerdotum libertatem, vitámque graſſatâ. A milite, ab incondita hæreticorum rabie, à vario Magiſtratu, extrema pati, & nova ſemper quæ imminerent metuere, in illa veluti Diocletiani tempeſtate, cogebatur puſillus grex. Miſerabilis Familiarum Nobiliſſimarum calamitas! quæ avitis fortunis & domibus extorres, cum prolibus & uxoribus per ſylvarum errores vagæ, per avia latebroſa palabundæ, miſerabili latitatione vitam tegebant: donec tandem, niſi fidelitatis juramento ſe obſtringerent, aut in exilium è Regno, aut in mortem ipſam deijcerentur.

Anno 1649. Dublinio Catholici omnes, juſſu Parlamenti expulſi ſunt, promulgatâ ſimul capitis ſententiâ, ſi quis eorum vel unius noctis moram in Urbe, aut ſuburbijs traxiſſet.



P. Robertus Neteruillius Hibernus Soc. IESV. ab Hæreticis Anglis pedibus rapitatus, fuſtibus contuſus, et quaquaverſum ad mortem vsq; alliſus. Pontani in Hibernia A. 1649. 15 Iunij. C. Sereta d. M. K. f.

xiſſet. Et ne in Paſtores Chriſti mitiores forent, fortunarum ſimul & capitis damnabatur, ſi quis Jeſuitæ, aut cuivis Sacerdoti, moram, quanta eſt vel unius horæ, domi ſuæ conceſſiſſet. Idem factum Corcagiæ, Urbe ab hæreticis callidè per dolum occupatâ; edictum enim eſt, poſt plurimas in Catholicos priùs patratas cædes, civibus omnibus, ter explosò bellico tormento ſignum dandum Catholicis, ut Urbem, aut Religionem deſerant. Ante ſigni tertij ſignificationem, miſerando certè, ſed heroicis naſcentis Eccleſiæ temporibus comparando ſpectaculo, omnes, etiam ægri ac parvuli, ſenes, mulieres, ac matronæ nobiliſſimæ, in voluntarium ſeſe exilium effudêre in campos; manè tantâ fortunâ opimi, veſperi ad inexpertas hactenus ærumnas abjecti, vitam deinceps ſub aperto Cœlo, cujus causâ patriam linquebant, aut in ſcrobibus & ſylvis mendicato ſuſtentaturi. Simili, majore tamen ſævitiâ, cum Urbe Pontano, involuta eſt excidio Reſidentia Pontanenſis Societatis JESU: nam truculentâ ſævitiâ ſtratis paſſim per omnes plateas, domos, & agros, Catholicorum corporibus, & indiſcriminatim fuſi ſanguinis rivis, ſenum, parvulorum, fœminarum, reſtagnantibus vicis, neſcio unde notitia apud Anglos increbuit de P. Roberto Netervillio, quòd Sacerdos & Jeſuita eſſet. Ergo 15. Junij ejuſdem anni, in domum irruentes, nihil ætatem jam natu grandævam in Patre, nihil venerandum aſpectum reveriti, magno furore per pedes correptum lectulo extrahunt, per domum

raptant, quaquaverſum allidunt, fuſtibus contundunt, effractiſque ad collum & humeros oſſibus, ſeminecem in cruciatibus relinqvunt. Quibus intra quatriduum confectus, magno ſolatio animam, doloribus pro Chriſto toleratis corpore exactam, illi reddidit.

Alium Dublinij è Societate Patrem, ætate gravem, ad ipſum Altare deprehenſum, detractis veſtibus in teterrimum carcerem, dejecerunt, & ærumnis ſordium ac famis ſaturum, navigio cum alijs omnibus ſacerdotibus impoſitum, in exilium abegerunt.

P. Ioannes Bathæus Hibernus Soc. IESV. ab Hæreticis Anglis odio Religionis Catholicæ plumbeis glandibus traiectus, Pontani in Hibernia, A. 1649. 16 Augusti.

C. Screta. del. M. Küsell. f.

P. JOANNES BATHÆUS.

CUm pellendos Hybernià in exilium, & navigijs in alienas teras avehendos Paſtores animarum omnes, Senaculum Parlamenti jam edixiſſet, undique hos magnâ ſolertiâ conquiſitum dimiſſi ſunt milites, qui debiles etiam & ægros ad emigrandum cogerent. Quo in munere, inclemente ſanè uſi ſævitiâ, ſenes & infirmos grabatis protractos, fuſtibus ùt pecora propellebant, vexabant, cavillis ſubſannabant. Dublini P. Henricus Cavellus, militum petulantiâ è lecto, in quo æger decumbebat, ejectus; & cùm pedibus niti non poſſet, in cathedram per ludibrium, facturus impijs jocos & riſum, eſt elatus, ibidémque fuſtibus pro applauſu malè acceptus, tandem cum alijs mari in Galliam dimiſſus eſt.

Percuſ-

Percuſſis hâc ratione Paſtoribus, diſperſus & ejectus ſuis Vrbibus, Dublino, Corcagio, & Pontano, qui cædibus ſupererat Catholicorum, ex nobiliſſimo etiam Senatorum, & divitum Mercatorum ordine, puſillus grex, *circuibat in melotis, in pellibus caprinis, egens, anguſtiatus, afflictus, in ſolitudinibus errans, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Hebr. 11. Quam in Fide Catholica inſuperabilem conſtantiam, intolerandam pertinaciam & dedecus ſuum interpretati Parlamentarij, in ultimam barbariam ex Hybernia, ne debilioribus in Religione, corruptelæ ſcilicet & ſcandalo conſtantiâ ſuâ forent, deportare in exilium conſtituunt. Advectæ ſunt itaque navibus oneratis catenæ, manicæ, compedes, ac reliqua triſtis ergaſtulorum, innectendis facinoroſis ſuppellex, copioſo ſanè numero, uſque ad 30. millia, totidem ex Hybernis Catholicis vinciendis ſervitura: quibus adſtricti, proximâ claſſe in ignota Jndorum maria, & Tabaci Jnſulas ſecurè transferrentur. In horum fundos & poſſeſſiones, decretæ ſunt longè majore numero ex hæreticis ducendæ coloniæ, ducenta ſcilicet advenarum millia; quò ſola deinceps hæreſis, Catholico hactenus Hyberniæ Regno, fide penitus extirpatâ, integrè & pacificè potiretur. Ex quo facile arguere eſt, quàm locupletes & opulentos neceſſe fuerit eſſe Catholicos, quorum reſidui poſt tot deprædationes & expilationes fundi, explendis ditandiſque ſuffecerint tot ſanguiſugis.

Sive interim exorta eſt crudelitatis hujus adminiſtris ſuſpicio, ſive alicunde levi primùm rumore, mox certiſſimis fundamentis ſuboluit, Sacerdotes quoſpiam in numero illo Catholicorum adhuc reperiri, qui eis ad perſeverandum fortiter in propoſito incentores eſſent, & hortatores; deprehenſus tandem eſt P. Joannes Bathæus Pontanenſis, unà cùm germano fratre, itidem Sacerdote ſæculari. Ergo magna cum exultatione ac ſtrepitu prædam nobilem in forum abripiunt, duobus circiter à nece P. Netervillij menſibus, ad ſtipites alligant, & velut Religionem Catholicam ac Societatem in ijs eſſent ad internecionem peſſumdaturi, utrumque plumbeis glandibus ad mortem uſque traijciunt, Pontani 16. Auguſti, Anno 1649.

P. MATTHÆUS GRIMES.

ROthomago, præclarâ Galliarum Vrbe, ortum traxit P. Grimes, aut Grimius, etiam Bazier nonnunquam cognominatus. Hic in perilluſtris Angli familiam adoleſcens etiamnum adſcitus, primâ vice Societatem apud illum nôſſe didicit; & ùt erat jam tum ingenio & judicio acri, æſtimare, ac denique maximo ſtudio & voluntate exambire. Voti compos 20. ætatis anno factus, ità virtutibus ſimul & literis animum excoluit, ut ad quatuor Votorum ſolennem profeſſionem provectus, Anglicam etiam miſſionem, quamlibet exterus, impetrârit. Et hæc ipſa, quòd Gallus eſſet, & non Anglus, conditio, majoris flagrantiæ argumentum ad ſtrenuè laborandum illi ſubjecit, cùm ſe fulminantibus in ſolos domeſticos & patrios ſacerdotes legibus Anglicanis, obnoxium non eſſe putaret. Igitur tantò majore ſecuritate & impigritate, quantò minore ſui periculo, Angliæ ſe impendere pergebat, egentioribus præſertim, ad quorum animos aditum quaſi per viam argenteam, eblanditis apud opulentiores largis eleemoſynis, aperiebat, quò illos efficaciùs ad æternorum hæreditatem pertraheret. Verùm utcunque profuerit hactenus Sacerdotibus extraneis peregrinitas, ad evadendum pœnas huic gradui in homines patrios conſtitutas, ipſi tamen acerbiſſimis his Parlamenti temporibus ſuffragari non potuit.

Primus ex non gentilibus Myſtis carceri hoc nomine mancipatus eſt, poſtquam non infrequenter annis aliquot infidioſas exploratorum manus dextrè ſubterfugiſſet. Licèt autem nullis indicijs ſacerdotij indubitanter convinci potuerit, detentus tamen eſt in vinculis ærumnoſi carceris aliquot menſes, nunquam in tribunal adductus, nunquam pro ſe



P Mathæus Grimes, Gallus Soc. IESV, ærumnosi carceris pædore pro Christo confectus Londini in Anglia. A. 1650. ii Augusti.

C. Screta. d. *M. K. f.*

dicere juſſus : donec à pædore & ſitu ergaſtuli, lethali contractâ ægritudine, gemellam cruentæ morti palmam, miſerabili tabe conſumptus obtinuit 11. Aug. An. 1650. Tantam porrò in ſupremo illo morbo adſtantibus exhibuit patientiam, quantâ ſuſpendium, mille votis pro Chriſto expetitum, toleraturus erat : unanimi apud omnes fideles opinione in eorum numero computatus, qui in odium Fidei ſupplicio tantò diriore, quantò prolixarum carceris ærumnarum mors, brevi ſuſpendio acerbior eſt, enecantur.

P. Petrus Wrichtus Anglus Soc: IESV, odio Sacerdotij Catholici ſuſpensus, et membratim diſſectus, in Anglia Londini A. 1651. 29. Maij.

C. Screta. d. *M. K. f.*

P. PETRUS WRICHTUS.

TEnuibus, ſed divitibus in Fide parentibus ortus P. Wrichtus, aliàs Wrightus, Slytonij in Anglia, illud hæreditatis loco à moriente Patre documentum accepit, ut Fidei Catholicæ, in ſua familia hactenus illibatè conſervatæ, ad mortem uſq; tenax, illam cum virtute ſtudiosè coleret, amplam hâc ratione apud DEum hæreditatem conſecuturus. Ipſe intempeſtivâ orbitate compulſus, cùm domi res eſſet arctior, quàm ut numero tot prolium ſufficeret, ne viduæ matri puer 13. annorum oneri eſſet, Gauſidicorum alicui operam ingeniúmq; addixit. Ubi paterni immemor præcepti, jam magis è numero unus Proteſtantiũ, quàm Catholicus, nuptias etiam nobiles in medio nationis pravæ exambire cœpit. Sed eâ ſpe DEI providentiâ ejectus, mendaces fori artes deſpicere, & redeunte priſtinorum memoriâ, ſororis maximè, & pij cujuſdam ſacerdotis ductu, meliora reſpicere cœpit. Cœpit inquam, nam ſubito iterum & tempeſtuoſo conſilio in aliud periculum prolapſus, Hollandicæ militiæ nomen adſcripſit, tantâ præcipitantiâ Patriam deſerens, ut non veſtem, non pecuniam ex hoſpitio ſecum abſtulerit. Vix menſtruis inter hos meruit ſtipendijs, cùm opportunitatem naviculâ ad Hiſpanum præſidium per Scaldim transfugiendi nactus, palàm

làm & in conſpectu totius exercitûs, id ſuprema temeritate ſolus aggreſſus eſt; iterum tamen DEI protegentis auxilio, inter denſam globorum grandinem, à tergo in fugientem exploſorum, in portum incolumis deductus.

Hâc rerum vertigine perfunctus, dum Bruxellas meliorum conſilio proficiſcitur, omnibus in via à latronibus deſpoliatus, iterum in ipſa Vrbis porta, quaſi præſtolantem ſe Patronum invenit Anglum Catholicum, à quo veſte, & in viaticum argento donatus, Romam iter inſtituit. Leodium perveniens, bonum rurſus Angelum in Collegij Anglicani Societatis JEſu Janitore deprehendit, cujus hortatu peregrinandi propoſitum, in ſtudia literarum reſumenda poſtliminio convertit; profectúſque cum commendatitijs ad Anglos Orthodoxos Gandavum, biennio illic in ſcholas humaniores incubuit, tam luculentis ingenij & Religionis eximiæ indicijs, ut in Societatis deniq; Tyrocinium Watenis receptus ſit. Hunc ille campum edomandæ præfervidæ indolis nactus, eò præcipitem ſuum genium Religioſo deduxit dominatu, ut ab ipſa natura factus natus ad tranquilliſſimam malaciam videretur. Ab eo deinceps, uſque ad ſuſceptos ſacerdotij ordines, tempore, tolerandis frigoris, inediæ, aſperitatibus ſpontaneis, corpus ad graviores Angliæ ærumnas durare ſtuduit, nihil animo aliud volvens, quàm vincula, patibula, eqvuleos, ſecures, in cauſa Fidei ſubeundas. His illum cogitationibus animum ad quævis ardua præparantem, excepit à Superioribus impoſita Seminarij Audomarenſis præfectura, quæ illius mentem, ad vaſtiora & magìs heroica hiantem, vehementer perculit. Quam ille refractariam animi repugnacis velut querelam & renutum advertens, ſibi religioſè indignatus, & rebelles Obedientiæ ſpiritus pedibus Superioris ſubſtraturus, de genibus Rectori Collegij ſuam operam ad munus hoc, tam à ſe hactenus alienum, promptè in omnem omnino vitam addixit. Ratum habuit DEus adeò luculentũ de ſeipſo ſub jugũ Obedientiæ miſſo Petri trophæũ; nam horæ non plus unius intervallo, à Præpoſito Provinciæ ad difficilem in caſtris expeditionẽ deſtinatus, tantis eam ſuſcepit & adminiſtravit animis, ut in promovendis rei Catholicæ, & ſalutis proximi negotijs, nec acies aut obſidio, nec æſtus aut frigora, nec dies aut nox, illi terrori, aut remoræ fuerint. Multi per ſeptennium in hac laborioſa miſſione ab hæreſi ad Catholica Eccleſiæ caſtra per illum ſunt reducti, multi ad tractanda utiliter militiæ Chriſti arma animati; donec Wintonienſis Marchionis accitu, caſtra Hiſpanica, cum campis Angliæ Londinenſibus commutavit.

Funeſtiſſima per illud tempus Rei Catholicæ in Anglia, ſub violento Parlamenti dominatu, erat facies, revocatâ novo Senatusconſulto, omnium hactenus à temporibus Henrici legum, in Catholicos diritate. Exhauſti pecunijs omnibus, tandémq; domibus & poſſeſſionibus ejecti; domus ipſæ ſpoliatæ, quaſſatæ, multorum etiam everſæ funditus. Honeſtiſſimæ, & avitâ nobilitate familiæ, per ſylvas & nemora vagantes, miſerabili latitatione vitam anxiè in cavernis & antris contegebant. Ut de ijs taceam, in quos fidelitatis erga decollatum Regem ſuſpectos, toto Tyrannidis pondere exaggerata tempeſtas incubuit. Impleti Catholicis carceres omnes, & cùm eorum multitudinem vincula ampliùs, & ergaſtulorum clauſtra non caperent, Tameſis pro cuſtodia, & naves illi impoſitæ carceres fuêre optimorum hominum, in utroq; elemento vinctorum. Intermiſit quidem deinde trimeſtris ſpatio ferrearum legum crudelitas, & quandam Catholicis interſpirandi velut intercapedinem promittere videbatur, illis potiſſimùm legibus abrogatis, quæ Catholicos ad templa, & liturgias hæreticas minaciter compellebant. Sed eò fortaſſe, ùt ſequentia mala docuerunt, quò ſecuritate conceſsâ liberiùs uſi Catholici, certiùs deprehenderentur. Mox enim fidei datæ curâ ſuſque deque habitâ, ſævitiam ità inſtaurárunt, ut nullus, etiam primæ notæ Nobilium, à ſagaciſſima veſtigatorum indagatione ſecurus eſſet. Domus nec una, nec ſemel, feſtis potiſſimùm diebus, omiſſa, quam non violentâ irruptione, pertinaci & accuratiſſimâ perveſtigatione, nocturnis etiam pervigilationibus, excuſſiſſent; quo etiam inopinatè incumbentis tempeſtatis imbre, P. Wrichtus involutus eſt.

Suboluerat venaticis illis Parlamenti, ex ſanguine Catholicorum viventibus, latere quidpiam in domo Marchionis Wintonienſis prædæ idoneum, & in omnem idcirco occaſionem inſidioſè intenti, tempus duntaxat opperiebantur, quò certiùs irretitus Myſta teneretur, ne evaderet. Imminebat Purificatæ Deiparæ feſtus dies, cui pro eximia ſua in Virginem devotione celebrando, Marchio cum P. Petro auguſtiorem apparationem adornaverat. Cùm ipſo feſto ſagaciter præſenti occaſioni imminens exploratorum globus,

bus, improvisò irrupit, tum penitus, cùm Pater Sacrificio proximus, in ſacello præparabatur. Et fuiſſet omnino in flagranti deprehenſus, nisì aſcenſum rectis per gradus itineribus, magnâ locorum gnaritate, urgentibus apparitoribus, occurriſſet Marchio, auctoritate ſuâ tantiſper eoſdem remoratus, dum Pater tempeſtivitate hâc uſus, ſecuris latebris conderetur. Repertum in Sacello Breviarium, ſacer apparatus, aqua & vinum in ampullis, indicia fuère præſentis ſacerdotis certiſſima, & relicta patens feneſtra quâ eruperat, viam inſuper fugæ, nec procul abſentis latebras denotavit. Per hanc puer, velut angulis penetrandis aptior catulus, venatum emiſſus, optatò Patrem deprehenſum in retia vinculorum impulit. Fama tulit, puerum hunc Judæ ſorte, proditionem Patris infami deinde laqueo luiſſe. Illud certum, vitam à Patris nece morte acerbiorem, inter perpetuas malè conſciæ mentis diras vixiſſe, faſſúmque de ſeipſo cuidam Catholico, nihil ſe quietis in hac luce reperire, ſperaréque ampliùs, nisì à morte ſtrangulatu voluntario accerſitâ. Paucis ante comprehenſionem diebus, præ quàm aliàs impenſiorem animo ſuo æſtimationem felicitatis eorum ingeri ſentiebat P. Wrichtus, quos eo privilegio dignaretur DEUS, ut pro nomine JESU digni haberentur contumeliam, carceres, & mortem pati; quo etiam de argumento geminas extremo illo tempore conciones conſcripſit, plenas ſpiritu & nervo, quarum nempe cathedra poſtea patibulum fuit, & vitæ epilogus dictorum confirmatio.

Conjectus poſthæc eſt, velut de ſacerdotio ſuſpectus, in carcerem novæ portæ, ubi jam quinque alij attinebantur ſontes ejuſdem criminis; ex quo certiſſimâ ſpe præconcipiens, non aliò quàm ad patibulum ſe educendum, univerſæ primò omnium vitæ noxas apud unum è captivis ſacerdotibus recenſuit. Nullâ moleſtiâ longo tempore illic affectus, nullâ quæſtione tentatus, aut ad tribunal judiciorum adductus fuit, ſperantibus juſtitiæ Britannicæ miniſtris, Catholicos ingenti lytro Patris libertatem redempturos: quâ etiam ſpe diſſimulanter ferebant carcerem à Catholicis turmatim frequentari, à quorum piè affluentium quotidianis cœtibus illa facinoroſorum aliquando cuſtodia, in pœnitentium, & ſacris divinæ menſæ accumbentium ſacrarium, auro emptâ apparitorum negligentiâ, tranſijt. Tandem ubi P. Wrichtus hæreticorum ſordes, & in exaggerando ſemper ſuæ libertatis lytro cupiditatem indignatus, nullam de ſe ampliùs cum illis fieri pactionem voluit, de tollendo ſeriò è vivis deliberatum fuit. Evocatur igitur Londinum Thomas Gagius infamis & ſceleroſiſſimus, ex Sacerrimo Prædicatorum Ordine Apoſtata, ejus ipſius Henrici Gagij Equitis Aurati, ex prima Angliæ Nobilitate frater, cui à confeſſionibus P. Wrichtus in Hiſpanica militia partem exercitûs ducenti, diu fuerat. Hic Thomas cùm familiariter Patrem in Belgio, adhuc Eccleſiæ & Ordini fidus, noviſſet, tanquam ſacerdotij ejus apprime gnarus, in teſtem adversùs illum ſubornatus eſt. Neque ſceleſtus transfuga, mercede proditionis illectus, conditionem abnuit, ſed veluti tot jam antea ſacerdotum ſanguine proditionibus ſuis effuſo irritatus, venenatam in P. Wrichtum linguam præ alijs exacuit. Tres præter Thomam conſtitêre adversùs Patrem Wrichtum accuſatores, ij ſcilicet, qui in comprehenſione lictorum munus obierant: quibus nîl aliud ad evincendum ſacerdotium afferentibus, quàm veſtigia, & quædam indicia illius in Sacello Marchionis deprehenſa; exorſus poſt illos Thomas, toto horæ dimidio accuſationem ſuam pertexuit, nominatis locis, in quibus eum ſacra feciſſe; perſonis, quibus Sacramenta impertijſſe ſæpius vidit. Noluit Pater inficiari, quæ verè de ſuo ſacerdotio à proditore dicebantur, gratulari ſortem, & intimas DEO grates referre ſe dixit, quòd non ùt homicida, neque ùt fur, neque maledicus, vel alterius criminis reus, ſed ſolius Catholicæ Religionis, ad tribunal productus eſſet. Cæterùm judicandi & de ſe ſtatuendi partes, Patriæ & Duodecimviris permittere.

Parantem ſecedere interpellans Tribunalis Præſes, *noveris*, inquit, *Domine mi, te non Religionis causâ judicari & pati, ſed quia ex Anglia transmarinis itineribus egreſſus, foris Papiſtici Ordinis cerimonijs initiatus ſacerdos, in Angliam redux, populi ſeductor, eandem Fidem Anglis perſuadere conniſus es. Hoc ipſum*, reſpondit Pater, *cõmune mihi eſt cum omnibus Apoſtolis, Martyribus, quippe in quos eadem à Nerone, Domitiano, aliísque Tyrannis jactata ſunt.* Atque ita nonnullis inſuper ad defenſionem Henrici Gagij, cujus defuncti nomen impudentiſſimè proſcindebat Thomas, prolatis, ſecedens, & poſt horæ quadrantem revocatus, hanc ſententiam accepit: *Ad carcerem, unde huc deductus es, remigrato, inde in locum ſupplicio deſtinatum pertrahitor; ibíque donec ſemimortuus fueris ſuſpenditor, ſemimortuo viſcera extrahuntor, caput amputator, reliqua membra*

quatuor in partes diviſa, in quatuor conſuetis Urbis locis affiguntor: & ſic DEUS tui miſereatur. Incredibili ſe perfuſum lætitiâ ſcribit ipſe, optatiſſimo, & tot annis deſideratiſſimo nuncio, ſic ut contentâ voce exclamârit: *Nunc ergo Omnipotens DEUS, ſit ſanctiſſimum Nomen tuum benedictum in æternum!* Nec plura locutus, injectis vinculis in carcerem reducitur, poſt biduum ad furcam educendus. Cogebatur eo toto cuſtodiæ tempore, eodem lecto cum pio ſacerdote Domino Cheney, apud quem bis itidem univerſæ vitæ noxas expiârat, decumbere, qui proinde de ſupremis ejus duabus ab accepta mortis ſententia noctibus, ad Societatis Anglicanæ Provincialem ſcribens, ità loquitur: *Ab accepta mortis ſententia quàm primùm ſe ad quietem recipiebat (erant autem duæ omnino noctes) arctè adeò dormivit, quaſi ex ſomno non ſuſcitandus videri poſſet: adeóque jacuit immobilis, quaſi excluſæ penitus eſſent omnes illæ triſtiores imagines, quas depingere vicina mors in animo ſolet. Ad minimam antea commotionem, quin ad ipſam reſpirationem evigilare erat ſolitus; accepto autem fatali nuncio, altè adeò ſenſus ei omnis erat ſopitus, quaſi ab omnium acceſſu eſſet remotiſſimus.* Penetravit ſe interim ad illum ſacerdos è Societate, à Præſide Provinciæ ſubmiſſus, qui cumulatis plenum gaudijs ità circumfluere deprehendit, ut præ dulciſſimo lætitiæ Divinæ ſenſu, lacrymas vix teneret. Agebant interim pro redemptione tam chari capitis, Marchio, Orator Hiſpaniæ, & Catholici omnes; quorum conatus ille quàm ingratos haberet, unico verbo ad ſacerdotem illum expreſſit: *Vanitas eſt. Non eſt enim mi Pater, non eſt ulla vitæ meæ in hac mortalitate hactenus acta pars, quæ tam ſuavi cordis incenſione totum mihi animum ſupernè venientibus voluptatibus inundârit. Atque hoc à me R. P. Provinciali refer: non ſatis capere aut ſcire me, quomodo in hoc mortali corpore poſſim tantam lætitiam ferre, aut majorem ſperare, aut experiri.*

Nihil pene deinceps temporis vacuum Patri ab interpellatoribus Catholicis fuit, à prima luce uſque ad tenebras multos expiabat, etiam à totius vitæ noxis; alijs monita, conſilia, ſolatia alijs, & ſupremas apprecationes impertiebat. Jámque nox ultima, quæ ſacrum Pentecoſtes diem excipiebat, quémque ille repetitâ totius vitæ exomologeſi prævenerat, adfuit, quâ poſt ardentiſſima colloquia, quietiſſimo ſomno ad uſque horam quintam matutinam producto, ſupremum DEO ſacrificium incredibili ſenſu animi obtulit, illam inprimis Cœleſtis in ſe gratiæ prærogativam tenerrimè ponderans, quòd ex octo ejuſdem carceris ſacerdotibus, & duobus quidem ſacerdotij convictis, duobus etiam ad mortem condemnatis, ipſe ſolus ad palmam evocaretur. Vix dimidium horæ effluxerat, cùm pulſari fores ad ſe evocandum arbitratus, priusquam compellaretur ſe proripiens, exclamavit: *Venio dulcis JEſu, Venio!* datóque ſacris in carcere commilitonibus amplexu, magnâ hilaritate foras prodijt ad ſupplicij, varia ob crimina ſocios, quos ſortem ſuam miſerabili ejulatu deflentes, ipſe totus lætitijs incedens, ad fidem veram nequicquam hortatus, mediâ horâ de divinis ore quodam Cœleſti differuit. Diſtribuerat biduo antè Pater in Catholicos memoriæ pignus ſexcentas icones, nomine ſuo inſcriptas, quarum unam Chriſti naſcentis ingentis theſauri loco Matrona Nobilis à ſe æſtimatam, omnibus domeſticis biduo illo oſtentabat, nemine, etiam poſt frequentatam imaginis & chyrographi conſiderationem, quidquam in ea notante. Dum verò die pòſt tertio, qui Patri fatalis erat, imaginem eximit, ut coram ea Pater noſter ac Ave Maria pro felici Patris agone recitet (rogaverat enim P. Wrichtus, ut hæc quotidie coram illa, in gratiarum actionem pro beneficio ſuæ pretioſæ mortis, Deo & Deiparæ diceret) advertit cruentas undique circa Patris nomen inſperſas maculas, quas & alij omnes, qui iconem priùs intaminatam viderant, obſtupentes, omen & indicium mortis pro Chriſto ſanguineæ Patri oppetendæ legerunt.

Compoſitum interim in crate viminea, non ùt aliàs ſolum verrente, ſed rotis ſubjectis, ut expeditè & ſuaviter procederet, incumbente, neque ſupinum in eam abjectum, ſed ſuppoſito abundè ſtramine veluti ſedentem, operto capite, & ſericâ vittâ leniter manus ante pectus ligatum, plures equi ad patibulum, veluti in triumpho phaleris & tintinnabulis inſtructi, trahebant; ſequentibus tribus alijs, quæ facinoroſis plebeijs onerabantur, infamibus trahis, ac rhedis duabus, Nobilium aliquot latrocinij reorum plenis. Quorum ejulatus mœſtiſſimos, & deſperato dolore marcidos vultus, cum Patris hilaritate amœniſſimâ renidentibus oculis componentes pompæ ſpectatores, hunc triumphatoris, illos triumphum obtorto collo ſequentium captivorum imaginem referre dicebant. Ab ipſo carcere, toto illo ſpatio, per duo milliaria Anglicana ad furcas uſque porrecto, plateas, feneſtras, tecta, campos, con-

conferti populi vis tanta inundaverat, quantam Londinum nunquam, nisi in dira nuper Caroli Angliæ Regis tragœdia, vidisse meminit. Per quam tamen incredibili ardore ad traham usque irrumpentes Catholici, viri æquè ac fœminæ nobiles, semel, iterum, ac tertiò accurrebant; quidam etiam duodecim vices ad Patrem accessu implevit, Magnatū postulata ferendo, & locum ubi supremam ejus benedictionem præstolarentur, indicando. Accidebant autem omnes, ex illustrissimis etiam familijs, dejecti in genua, & manibus, vesti, trahæ oscula lacrymabundi figebant, eâ voce usi, *benedic Pater:* sic, ut cùm alijs atque alijs accedentibus (id enim præter omnem superiorum temporum morem minimè impediebant armati stipatores) qui Patrem vehebat auriga progredi non posset, audiens toties eadem verba precationem poscentium ingeminari, ipse pro ijs factus intercessor identidem succlamabat: *Benedic Pater.* Quibus ille omnibus lætabili oculorum perjucundè renidentium alacritate satisfaciens, Cœlestibus singulos solatijs aspergebat. Ubi verò ad Marchionis, in quibus comprehensus est, ædes prætervehebatur, sublatis in Illustrissimos Conjuges, & totam qua cum tam sanctè versabatur familiam oculis (omnes enim in pergula foras è domo porrecta, vultum ejus opperiebantur) manus in altum, ità ùt vinctæ erant, sustulit, & illis in genua publicè, inter solatij dolorisque simul lachrymas provolutis, formatâ quantùm potuit cruce supremùm bene & vale dixit. Fuêre quin adeò ex illustribus Matronæ quædam tam intrepidæ, ut ad traham penetrantes, unà cum Patre in vimineo illo & infami texto considerent; quarum una hoc beneficij inde se retulisse grata memoravit, quòd tenebrosæ mentis inextricabile hactenus experta tormentum, discussâ inde tenebrarum caligine, nunquam deinceps persenserit. Alia sericas fasciolas magno numero coëmptas, & raptim allatas, contactu ejus & cruce sacrari obtinuit, quæ in plures deinde distributæ, magno in pretio sunt habitæ.

Jam ad usque Tiburnum appulsis, infinito propè concursu se circumdedit multitudo, ut rhedæ ferè ducentæ, quingenti equites, hominum verò ad viginti millia putarentur adesse. Sed Patri illud omnium jucundissimum accidit, quòd sicut in carceris egressu vehiculo incubiturus, sacerdotem amicum manum porrigentem, unáque à peccatis absolventem habuit; ità hìc è traha surrecturo manum item inopinanter obtulerit è Societate sacerdos, bajuli cultu cannabino vestitus, & funibus axillæ subjectis aĉ portanda onera accinctus, atque is fidissimus olim in Castrensi Missione achates, P. Odoardus Lathomus, in accusatione sui à proditore Gagio nominatus. Ab hoc, raptim institutâ exomologesi, nemine id notante iterum expiatus est; nisi quòd ministri, ut nè morituro moras homò rusticus necteret, baculi semel iterúmque repetito ictu, tandem submoverunt. Quanquam præter hunc adfuêre plures è Societate, in omnes patibuli partes dispersi sacerdotes, ut quocunque se obverteret, semper in notos & fraternos vultus incideret: quorum etiam unus ut meliùs notari posset, rhedæ adversùs positæ fornicem sive tectum conscenderat, supremam ei, inter collabendum è subducto curru momento, absolutionem, accepto ùt conventum erat indicio, collaturus. Quatuor Nobiles è trabe una, tres alij ex alia pependêre; P. Petrus inter ultimæ sortis fures viros tres, totidémque fœminas, in plaustro constitit. Quo loci & rerum articulo, cùm varia de Fidei Catholicæ veritate, suáque felitate differentem, silere tandem compulissent ministelli, unâ ferè horâ tacitus, oculis ac manibus in Cœlum sublatis, dum alij ad mortem impiam à ministris pararentur, in meditatione æternorum, animæque in manus DEI commendatione perstitit. Omnibus dehinc è laqueis suis jam pendentibus, unus ipse in carro, collum ambiente, sed necdum astringente fune circumdatus supererat; quem necis suæ causâ recensitâ, ardenti oratione Catholicos ad fidem retinendam, hæreticos ad amplectandam exhortantem, ausus interpellare, & ad redimendam perfidiæ professione vitam tentare Calvini sacrificulus; illis Salvatoris verbis ab illo depulsus est: *Vade post me Sathana; scandalum mihi es, cui certum deliberatúmque est pro Religione Catholica, si vel mille vitæ supereſſent, omnes libentissimè profundere.* Jussus tandem ad mortem se comparare, ubi aliquamdiu in alta quasi contemplatione absorptus, omnium in se conversis oculis perstitisset, subductus à pedibus carrus pendentem deseruit, 29. Maij, feriâ 2. Pentecostes, Anno 1651.

Quartâ ferè horæ parte expectatum fuit, dum eâdem vultûs, quâ vivus pollebat honestissimæ venustatis amœnitate pendens, penitus exspiraret; tum primùm enim carnifex resciſſo fune, ac deinceps capite, corpus

pus exenteratum quadripartitâ divisione discerpsit, minimè prohibitis, ùt aliàs solebat, Catholicis, quo minùs sudariola sanguine Patris intincta, & partes carnium in reliquias auferrent. Quin adeò Mareschallus supplicio cum potestate præsidens, inexpectatâ, & hactenus inauditâ benevolentiâ concessit, ut si qui in conferta multitudine adessent, quibus cum forti & nobili hocce viro sanguinis vel amicitiæ necessitudo intercederet, caput sibi & quatuor corporis partes ad sepulturæ honorem asportarent. Quas ocyssimè Catholici, nè quid fortè de concesso beneficio revocaretur, admoto currui impositas, securo loco, unà cum corde flammis erepto, ad futuros honores, si hos ei quandoque à summa Sede decerni contingeret, condiderunt. Tantâ porrò odorum fragrantiâ locus, in quem illa pignora relata sunt, redoluit, ut faterentur omnes qui aderant, se per omnem hactenus vitam talium odorum nihil unquam expertos, quales è pretiosis illis membris efflarentur, perfuso ijsdem non sinè ingenti stupore quodam etiam è Societate Viro, odorationis omnis aliàs tantùm non experte. Sed major Viri virtutum, quæ ab animo duntaxat percipiuntur, fuit fragrantia, quæ non in stuporem solùm & commendationem invictæ fortitudinis pertraxit præcipuos etiam ex heterodoxis, verùm etiam ad currendum in odorem unguentorum ejusdem fidei allexit. Inter quos præter Baronem unum, & Matronam diu contra stimulum calcitrantem, septemdecim fuêre alij, qui sibi ad bonam mentem stimulo & lumini P. Wrichti glorioſum fuisse obitum testati sunt.

P. HIEREMIAS FISCHER.

CRumlovium Boëmiæ Civitas, P. Hieremiæ Fischer patria fuit, probis atque apprimè devotis Parentibus in lucem edito, qui præter illum, quaternos alios liberos summâ voluntate DEO in Societate sacraverunt. Ab infantia doctus ab illis verbo & exemplo timere Deum, amorem simul tenerrimum erga Deiparam, quam Matris amantissimæ loco semper habuit, animo combibit: cúmque maximis deinde in Cætu Mariano, ac demum in Societate incrementis auctum, filiali in ejus patrocinium fiduciâ ità fovit, ut in necessitatibus suis certum sibi apud eam statueret perfugium. Grassabatur A. 1623. Græcij, Styriæ Urbe, pestilentia, & cum Civibus, Societatis etiam Collegium, ubi tunc Hieremias studijs operam dabat, invaserat. Primos inter afflatus est ipse venenato mortis halitu, magno Sociorum dolore, quibus ob singularem morum suavitatem, & innocentem vitæ simplicitatem, erat acceptissimus. Simul atque ictum se malo Hieremias sensit, posthabitis humanis remedijs omnibus, totam in Deiparæ auxilio spem defixit, atque illico ad expertam toties in adversis suis opem confugit. Ceperant eâ tempestate, Societatis operâ, magnopere per Austriam celebrari, fierique in pretio fidelibus lapilli quidam, Fojenses agnominati, eò quòd reperti in agro, haud procul Dionanto in Eburonibus, in quo B. V. à Foya, hoc est à Fide, imago, magnâ convenientium undique populorum celebritate colitur, contra ferè omnia morborum & malorum genera, præsens afferre solerent remedium. Hunc ergo Marianum lapillum, plenus bonæ confisionis, pestilenti admovet carbunculo, eâque religiosè invocatâ, nullo alio applicito remedio, mirum dictu, inopinatè convalescit. Eo beneficio magìs in vindicem suæ salutis amore ac studio accensus, nunquam ex illo destitit eam singulari cultu & observantiâ prosequi. Secundùm perducta ad præfinitam sibi metam doctrinarum studia, varijs Sacerdotum munijs & perfunctionibus applicatus est: in quibus cùm Superiorum expectationi, magno semper animarum proventu, respondisset, Collegij Pragensis Minister constitutus fuit, & munus illud, in paucis difficile & anxium, mirâ charitate fortitudini permixtâ, annos aliquot cum laude prudentiæ obtinuit. Inde ad Glogovienſis in Silesia Collegij, nuper Saxonici belli turbine dissipati eversique, instaurationem, cum potestate Rectoris destinatus, copiosam laboris & industriæ segetem,

P. Hieremias Fiſcher Boëmus Crumlovienſis Soc: IESU, ab Hæreticis necatus in Sileſia Anno 1634. die 23. Maij.

tem, cum inclytæ mortis corona inſperatò invenit. Cujus certam ſe accepiſſe prænotionem, Olomucio Glogoviam proficiſcens, fido ac familiari Amico è noſtris aperuit. Habuiſſe nimirum olim ſe in propinqua amicitiæ parte, atque in ſtudio pietatis, præſertim erga Beatiſſimam DEI Matrem, Socium & Sodalem unum quempiam item è noſtris, quem poſt fata ſibi factum conſpicuum monuiſſe, ſibi quidem bene jam penes Sanctiſſimam Matrem, ac beatè eſſe, ipſum quoque eodem venturum propediem, ſed viâ haud paulùm duriore. Ex qua denunciatione non dubitanter aſſeverabat in digreſſu, cæſum iri ſe quapiam in ſylva: perinde ac ſi & genus mortis, & locum, & tempus, certâ notione accepiſſet; quamvis pacatæ domi militiæque tunc eſſent res, neque præſentanei quidquam periculi appareret. Saxoniæ Dux Septemvir Elector Imperij, nuper Guſtavo Adolpho Suecorum Regi fœderatus adversùs Ferdinandum II. Cæſarem Auguſtum, propter juſſa reſtitui Catholicis ea Sacerdotia, facultatesque Eccleſiaſticas, quas inde uſque à Paſſavienſi Conventu per vim invaſerant alienæ Fidei Principes, & uſque adhuc obtinebant; quamvis cæſo nuper Sueco, ejuſce belli reliquias proſequebatur, & alternante, ùt ſolet, fortunâ, copias ſuas in Provincias Cæſaris nunc immittebat, nunc revocabat. Anno 1634. rurſus infeſta in Sileſiam ſigna intulit, & nonnullâ Cæſareis copijs ad Lignitzium allatâ clade,

ad circumſidendam Glogoviam caſtra promovit. Urbs haud valde communita operibus, & pene deſtituta militari præſidio, ac inſuper vicina bellóque immunis Polonia, fugam aut receptum perſuasêre, non expectatâ obſidione, Canonicis cum Clero, Religioſis utriusque ſexûs, & multis Civium. P. Hieremias Collegij Rector dimiſſis in Poloniam Socijs, extrema opperiri cum duobus alijs conſtituit, neque niſi extremo adigeretur periculo, Urbe decedere. Igitur ubi ê mœnibus hoſtilis miles conſpectus eſt, & intus ad arma conclamari cœptum, trepidari, diſcurri, tum demum minimè ſibi cunctandum ratus, abitum accelerat, præterfluentem Oderam, cujus interjectu prohibitum iri militarem injuriam crederet, transmittit, & in finitimam Poloniam iter intendit. Jámque alterum ab Urbe milliare promoverat in ſylvam, cujus arborum denſitate & umbrâ tectus, in tuto ſe propè jam verſari rebatur, proximè limitem Poloniæ conſtitutus. Cùm ecce improviſi duo adequitant citato gradu, quorum alter antevolans, *hem Jeſuitæ, Jeſuitæ*, inclamat, nomen ſcilicet nefarijs id genus hæreticis hominibus exoſum, & multò peſſimè execratum. Præiverat aliquanto intervallo cum Civibus Urbe profugis Frater Coadjutor, neque jam, arboribus occultatus, conſpici poterat: Rectorem ponè ſequebatur alter Sacerdos, quem miles priorem aggreſſus, minorem ſclopum in caput ejuſdem exonerat, trajecturus plumbo tempora, nì Pater inclinatione capitis ictum devitâſſet. Mox incitato in Rectorem equo, rebus omnibus unà cum veſte deſpoliat, nixúmque humi genibus, & diloricato in vulnus thorace offerentem ſe morti, & SS. JESU ac MARIÆ nomina appellantem, glande ſecundùm cor transverberat, neque quidquam locutum, ampliùs, uno ictu ſternit exanimem. Socius Sacerdos certam pro vita pecuniam depactus, captivus ab illis dum abducitur, abundè ex ipſorúmmet ore cauſam illatæ Rectori necis accepit, inveteratum videlicet in Jeſuitarum univerſim nomen odium, quòd non ſolùm Papiſtæ, ſceleſti nebulones, ſed & Jeſuitæ eſſent, extirpando Lutheri Evangelio jurati hoſtes: ex quo ſolo, cùm deſpoliatis viatoribus alijs parcerent, his inſuper vitam ipſam implacabiliter ereptum primariò ibant. Unde & exprobrabant captivo Sacerdoti Religionem ſuam, quæ excindendæ Lutheri ſectæ unicè incumberet; *Eccur*, inquiebant, *vos mortalium exoſiſſimi Jeſuitæ, ſic ubique gentium Sacerdotes noſtros Evangelicos inſectamini, fugatis, proditis, perditis? & miramini, cùm vobis viciſſim eadem à nobis eveniunt.* Corpus cæſi Rectoris juſſu Glogovienſis Abbatiſſæ in vicino pago Cursdorff honorificè tumulatum eſt eo in Templi loco, quem ipſa ſibi Antiſtita, ſi fortè extorris Glogoviâ obiret, delegerat. Percuſſorem ultio divina non longo intervallo ſecuta eſt: nam poſt menſem ferè ſextum triviali in duello, ſimili glandis plumbeæ ſecundùm pectus ictu, miſerè ſtratus eſt. Occubuit P. Hieremias A. 1634. 23. Maij ætatis 36.

P. JOAN-



P. Ioannes Vorthingtonus Anglus Soc. IESV. inter ærumnosi Carceris squalores odio Catholicæ Religionis extinctus in Anglia 25. Ianuarij. A. 1652.

C. S. d. M. K. f.

P. JOANNES VORTHINGTONUS.

VEteranus hic in exercitu Chriſti ad ſubjugandos illi Anglorum animos Miles, totis 46. annis in Regno Britanniæ Apoſtolicis laboribus inſudavit. Facile hinc cogitatu eſt, quibus ærumnis & periculis, quantis in ſumma temporum difficultate calamitatibus exerceri neceſſum fuerit hominem, vitæ quidem & ſanguinis pro ſalute animarum prodigum, eâ tamen circumſpectionis cautelâ in eorum procuratione occupatum, ut tot annos odoram venaticorum canum vim, omnes Regni angulos ſagaciſſimâ veſtigatione luſtrantium, fruſtraretur. Latendum videlicet ſæpius cum Athanaſio velut ſepulto erat in deſertis terræ ſcrobibus & ciſternis, cum Felice inter ruinoſas domuum parietinas, conflictandum cum fame & ſiti, frigore & egeſtate: donec ex intervallo majore iterum animo erumpens in publicum, non tantùm in Fidei conſtantia Catholicos roboraret, lapſos in hæreſim Eccleſiæ reſtitueret, ſed præſidentes etiam errorum duces ac magiſtros certaminibus laceſſeret. Et quia ſingulari in his omnibus enituit prudentiâ, ob morum ſuavitatem etiam heterodoxis acceptiſſimus, præpoſitus tandem fuit regendis in Anglia ſocijs. Quod munus cùm aliquamdiu plenâ omnium ſatisfactione, eximióque

mióque hinc redundante in Catholicorum commoda fructu, adminiſtrâſſet, incidit tandem in adverſariorum caſſes, diuturni laboris præmia, ex glorioſa pro Chriſto morte recepturus. Graves omnino plurium annorum ærumnoſo incluſus carcere pertulit calamitates, varijs interim & periculoſis agitatus quæſtionibus, de juramenti fidelitatis æquitate, de ſuis in Anglia in tam longa commoratione geſtis, aliísque, ex quibus mors illi ſpecioſo juſtitiæ titulo conſciſci poſſet. Quibus non facile dictu eſt, quanto ingenio ſatisfecerit, quàm dextrè captiones, & periculi plena interrogata eluſerit, quàm circumſpectè cautéque in omnibus ſe geſſerit. Jusjurandum tamen fidelitatis conſtanti ſemper animo damnavit, mille mortibus necandum potiùs corpus, diſcerpendum ſupplicijs offerens, quàm ut rem adeò nefandam & execrandam nedum admitteret ipſe, ſed vel ullâ ratione probaret. Cujus tam animoſæ confeſſionis dum ſolitam à manu carnificis mercedem deſideratiſſimæ mortis expectat, hanc à diuturnis ergaſtuli calamitatibus conſcitam, tantò majore merito, quantò productiore ſupplicio feliciter obijt in vinculis 25. Januarij A. 1652.

Quàm felix autem fuerit invidendæ illius mortis cauſa, ex iniquitate ſceleratiſſimi jurisjurandi, quod illis annis Catholicis omnibus totâ Britanniâ à Parlamento propoſitum, & ab ipſo conſtanter damnatum fuit, conjice. Cujus quantò apertior ſupra juramentum fidelitatis ab Eliſabetha & Jacobo editum fuit impietas, tantò clarior mortis illius ob ejus contemptum illatæ pateſcit gloria. Ita enim formula Sacramenti Eliſabethæ ſonabat: *Ego NN: prorſus teſtificor & declaro in Conſcientia mea, Reginam eſſe ſolam ſupremam Gubernatricem, & iſtius Regni Angliæ, & aliorum omnium ſuæ Majeſtatis ditionum & Regnorum, non minùs in omnibus Spiritualibus atque Eccleſiaſticis rebus & cauſis, quàm temporalibus. Et quod nemo externus Princeps, Perſona, Prælatus, Status vel Potentatus, aut facto, aut jure habet aliquam jurisdictionem, poteſtatem, ſuperioritatem, præeminentiam, vel auctoritatem Eccleſiaſticam, aut ſpiritualem in hoc Regno. Ideóque planè renuncio, & repudio omnes externas jurisdictiones, poteſtates, ſuperioritates, atque auctoritates.* Sed execrabilior juramenti Parlamentarij forma ita habet. *Ego NN. abjuro, & renuncio Papæ ſuprematum & auctoritatem ſuper Catholicam Eccleſiam in generali, & ſuper meipſum in particulari: & fide teneo nullam eſſe tranſubſtantiationem in Sacramento Cœnæ Domini, aut in elementis panis & vini poſt conſecrationem eorundem, per quamcunque perſonam. Et eâdem fide teneo, non eſſe purgatorium: & hoſtiam conſecratam, Crucifixos, aut imagines non debere coli, & nullum cultum eſſe jis debitum. Item credo ſalutem non poſſe mereri per opera: & omnes doctrinas in affirmationem dictorum punctorum abjuro, & renuncio ſinè ulla æquivocatione, mentali reſervatione, aut ſecreta evaſione quacunque, ſumens verba à me dicta juxta communem & uſualem ſenſum eorundem. Ita me Deus adjuvet.*

SOCIE-

Societas IESU in Africæ feritate domanda desudans, usque ad sanguinem cum rabie hostium Fidei depu-

C. Screta del. gnat. M. Rüsel. F.

SOCIETAS JESU AFRICANA.

AFRICA altera Orbis portio, ab Septentrione in Meridiem latiſſimo tractu graduum ſeptuaginta porrigitur, ſic, ut ferè quinque & triginta à Gaditano freto ad Æquatorem, totidem inde ad Bonæ ſpei Promontorium, ultimum ab Auſtro limitem, numerentur. Media Africæ longitudo Æquatori, Zonæque torridæ ſubeſt, quam falsò Antiquitas opinabatur exuſtam penitus, inhabitabilem, & imperviam eſſe: ſed ab Henrico Ordinis Equitum Chriſti Magiſtro, ſub auſpicijs Joannis I. Luſitaniæ Regis, Orbi noſtro, & Societatis JESU operarijs aperta, magno deinceps labore ad Chriſtianam Religionem exculta fuit. Maximâ quidem ſui parte Mahometis impiæ ſuperſtitioni dedita eſt, Turcæ, aliorúmque Mahometanorum Principum Dominatui ſubjecta: numerat tamen ampliſſima quædam Regna, & in his præcipuè totum Imperium Abiſſinum, ſive Æthyopiæ, Chriſto initiatum; Schiſmate tamen Græco, aliísque Orientalium hæreſibus ità pertinaciter addicta, ut nullis hactenus Sociorum laboribus, ſanguineo conatu, ad Eccleſiam Catholicam integrè traduci potuerint. Pauculæ quædam Regiones Idolorum cultui addictæ, eæque recipiendo Chriſti ſemini aptiores, numerantur. Inde nulla pars Orbis ſterilem magìs ſe agrum Evangelico ſatui exhibuit, in qua ne unum quidem Regnum, præter Inſulas complures Hiſpanæ Monarchiæ ſubjectas, cenſetur, integrè & Catholicè palàm Chriſto addictum. Neque id mirum: ſiquidem inſana illa ſæviſſimi Mahometi Lex, omnem ne dicam ſuaſionem, ſed mentionem ipſam Chriſtianæ Legis ab auribus ſectatorum ſuorum tam procul amovet, quàm propinquum interitum omnibus hujus Prædicatoribus decernit: Lege mortis, etiam à filio parenti inferendæ, ſancitâ in eum, qui verbum in Mahometem, ejúſve legem ignominioſum proferre attentârit. Ut proinde meræ temeritatis, nec ullius emolumenti (præterquam certæ necis, hâc methodo quæri inconceſſæ) opus aggreſſurus ſit, quisquis ſuadere Chriſtum, aut eximere Mahometem illis voluerit. Solâ idcirco ferè eâ meſſe ſolantibus ſe, per ditionum Turcicarum miſſiones, Socijs, quâ mercimonijs, aut captivitate detentos ibi Catholicos, in avitæ Religionis conſtantia retinere ſatagunt. Adde, quòd neque Religionis cujuspiam cultori, ad aliam quamcunque à nativa ſua diverſam, præterquam Mahometanam, tranſire conceſſum ſit: le-

ge

ge vivicomburij latâ, nisi vel ad Fidem priſtinam parentum redeat, vel capeſſat Mahometanam. Expertus id eſt P. Joannes Elianus noſter, Memphi in Ægypto Catholicos procurans, qui à parentibus Judæis prodijſſe deprehenſus, juſſus eſt ab Urbis Præfecto ſive Thalmud, ſive Alcoranum amplecti; vivus alioqui cremandus, niſi Italicorum Inſtitorum charitas eum in tempore diſcrimini ſubduxiſſet. Socius hic adjunctus erat P. Chriſtophoro Rodericio, quem Pius 4. Nuncij Apoſtolici titulo in Ægyptum ad Cophtorum Patriarcham legârat, magnis illic laboribus fruſtra perfunctum, ut Nationem illam Græci ſchiſmatis Catholicæ unitati reſtitueret.

Ceterùm nihil intentatum reliquit Societas, quo duriſſimum hoc novale omnibus viribus ſubigeret, ſparsâ per omnes omnino Africæ Regiones & Regna, vario quàm maximè proventu, Divini verbi ſemente. Tingi Regnum, ad extremam Mauritaniæ oram ſitum, primus excoluit è Societate A. 1548. Joannes Nunnius, & Ludovicus Conſalvius, qui Septam Urbem delati, ſpatio dierum 15. id profecerunt, ut cives, qui pravitate morum Saracenos ipſos ſuperabant, Religioſis viderentur (ità ad Regem Luſitaniæ ſcribebat Urbis Gubernator) æquari poſſe. In Regnum Congi, quod inter Heſperios Æthyopas ab ipſo propè Æquatore exoriens, ínque meridiem porrectum, in mediterranea quoque introrſum latè recedit, miſſus cum duobus ſocijs Georgius Vaſius, ſpatio quinque menſium ſupra quinque hominum millia Chriſto adjunxit, alijs ſubinde Sociorum operis, poſtquam ipſe laboribus immortuus eſt, ſubmiſſis.

Vaſtiſſimum autem inter omnia Imperium eſt Abyſſinæ, quod Pretejannes, vulgò Presbyter Joannes (nomen eſt illic omnibus Regibus commune, Cæſaris appellationi æquivalens) toti Æthyopiæ imperans moderatur, cujus à ſchiſmate Græco ad Catholicam Eccleſiam traducendi deſiderio incitatus Julius 3. Pont. Max. aliíque deinceps ſucceſſores, præter quam. plurimas de Societate illuc transmiſſas operas, tres delegârunt cum ampliſſima Patriarchatûs Æthyopici dignitate, aliósque Epiſcopatûs Nicæni Infulis ornatos viros: & quidem quod mirere, ipſo volente, qui alioqui ſpeciali voto honoribus Eccleſiaſticis omnibus januam in Societate præcluſerat, S. Ignatio, & tergiverſantes ad tanta dignitatum nomina Socios, præcepto S. Obedientiæ urgente; quæ nimirum videbat ſub mero nominis ſplendore, nihil præterea niſi ingentes ærumnas, & labores illis allatura. Primus ex his Joannes Nunnius, in ipſo adeundæ Æthiopiæ conatu Patriarchatu demortuus, ſucceſſorem habuit Andream Oviedum, quotidie, ùt ſic dicam, pro Chriſto morientem: qui poſt 6. menſium horridos carceres, ab ipſo Imperatore Sequedo ferro appetitus, ſed Reginæ interventu ſervatus, ne commiſſam ſibi, licèt quotidie mortem interminaretur, deſertiſſimam Eccleſiam relinqueret, aratro & boum curâ, vitam ad uſque mortem ſuſtentavit, quam ibi oppetijt A. 1580. die SS. Petro & Paulo ſacrâ, multis miraculis

culis antè & poſt mortem à DEO illuſtratus. Hos in eadem Patriarchali Sede tertius è Societate P. Alphonſus Mendez ſecutus, præter ipſum Imperatorem Sultanum Sequedum Eccleſiæ adjunctum, ſupra centum millia Æthiopum, unius anni 1628. ſpatio, à ſchiſmate traduxit. Jam verò Melchior Carnerius Nicææ primùm Epiſcopus, & Oviedi in Patriarchatu Coadjutor, cùm utiliùs alibi operam locaturus ſperaretur, primus Sinarum & Japoniæ Regnis datus eſt à Pio V. Epiſcopus; cujus in Nicæna Cathedra ſucceſſor P. Apollinaris de Almeida, poſt 8. annorum in Abyſſina labores Apoſtolicos, ſuo eandem ſanguine rigavit. Nec deſtitêre cæpta ardua deinceps Socij proſequi, præſentiſſimis vitæ periculis animas objectando; quibus complures eorum, dum Æthyopes Chriſto lucrari pergunt, involuti, in prædam Turcis ceſsêre, atque in acerbiſſimam captivitatem venditi, longam mortem in vinculis & ærumnis traxêre.

In ampliſſimo Angolæ Regno, cui proprium Guineæ nomen eſt, Fidem Chriſti feliciter A. 1560. plantare incepit P. Franciſcus Goveanus, laboribus ibidem ſuis immortuus: cujus initia proſecuti Socij, Regem Banzæ cum filio natu majore, multísque Proceribus idololatris Baptiſmo abluerunt A. 1581. donec authore P. Balthaſare Barreyrâ, parta Hiſpanis inter paucas memorabilis, & plena prodigijs victoria, totum pene Angolæ Imperium ad Fidem Chriſti inclinavit. Ampliſſimum poſt Abyſſinam Regnum cenſetur Monomotapiæ 800. in circuitum leucas patens, in cujus ingreſſu P. Gonſalvus Sylveria, poſt Cafres omnium Æthyopum nigerrimos Chriſtianâ Fide excultos, & Tongi Regem baptiſatum, Regémque Inhamioris cum Regina & octo proliibus ad eadem Sacra inductum; ipſum denique magnum Monomotapiæ Imperatorem, & complurium Regnorum Dominum, cum plurimis Satraparum Sacro fonte abluit; Mahometanorum tamen paulò pòſt artibus ab eodem Rege crudeli nece pro Chriſto extinctus A. 1561.

Memorabilis etiam fuit baptiſmus Regis Mocumbæ, qui cùm veritatem Fidei agnitam profiteri, carnalium deliciarum ſpinis irretitus, tergiverſaretur, immedicabili à DEO ægritudine proſtratus eſt; aſt ubi primùm P. Balthaſari Barreyræ, iteratò baptiſmum ſuadenti, manus dedit, prodigiosè mox revaleſcens, Idola omnia comminui præcepit, atque è grege Uxorum, quem Patriâ licentiâ numeroſum alebat, unam ſelegit, cum qua Sacro fonte ſimul renatus, legitimum Chriſtiano ritu Sacri Conjugij fœdus inivit, aliísque dimiſſis omnibus, multos ſuorum magnitudine exempli ad Baptiſmum pertraxit. Nullius tamen ex Africæ Regibus converſio plus admirabilitatis habuit, quàm Regis Feſſæ & Marocchi, qui à Melitenſium interceptus claſſe, & Beatiſſimæ Virginis monitu factus Chriſtianus, Religioſum tandem etiam ſtatum in Soc. JESU amplexus

xus eſt. In cujus ingreſſu Balthaſaris de Loyola aſſumpto nomine, poſteaquam Sacerdotio initiatus eſt, adeò præclara Virtutum Zelíque Apoſtolici Romæ præbuit ſpecimina, ut ad populares ſuos, aliósque Africæ & Mogoris populos Chriſto conciliandos dimiſſus ſit. Verùm ipſo in itinere ærumnis navigationis maritimæ confectus, primos Apoſtolicæ Miſſionis conatus gloriosâ morte coronavit, A. 1668.

His accedunt Inſulæ Canariæ, Tertiæ, Madagaſcar, Mozambicum, quæ partim Luſitanorum, partim Hiſpanorum armis domitæ, Chriſto etiã laboribus Sociorum maxima ex parte ſunt ſubjugatæ. Deniq; nulla etiã Turcarum Monarchiæ ſubeſt Regio & Provincia, in quam ſeſe conatus Societatis non porrexerint, partim in miſſionibus & legationibus temporarijs per omnes ejus oras, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſuſceptis, partim in ſedibus fixis, ſparſos ubique magno numero Chriſtianos captivos, mercatores, Sacramentis & concionibus procurando, ſolando, confirmando, & Schiſmaticos lapſósque ad unitatem Catholicæ Eccleſiæ reducendo. Horum alij Meſopotamiam, Libyam, Illyricum, Cretam, Charmos, Iſtriam, Arabiam, Regna Tunis, Marrocho, Algeri, Barnagaſſo, identidem peragrârunt; alij ad omnes ferè Græcorum Schiſmatis Patriarchas, Archimandritas, Alexandrinum, Melchitarum, Jacobitarum, ac ſæpius Cophthorum ſeſe penetrantes, ut ab erroribus eoſdem abducerent, ſæpius ingentia diſcrimina, captivitatem, deprædationes, vincula Turcarum & carceres experti ſunt. Ex quibus eos ſolùm jam deſcribemus, quibus funes ceciderunt in præclaris, & hæreditas præclara obtigit Martyrij: dum veluti in Crudelitatis theatro leonibus Africanis & beſtijs expoſiti, uſque ad mortem decertârunt, tantùm ut Chriſto fruerentur. Tu interim benevole Lector funiculis ijsdem, & vinculis Charitatis in DEUM trahi te ſine, ſi non uſque ad mortem & ſupplicia, certè uſque ad *gladij* illius *ancipitis penetrationem*, qui *pertingat ad diviſionem animi & ſpiritûs, compagum quoque ac medullarum* Hebr. 4. cujus acie mortificato in te homine carnali, ſola DEO vivat Anima, *uſque ad mortem certans pro Juſtitia.* Eccli. 4.

P. Gonsalvus Sylveria Comitum prosapiâ natus in Lusitania Soc. IESV. iussu Regis Monomotapæ pro Christo strangulatus. A. 1561. 15 Martij.

C. Sereta. d. M. Küsell. f.

P. GONSALVUS SYLVERIA.

INdomitis Africæ leonibus, fœdâ Mahometi lege in tygridum ſævitiam inſuper efferatis, ſub mite Chriſti jugum mittendis, deſtinatus à DEO Gonſalvus, antequam de utero matris exiret, cæcitatem crudelis gentis deplorare videri potuit, tertio ante ortum die matris viſcera vagitibus & fletu implere auditus. Natus eſt in Luſitania Illuſtriſſimis parentibus, Ludovico Sylveriâ Sorteliæ Comite, Regiæ Cuſtodiæ Præfecto; & Beatrice Noroniâ Luſitaniæ Mareſchalli filiâ, A. 1526. 23. Febr. cui ipſe liberorum decimus naſcendo vitam ademit. A puero duriſſimæ vitæ genus auſpicatus, vinum ad mortem uſque libavit extra Sacrificium nunquam, in miſeros benigniſſimè affectus, quibus jam tum ſtipem ab alijs corrogabat, & ipſe ad ægros & pauperes deferebat. Nullum per omnem vitam à veritate diſſonum verbum, ne quidem per jocum, protuliſſe notatus eſt, etiam cùm plagis & caſtigationi apud Pedagogum redimendæ, illud neceſſarium videretur. Ad condiſcendam Grammaticam in Cœnobium PP. Franciſcanorum cum famulo datus, eorum exemplo magnam partem noctis vigilare, & reliquum noctis veſtitus dormire conſuevit: donec Conimbricæ altioribus ſtudijs incumbens, Societati, tunc primùm Conimbricam

à Joan-

à Joanne 3. Luſitaniæ Rege introductæ, nomen dedit; quantâ animi ad Crucem Domini ferendam reſignatione, optimè explicuit ejus in Tyrocinio Magiſter P. Jacobus Miro, ità ad S. Ignatium ſcribens. *Hîc nobiſcum Procerum unus, cui nomen Gonſalvus Sylveria, Societatem inijt rectâ admodum mente, eóque ſolùm permotus ſtudio, ut DEUM quæ-rat, & omnia pro ejus amore contemnat. Adoleſcens, eſt alto gravíque judicio, ad magna factus. Ad æternarum veritatum perceptionem ac ſenſum venit; & vigilantiâ eſt opus, in moderanda nimia in ſe ipſum aſperitate. Res eſt exempli præclari, quomodo ſe gerat, intueri. Etenim qui nuper tribus famulis, Magiſtróque morum viro gravi ſtipatus incedebat, eum jam in culinæ, alijsque domeſticis operibus videre, velut quisquilias abjicientem ſe, quámque ex animo ea factitet, res eſt profectò, unde Deus meritò magnopere laudetur. Ingens in Aula extitit motus ejus causâ, & propinqui qui ſunt magnæ dignitatis perſonæ, ſtrenuè dimicarunt; ſed ejus bene fundata conſtantia, & fortitudo, tum illis, tum etiam nobis pro miraculo eſt.* Poſt Tyrocinij biennium, in quo continuis pene jejunijs, vigilijs, flagellationibus, omnes pravas affectiones radicitus evellere ſtuduit, communibus votis editis, addidit ipſe hæc tria inſuper propria, 1. *Nunquam ſe directè vel indirectè, ne diſſimulanter quidem, in Regulis Societatis relaxationem quæſiturum.* 2. *Nihil unquam pro Spiritualis perfunctione muneris, ne ſtipis quidem acceptaturum.* 3. *Nunquam ſe Societatem voluntariè, ac ne ejectum quidem, rationem vitæ ejus deſerturum.* Atque ex eo tempore in ſui depreſſionem unicè incumbens, hoc in genere ea præſtitit, ut admirationi potiùs, quàm imitationi proponi poſſe videantur. Nam & ſupercilia ſibi abraſit aliquando, ut deformis evaderet; & amentiam ſimulavit, ut deſpicatui duceretur; & domeſtica Æthyopum mancipia, inſtar mediaſtini lectos eorum ſternendo, cibos parando, & eiſdem miniſtrando procuravit. Obtinuerant Ulyſſipone à Regina Gonſalvi conſobrinæ, ut ſæpius ille præ alijs ad Aulam acciretur, doctrinam Chriſtianam Gynecæo explicaturus: quâ moleſtiâ ut ſe liberaret, inſtitit aulicos mores, & exquiſitum fœminarum cultum acerbè perſtringere, ipſas nunc compta cadavera, nunc adoperta tapetibus ſterquilinia vocitans: ſed cùm nil efficeret, Davidem imitari, & ſtultitiam, in earum alloquio, toto vultu & geſtu ſimulare inſtituit; ſalivâ etiam fædè per mentum defluere permiſsâ. Verùm arte deprehensâ, unde contemptum quæſivit, majorem nactus eſt æſtimationem & venerationem. Adhæc eouſque veſtes ſordeſcere permiſit, ut prognatæ beſtiolæ viſu morſúque graves catervatim proreperent, non ſinè intuentium nauſea. De quo monitus aliquando ab Archi-Epiſcopo Conimbricæ, & Jacobo Comite germano ſuo, reſpondit, ſe eas Comitatui ipſius longè præferre. Sæpe prodibat in publicum lacerâ veſte ſinè pallio, oſtiatim victum mendicans; ſæpe lateres & cæmentum ad ſtructuram Collegij humeris vectabat, vel etiam aſellum per mediam Urbem ad flumen præ ſe agebat, revecturus inde arenam. Quo in obſequio aliquando Comes Alvarus frater ipſi obvius, cùm præ pudore vultum averteret, ipſe tantò magìs voce & virgâ jumentum incitabat. Cui etiam aliàs in illuſtri & ſplendido comitatu pergenti factus in publico foro obvius, ut pompam illam ſuâ humilitate damnaret, medium per lutum inceſſit, ſèque totum cæno infecit. Et quia corpus fractum laboribus & inediâ ità tractabat, ut perire tantùm non ſineret, lethalem inde morbum contraxit: ex quo tamen unico Simonis Rodericij, unius ex primis S. Ignatij Socij, Sacrificio, confeſtim valetudini reſtitutus eſt.

Sacerdotio initiatus, totum ſe ad rem Chriſtianam inter agricolas promovendam convertit, etiam tum, cùm Theologici Doctoratûs honore inſignitus fuit; itinera omnia non niſi pedes conficere, & ſolo plerumque pane & aquâ eſuriem pellere ſolitus. Hunc autem priùs ſemper quàm concionaretur, oſtiatim per caſas paganorum emendicabat, ne per concionem agnitus, liberaliùs fortè donaretur. Unde etiam non alibi precario victum quærebat, quàm apud eos, quos ſciebat præ tenuitate aliud, quàm panis particulam, aut juris modicum non poſſe largiri. Si ſe menſæ alicujus invitantis negare non poterat, corrogatum panem promebat è pera, & eo ſolo, vel ſi cogebatur appoſita non aſpernari, viliſſimis eorum veſcebatur. Tum ad Noſocomium continuè ſe referebat, ægris, leproſis maximè, navaturus operam, neque unquam ut alibi diverſaretur, etiam Archi-Epiſcopi Bracharenſis interventu, adduci poterat. E Porta Urbe, quam cum vicinia aliquamdiu excoluit, ad Rectorem Conimbricam in hæc verba ſcripſit. *Ego quamdiu mihi DEUS in hiſce peregrinationibus aderit (ſpero autem nunquam defuturum) cibo mendicato vivam: confeſſiones audiam, dum erunt qui audiri velint, nec me operi ſomnus, nec ſtu-*

dio

dio quies, nec jejunio fames eripiet. Dum vires ſuppetent, iter pedibus faciam, quocunque ire contigerit. Uſque ad ravim concionabor, uſque ad mortem corpus perſequar, & animo ſubijciam. Perſeverabo intrepidus in hoc propoſito, nec patiar aut ullo mortis terrore animum vinci meum, aut ullo vitæ faſtidio torpeſcere. Pergam per quidquid aſperum & durum ſe objecerit, nec ſiſtam gradum, donec cum Chriſto JEſu affigar Cruci. Quanto in ſe ipſum odio ab ipſis vitæ initijs, uſque ad vitæ extremum, ſævire perrexerit, patuit ex eo, quòd nunquam ciliçinum thoracem corpore depoſuit, addens nonnunquam alterum in femore utroq; ferreis aſperatum cuſpidibus. Ità acriter quotidie ſe verberabat, ut nihil in tergo ſanum, nihil eſſet integrum, uno velut ulcere totum teneretur: in quem uſum virgarum genus adhibebat, quas Indi rotas vocant, tam idoneas ad dolorem ciendum, ut primo ictu ſanguinem cum acerbiſſimo ſenſu proliçiant. Cum pars una corporis jam verbera non poſſet exçipere ob nimiam lacerationem, aliam cedebat, & hunc in modum omnes percurrebat. Jam verò in victu præter panem & aquam rarò aliud adhibebat, niſi fortè in miſſionibus adijciens aliquid cæparum, aut halecis, labori perferendo. Somno quàm parciſſimo utebatur, quem aut nudâ humo, & ut ſummum ſuppoſito ſaço ſtramentitio, aut ſedens recto corpore, nuſquam acclinis carpebat, tabulâ ſic ad ſedile applicatâ, ut ſi capitis inclinatione tangeretur, ſtrepitum cieret, & ſoporem omnem diſçuteret. Conimbricæ Noſocomij curam gerens, çùm fortè uni ægrotorum ſanies, quæ in crure ſuppuraverat, ſectione chyrurgi educta eſſet, Gonzalus lance totam excipiens, çùm neſcio quid horrentis naturæ perſentiſçeret, illico ſui domitor egregius, totam ore exorbuit. Itinera omnia pedes çonficiebat, neque unquam ſupportandæ ſarcinæ, cujus ipſe bajulus ſemper extitit, mancipium ullum admittebat: ſi quid melioris panis in ſtipem accepiſſet, eum viliori cum mendicis commutabat, & ut vilior fieret, omnibus intuentibus publica in platea abſumebat.

Conſanguineorum amorem ità penitus animo exuit, ut Comiti Jacobo fratri, eâ ſolâ çausâ Conimbricam, quò Conſalvum ſalutaret excurrenti, dici per Janitorem curârit: ſe illum non noſſe. Si quem alium præterea conveniendum non habeat, redeat cum bono Deo unde venerit. Idem fecit Matronæ illuſtriſſimæ, ſanguine ſibi junctæ, quæ ipſum publico in Noſocomio decumbentem inviſura advenerat. Nullâ ſiquidem ratione perſuaderi paſſus eſt, ut eam, quæ jam erat in limine conclavis, ad ſe admitteret, ſed illam cum viro ſuo longè clariſſimo, juſſit abſcedere domum inſalutatam. Neque unquam ſubmiſſa ab illis dona & xenia admiſit, quin plures aliquoties mulos talibus onuſtos, & à Philippa ſorore Comitis Tovaræ Conjuge ad ſe transmiſſos, ad carceres & xenodochia abire juſſit. Coactus ſuperiorum juſſu in ejuſdem Philippæ ſolatium ad Caſtrum Comitis ſe conferre, in has leges cum illo deſçendit: ut cibum ſibi cum Socio ſeparato in cubiculo, non autem ad ſuam menſam, per viliſſimum mançipiorum miniſtraret (quod ille deinde ſecum aſſidere, & eadem ex lance çomedere cogebat) idque non alium, quàm carnem bubulam ſolam, ſine conditura omni elixam; & diebus eſurialibus duratam ſole, vel fumo halecem, aquâ purâ coctam. Atque interim ſic ibi inter ſuos agebat, ac ſi illis eſſet ignotus: nuda illi humus pro lecto, ſaxum erat pro cervicali, çui ferreo cinctus cilicio inçumbebat, qui etiam aliàs domi cubandi mos illi erat familiaris. Quibus omnia ſuorum beneficia aſpernantis animi exemplis, non tantùm non offendit, ſed univerſo Palatio veluti religioſam in domum converſo, Eleonoram etiam ſecundam ſororem, alteramque inſuper neptem, ab ampliſſimis utramque jam inſtructis nuptijs, ad Chriſti ſigna in Monaſterium traduxit. Hos inter labores aliquando maleficum ad furcam comitatus, deindéque pro ejus anima Sacrificium DEO offerens, ingenti cupiditate exarſit, ſimilis pro Fide mortis oppetendæ. Placuitque Divinæ Bonitati in eo Sacrificij æſtu precanti, eam gratiam polliceri, ſimúlque necis modum, per laqueum ſimiliter inferendæ, revelare. Quo oſtento incredibiliter exhilaratus, ſæpius coram diverſis gaudiorum impotens, illud aperuit; & ſemel etiam Ulyſſipone inter concionandum, inuſitato quodam gaudio exultans, collum çùm oſtenderet, ſe illud præ toto mundo æſtimare dixit, quod ſtrictum olim funè in Religionis odium, nobilem ſibi gloriam præbiturum eſſet. Cujus prædictionis veritas alio etiam publico oſtento divinitus firmata fuit, dum Ulyſſipone ſub Miſſæ Sacrificio calicem elevanti, manus cruore perfuſæ toti populo çonſpectæ ſunt.

Perfunctus Præpoſiti Domûs Profeſſæ Ulyſſiponenſis munere, diſceſſit in Indiam A. 1556. deſignatus à S. Ignatio Provincialis,

in

in qua navigatione omnium ægrorum & miſerorum communis ſervus, illis cibos ipſe coquebat, lectos ſternebat, à ſordibus mundabat, nec aliter quàm nudo in tabulato, inter viliſſimam noctu turbam quieſcebat. Goam in Septembri, curſu in paucis feliciſſimo appellens, licèt ſub mediam Sabbati noctem Collegium primùm fuiſſet ingreſſus, ſequenti tamen ſtatim die conciones auſpicatus, omnibus deinde Dominicis & feſtis, cum totius Provinciæ exactiſſima gubernatione continuavit. Nec ulla facilè Prætoris in Ethnicos fuit expeditio, cujus ipſe comes non eſſet, cum eodem Ciaulum, Bazainum, Tanaam, Cocinum profectus: nunquam tamen induci ſe paſſus eſt, ut eâdem cum Prætore domo vel mensâ exciperetur, ſolo ſemper oſtiatim emendicato cibo in pauperum tugurijs victitans. Ejuſdem inſtinctu magnificum S. Thomæ Apoſtolo templum Goæ extructum eſt, ad cujus ſtructuram quotquot gentilium, fuere autem ingenti numero, operam contulere, omnes tandem à ſuperſtitionum tenebris ad lucem Evangelij tranſiverunt. Officio Provincialis magno ſuo gaudio, eò quòd regendis alijs ineptiſſimum ſe duceret, liberatus, ad Novitiorum contubernium ſeceſſit, ubi orando præter ſolitum Deo, afflictandóque ampliùs corpori intentus, tanquam futurorum præſagus, aliquot dies recognoſcendis ijs, quæ de Martyrio tradit S. Thomas Aquinas, inſumpſit. Quibus dum maximè intentus eſt, ecce tibi offertur inopinata occaſio ad Cafres, quo nomine multa Regna continentur, proficiſcendi, cujus ei copia omnium primo facta eſt ab Urbis Archi-Epiſcopo, & Provinciali Quadrio, utpote eam tanto ſtudio, ut ardentiùs non poſſet, hiſce de cauſis expetenti: ut inter nigerrimos illos Æthyopas tantò obſcurior lateret: ut ærumnarum & calamitatum abundantiâ ſatiari poſſet: ut Regionibus illis ad promontorium bonæ ſpei adſitis, totíque antiquitati indeprehenſis, Chriſtum inferret. Atque eâ ſorte tantopere exultavit, ut ſæpius auditus ſit in hæc & ſimilia prorumpere: *O Cafrum gens non minùs nunc animo, quàm corpore atra & deformis, quàm opto, quámque etiam ſpero, ut puriſſimo ſacri baptiſmatis liquore perfuſa, nigrum animo colorem brevi depellas! Utinam jam inter vos, ac vobiſcum eſſem, Æthyopes mihi chariſſimi, ut JEſum Chriſtum DEI Filium, ejúsque potentiam & Majeſtatem nota vobis efficerem! faxit ſempiternum illud Numen, cujus providentiâ Mundus gubernatur, ut mihi inter vos vitæ finis ſit, próque ſalute veſtra mortem ſuſtineam crudeliſſimam; atque ità illud aſſequar, quod ſummopere deſidero, ea nimirum ut in me exerceatur crudelitas, ut omnia corporis mei membra mille in particulas minutatim concidantur. Quid pati poſſum tam grave, tam durum, tam aſperum ac difficile perpeſſu, quo ſatis queam compenſare, quantum debeo optimo Parenti Chriſto, quantúmque ejus causâ me agnoſco vobis debere, pro quibus ille Cruci affixus eſt, & ſaviſſimis confoſſus vulneribus ſanguinem ſuum effudit?* Itáque Goâ extremo jam anno 1559. cum P. Andrea Fernandio, & Andrea Acoſta diſcedens, navigium illud omni hominum genere refertum, ad Religioſi Cænobij normam convertit: Litanias ipſe quotidie præorabat omnib⁹, ac tum elatâ voce, quidquid in mari tunc licitum erat, pronunciabat è Miſſa; diémque reliquum, quod privatis exercitationibus ſupererat, catechiſmo & pijs allocutionibus impendebat.

Mozambicum appellens, omnium primò nudis pedibus Eccleſiam Deiparæ ità inviſit, ut aliquot diebus in ea permanſerit, expeditionis ſuæ ſucceſſum ejus patrocinio commendans. Inde Sofalam, ac deinceps Regnum Tongenſe ingreſſus, non multo tempore, ſed incredibili ſolertiâ continuato labore, Regem, Reginam, cum liberis, totáque Domo, ac Procerum multis, ad fidelium numerum aggregavit. Ibi relicto ad bene cæpta perſequenda utroque Socio, ad magnum Cafrariæ, ſeu Monomotapæ Regem, qui ob auri copiam Imperator auri vocitatur, iter intendit, quanto ejus Cælo lucrandi deſiderio incitatus, optimè ſuis ad Præpoſitum Generalem exprimens, dum ità ſcribit: *Ego*, inquit, *Pater mi incidi in vineam ſanctæ hujus negociationis, beatæ Obedientiæ ductu; nec animus ultrà eſt alias fodinas uſquam, nec quietem aut artes cogitare. Nam ſi loquendum eſt experimento, quod in mari montaníſque capitur, ibi DEUS abſcondit plenitudinem ac ſuavitatem Divinitatis & humanitatis ſuæ, ſpiritualiter ijs repoſitam, qui diligunt ibi habitationem, ac requietem ad lucra Redemptoris.* Eo itinere, poſtquam unicâ precatione graviſſimam tempeſtatem repentè ſedâſſet, ad barbarum quoddam littus delatus, primò omnium excitatâ arâ Sacrum fecit in Solis ardore tanto, ut Luſitanis, quanquam calceis tectos, torridum ſolum adureret pedes, Gonzalo autem ſacrificanti nudum caput puſtulis ab æſtu oppleretur, quas tamen ille nullis medicamentis perſanare ſuſtinuit. Reſumptâ poſt triduum navigatione, adverſo vento ad Mingoaxanem Giloæ Regem Mahometa-

num rejectus, licèt is poteſtatem inter ſuos promulgandi Evangelij ultro faceret, ſubſiſtere renuit: ratus præcipuo Cafrorum Rege converſo, finitimos & inferiores Reges haud magno molimine ſecuturos. Inde igitur ad Ivabum, ubi Monomotapæ ditio oritur, contendens, divinâ re peractâ ab Luſitanis comitibus petijt, ut quoniam fines tanti Regis ingrederentur, legationis ſuæ negotium enixiùs Deo commendarent. Ipſe autem ſe ab omni hominum conſuetudine avellens, velũ ſibi in altera navigij parte prætendi fecit, in quam veluti cellulam incluſus, octiduum ipſum delituit, ſemel tantùm quotidie toſti ciceris pugillum, & perexiguum aquæ ſumens. Octavo die ubi primùm Sena, quæ navigationis meta erat, in conſpectum venit, monitus Gonzalvus è latebra ſua prodijt, oculisque in oppidum parumper intentis, continuò in Cælum eoſdem, in genua procidens, cum manibus ſuſtulit, rogatis omnibus, ut pro felici expeditionis ſucceſſu ſemel Pater & Ave ad Deiparam, quam negotij totius Patronam delegerat, ſecum dicerent. Tantis enim animis plenam diſcriminum illam miſſionem aggrediebatur, ut Provincialis Quadrius diceret, ejuſmodi Gonzalum eſſe, ut ſi quis ſuo illo tempore deligi deberet, quem Antichriſto adverſarium DEUS objiceret, neminem ſibi Gonzalo aptiorem videri.

Subſtitit Gonzalvus Senæ 4. ferè menſibus, dum reſponſum ab Imperatoris Regia ducentas leucas diſſita, adveniret: neque enim procedendum ſibi ulteriùs, niſi priùs adventum ſuum Regi prænuntiaſſet, judicavit. Quo temporis ſpatio ſupra 500. in ipſa Urbe baptiſmo tinxit, & ad vicinum Inhamioris Regem excurrens, ipſum cum Regina & octo liberis ità permovit, ut magnopere ſacras undas expeteret, quas etiam ſe illi præbiturum Gonzalus ſpopondit, ubi priùs Monomotapæ Regem abluiſſet: cauſam prætendens, non decere antè illum luſtrari, ne fortè prælatum ſibi ſtipendiarium ſuum iniquiùs ferret; re ipsâ autem, quia nullum, quem Magiſtrum cuſtodémque Fidei relinqueret, habebat. Adfuit interim à Rege reſponſum, ut Gonzalvus ad Regiam duceretur; quo ipſe cum Gomio Coëllio Luſitano, linguæ eorum peritiſſimo, in comitatu Cafrûm profectus, totum illud ſexcentorum millium paſſuum iter pedibus emenſus eſt, ſarcinâ inſuper, in quam omnem Sacrificij apparatum collegerat, onuſtus. Fluvios, qui multi regionem interſecant, licèt aquâ collotenus pertingeret, vado tranſibat, elatâ interim manibus aut capite ſarcinâ: quanquam unum vado inſuperabilem, cùm in vas quoddam velut ingentem ollam, DEI Sacerdotem ad natandum invalidum immiſiſſent, circumnatantes ipſi propellentésque, trajecere Cafres. Cùm verò annona illos defeciſſet, Gonzalus quæ ſibi paraverat, in eos benignè diſtribuit, ac deinceps Jangamis (pomi genus eſt) immaturis & acerbis victitavit. Sed miraculo tributum eſt, quotquot ille jangamas manu attrectâſſet, repentè miram induiſſe ſuavitatem. Ex oppido Mabate occurrêre turmatim cives inſolitis officijs, in ſuum quiſque hoſpitium certatim invitantes; quibus omnibus baptiſmum & Sacra Chriſtiana, aliquamdiu ibi ſubſiſtens, impertivit: abſcedénsq; pronunciavit, nunquam eo in oppido defore Chriſti cultum; & vaticinium firmavit eventus in hanc uſque diem. Bambam deinde ubi ventum eſt, Cafrem morti propinquum, quantum ille patiebatur articulus, inſtructum expiat undâ ſalutari, & cùm impoſitis ſuper ægrum manibus Evangelium recitaſſet, illico ſalvus & incolumis Cafer è lecto proſilijt.

Monomotapam ùt primùm Gonzalum attigiſſe Imperator accepit, continuò Antonium Cajadum Luſitanum, copijs ſuis omnibus Præfectum, ad ſalutandum illum cum muneribus miſit. Alit enim veluti prætorianam cohortem omni tempore triginta millia, circà in vicinis pagis diſtributa: & ſi uſus ferat, nunquam minus centum millibus ſub ſignis habere ſolet. Munera erant auri pondus ingens, boves permulti, famulique in domeſticos uſus. Gonzalus officiosè remiſſis cum gratiarum actione donis, renuntiari juſſit, nihil ſe Regium, ſed Regem ipſum velle, quem Cœleſtis Regni æternæque felicitatis compotem faciat. Excelſitatem animi admiratus Rex, venientem ad ſe Patrem in intimum conclave Regium, cùm mortalium nemini, ne ſtipendiarijs quidem Regibus pateat eò unquam acceſſus, ſed è foribus eum pedibus nudi alloquantur, calceatum Gonzalum introduxit, mediúsq; ipſe conſiſtens, aſſidente ex altera parte Matre, conſidere eum ex altera juſſit. Antonius Cajadus, qui interpres adhibebatur, præ foribus conſtitit. Gonzalus ante omnia Regi pretioſæ veſtis aliquantum, quod ex India Mozambicóque vexerat, dono dedit: & Rex viciſſim ab eo petijt, quantum fœminarum, quantum auri, prædiorum, agrorúmque vellet, poſtremò & boum, quibus illic non minus quàm auro

pre-

pretium eſt. Ad quæ Gonzalus cùm reſpondiſſet, ſe pridem his omnibus æternorum bonorum cupidine ſpretis, eò ſolùm veniſſe, ut eadem bona Regi patefaceret: admiratus ille interpreti dixit: *profectò neceſſe eſt, qui nihil horum cupiat, quæ ceteri uſque eò mortales amamus, is aliâ quâdam ab communi naturâ conſtet, atque adeò ex genere herbaceo ſit, exoleribúsque prognatus.* Digreſſus à Rege ad mapale, quod ſibi in diverſorium & templum extruxerat Pater, aram etiam in illo, cum eleganti Deiparæ imagine propoſuit: ad quam dum quotidie rem Divinam facit, Procerum quidam conſpectâ obiter è foribus icone Virginis, ad Regem deferunt, pulcherrimæ formæ puellam illi domi eſſe, atque ut eam ſibi depoſcat, hortantur. Mittit absque mora Rex, qui enixè petat, ut ſuam Conjugem, quam ſpecioſiſſimam ſecum adduxiſſe dicatur, ſibi videndam præbeat. Errorem facilè intellexit Pater, atque ut auſpice DEI Matre opus Evangelicū ordiretur, tabulam pretiosâ involutam veſte defert ad Regem. Cujus animum ut ad debitam ejus venerationem præpararet, pauca præfatur de ſummo & uno rerum omnium authore DEO, déque Filio ejus, qui ſalutis humanæ causâ de Virgine natus, vitæ & mortis, Regnorúmque & Coronarum ſolus poteſtatem habeat. Ejus itaque non quidem Matrem ipſam, quæ beata cælum incolat, ſed effigiem oſtenſurum eſſe; dignam proinde, in qua & ipſe Rex potentiſſimam Cœli terræque Reginam veneraretur. Mox ſummâ reverentiâ in genua provolutus Pater, imaginem tegumento evolvit, ad cujus conſpectum commotus Rex, & ipſe venerabundus proſternitur. Cúmque eam ſibi donari inſtantiſſimè flagitaret, Pater nihil tergiverſatus, ſuâ manu illam in cubiculo Regis, quod Sacelli in morem aulæo magnifico veſtierat, collocavit. Ecce autem eâdem ipsâ ſpecie quinque deinde ſequentibus noctibus, Regina Cæli conſpicuam ſe Regi ſtitit, divinâ circumfulgens luce, magnáque affabilitate, ſed linguâ incognitâ illum affari viſa. Quod cùm ille magnopere tū apud Matrem, tum Luſitanos doleret, ac demum Gonzalvo ipſi quereretur; reſpondit Pater, eam nimirum linguam divinam eſſe, quam nemo intelligeret, niſi Sacroſanctam Filij ejus Legem per Baptiſmum amplecteretur. Ergo Rex percipiendæ ejus linguæ cupientiſſimus, biduo pòſt per Cajadum Patri ſignificat, ſe, paritérque Reginam Matrem ſtatuiſſe Chriſto initiari. Hic incredibili ſolatio geſtiens, multúmque DEO & Deiparæ ſucceſſum gratulatus, & impensè commendans, aliquot dies in tradenda utrique Chriſtiana doctrina inſumpſit, atque 15. circiter ab adventu ſuo die, magnâ pompâ & gratulatione utrumque ſacro fonte perfudit, Regémque Sebaſtiani, Matrem autem Mariæ nomine appellavit. Eodem die Rex obſervantiæ causâ 100. boves Patri dono miſit, quos ipſe omnes cædi, intérque pauperes diſtribui curavit; obſtupefactâ ad tantam liberalitatem cum Rege Aulâ universâ. Poſt Regem è primoribus Aulæ acceſſere ad ſacrum fontem facilè trecenti: qui cùm & ipſi plurima donaria transmitterent, ipſe omnibus in egenos diſperſis, ſolo perexiguo cocto milio, herbis, & ſylveſtribus pomis vitam ſuſtentabat.

Jámque univerſa Monomotapa tantorum exempla ſecutura nihil dubitabatur: cùm æternus Chriſti & virtutis hoſtis Satan, quatuor in Aula potentes è Mahometanis ſuſcitavit, qui adoleſcentem & improvidum Regem ſuſpicionibus in Gonſalvum implerent, veneficum illum peſtilentiſſimum eſſe, à Pro-Rege Luſitanorum ex India ſubmiſſum, qui ipſum cum Regno intoxicatum baptiſmali aquâ, Dominio Luſitanorum ſubijceret. Rex non ætate ſolùm, ſed & naturâ Cafribus ingenitâ mobilis, ubi maximè in eandem ſententiam mater perducta eſt, primo quoque tempore Gonzalum tollendum decernit. Quod ſive conjecturâ, ſive divinitus Pater cognoſcens, Antonio Cajado prædixit, Regem ſibi perniciem moliri. Huic autem res ità incredibilis viſa eſt, ut ſubridens rejecerit. Sed paulò pòſt Regem in eo propoſito obfirmatum penitus deprehendit; quod tamen ut diſſimulatione cruentâ tegeret, Cajado reſpondit, decretum id tantùm à ſe, ut Gonzalus procul à Regia amandaretur. At Pater futurorum divinitus præſcius, vehementer apud Cajadum inſtitit, ut certos, quos nominabat Luſitanos, confeſtim ad ſeſe adduceret. *Conſtitui enim*, inquit, *hodie Confeſſiones veſtras excipere, & SS. Euchariſtiâ reficere: quod niſi hodie fiat, poſtea non licebit.* Eodem die inſtructiores ex catechumenis circiter 50. baptizavit, ijsque quidquid ſive veſtium, ſive ſacrorum ſupererat munuſculorum, diviſit, unâ ſibi Crucifixi effigie, duobúsque cereis ſervatis. Hinc tanquam ad nuptias Agni evocandus novam induit tunicam, & ſacrum amiculum cum ſtola ſacerdotali induxit. Sub veſperā inviſenti, & talem ornatum miranti Cajado, lætus Pater, & leniter manu pectus prehendens, *Antoni*, in-

quit, *profectò paratior ad mortem ſubeundam ego ſum, quàm inimici ad inferedam. Regi autem Matríque ejus, quòd ipſi per ſimplicitatem Mahometanorum aſtu in fraudem inducti ſunt, libenter ignoſco, quæſóque, ut quidquid hæc Regna pœnarum debent, in unum caput meum convertat.* Cajadus ægrè à Patre inductus ut domum ſe reciperet, duos tamen clanculum ſubmiſit famulos, qui ſedulò excubantes ſi quid ingrueret, ſe admonerent. Pater in illo ſuo ornatu in multam noctem pro tuguriolo in area inambulat, oculis identidem in cælum intentis ſubſiſtens, manibus modò ſublatis, modò in crucis formam extentis, ſuſpiria crebra profundens. Hinc tugurium ingreſſus, cereos duos accenſos ad latera crucis collocat, proſtratúsque in genua aliquamdiu perſiſtit orans. Tum in ſtoream ex arundinibus contextam prolapſo ex fatigatione, ùt videri poteſt, irrepſit ſomnus. Id ubi ex inſidijs ſanguinarij notant ſatellites, octo circiter irrumpunt; quorum Mocorumes inter Cafres nobilis, frequens & perfamiliaris Gonzalvi conviva, in jacentis pectus toto impetu dejcit ſeſe, opprimítque: inde bini brachia, totidem crura arripiunt, duo funem collo implicant, quo conſtricto Pater, ingentem ex ore naribúsque ſanguinis copiam effundens, victorē ſpiritum Conditori ſuo reddidit A. 1561. ætatis 35. 15. Martij. At parricidæ in Chriſti ſignum debacchati, illud penitus comminuunt: rurſúmque in viri DEI cadaver efferati, dum veſtibus penitus exuunt, ferreo incinctum cilicio deprehendunt. Itáque magum penitus fuiſſe, qui ità ferro indueretur, interpretantes, reſte alligatum ad Moſengeſſem fluvium, ne malefici hominis peſtilens odor veneno cuncta corrumperet, pertrahunt, & demergunt. Ex quo tempore ferunt crocodilos, qui plurimi voraciſſimíque illo flumine gignuntur, nulli unquam mortalium, velut poſitâ feritate, nocuiſſe. Alij teſtantur, aquis imminere viſum mirabile lumen, ubi Gonzali corpus merſum fuerat. Neque hìc conſtitit furor Regis. Quinquaginta Neophytos, pridie mortis à Gonzalo baptizatos, ſimul neci dari imperat; executuris ſinè mora mandatum impijs miniſtris, niſi Proceres, qui unà cum Rege ſimiliter baptiſmum receperant, monuiſſent, ſi baptiſmus crimini daretur, tum pariter ſibi & Regi moriendum fore. Mitigatus eorum oratione, ac Luſitanorum potiſſimùm, ubi furor deferbuit, exprobratione Rex, quòd facinus tam atrox injuſtè patraſſet, gravi profectò Cœlitum, & Regis ſui vindictâ ulciſcendum: repentè in adverſam partem actus (ùt erat ingenio penitus mobili) quò cauſam facinoris in alios à ſe amoliretur, duos ex ſuaſoribus Mahometanis occidit, omnibus etiam reliquis, ad quos peſſimi ausûs cauſa pertinuit, ſeriùs quidem, juſtam tamen Numinis, & Regis Luſitaniæ iram expertis, cujus juſſu Barettus inducto in Monomotapam exercitu, A. 1569. diligentiſſimè conquiſitos, morte turpiſſimâ poſt exquiſita tormenta mulctavit, effecítque ut Regiâ Urbe Mahometani omnes proſcriberentur. Excepit præterea mortem Gonſalvi inaudita agrorum calamitas, innumerabili locuſtarum multitudine, quæ objectu ſuo Solis lumen ipſo in meridie tegebant, omnia latè depaſcente, unde etiam ſtrages hominum immenſa. Ipſam etiam Reginam matrem ſuam, quod neci Gonzali conſenſiſſet, aliquot pòſt annis furiosè pœnitens Rex, occidi imperavit.

Cæterùm excelsâ prorſus & minimè conſuetâ fuit Gonſalvus virtute, in Deum ac Divina affectu penitus abſorptus; hinc ſæpe in cubiculo repertus eſt à ſenſibus omnimode abalienatus, & à terra ſublimis in aërem elatus. Cùm rem Divinam faciebat, adeò frequenter extaſim patiebatur, ut quid, quóve loco dicendum eſſet, à miniſtro quærere cogeretur. Ad quam ut tantò purior accederet, ſæpe viſus eſt iterum ac tertiò eâdem die confiteri. Multas quotidie orationi dabat diurnas nocturnásq; horas, genibus ſemper flexis, oculísque ab obtutu in Cœlum, (quo mirificè ſe excitari dicebat) nunquam deflexis. In Virginem immaculatam tenerrimo prorſus ferebatur affectu, eámq; omnium ſemper ſuarum actionum Præſidem conſtituebat. Effigiem illius ubi ubi conſpiceret, profundâ capitis inclinatione; ſi ſolus aut in tenebris eſſet, genuflexione venerabatur; eodem venerationis geſtu, quoties in decurſu Roſarij ſalutationem Angelicam repeteret, eam avere jubens. Et hanc ſalutationem quolibet ejus feſto millies repetebat, uniuscujuſque principio genua in terram ſubmittens. Ex hac cum Divis familiaritate, nil mirum eſt multa eum arcana ſeu de abſentibus, ſeu de futuris didiciſſe. Nam & Bracharæ Collegium Societati ſtatuendum, licèt omni ratione tunc obniterentur cives, ne quibus Religioſis apud ſe daretur ſedes, prædixit: & fratri ſuo Alvaro claſſem in Turcas ducenti, cladem accipiendam prænunciavit. Cui vaticinio hic minimè fidem adhibens dum in hoſtem movet, tanto illum terrore

vel

vel ipſo conſpectu complet, ut pacem poſtulârit. Quam aſpernatus Alvarus, & victoriam ſibi ex hoſtium timore ſpondens, joco etiam Gonzali dicta exploſit; *tandem*, inquit, *compertum eſt, non ſemper fratrem meum vera prædicere; en falſus vates, in hoc ſaltem eventu deprehenditur.* Verùm mox ingenti clade ex conflictu acceptâ, didicit non in proſperis magis quàm adverſis, veridicum fuiſſe Gonzalum. Philippæ ſorori ex conclamato morbo ſanitatem, & prolem ſimul maſculam, domûs tam lautæ hæredem, quam poſt 10. menſes re ipsâ enixa eſt, adpromiſit. Obedientiæ illius, quæ nutum etiam ſuperioris obſervat, tenaciſſimus fuit, ne ad momentum quidem juſſa eorum differre ſolitus. Contigit eum ex Urbe Portuenſi repentè Conimbricam à Rectore revocari, cui ut mox obtemperaret, nullis Virorum illuſtrium, aut Socij argumentis induci ſaltem ad eam moram potuit, quâ calcei feſtinatò reſarcirentur: ſed hyeme frigidâ atque humidâ iter aliquot dierum nudis pedibus arripiens, totus aquâ & luto perfuſus Conimbricam ingreſſus eſt. Idquod illi in omnibus miſſionibus, ex peculiari paupertatis ſtudio, ſemper fuit commune; in quibus ſi elatos domo calceos contriviſſet, reliquum viæ nudis conficiebat plantis, nec ullis precibus adduci poterat, ut alios ab extraneis oblatos adhiberet. Charitatem in proximum abundè loquuntur ea, quæ in ſalutem eorum ad ſanguinis uſque profuſionem geſſit. Quos ut ad Cæleſtium curam incitaret, ter quatérque unâ die dicebat, tantâ animi contentione, ut aliquando ſibi manum clavo transfixerit, dum pulpitum concutit, nec tamen ipſe quidquam ſeu doloris, ſeu ſanguinis, qui copiosè manabat, adverterit. Binas ternâsve horas dicendo extrahebat, tam ſuſpenſo auditore, ut cùm in oppido Tomarenſi duodecim ſemel horas in Paraſceve continenter dicendo extraheret, à nemine deſertus ſit. Portuenſi in Urbe cum inciperet alterâ vel tertiâ à meridie horâ, ad noctem uſque producebat dictionem. Pro omnibus autem in parandas conciones libris illi erant, Chriſti Crucifixi, & Deiparæ imagines, præter quas nullos, niſi Breviarium, Sacra Biblia, & vitas SSrum volvebat.

Incidens aliquando in unum ex Socijs perturbationibus animi, quas ipſe vultus tetrior prodebat, agitatum, *quin tu mœrorem iſtum*, inquit, *ex animo depellis? qui in famulatu DEI ſunt, eos lætos & hilares oportet eſſe. Tu Pater*, ait ille, *Sanctus es, atque ita animum habes ab omni perturbatione ſedatum; Certè ſi hiſce, quibus æſtuo, tentationum fluctibus jactarere, non poſſes ullo gaudio aut pace frui.* Gonzalus Socium miſeratus, in ſecretum locum deducit, dorſúmq; illi ſuum denudans, oſtendit pene fractas & ruptas verberibus coſtas. *Quid animum deſpondes*, inquiens, *mi Frater? tene ſolum hoſtis ſollicitat? quis in hac vita, quæ militia eſt, pacem habet, aut à dæmone inducias? nec flagella timet, nec plagas iſtas; me frequentiſſimè impetit; ſed perſto auxiliante Numine, & victurum ſpero. Ne te perditum puta, aut deſertum à DEO. Hoc quod calamitatem putas, DEI benignitas eſt, gloriæ nobis ſegetem miniſtrans; non ideo patitur hominem oppugnari, ut ſuccumbat, ſed ut ipſo Duce & Commilitone vincat.* Quibus verbis, ſed maximè inſolente ſpectaculo tota ſubitò ex corde mœrentis diſpulſa triſtitiæ nox eſt, & maxima animo ingenerata fiducia de hoſte triumphandi. Cùm alijs gubernandis in Luſitania præeſſet, nihil ipſo in monitis dulcius, nihil in imperio ſuavius, rogare videbatur dum præcipiebat. Et quemadmodum nihil de neceſſarijs ſubditis deeſſe, ità ſuperfluum nihil adeſſe patiebatur; exceptiones maximè illas ſive in victu & cultu, ſive in rebus alijs quibuſvis exoſus, quas utì vitæ communis peſtes, & Religioſæ diſciplinæ quàm maximè adverſas, ab Societate omnimodè ablegare laborabat. Si quem ſciebat ex ſubditis mœrore, alióve animi morbo cruciari, non quieſcebat, donec ipſum aut per ſe, aut alterius operâ, illo malo liberaſſet. Quando horâ conſuetæ relaxationis ad valetudinarium non ibat, vel operam coco dabat in abſtergendis vaſis eſcarijs, vel cum illo, aliiſq; adjutoribus rei domeſticæ, pijs de rebus ſermonem conferebat.

Sexaginta & amplius annis à nece Gonzali miſſus ab Indiæ Pro-Rege Ludovico Atai. da Alphonſus Barbuda in Monomotapam, ut auri metalla luſtraret, dum Cuamam fluvium enavigat, tribus Mauris Principibus comitatus, haud longè ab Arce Tuiſe, truncum in ripa validum conſpexêre, quem verſicolores magno numero volucres inſidebant, aëra cantu multiplici permulcentes: earum pars una exorto ſole digreſſa eſt, alterâ ſuum carmen proſequente, donec illa revolâſſet; alternabántque, utì narrabant piſcatores indigenæ, excubiarum vices. Mauri Principes cupidi reſcire quid id eſſet, moliuntur exſcenſionem: ſed admoniti periculum ingens imminere à tigridibus, aliiſque feris belluis, quæ proximos ſaltus inſederant, nihil

temerè ſunt aggreſſi. Ajebat ſenex piſcator interrogante Barbudâ, exundantibus aquis lignum illud in ripam eſſe ejectum, adalligato albi hominis (ſic Europeos ſignât) cadavere, nigris induto veſtibus, & quadrato pileo, calceis, caligis, chlamyde obvoluto. Mox ab excelſa rupe in ſylvam proximam proſilijſſe tigrides, ferásque alias, quæ unguibus pectoribúsque junctis palùm illum ad pedem rupis deportârint; inde diſtracto funè corpus dorſis ſubvectum intuliſſe in ſylvam, excubaréque continuò, ne quis accedat. Ducem quendam exploraturum, quid illud eſſet cadaveris, quid belluarum, arcuiſſe telis feras tantiſper, dum proximas in arbores evaderent duo Mauri, qui rem inde per otium ſpecularentur. Illos toto biduo acriter in omnia intendiſſe, integrum illibatúmque corpus vidiſſe: illi feras advolvi pronis capitibus, & vices quaſi vigiliarum alternâ ſucceſſione mutare. Aves rari coloris, roſtris ac pedibus albo rubróque diſtinctas, admodulari: quinas in decuſſim aquilas aſſidere, quæ ſuas item ſtationes viciſſim inter ſe varient, prope feras metûs expertes. Eas ſe volucres belluásque Barbuda vidiſſe narrabat, credíque cadaver eſſe Gonſali Sylveriæ, cujus inter eas gentes veneratio magna ſit, & benefactorum recens memoria, & videri in ea tempora tam prodigiosè ſervari à DEO, quibus idoneus illi cultus deſignetur. Hæc ipſe Alphonſus Barbuda, rebus geſtis & Sacerdotio venerabilis, Ulyſſipone, cùm remeaſſet ex India, ad P. Franciſcum Goveanum, hic ad P. Antonium Colaſſum, qui proLuſitaniæ negotijs Madridij fuit, perſcripſit: & in ſuam Coſmologiam ſacram theoria 9. n. 7. & 9. retulit P. Gaſparus Ruthardus.

P. ANDREAS GVALDANEZ.

IN celeberrimam illam ad Æthyopas Abyſſinos, Eccleſiæ Catholicæ à Schiſmate Græco conciliandos, expeditionem, quam ad inſtantiam Joannis Regis Luſitaniæ Julius 3. Pontifex Max. primùm quidem deſignavit, poſtea autem Paulus 4. executus eſt, tredecim fuêre ab ipſo S. Ignatio delecti è Societate viri, ſanctimoniæ non minùs, quàm eruditionis laude præſtantes: quorum caput & dux Joannes Nunnius, in Patriarcham Æthyopiæ conſecratus, præter duos ſui muneris Coadjutores, & in munere Patriarchali, ſi fatis decederet, deſignatos ſucceſſores, Andream Oviedum, & Melchiorem Carnerium, illum Hieropolitanum, hunc Nicenum Epiſcopos; in reliqua ſelectiſſima ſacerdotum decade numeravit etiam P. Andream Gualdanez, ortu Caſtellanum, Societati Conimbricæ A. 1555. adlectum. Hic ex Granatenſi Collegio, ad cujus primordia inſignem operam collocaverat, reverſus in Luſitaniam, in Indiam ſolvit A. 1556. ætatis 41. navigatione exitu quidem felice, tempeſtatibus tamen graviſſimis fætâ, quarum periculoſiſſimam ad Promontorium Bonæ ſpei, ſolâ aquæ à ſe benedictæ in pelagus aſpergine, Patriarcha ſedavit. Goam appulſi triſtia omnia, & pejora expectatione inveniunt. Nam & P. Conſalvum Rodericium ab Æthyopia reverſum offendunt, difficiles loquentem aditus in eas partes, & Regis animum à recipiendo Patriarcha alienum: ſimúlque de triſti Sociorum naufragio, qui aliâ navi ab Vlyſſipone Goam vehebantur, intelligunt. Dum enim à cæteris navigijs divulſa ipſorum oneraria à Moſambico vaſtum præcidit Oceanum, in Syrtim per tenebras noctis impingitur. Dirupto alveo nautæ vectoréſque 300. circiter in Inſulam deſertam, ex aggeſtu duntaxat arenæ in tumulum modici ambitûs exurgentem, evadunt, modico vini, & cibariorum aquis fere vitiatorum, fluctibus ſubducto. Extemplo Navarchus opis petendæ gratiâ, ſcapham cum eximijs viris 30. conſcendit, & leucas 500. emenſus, haud ſinè miraculo Goam applicuit. Mox è naufragæ onerariæ reliquis tabulis concinnato raptim navigio, 50. ferè alij conſcenderunt, & poſt innumerabilia diſcrimina, aut potiùs continuam mortem, Cocinum incolumes tenuerunt, vulgo eos, tanquam bis natos homines ſpectatum, occurrente. Remansêre ad 200. & in ijs è Patrum numero tres, Conſalvus, Paſchalis, & Alphonſus Lupius: qui ſuam in ratem ab antecedentibus invitati, præcipuam conditionem in communi diſcrimine recuſarunt, ne tot animas affli-

P. Andreas Gvaldanius Hiſpanus Soc. IESV pro Fide Chriſti à Turcis ſagittis confixus Mazuæ in Æthyopia. A. 1562.
C. Screta del. *Melch. Küſell f.*

afflictas periclitantésque deſtituerent. Nonus jam in arenaria illa inſula miſeris fluxerat menſis, jámque vitâ ſe ipſam abſumente, aridæ fluebant buccæ, miſerabili oſcitatione hiantes, neque aliud extremæ fami remedium, præter mortem expectabatur. Cùm autem fruſta adhuc quædam fractæ navis reſtarent, ratem aliam moliuntur, haud quidem ſpe Indiam attingendi, ſed ut ſpecularentur, ſi quid uſpiam appareret effugij. In hanc 31. aſcendunt, duobus aquæ cadis, & aliquanto aridi piſcis impoſito, & cum ijs uno omnium voto Patres, ſperantium, ſi quid uſpiam inveniretur auxilij, ſuâ illos caritate facturos, ut & ipſi participes fierent. Et jam alterum menſem per avia Oceani errabant, quatuor interim ex fame enectorum cadaveribus in mare abjectis, cùm plures numero conſpicantur inſulas: ad quarum unam pulcherrimis palmis prætextam excendere dum contendunt, appellere nunquam, tanta virium fuit debilitas, potuerunt. Itáque ad Inſulam humilem ac propè demerſam fluctibus, planéque ſterilem, levandæ ratis causâ partem vectorum cum Patribus exponunt: ipſi autem ad fertilem palmarum alteram commeatûs parandi causâ applicantes, dum famem diuturnam avidiùs, ùt ferè fit, non tam explent, quàm obruunt, graviſſimo proſtrati languore, tum demum ad ſocios in maligna inſula redire potuerunt, cùm præter duos vix adhuc ſpiritum trahentes, omnes unà cum Patribus fame enecti ſunt: quæ eadem ſors naufragorum turbam

in

in prima illa perexigua inſula relictam, cùm ob parvitatem ſuam obſcurior à celocibus Goanis reperiri non poſſet, oppreſſit, nec antè inventi ſunt, quàm inediâ omnes ad unum abſumpti.

Utraq; ſors Patriarchæ & Socijs dolenda viſa eſt, & prior de profectione ad Abyſſinos in conſilium continuè adducta. Ac Patriarcha quidem, licèt aſperis & periculoſis in rebus tamen ſeſe in omnem aleam Chriſti causâ paratum oſtendere: cæteris nequaquam, ac præcipuè Pro-Regi & Goano Archi-Epiſcopo, è Sedis Apoſtolicæ dignitate viſum, ejus faſtigij perſonam Schiſmaticis præbere in ludibrium & contumeliam. Ne tamen legatio penitò intentata deſereretur, Andream Oviedum Epiſcopum cum P. Gvaldanez, P. Emmanuele Fernandio, & tribus Fratribus, Gonzalo Cardoſo, Franciſco Lupio, & Antonio Fernandio eò præmitti placuit, quos deinde omnes Oviedus ſacerdotes creavit. Itaque in Martio A. 1557. iter ingreſſi, à Barnagazio Rege, Abyſſini tributario, perhumaniter excepti ſunt, indigenis undique ad manus eorum exoſculandas accurrentibus. Multis paſſim per viam Sacramento baptiſmi & pœnitentiæ expiatis, cùm unius jam diei tantùm iter abeſſent à Regia, miſſo nuntio vetuit ultrà Rex, quoad ipſe advocaret, procedere. Quatriduo lapſo evocati, perhumaniter à Rege excipiuntur. Facilè tamen adverterunt Regem in hæreſi Dioſcori obfirmatum, magnopere ab Eccleſia Catholica abhorrere, ideóque Concilium ab eo convocari ex ſuis, ad diſceptanda Religionis utriusq; dogmata, urſerunt: in quo dum felici ſucceſſu errores Dioſcori refellunt, Turcæ in fines Abaſſiæ irrumpentes, Regem à cura Religionis ad armorum tractationem avocârunt. Quem ubi in hæreſi obſtinatum advertit Oviedus, proficiſcenti in bellum, exitium & interitum, qui etiam conſecutus eſt, prædixit. Succeſſor Regni Adamus Sequedus Catholicis longè infeſtior, non tantùm ſeverè interdixit, ne quis Æthyopum ad eorum Sacra accederet, ſed etiam Oviedum cum Socijs, 6. circiter menſes in aſpera horridâque cuſtodia habuit, ac mortem etiam, quòd Fidem prædicare non ceſſarent, intentavit.

Atque in his aliſque graviſſimis ærumnis, quibus ferè ſolis æquanimiter toleratis DEO obſequium præſtabant, ſextum jam annum in Æthyopia verſabantur, ex quo nihil de eorum ſucceſſu Patriarchæ alijsque Goæ innoteſcere potuit, aditu omni & commercijs cum India armis Turcicis intercluſo. Oviedus ergo cupiens Indiæ Pro-Regi ſtatum Æthiopiæ perſpectum facere, ad maturanda, ſi qua viderentur opportuna rei Catholicæ tutandæ conſilia, quia literis omnia geruntur remiſſiùs, per hominem quì cominus tractaret, cujúsq; fides & authoritas plurimùm polleret, id præſtare conſtituit. Nullus Andreâ Gualdanez aptior viſus, viro rerum Æthyopicarum experientiſſimo, ſibíque percaro. Is dum petit Mazuam, quæ Urbs eſt Inſulæ cognominis in Erythræo littore, quà trajectus in Indiam eſt, in Turcas incidit; quibus ex veſtitu proditus, quòd Chriſtianus & Sacerdos eſſet, unà cum Luſitano itineris comite, cùm ad ejurandum Chriſtum nullâ vi adduci poſſent, barbarum in morem telis confoſſus, viam & vitam felici exitu confecit, A. 1562. Vir fuit ùt pulchro corpore, ità antiquâ ſimplicitate, ſpectatáque virtute, ut de eo paſſim uſurparetur, quod de Nathanaële dixit Salvator: *ecce verus Iſraëlita in quo dolus non eſt.* Et cùm ſummo juvandorum Abyſſinorum deſiderio æſtuaret, ſimul atque ea loca attigit, ingenti conatu gentis idioma ſinè doctore, ſemeſtri adeò perfectè combibit, ut multa ex noſtris ad Religionem ſpectantia aptè traduxerit, quæ & Catholicis ad conſervandam Fidem & virtutem, & hæreticis ad depellendos errores, magno uſui fuêre.

P. IGNATIUS AZEVEDIUS, cum 39. Socijs.

IGnatius Azevedius, citra etiam pretioſam hanc mortem, inter ſumma Societatis lumina memorari dignus, illuſtriſſimâ Luſitaniæ familiâ natus, Patrem habuit Emmanuelem, Regiâ familiaritate conſpicuum: germanos Franciſcum, cui Majoratũ, & fortunas omnes tranſcripſit; & Hieronymum, Indiæ poſtea Pro-Regem, cujus Imperio Zeilanum armis ſuis adjecit. Ignatius poſtquam ætatis anno 22. Paternum Dominatum ætatis prærogativâ obtinuit, DEO cor ejus tangente, humanarum rerum nauſeâ, & æternorum deſiderio, in ipſo dominandi limine uſque eò tangi cæpit, ut in Exercitationibus S. Ignatij Conimbricæ animum, ad

P. Ignatius Azevedius S. I. Illustrissimâ Lusitaniæ familiâ oriundus, in itinere Brasilo à Calvinistis pro Catholica Religione mari demersus A. 1570. 15 Iuly.
C. Screta del. Melch. Küsell f.

ad inveniendam voluntatis divinæ exequendæ viam modúmque applicans, dimissis Fratri opibus, & lautas nuptias aspernatus, totum se DEO in ejus Societate addixerit A. 1551. Tyrocinium fervore maximo auspicatus, infra omnes se perpetuò demittebat, silentio ità deditus, ut die toto sæpe nihil proloqueretur, sed totus in DEI contemplationem intentus, lachrymas affatim funderet, quibus & humum largè, & scabellum si cui innitebatur, perspergebat. Inclementia sui corporis verberandi aspera atq; atrox, omnis denique sui habendi ratio adeò austera, ut macie deformatus vultus penitus concideret. Quarto post anno Ulyssiponensi Collegio præesse jussus à S. Ignatio, eodem planè tempore, quo Gonsalvus Sylveria Domui Professæ Præpositus est, tanta utriusque virtutis apud S. Ignatium erat opinio! ipse ad domesticam sollicitudinem, nosocomiorum simul procurationem adjunxit, & quos omnium miserrimos ac tabe defluentes notabat, suâ ipsius operâ procurabat. Quo in munere versanti, discedens ad sufficiendum demortuo S. Ignatio novum Generalem Romam Michaël Turrianus, cùm insuper vices suas in administranda provincia commisisset, ille pedes obire provinciam, calceos, vestes Sociorum reficere, omniáque Coadjutorum munia tantò impensiùs supplere. Inde ad regendum Bracharense Collegium, tum primùm à Bartholomæo de Martyribus è Dominicana Familia Archi-Episcopo Urbis excitatum evocatus, præter alia excellentissimæ Charitatis opera, felicissimè in dissidentium capitali hostilitate, animorum

conciliatione, quos neque Archi-Epiſcopi, neque Regis auctoritas redintegrare poterat, quibúsque tota civitas invicem diſtracta, rixis atque odijs diſſidebat, elaboravit.

Duo imprimis erant, qui inveteratis odijs concurrentes, invicem graviter mutilaverant, & inimicitias nihilominus immortales exercere pergebant. Horum animos diu multúmq; verſans Ignatius, eò tandē inclinavit, ut in gratiā redituros omnino ſponderent, diémque, quo in templo Collegij pax ſanciretur, condicerent. Et quidem ſtatuto die maturè adfuit alter, alterum diu morantem ſolicitus Pater, miſſo nuncio advocandum cogitabat, cùm opportunè vir vulgò bonus in templum venit. Hunc ergo peridoneum fore nuntium ratus, demiſsè rogat, ut laborem hunc in ſe ſuſcipiat. Ad quæ vir bonus, *omnia mihi alia*, inquit, *Pater impera: hominem illum decimum jam annum non alloquor.* Pater mente breviter ad Deum elevatâ, *atqui Divino conſilio te huc adveniſſe adverto, ut tecum etiam inimicitias componat. Per ego te Chriſti ſanguinem rogo, ne hinc niſi redintegratâ amicitiâ hodie diſcedas.* Quo ad Collegium deducto, ſocijsque ut interim colloquijs eum detinerent commendato, redit ad templum, alium internuncium quæſiturus. Et incidit commodè in Civium alium, quem eâdem, quâ priorem humanitate interpellans, idem penitus reſponſum accipit, mandaret Pater aliud quidlibet, ſibi cum eo homine jam diu non convenire. Et hunc intercipit Ignatius; ac tertium in quem incidit, ſubmiſsè idem precatur; at ille nihilò ſecius quàm priores excuſat, pridem inter illos jurgia & diſſenſiones intercedere. Et hoc quoque retento, tandem qui expectabatur advenit, & pro una quadruplicem pacem integravit. Accidit ibidem, ut nihil panis totâ domo haberetur, cùm nihilominus Ignatius ſignum conveniendi ad prandium Socijs dari juſſit: & ecce eodem momento pro foridus adfuit mulier, nulli antea nota, quæ caniſtro panis depoſito diſparens, nunquam poſtea comparuit.

Poſtulatus ab eodem tunc fuit concionator per Quadrageſimam ab Urbe Barcella, quod onus in alium minimè deponendum ratus, ipſemet eò, & pedes accurrit. Eo in itinere ad Pradum fluvium pluvijs tumefactum ubi ventum eſt, poſt brevem precem, incertum quâ vi, modóve, ipſe unà cum ſocio in altera amnis parte translatum ſe deprehendit. Cavadum ejuſdem Provinciæ fluvium rapidum cymbâ cùm traijceret, ecce immanis arbor aquis devecta jamjam incurrere, quæ neq; urgendo declinari jam, neque ſiſtendo poſſet. Conclamare vectores de certo exitio inopes conſilij; at Ignatius omnibus quiete conſidere juſſis; truncum jamjam irruentem levi ramo apprehenſo à cymba, perinde quaſi levem ſtipulam divertit. Idem aliquot poſt annis in luſtratione Braſiliæ actuario lembo vehebatur, cùm ingens bellua è cetorum genere apparet, quæ in minora navigia incurrere ſolent, atque in prædam ſubvertere. Omnibus certum ab ea exitium præſtolantibus, Pater in Dei fiduciam animis erectis, brevi precatione monſtrum abegit. Civitati Barcellæ, aliâ penitus facie, quam ternis ſubinde & quaternis per diem dictionibus, aliisque Societatis miniſterijs excolebat, inductâ, in reditu Bracharam, aſellum præ ſe, ſarcinulis & miſſionum ejuſmodi neceſſario apparatu onuſtum, unà cum ſocio agebat. Itáque ſpectaculum de ſe Urbi facturus, optionem facit ſocio, malitne aſello vectum ſe pedes capiſtro ducere, an contrà præeunte ſe, ipſe in Urbem vehi. Anxius aliquantiſper ſocius, utri ex his deſpicationis ineſſet amplius, ut illud in ſe transferret, tandem præoptavit vehi. Tum Ignatius apprehenſo jumenti, quàm longum erat, capiſtro, per Urbem mediam Collegij Rector jumentum, cum ſeſſore ſocio trahit, magnâ Civitatis ignominiæ, quam Ignatius quærebat, loco, admurmuratione. Porrò tam durus in ſe verberibus, perpetuo cilicio, jejuniísque emaciando fuit, ut neceſſe habuerint ſuperiores ſocium ei cum poteſtate adjungere, qui ſuo arbitrio hæc illi temperaret. Accidit aliquando, ut domeſticorum quiſpiam ſpurcis cogitationibus vehementiùs infeſtaretur, qui tamen ubi in Ignatij vultum oculos convertit, & ab eo viciſſim blandiùs aſpectus eſt, omnis momentò fæditas animo depulſa ceſſit.

A. 1565. demortuo Jacobo Lainez, alteri poſt S. Ignatium Societatis Præpoſito Generali ſuffectus S. Franciſcus Borgia, cùm plures in diverſas provincias pro ſe miſiſſet Viſitatores, in Braſiliam deſignavit noſtrum Ignatium, qui poſt periculoſam navigationem, longè majoribus periculis obnoxiæ Provinciæ luſtratione ex animi voto perfectâ, remenſus eſt Oceanum, itérque Romam; & ſegetem quidem multam, & ad meſſem albam eſſe retulit, operarios autem paucos. Igitur eodèm cum auctoritate Provincialis redire juſſus eſt, factâ ſimul poteſtate colligendi ex Hiſpania, quotquot ſponte ſe offerrent.

rent, ſocios, itémque tyrones, & tyrocinij candidatos, quos compertum erat in linguis barbaris perdiſcendis eſſe aptiores, cæli item ſolique genio, & alimentis faciliùs aſſuefcere. Antequam Româ diſcederet Ignatius, Pium V. ad oſculum pedum acceſſit, à quo Indulgentias pro Socijs Braſiliæ omnibus, Agnos cereos, Sanctorum reliquias, & præter unum ex undenis millibus Virginum caput, effigiem inſuper Deiparæ ex S. Lucæ prototypo expreſſam, perrarum eâ tempeſtate munus dono accepit. Indè per Hiſpaniam inſtituto itinere, ſocios expeditionis 71. collegit. Dum navigandi tempus Ulyſſipone expectat, quia nulla noſtrarum ædium tot capitum, præter ſua capax erat, omnes in Collegij ſuburbanum prædium, ſitu ac ſolitudine exercendis animis prorſus idoneum, conduxit. Ubi vitam planè Angelicam agitavêre, orationi, meditationi, rerum Divinarum lectioni, ſuíque per omnia pœnarum genera mortificationi intenti, ad omnia exemplo ſuo illis præeunte Ignatio. Inter hæc negotij cujuſpiam causâ Eboram ipſum excurrere contigit, ubi in odæo Templi noſtri fortè orationi vacans, ſpectavit noſtros infernè ſacris exorciſmis nequidquam malum genium è corpore energumeni exigere conantes: cujus ipſe miſertus, ſilentio deſcendit, atque ex improviſo accedens, Roſarium quod manu volvebat, miſeri collo injicit, cujus impatiens hoſtis infernalis, è veſtigio hominem deſeruit, nullo ampliùs mali hoſpitis indicio remanente. Ut conſcendendi tempus adfuit, Ignatius ſuos omnes Ulyſſiponem advocat, incredibili geſtientes lætitiâ, quorum ſermones, & invicem gratulationes, de cœlo, de morte, de Martyrio, crebriùs quàm de Braſilia fuêre. Quibus in terna diviſis navigia, cum deſignato Braſiliæ Præfecto Aloyſio Vaſconcello, ſeptem navium claſſe in Braſiliam ſolvit. A. 1570. die 5. Junij. Ipſe rei culinariæ adminiſtratione ſibi aſſumptâ, ità omnia diſpoſuit, ut perinde atque in Collegijs ſua orandi, legendi, meditandi, conſcientiam examinandi, tempora obſervarentur: Chriſtiana etiam diſciplina turbæ navali explicabatur quotidie, Litaniæ de Sanctis veſpere publicè decantabantur ante iconem Deiparæ ſuper ara collocatæ, ſuper qua etiam Dominicis & feſtis omnibus Miſſam, ùt vocant ſiccam, Sacroſanctæ conſecrationis expertem, Ignatius faciebat. Octavo navigationis die Materiam Inſulam Luſitanici Juris, non procul Canarijs ſeu Fortunatis tenuerunt, ubi Prætor certis de cauſis aliquantiſper ſubſiſtere cùm decreviſſet, inſtitores & nautæ ejus, quâ Ignatius vehebatur, onerariæ, in Palmam, unam ex Canarijs, præeundi copiam, privatorum negotiorum obtentu impetravêre. Ignatius ob crebra Piratarum illic latrocinia principiò digredi à claſſe reliqua abnuebat; ſed cùm nihil propinqui diſcriminis in exiguo illo ad Palmam trajectu appareret, & tot ſuorum in reliquas naves diſpertiendi opportunitas, ſi ſuam deſererent, vix adeſſet; ne videretur periculo, quod terreni lucri ſpe contemnebant mercatores, ipſe in animarum quæſtu inſtitor abſterreri, precibus navicularíorum ceſſit. Igitur priùs publicâ communione omnibus in navi indictâ, accitis deinde ſuis optionem dat, malintne tantiſper morari in Materia, an inferendæ in odium Fidei periculum mortis experiri? Quatuor ex omnibus ceſsêre formidini vitæ ſtudio, quos ipſos etiâ conſtantia poſtmodum ab incepto vitæ Religioſæ defecit. Quadraginta Ignatium ſecuti, eos qui cum P. Diaz remanebant, veluti gloriæ ſuæ præſagi, poſtremùm amplexantur: quos omnes ſacro Agni cerei amuleto Ignatius armavit. Ventus principiò aſpirans, medio in curſu eos deſtituit, cùm interim invicem omnes perpetuis ferè de Martyrio ſermonibus, ad mortem ſe animarent.

Inter hæc vota ſubitus ex adverſo ventus navim arcet portûs ingreſſu, quem propè jam tenebant, & ad Inſulam Tertiam propellit. Hìc Ignatius oblatâ ſibi terreſtris itineris, utpote longè ſecurioris & brevioris ad optatum terminum commoditate, illud amplecti cum ſuis conſtituit. Et jam complures ſarcinas navigio effetri juſſerat, cùm repentè conſulto per Sacrificium (quod in omni deliberatione ſolenne habebat) Numine, & ſocijs ſacro epulo refectis, mutatâ mente, ſeſe cum omnibus onerariæ reſtituit. Miro prorſus DEI conſilio ad deſtinatam gloriam eum impellente; cujus etiam diſpoſitione factum credi poteſt, quòd intervallum 80. leucarum Palmam à Materia dirimens, diebus 15. navi expeditâ, neque multùm adverſantibus ventis, vix decurrerint, quod tamen Jacobus Soria, nobilis Pirata, gente Normannus, ferox Calviniſta, & à Joanna Navarræ Regina maritimæ rei præfectus, navibus quinque onere depreſſis triduo permenſus eſt. Is ad Materiam naves ſeptem applicaverat prædabundus, ſed denis adverſùm ſe Luſitanorum emiſſis navigijs fugere coactus, ad Canarias claſſem convertit, & quarto die,

qui Jovis erat, in conſpectum Palmæ, & onerariæ noſtræ, quæ portum capere vento deſtituta, neque juvari ab incolis vi maritimâ deſtitutis poterat, pervenit. Noſtri ubi hoſtilem atque infeſtam Claſſem in ſe rectà ferri aſpiciunt, tormenta expedire, arma capere, omnia ad defenſionem certatim diſponere. Ignatius autem acceptâ in manus nobili ſuâ, quam Pontifex donârat, Deiparæ imagine, ad officium cunctos & pietatem, ſocios autem ad mortem fortiter pro Fide obeundam hortari, quos etiam poſtremùm ità compellâſſe fertur: *Hodie Fratres chariſſimi, utì mihi meus promittit animus, omnes è vita migrabimus, & Divinis in Cœlo delicijs cum Chriſto Duce noſtro, cum Beatiſſima Virgine Patrona, cæteriſque cælitibus fruemur. Præclariùs certè nobiſcum agetur, Cæli quàm Braſilia portum invectis. Igitur orationi intentis animis ad ſubeundam fortiter feliciterque mortis neceſſitatem nos comparemus, quando ſcilicet bono Deo complacuit hunc nobis ſupremum eſſe diem parandæ beatitati ſempiternæ: ejus amori honoríque vitam demus, qui pro nobis ſuam prior erogavit; & decet ſervis exæquatam cum ſuo Domino fortunam volentibus & gratulantibus eſſe.* His dictis illi confeſtim protenſis ſublimè brachijs atque oculis in Cœlum, omnes uno ore reſpondêre: *Amen, Domine fiat in nobis voluntas tua, tibi vitam ecce omnes cum ſanguine libentiſſimi devovemus. Tibi hanc animam pro ſe quisque quam ducimus, & tuæ gloriæ reddimus.* Interea ex applicata ad onerariam hoſtium nave, tres ingenti auſu inſiliunt: quibus in veſtigio necatis, irrumpunt glomeratim alij atque alij, ut jam ſuſtineri ampliùs vis tanta non poſſet. Tum Soria ùt Societatis homines in ea verſari accepit, quamvis paulò antè captos alios ſacerdotes, & è Familia S. Franciſci concionatores, indulgenter habitos dimiſiſſet, promiſcuè occidi omnes, quo flagrabat in nos odio, imperat, *interfice* inclamans, *interfice canes Papiſticos, quoniam iſti ad prava dogmata proſeminanda Braſiliam petunt.* Dein cùm abeſſet propiùs: *præcipitentur* exclamat, *in fluctus Jeſuitæ univerſi, Papiſtæ hoſtes noſtri acerrimi.* Ignatius interim Luſitanos ad cadendum fortiter hortatus, *moriamur*, inquiebat, *ùt viros fortes & Chriſtianos decet, & libenter ad unum omnes ob Chriſti nomen & Fidem occumbamus.* Quas ejus voces ægrè ferentes hæretici, primò quidem in capite graviter ſauciatum, & mox tribus lanceis confoſſum; cum néque jam enecto Deiparæ effigiem avellere poſſent è complexu, unà cum ea dedêre in pelagus præcipitem. Ipſe autem intermortuis vocibus ſocios affatus, *Filioli*, monebat, *mortem nè expaveſcite, ſed DEO gratias agite, quòd vitam vos ſuo impendere obſequio ſinat.* Porrò corpus in mare projectum, neutiquam ùt ſolet, ſubſidit, ſed brachijs in crucem diductis, aquis innatavit, ſacrâ imagine nunquam è manibus dimiſsâ. Cúmque diu exanime fluitâſſet, undis tandem abſorptum, emerſit rurſus, & nomen JESU tertiò invocavit; dimiſsâ Deiparæ Majoris imagine, quæ cruentis digitorum, quibus eam diu ſtrinxerat, notis ſignata, à præternavigante quopiam excepta, & noſtris in Braſilia donata, hodiéque cum ſanguineis illis notis magnâ religione colitur. Eâdem porrò necis ſuæ horâ viſendum ſe præbuit Ignatius Hieronymo Fratri ſuo germano, longo locorum intervallo disjuncto, radijs mirè coruſcans, & cæleſti fulgore glorioſus.

Socij 39. P. IGNATIJ AZEVEDIJ.

DUm ab impijs in ſuperiore navis parte Ignatius occiditur, P. Didacus Andrada annos natus 40. interim Socios ad glorioſam mortem ſub tabulatis partim animabat, partim confitentes expiabat. Qui excitus clamore & ſtrepitu, videnſque Ignatium vulneribus ſuis immorientem, in amplexum illius ruit, inclamans ad alios: *pugnemus Socij fortiter, nec ſanguini parcamus, qui Chriſti ſanguine redempti ſumus.* In quibus verbis pluribus confoſſus vulneribus, unà cum Ignatio in mare præcipitatur. Benedictus Caſtrius, ſimiliter infernè cum tyronibus ſibi concreditis precationi intentus, ſimul hoſtem potiri navis advertit, arrepto Chriſti Crucifixi ſigno egreſſus, hoſtibúsque obvius, ultro profitebatur; *Catholicus ſum, Romanam Eccleſiam Matrem agnoſco, ejus mori filius volo.* Inter quæ verba tribus globis trajectus, cùm Fidem prædicare non deſineret, ferro punctim cæſímque confoſſus, in undas etiam-



Qvadraginta Socij IESU, Duce P. Ignatio Azevedio, pro Catholica Fide à Calvinistis in itinere Brasilico, mari demersi A. 1570. 15. Julij.
C. Screta del. Melch. Küsell f.

etiamnum vivens abijcitur. Emmanuelem Alvarum, qui ad domeſtica Societatis officia à paſtoritia vita tranſierat, vulnere in faciem inflicto, tabulatis allidunt, oſsáque brachij utriuſque & crura confringunt, & ad crudeliorem cruciatum lentè ità mori permittunt. Hic ubi alios atque alios Sociorum vidit è tabulatis ad lanienam protrahi, ità illos alacriter affatus eſt, *nolite* inquiebat, *Fratres terreri cruciatibus meis, néve mei miſereri: invidete potiùs felicitati meæ, cui pro ſuo nomine perferendi quidpiam, nunquam id promerito gratiam Dominus fecit. Jam 15. annus agitur, cùm in Societatem adſcitus ſum: Braſiliam toto jam decennio votis ſequor: ſed profectò bene mecum actum eſt, cui tenuis operæ merces tam beato fine collata eſt.* Et verò pridem ille cælitus reſponſum à DEO acceperat & loci, & mortis hujuſcemodi, quam ejectus tandem in fluctibus conſummavit, totámque jam olim cum ſuis circumſtantijs, uni ex ſocijs Petro Luiſio patefecit, Blaſio Riberæ, & Petro Fonſecæ, coram ſacra imagine precantibus, gladiorum capulis crania confregerunt, alteri inſuper pugione per maxillam adacto. Decumbebant tunc ex morbo Gregorius Scribanus, & Alvarus Mendez, & diſſimulatâ conditione ſuâ poterant vitæ conſulere. Sed glorioſæ mortis deſiderio, injectâ ſibi leviter Societatis veſte, proſiliere in publicum ſeminudi, & jugula ferro præbuerunt. Simon Acoſta Tyro 22. annorum, quòd dignitate corporis & indolis oſtentaret proſapiæ claritatem, Soriæ à

militibus ſiſtitur: quo ſciſcitante, ſitne Jeſuita? cùm inficiando dilabi poſſet, mori tamen in ſanctitate Religionis maluit, in oculis ſuis à Soria jugulari, & in mare præcipitari juſſus.

His necatis ſuccedunt tabulatis onerariæ, quò Socios ætate juniores Ignatius abdiderat, binósque ac ternos productos, togis exuunt, & adacto iterum iterúmque in viſcera pugione, ſemianimes in fluctus dejiciunt, præciſis etiam, quos validiores ad natandum adverterant, brachijs. Unus Joannes Sanchez adoleſcens, nobilem mortis ſortem evaſit, non ſuo quidem vitio, ſed quòd uſui Soriæ futurus eſſet ad coquendos cibos, illi enim muneri inter ſocios adſcitus erat: ex quo deinde omnia hæc conformiter ad Luſitanorum relationes, intellecta fuêre. In cujus locum alium Divina providentia ſuffecit excellentiſſimæ indolis juvenem, affinem claſſis Luſitanicæ Præfecti, nomine Sanctum Joannem, qui captus obſervatâ Sociorum per totam navigationem modeſtiâ, & virtute, vehementiſſimè apud Ignatium inſtabat ijſdem adſcribi. Sed ad tempus, ut ipsâ expectatione ardentiùs incitaretur, dilatus, tandem communis mortis pari exitu ipſis conjunctus, numerum quadrageſimum complevit. Hic ergo dum Socij necandi ſecernerentur à reliquis vectoribus, ipſe ſæpius inter ſæculares repulſus, ſemper iterum cumulo Sociorum ſe inſerebat, ut quibus optabat in terris conjungi, eorum Ordini ſociaretur in Cœlo. Omnibus jam Socijs ità necidatis, quæſitum ex Soria eſt, quid reliquis vectoribus fieri vellet? ipſe, ut ſuum in nos odium teſtatum præclarè faceret, manus ab illis abſtineri juſſit, poteſtate etiam quò maximè vellent, digrediendi factâ. Mox in res ſacras furore converſo, Sanctorum reliquias proculcant; caput unius ex undenis millibus Virginis S. Urſulæ Sociarum, è carcheſij ſune impiè ſuſpendunt; Deiparæ, Sanctorúmque effigies per cachinnos in ſcopum, in quem pugiones ejaculabantur, conſtituunt; Roſaria, piámq; reliquam ſupellectilem alto demergunt. Chriſti crucifixi ſignum unum quidem rogo exurunt, alterum verò ſicarum ictibus, inter mille blaſphemias, configunt. Unus etiam in Sacrum apparatum indutus, religioſiſſimas Miſſæ cærimonias æmulando deriſit, & cùm cereum Agni orbem oſtentaſſet pro hoſtia, eum humi dein abjectum, ceteri pugionibus confodêre.

Ceterùm has flagitioſiſſimorum hominum crudelitates brevi ſecuta eſt vindicis Dei ultio. Quatuor milites qui Ignatio vulnera impoſuerunt, eodem temporis & loci veſtigio oculis capti ſunt. Ipſe Soria aliquot poſt annos in Patria ad extrema deductus, & flagitiorum conſcientiâ animi impos effectus, cùm neque de pœnitentia, neque de Deo quidpiam audire ſuſtineret, infelicem animam orco tranſcripſit. Incidit hic felix Chriſti pugilum obitus in 15. Julij, qui eo anno Sabbathi erat, quo eodem die & horâ S. Tereſia degens in Hiſpania, & numerum eorum occiſorum, & genus, & cauſam necis divinitus cognovit, renunciavitque eâdem ipsâ die P. Balthaſari Alvarez; ſimul teſtata, ſe illos cum Martyrij laurea conſpexiſſe in Cœlo. Verùm illuſtre prodigium fuit, quod plurimi è Societate in Paraquariam navigantes ſpectaverunt 19. Nov. A. 1616. quod omniũ teſtimonijs firmatum, Neapolim ità deſcriptum transmiſit P. Marius Falconius A. 1617. *Die Sabbati*, inquit, *19. Nov. ſub noctem ventus verſus in ortum eſt, qui per noctem omnino poſuit, ſecutáque malacia eſt uſque ad pomeridianum Dominici. O malacia! ô ſuaviſſima malacia! non qualis eſſe ſolet, quæ parit tædium navigantibus; ſiquidem ijs in undis conſtituti, quæ molle ſepulchrum fuere illis undequadraginta Martyribus, quem credis nos ſenſum dulcedinis percepiſſe? ſpectabamus undas, quæ in hanc uſque diem apparent tinctæ ſpecioſo ſanguine, cryſtallis pulchriores; ſplendidiores gemmis pretioſis videbantur eæ guttæ, quæ ex aquis manu hauſtis ſtillabant, nobiliores orientalibus margaritis, quæ ſi uno ſole irradiantur illuſtrantúrque, hæ fulgent ſolibus undequadraginta. Aquæ nobis nectare dulciores, quas deguſtantes, ſuaviſſimas percipiebamus. Cùm igitur conſtitiſſemus, animis præ dulcedine ſupra ipſas aquas liqueſcentibus, & vix non linquentibus, mille ſe nobis ſpecies exhibuerunt in undis, quas attoniti ſpectabamus. Jam videre videbamur Sanctos illos ſauciatos; jam plenis manantes rivis, ſtillantesque de pectoribus ſanguinem, jam diſcurſare carnifices: cùm ecce ventus exſurgens aquas turbavit, naves provexit, noſtra gaudia diluit.*

Reliquorum 30. qui præter jam relatos, glorioſo mortis agone decertarunt, nomina ſunt ſequentia. Primus, Alexius Delgadus, Tyro, annorum 15. 2. Alphonſus Vaëna Toletanus, opificio aurifex coadjutor. 3. Andreas Gonzalez Luſitanus. 4. Antonius Correa Luſit: ortu Portuenſis, 14. annorum, placidiſſimo ingenio puer, & orationi deditiſſimus, qui coram SS. Euchariſtia aliquando orationi intentus, certior à DEO glorioſæ mortis factus eſt. Quo nuncio lætiſſimus,

in

in cruciatus quosque acerbiſſimos ſpem erigebat. Huic cùm hæretici caput illiſo bis térve mucronum capulo, quaſi dedignantes puerum necare, ſolùm cruentaſſent, ipſe ne mortem amitteret, queſtus coram ſocijs duritiem ſui capitis eſt, ex quo vix aliquid ſanguinis pro Chriſto elici potuiſſet: atque illico ubi in Socios crudeliùs ſæviebatur accurrens, unà cum ijs vivens, ſinè alio vulnere in altum deturbatus eſt. 5. Antonius Fernandez Luſit: 6. Antonius Suarez Luſit: 7. Dominicus Fernandez Luſit: 8. Emmanuel Fernandez Luſit: 9. Emmanuel Paceccus, Luſit: 10. Emmanuel Rodriquez Luſit: 11. Ferdinandus Sanchez, Caſtellanus. 12. Franciſcus Alvarus Luſit: Coadjutor. 13. Franciſcus Magallianez, nobili loco Luſit: 14. Franciſcus Perez Godojus, Hiſpanus. Hic Salmanticæ literis deditus, cùm exerceri meditationibus S. Ignatij impetrâſſet, Divini Spiritûs inſtinctu ad Societatis vitam perpelli cæpit. Sed morabatur eum præcipuè ſuperioris barbæ decor, ſtudioſè hactenus ab eo procuratus, quem ſibi, quod neceſſe erat, præſcindi, vix in animum inducere poterat. Verùm obruente vi Spiritûs Divini, ipſe forfices derepente corripiens, barbam omnem penitus reſecuit, & Methymnam, Tyrocinium ſub P. Balthaſare Alvarez poſiturus, evolavit. Luxit in eo diligentia quædam exquiſita, in omni actione exactiſſimè adhiberi ſolita; ut interrogatus aliquando, cur inſano calore in culinaria ſuppellectile ad nitorem uſque expolienda ſe fatigaret, quæ mox iterum deturpanda foret? reſponderit, non præſumere ſe alioquin opus illud B. Virgini repræſentare, niſi numeris omnibus abſolutum. Inſederat genæ ipſius infeſtus crabro, cùm peregrinationis experimentum pedes cum ſocio de more faceret, & jam multo prolicito ſanguine, dolorem tumor, inflatióq; vultûs ſequebatur. Ipſe interea certus veſpam non depellere, patientiâ triumphabat, donec ſocius re animadversâ beſtiolam abegit. Notatus in tyrocinio defectu ſiniſti oculi, quem ipſe cupidine adipiſcendæ Societatis in primo examine reticuerat, laborare, fuerat à Societate ſtatim dimittendus: cùm P. Balthaſar mœrore animi tabeſcentem ſolaturus, ſpem retinendæ facit Societatis, ſi in Braſiliam cum P. Ignatio proficiſci animum inducat, cui multum utilis Juris Pontificij, & canendi peritiâ eſſe poſſet. Ipſe conditione lætiſſimo animo acceptâ, tanto ardore animos ad eam colligere inſtituit, ut cùm in eo apud Olyſſiponem intra Collegij prædium ſucceſſu datus coco adjutor, compoſitis aliquando à prandio omnibus culinæ inſtrumentis orationi ſe dediſſet, totas ſeptem horas genibus nixus, etiam cænâ neglectâ in ea perſeveravit, quia ſcilicet coquus, qui id facturum promiſerat, illum non avocavit. In crudeli illa Sociorum laniena identidem altâ voce exhortans, ſolennem illam P. Balthaſaris in Tyrocinio penitus imbibitam teſſeram ingeminabat: *Eja Fratres non degeneremus à præcelſis cogitationibus Filiorum DEI.* 15. Gaſpar Alvarez, Luſit: Coadjutor. 16. Gonzalus Henriquez, Luſit: jam tum Diaconus. 17. Jacobus Perez Luſit: hic Eboræ operam dabat Philoſophiæ, adjectâq; ad Franciſcanorum Ordinem mente, ad eorum cænobium aliquando admiſſionem poſtulaturus, omiſſo ludo literario excurrerat. Poſtero die Magiſter ab eo pœnas abſentiæ de more popoſcit, cùm neque purgaret abſentiam, neq; ſupplicium detrectaret. Quod poſtquam ſilentio ſubijt, ac tum primùm abſentiæ cauſam patefecit; admiratus virtutem Magiſter, & idoneum Braſilicæ expeditioni ratus, conditionem illi proponit: ipſe fortunâ oblatâ lætiſſimus, continuò nomen dedit. Cujus de glorioſo exitu ubi Magiſter poſtea condiſcipulis retulit, illi certatim notatas in eo virtutes enarrare, & locum ipſum, ubi inter illos ſedere conſueverat, in veneratione habere, & vacuum deinceps ſemper relinquere. 18. Joannes Baëza, Hiſp: 19. Joannes Fernandez, Luſit: Bracharenſis, Coadjutor. 20. Joannes Fernandez Luſit: Ulyſſiponenſis. 21. Joannes de Mayorgo, Vaſco. 22. Joannes à Sancto Martino Hiſpan: 23. Joannes Zaurus Toletanus. 24. Ludovicus Correa, Luſit: 25. Marcus Caldeira Luſit: 26. Nicolaus Dinis Luſit: Is totos jam quinq; annos Grammaticæ claſſes nullo doctrinæ, ſed maximo probitatis compendio frequentabat in Patria ſua Brigantiæ. Et cùm Societatem ardentiſſimè flagraret, ab Ignatio in Braſiliam aſſumptus eſt, 17. ætatis annum agens. Et cùm eo nuncio velut impos animi gaudio exiliret, cauſam rogatus, reſpondit, nequire ſe animo geſtienti temperare, ex quo ſibi Deus paulò antè ſpoponderit, haud multò pòſt quàm fuerit Societate receptus, cruentæ mortis gloriam adepturum. Mortem ejus Brigantiam nunciatam Antonius Pinheirus Mirandenſis Antiſtes dum populo pro concione proponeret, *Nicolaus ille noſter* inquit inter alia, *quem haſce veſtras ſæpenumero plateas vidiſtis obeuntem, jam Chriſti glorioſus Martyr eſt, ingentis gloriæ coronâ nunquam defecturâ redimitus: quando ego quamvis Antiſtes, dubius*

dubius ſalutis meæ, atque incertus inter vos ſum. Ità ille ex ſua privata ſentiebat pietate. 27. Petrus Nunnez, Hiſp: 28. Petrus Fontonus Luſit: Coadjutor. 29. Simon Lopez Luſitanus. 30. Stephanus Zurara Cantaber. hic inſigni morum ſimplicitate & candore præditus, digreſſurus Placentiâ, ubi veſtiarium procurabat, ad ſequendam Braſiliam, Patri Joſepho Acoſtæ faſſus eſt, ſe ingenti gaudio proficiſci, utpote certum Martyrij, quod ſibi Divina Majeſtas, quæ fallere non poteſt, oranti ſpopondiſſet. Cùm proijceretur in pelagus *Te Deum laudamus*, altâ voce concinere exorſus eſt,

P. Petrus Diaz Lusit: S.I. cum 4. Socijs in itinere Brasilo pro Fide Christi ab Hæreticis in mari demersus. A. 1571. 13. Septembris.
C. Screta del. Melch. Küsell f.

P. PETRUS DIAZ, cum 4. Socijs.

GLorioſum Ignatij Azevedij cum ocijs exitum, plenâ pietatis epiſtolâ in Europam perſcribens P. Petrus Diaz, magnopere ſortem ſuam in ejus calce deplorat, quòd à tanta felicitate excluſus, cum alijs Martyrij expers, in Materia Inſula relictus fuiſſet. *Obſtupeſco ſanè* inquit, *mecum ipſe conſiderans mutationes, migrationésque noſtrorum è navi in navem, Olyſſipone primùm, deinde in hac Inſula Materia: ut felix ille manipulus, ſicuti Gedeonis quondam milites, pene viritim à Domino lecti fuiſſe videantur. Me in S. Jacobi navem imponere,* (id nomen onerariæ Ignatium

tium vehenti fuerat) *ipſe apud Aloyſium Præfectum remanere Ignatius jam propè decreverat, ſed mutavit conſilium, quòd ego tanto bono indignus videlicet fui. Reliqui ſumus nunc è Societate ad 30. Captum iter Numinis fiduciâ perſequi certum eſt: utrùm eodem eventu, neſcimus; illud quidem intelligimus, Jacobum Soriam id vehementer expetere, nobisque tendere inſidias.* Neque expectationem viri zeloſiſſimi fruſtratus eſt Deus, ſed ejuſdem laureæ copioſiùs etiam fortè participem fecit, prout fusè enarrat Franciſcus Henricus, Præpoſitus Domûs Profeſſæ Olyſſiponenſis, epiſtolâ Romam A. 1571. perſcriptâ, cujus verbis totam rei ſeriem narrare placet. Poſt obitum Ignatij cùm Luſitanicæ naves è Materia Inſula curſu in Braſiliam directo ſolviſſent; aliæ alium eventum ſortitæ ſunt: ea verò, quâ Petrus Diazius cum Socijs aliquot vehebatur, ad Cubæ inſulæ portum, cui à Sancto Jacobo nomen eſt, fluctibus & procellis adeò labefactata pervenit; ut eam relinquere planè ſibi neceſſarium duxerint. Sed cùm alia eſſet ibi nulla, ad Abanam ejuſdem inſulæ portum in Orientem procedere ſtatuunt; ac tridui primùm iter emenſi pedibus, & quidem excalceatis, imbre denſo atque perpetuo, viâ teterrimâ, difficultatibus præterea, ùt in ejuſmodi regione, maximis, exiguo & aperto ſeſe commiſêre navigio, ventis pluviæq; adeò expoſiti, ut non commeatus modò corrumperetur humore nimio, ſed & ipſa quibus induti erant veſtimenta pene putreſcerent. Eo navigio quatuor & ſeptuaginta leucas Abanam uſque provecti, majoris formæ navi in eo portu conductâ, Auguſto menſe denique ad inſulas Tertias, Aloyſium Regium Præfectum, & è noſtra Societate Franciſcum Caſtrium, & 5. fratres qui anteceſſerant, aſſequuntur. His Aloyſius navali turbâ vehementiùs imminutâ, quòd & ex oneraria ipſius in tam difficili ac diuturna menſium quindecim navigatione viri ſexaginta perierant, & ad Antilias multi ſubſtiterant; multi etiam laboribus periculiſque defatigati mutato conſilio in Luſitaniam inde reverterant, cùm ſupereſſet vectorum & nautarum vix quod in unam ſatis eſſet onerariam (in quibus tamen ipſis fœminæ quinque & viginti, imbelli cum puerorum grege numerabantur) redactis in unum omnibus, cæptum iter unicâ navi peragere inſtituit; ſolvitque feriâ quartâ octavo idus Septembris. Porrò è Societate noſtra (totidem alijs fere tempeſtatedisjectis, de quibus nihil dum certi compertum eſt) 14. aderant, Patres duo, Petrus Diazius & Franciſcus Caſtrius; duodecim fratres; Alphonſus Fernandus, Gaſpar Goës, Andreas Pais, Joannes Alvarus, Petrus Diazius alter, eodem quo ſacerdos nomine, Fernandus Alvarus; & ex novitiorum numero Michaël Tarraconenſis, Franciſcus Paulus, Petrus Fernandus, Sebaſtianus Lupius, Didacus Fernandus, Didacúsque Carvallius.

Dies octo in altum Oceanum proſpero flatu provecti, naves quinque ſole jam occidente conſpiciunt, quarum erant Gallicæ quatuor, una Anglica. Eæ diſſimulato in noctem uſque conſilio, converſis deinde repentè proris, vento ſecundo navem noſtram inſequuntur. Id ùt animadvertit Aloyſius, ratus (id quod erat) & hoſtes eſſe & hæreticos; advocatâ ſtatim concione ſocios navales ad prælium acriter ineundum hortatur, mortémque ùt Chriſtianos deceret pro Catholica religione fortiter oppetendam. Deinde arma expediri, culcitras locis opportunis prætendi, ſaxorum vim congeri, ſulphurei pulveris cados promi celeriter imperat: diſpoſitis denique ad pugnam ſtationibus, peccata ritè confeſſus eſt ipſe, & cæteri, quibus eâ nocte confitendi ſpatium datum eſt. Verùm inalbeſcente jam die roſtrata hoſtium navis ex earum genere, quos Galeones appellant, ad noſtram appropinquaverat amplior & eminentior multò, duabúſque tormentorum ſignificationibus, de more juſſerat à Luſitanis vela ſubmitti. Cùm illi nequaquam parerent, tum hoſtes facto ter in onerariam impetu, quinque ex eorum numero occidunt, 17. eóſque ferè omnes in cruribus vulnerant, ſic ut funibus ne caderent alterâ manu apprehenſis, non niſi alterâ decertare poſſent. Et quamquam hæretici è ſuperiore loco admodum pugnabant, haud tamen incruentum eis fuit certamen; ſiquidem & initio certaminis de ſuis 20. ferè amiſêre, vulneratis præterea circiter undecim, & deinceps tribus bombardæ ictibus læſi graviſſimè ſunt, quorum uno diffractus malus, & vela proſtrata; altero perforatum carinæ latus, non ſinè magno eorum diſcrimine aquas accepit; tertio diſcerpti decem ſimul hæretici; quæ tametſi erant omnia non levia incommoda, nihil tamen hoſtes æquè perturbavit ac vela dejecta, prorſus ut de ſe actum jam arbitrarentur. Tum verò ex ipſa deſperatione omnibus connixi viribus, quartùm jam noſtros invadunt, & minore quàm putaverant negotio ſuperant. Decem quippe non ampliùs propugnatores erant relicti, quorum 5. in prora collocati primo

mo impetu cecidêre. Itáque patefacto jam aditu, hæretici ad ſexaginta vi maximâ irrumpunt, quos Aloyſius, cùm duas ferreas glandes, alteram accepiſſet in pectore, alteram in crure, quamquam exhauſtis jam corporis viribus, magno tamen animo conſtituit opperiri; gladióque & ſcuto nunquam abjecto, ad extremum uſque ſpiritum dimicavit egregiè. Ejus morte à reliquis deditio facta, quæ tamen ad mitigandam hoſtium crudelitatem minimè valuit, nam diaboli eis inſtructi furijs, obvios quosque obtruncant: Aloyſium ignari quis eſſet, nudatum, itémque aliorum corpora, multis adhuc ſpirantibus, in undas projiciunt. Verſus deinde in Sanctorum reliquias, & ſacras imagines furor, quarum erat ingens in ea navi numerus. Has hæretici Catholicis per vim extorquere, trahere per tabulata, calcare pedibus, in ignem denique gratulabundi conijcere: ſimul ore impuriſſimo in Sanctos, quorum erant illæ reliquiæ, blaſphemias evomentes, quas horret animus ſcribere. Quin etiam repertas vigeſimo poſt die ſtatuas duas, alteram Sacratiſſimæ Virginis, alteram Angeli, elatas in publicum ſacrilegis fregêre manibus, caput Angeli per ludibrium totâ navi circumferentes. Tertium & trigeſimum vagati diem, capto etiam Algarbienſi navigio, prædam expoſuêre, poſtremò ad Orvium promontorium oræ Callaicæ. Claſſi præpoſitus erat Joannes Cadavilius Gallus, hæreticus vehemens, & Eccleſiaſticorum Ordinum inimicus acerrimus: roſtratâ vehebatur eâdem, quâ Jacobus antè Soria Ignatium Azevedium & comites ceperat & occiderat. In Aloyſium verò Præfectum incidêre Calviniani, cùm ab Inſula Gomera, eam depopulati, ſolviſſent.

Atq; is fuit Aloyſij & Luſitanorum obitus, cujus viri de fortitudine virtutéq; frater noſter ità multa commemorat; ut pro certo habendum ſit, animam ejus in Cæleſte Domicilium commigrâſſe. Nunc veniamus ad noſtræ Societatis homines, quod maximè nobis propoſitum eſt. Ii, cùm hoſtes infeſti adventarent, à media nocte ad lucem uſque expiandis per confeſſionem criminibus quisq; ſuis vacârunt. Deinde tabulata ſubire juſſi, non niſi commiſſo prælio aſcenderunt ad animandos milites, cibo recreandos, & curanda vulnera. Sed quo tempore facta eſt deditio, in ſumma navi præter Caſtrium exſtabat nemo eorum; namq; is paulò antè ad excipiendam unius è Gubernatoribus confeſſionem aſcenderat, ad imam proræ turrim ex vulnere animam agentis. In eo munere occupatum, hæretici vulneribus quàm plurimis punctim cæſimq; confodiunt; irâ maximè perciti, eo quod Eccleſiæ Sacramenta miniſtrantem offenderant. Nam in cæteros non adeo ſævière: in Caſtrium verò certatim omnes. Sub idem tempus Petrus Diazius, qui ad eam uſque horam confeſſionibus eorum, qui ſub tabulatis erant, operam dederat, atq; hilari ſemper ac ſereno vultu animaverat cæteros, Gaſpare Goë ſequente, in apertum prodijt. Ut primùm apparuêre, utrumque Galli confeſtim occidunt, nec puero quidem ætatis admodum teneræ parcunt, qui à Petro ægre ſeſe divelli patiebatur. Atq; hoc maximè modo tres ij primo congreſſu cæſi ac nudati deijciuntur in pelagus. Tum undecim reliqui ſedato jam pauliſper tumultu, ſeſe invicem plenis pietate ſermonibus adhortati, ultro in editiora navis evadunt: nec modo latendi causâ, in cæteram turbam ſeſe non inſerunt; ſed etiam in unum deditâ operâ conglobati omnes, apertè profitentur, ſe & ejuſdem eſſe religionis, cujus tres modò peremti, & æquè paratos ad mortem communis Domini gratiâ ſubeundam. Quos circumfuſi confeſtim hæretici, dictis factisq; eo die toto contumeliosè ac petulanter illudere ac divexare non deſinunt, cùm illi reſponderent nihil, niſi ſiquid ad honorem DEI, vel ad dignitatem Eccleſiæ Catholicæ pertineret. Ubi nox adfuit, manus ad terga religantur inſontibus: atque inter vinciendum accidit ut Michaël Tarraconenſis è vulneribus, quæ in brachijs principiò acceperat, ingemiſceret: quæ res tantùm abfuit ut hæreticos ad miſericordiam permoveret, ut etiam arreptum furenter hominem, multa ingerentes probra, è navi præcipitaverint & ne incomitatus abiret, Franciſcum quoque Paulum (nam is erat proximus) eodem impetu deturbârint. Sic eo die 13. Septem: A. 1571. quinq; Socij ex 14. interceptis, in Fidei odiũ cæſi ſunt. P. Petrus Diaz annorum 54. Luſit: Socijs reliquis Præfectus. Admiſſus is fuit in Societatem A. 1548. Conimbricæ, ubi deinde in ſtudijs altioribus verſatus, & repentè illis vale facere juſſus, totum annum culinæ miniſterijs magno humilitatis præbito exemplo, applicatus fuit. Sacerdotio initiatus nunquam aliter quàm de genibus horas Canonicas perſolvit, etiam tum, cùm Procuratoris munus magnâ accuratione obiret; ut adeò quoties eum negotiorum causâ, quod fiebat ſæpiſſimè, evocatum venirent janitores, ſemper ferè genibus nixum deprehenderent. Alter fuit P. Franciſcus Caſtrius, & ipſe ætate

jam

jam grandior, decimum in Societate annum agens. Tertius Gaſpar Goëz. 4. Franciſcus Paulus. 5. Michaël Aragonius, Catalaunià oriundus. Barcinonæ dum ſtuderet, documentum edidit indolis Martyrio perquam accommodatæ. Innexuerat ille in publica Academiæ area æmulum ſcholaſticum argumentorum nodis ſic, ut quia ſe expedire ratione nullâ poterat, alapam Michaëli impegerit. Quam Scholaſticorum adſtans corona, cùm ferro rependere hortaretur, ipſe ultionem Chriſti arripiens, & in genua provolutus, alteram adverſario maxillam præbuit. Quarto poſt menſe in Societatis tyrocinium adſcriptus, A. 1567. cùm Theologiam accurate jam perſequeretur, Ignatio ſe adjunxit, ut in Braſilia primus Philoſophiæ ſtudia conſtitueret. Poſtremus Gaſpar Conſalvius, ubi advertit nullam ſpem vitæ relinqui Societatis hominibus, depoſitâ veſte, calceis & galero, nauticæ turbæ ſe immiſcuit. Sed hæretici multum in capta oneraria ejuſmodi turbæ conſpicati, ne in alenda tot corpora cibis abuterentur, aliquot eorum, velut inutile pondus, atq; imprimis Gaſparem dant è navi præcipitem, neque ſperatâ vitâ quam quærebat, neq; glorioſâ morte quam fugiebat potitum.

ALPHONSUS FERNANDEZ, cum ſex Socijs.

NEcatis per immanem crudelitatem eo modo 5. Socijs, novem reliqui Sacerdotij expertes vinculis injectis in cubiculum unũ navis detruduntur, adhibitiſq; cuſtodibus totam eam noctem, partémque ſequentis diei tranſigunt. Quorum deinceps pretioſam mortem, & illatas à Calviniſtis Gallis Anglisque injurias, ità perſequitur eâdem epiſtolâ P. Franciſcus Henricus: Interea alij ſuper alios adſunt ad oſtium carceris, triſtia nunciantes, quidam etiam truci obtutu, ſtrictis minaciter gladijs frementes: *Papiſtæ, latrones, ecquis erit aliquando qui vitam vobis eripiat?* & alia ejuſmodi. Interea noſtri, quaſi futura proſpicientes, magno animo ſeſe ad extrema quæque paraverant: nec eos fefellit opinio. Nam educti è carcere, damnantur capitis. Jámque parabantur laquei ut ſuſpenderentur ſinguli è maximo navis malo; cùm Præfectus majoris prædæ ſpe, quòd eos putaret pecuniam ad templum in Braſilia exædificandum ſecum attuliſſe, rem in præſentia diſtulit; ſed eorum compertâ denique inopiâ, Petro Diazio, Didacóque Carvallio ibidem relictis, ſeptem reliquos in roſtratam exoneraria transferri jubet. Hìc eos hæretici denuo circumſiſtere; nec ſolùm in fratres noſtros, verùm etiam in Romanum Pontificem Chriſti Vicarium, in Eccleſiaſticos ritus, in Sanctos eorúmque venerationem, denique in Sacramentum ipſum Altaris, contumelioſa atque impia verba proferre; ad quæ cùm illi fortiter admodum reſponderent, cædebantur pugnis, alapísque frequentibus defenſores Catholicæ Fidei; quin etiam exquirebantur diligenter in ſummis capitum verticibus, ſacræ quas appellant coronæ; quarum hæretici ſi quas invenerant, has verò iterum iterúmq; ſinguli tundere, & ſimùl jurgijs & maledictis in eoſdem invehi, cùm alijs multis, tum illis præſertim: *Canes, fures, veteratores; per vos ſtat, quò minùs conſpirent univerſi mortales, atque conſentiant, ſublatiſque diſcordijs ac tumultibus, tranquillâ omnes pace atque otio perfruamur. Veſtro ſcelere non modò in Germania & Gallia, verùm etiam Braſilia, atque adeò toto terrarum Orbe prava doctrina diffunditur.* Erat è novitiorum numero Petrus Fernandus faber lignarius, omnium recentiſſimus ille quidem, ſed apprimè humilis & magnâ virtute vir. Is initio deditionis pileo talarique tunicâ exutus ab hoſtibus, ne deinde fallente veſtitu pro ſæculari haberetur, & præclaram pro Chriſto moriendi occaſionem amitteret, aggregabat ſe ad fratres identidem, vultu oculisque ad modeſtiæ religionisque ſignificationem ita compoſitis, ut vel ex eo ſatis intelligerent hæretici hominem eſſe de noſtris. Quo etiam vehementiùs irritati, caput ejus arreptum utraque manu ſubrigere, colaphis petere, digitis oculos aperire, palpebrásque diſtendere, paxillos denique mento ſubdere nè vultum demitteret, ad hæc illum contumelijs inceſſere ejuſmodi: *Canis attolle faciem, frontem exporrige*; quæ ille nimirum excipiebat tantâ non ſolùm animi æquitate, ſed etiam oris hilaritate, ut eo bono ſe indignum exiſtimans, converſus ad Deum diceret: *Quo meo mihi merito hoc tribuis, ut pro te patiar Domine?*

Alphonsus Fernandez Lusit: S.I. cum 6. Socijs pro Fide Christi à Calvinistis in mari ad Insulam Tertiam mersi Aº 1571. 14 Septembris
C. Screta del. *Melch. Küsell f.*

Per hanc simul procacitatem atque sævitiam hæretici eùm sese miseri diutiùs oblectâssent, alij demum aliò varios in usus digressi sunt; spatiúmque fratribus datum ad inflammandos mutuis cohortationibus animos, virésque recolligendas: quo in genere Petri maximè Fernandi, ejus quem modò dixi caritas ac virtus enituit, cùm in singulos congressus, lætissimo semper vultu cæteros ad constantiam ac Fidem accenderet, atque ad agnoscendam insignem hanc in se Dei beneficentiam multis rationibus excitaret. Cujusmodi sermonibus dum se invicem confirmant fratres, magna rursus circumvenit eos hæreticorum manus. Instituitur de religione certamen: oppugnabant hæretici supplicationes & preces, quibus auxilium à Sanctis more Catholico exposcimus, quâ in disputatione acrior coortus quidam ex ijs: *nónne*, inquit, *cernitis in nostra potestate vos esse captivos? quin vos igitur Maria Virgo Sanctique, quorum opem implorandam affirmatis, è manibus nostris eripiunt?* cui fratres: *Si expediat nos esse superstites, Beatissima Virgo Sanctique, & vitam nobis à Domino, & libertatem obtineant utique: sed quia emori præstat, idcirco non impetrant.* Hæc & alia id genus respondebant fratres: quæ illi cùm ferre non possent, amentes iracundiâ & rabie, conspuebant ora subinde nostrorum: quin etiam quodam Alphonsi Fernandi responso permotus unus ex ijs furénsque: *ob id ipsum* inquit, *quod ità dixisti, peribis.* Cui Alphonsus utpote Prominister: *non solus ego, sed omnes*

plane

planè mori parati ſumus. Atqui expectate (ait hæreticus) *moloſſi canes, caput egomet vobis præcidam, vósque (meam fidem teſtor) in mare proijciam.* Hâc altercatione in cænam uſque ductâ, diſcedunt hæretici: fratres verò tempus nacti rurſus moleſtiâ vacuum, de integro adhortari ſe mutuò, divinam opem in tali tantóque ſalutis æternæ diſcrimine expetere; Chriſti morte cruciatibúsque memoriâ repetendis, ſeſe ad perſeverantiam, atque fortitudinem incitare; Deo denique pro tam præclara ſibi oblata bene moriendi occaſione gratias agere. Interea hæretici expleto epulis ventre, animi quoque feritatem extremo ſupplicio noſtrorum exſaturare conſtituunt: nec mora: ſingulos octoni denive circumſtant, exutósque tunicis, quantâ maximâ vi quàm poſſunt longiſſimè à navibus in altum ejaculantur. Ac Petrus quidem Fernandus & Joannes Alvarus, natandi minimè periti, fluctibus hauriuntur illico: cæteri 5. unum in locum divinitus congregati, diu ſeſe ſuſtentant, poſtremum vale ſibi dicentes invicem, ac veniam delictorum inter ſe petentes. Didacus verò Fernandus, quem unà cum Sebaſtiano Lupio (qui deinde ſuperſtites ambo fuêre) ſub noctem hæretici quidam, quaſi divino juſſu, cibo potúque refecerant, validus viribus, claſſem, quòd è repentina pluvia venti quieverant, tardiùs euntem aſſecutus, & neſcio quo pacto in unam navium acceptus, Divinæ conſilio Providentiæ manſit incolumis. Luctantur cum fluctibus reliqui, & quamquam in ſumma difficultate ac defatigatione, Apoſtolico Symbolo, precibúsque fundendis ad Deum ſeſe contra ſpiritales nequitias communire non deſinunt. Jámque nox erat media, cùm Alphonſo Fernando in verba præeunte, certos è quinquageſimo Pſalmo verſiculos decantare cæperunt, atq; illum præſertim: *Tibi ſoli peccavi, &c.* Verùm laſſitudine tandem victus, & aquarum vi obrutus Alphonſus extinguitur, ſpectatâ probitate ac religione vir, cujus præcipuè robur animi ac virtus in hæreticis modò refutandis eluxerat. Hunc autem eo conſilio è Luſitania ſecum abduxerat Azevedius, ut Philoſophiam, cui magna cum laude vacaverat, in Braſilica Provincia profiteretur. Alphonſum ſecutus eſt mox JESUM invocans Andreas Pais: poſtremus omnium Fernandus Alvarus mergitur. Tum Sebaſtianus Lupius in mari medio, nocte intempeſtâ, denſis tenebris, imbre maximo derelictus, elatum ſortè quâdam in claſſe lumen eminus intuens, mille circiter & quingentorum paſſuum intervallo diſtantes conſequitur naves; quarum ad unam, itémque alteram accedens, & ut admitteretur ſuppliciter poſtulans, cùm acerbè minitantes hoſtes, intentâque in ſe tela ſenſiſſet quaſi ad extremum perfugium contendit ad unam è ſcaphis: cujus ad marginem ſtans fortè quidam hæreticus paulò mitior, tum Sebaſtiani anguſtijs, tum etiam fortaſſis ab ſe deſertæ veræ Fidei Religionísque recordatione commotus, excepit hominem, penulâque contectum, ac furtim in navem impoſitum, commentis quibuſdam hoſtium furori atque immanitati ſubtraxit. Duos autem illos qui in Luſitanica navi relicti fuerant, eodem genere mortis, eâdem animi magnitudine defunctos accepimus. Porrò nobis hæc omnia Sebaſtianus ipſemet Lupius expoſuit. Nos totam rei geſtæ ſeriem his conſignatam litteris eidem Sebaſtiano recognoſcendam oſtendimus: cujus ille narrationis veritatem ac fidem ſuo rurſus teſtimonio comprobavit. Hic feliciſſimus DEI ſervorum exitus fuit. at longè diverſus interfectorum: quorum coryphæus Capdevillius in oppido ſuo natali Salies, ſecuri obtruncatus à privato inimico eſt. Craſſus Petrus de Btovage præcipuus in præcipitandis in pelagus ſocijs, & ipſe deinde prolapſus in mare, nunquam comparuit.

P. GONZALUS CARDOSUS.

PAter Gonzalus Cardoſus ortu Luſitanus, unus fuit è Socijs Andreæ Oviedi. Cum quo Ulyſſipone A. 1556. ſolvens in Indiam, atque unà profectus in Æthiopiam necdum ſacris initiatus, ab eodem inter Abaſſinos in ſacerdotem conſecratus eſt; fuítque illi deinde cum alijs ſocijs laborum omnium, ærumnarum, carceris, exilij fidiſſimus comes, & adjutor. Et quamvis lucrandis omnium Chriſto animis ſeſe impenderent, in pertrahendis tamen ad veritatem Catholicam obfirmatis in ſchiſmate Monachis potiſſimam operam ponebant; à quibus tamen id obtinuêre, ut nulli impenſiùs ad extirpandas ab Æthyopia Catholicorum reliquias Imperatorem urgerent, quàm illi pſeudo Religioſi. Gonzalus nihilominus,

P. Gonzalus Cardosus Lusit. S.I. odio Fidei interfectus in Æthyopia. A° 1574 22 Maij.

C. Screta del. *Melchior Küſell f.*

nus, periculorum omnium contemptor, & labores in delicijs numerans, dies & noctes hæreticis æquè ac Catholicis indefatigabilem navabat operam. Præcipuus fructus extitit à conciliatis diſſidentium, animis quos eâ dexteritate tractare noverat, ut arbiter videretur alienarum voluntatum. Quibus in DEI obſequio ſtrenuis conatibus non tantùm pretioſam mortem apud Deum eſt promeritus, ſed eandem ſibi obventuram cælitus edoctus, diſertè alijs prænuntiavit. Contigit ſubinde illum à Patriarcha mitti in pagum Dambeam, itinere dierum 15. diſtantem, cum Franciſco Lupio comite, ut Catholicos incolas Sacramentorum pabulo & prædicatione paſceret; quam ille miſſionem magnâ animi alacritate ſuſcipiens, Patriarchæ ſibi & laboribus futuris bene apprecanti dixit: *Lato atque hilari animo hoc iter ſuſcipio, quod obedientia, quæ mihi vitâ charior eſt, ſuſcipiendum imponit; ſcias tamen neque me peruenturum Dambeam, neque ad te ampliùs reverſurum.* Nec mora; continuò in viam cum ſocio Franciſco ſe dat. Et jam partem itineris majorem confecerant, cùm Cardoſus Franciſcum monet, inſtare tempus moriendi: ipſum quoque in eodem periculo futurum, conſulat tamen diligenter ſibi, & ad communem illius afflictiſſimæ Chriſtianitatis utilitatem, quam dirè vexabant Imperatores, ſervet vitam. Nec multò pòſt, cùm unà in ſanctis affectibus & ſermonibus cæpto itinere pergerent, perditi quidam è ſchiſmaticorum ſecta homines ſylvâ erumpunt,

punt, atque utrumq; ferociter aggreſſi, Cardoſum quidem primo ictu contrucidant; Lupius autem vulnere minimè lethali ſaucius, in denſam & ſecretam ſylvam ſe abdidit, ac poſt multas ambages incolumis ad ſuos pervenit; diúque poſt reliquos Patriarchæ Oviedi ſocios ſuperſtes, etiam P. Emmanuelem Fernandium, primi poſt Patriarcham nominis ſodalem tumulo intulit. Hic obitûs ſui ſimiliter præſcius, cùm peregrè Fremonâ Catholici hominis exceptus hoſpitio, egredi feſtinaret, hoſpiti ægre ferenti, *ſine me*, ait, *eò pergere, ubi curſûs mei metam magnus Agonotheta Deus fixit, morituro Fremonæ; ut ibi prope cineres magni noſtri Patris Oviedi Patriarchæ ſepeliar.* Ut eò pervenit, cæpit ægrotare: & Chriſtianis pro viri caritate viſentibus, *die*, inquit, *Natalis Chriſti moriar.* Eosdem nuncio recèns appulſo conſternatos, quòd pſeudomonachus ſchiſmaticus Imperatori, apud quem gratioſus erat, ſuaderet, ut reliquias omnes Catholicæ Eccleſiæ neci daret; bono animo eſſe juſſit, addens Pſeudomonachum brevi moriturū, antequam impetraret, quod petebat. Illuceſcente prædicto die frequentes Catholicos ad conſtantiam in Fide hortatus, Miſſæ Sacrificium celebrante Lupio, cum ijs interfuit, & S. Euchariſtiam percepit. Tum vultu lætiſſimo *ite*, inquit, *nunc in domos veſtras, ſed adeſte à prandio frequentes.* Secundùm hæc ſupremo inunctus oleo, repentè verſus in certum conclavis angulum, *ah Domina mea*, exclamat, *ah Domina mea!* Admiratus Lupius, *quid rei eſt Pater*, inquit, *quam Dominam inclamas?* ad hæc ille cæleſti plenus gaudio, *vidi*, ait, *vidi, Virginem Deiparam divinâ luce radiantem: ſine abeuntem, ſine me vocantem ſequar.* His dictis animam efflavit, & Catholici corpus extincti mixtis gaudio & dolore lachrymis rigant, ac venerabundi exoſculantur.

P. MAURITIUS SERPIUS.

VIana nobile Luſitaniæ oppidum P. Mauritium tulit, virum Patroni ſui nominis ſtrenuum æmulatorem, & plenum generoſorum in militia Chriſti ſpirituum, cui nomen ſuum in ejus Societate dedit A. 1547. Videre in ipſo erat exactiſſimam parendi promptitudinem, eâ facilitate & accuratione ad exequenda, quæ obedientia imperabat, ferri ſolitam, ut in ipſos moderatorum nutus intenderet. Perpetuam cum DEO conjunctionem, & tenerrimum, quo velut infans in dulciſſimæ matris ſinu conquieſcebat, per orationem recurſum, teſtabantur aſſidui lachrymarum imbres, quibus in omni ſacrificio, precatione, quovis de DEO ſermone, quem ſolum cum proximis ferere ſemper ſolebat, ſuaviſſimè perpluebat. Magnâ fuit animi ſimplicitate & candore, cum eximio juvandarum animarum ſtudio conjuncto, ex quibus eò pronior ad opitulandum illis ferebatur, quò fuiſſent fortunæ conditione tenuiores. In ſe ipſo aſperis modis habendo fuit omnino durus & inclemens; aſpero ſetis cilicio plerumq; ſuccinctus; & flagris tantâ in ſe duritate ſæviebat, ut licèt nullos in funiculis adhiberet ſanguini proliciendo aculeos, membra tamen copioſè cruentaret, ſiquidem nullam propemodum horam diei à diverberatione ſui liberam præteribat. Inde perfectum illi fuit in perturbationes, & effrænes naturæ impetus dominium; & ſimul tantus caſtimoniæ nitor & facilitas, ut illibatam ſepulchro intuliſſe credatur. Miſſiones omnes, quas plurimas in Luſitania magno animarum proventu obijt, pedes ſemper inſtituit; non alio, quàm ſtipe corrogato cibo victitans. Accidit in earum una, ut feſſus ac ſemilacer cum ſocio oppidum ingrederetur, ubi non multò antè ſublatum quidpiam furto fuerat, dilapſo authore. Ergo in hos advenas externos, quorum ſpecies attrita & lacera opportuna facinori videbatur, inijcere manus, latrones appellare, & in commune facinoroſorum ergaſtulum in vincula detrudere. Ille ad diſſimulandam perſonam, nè tam opportuna innocentis tolerantiæ dilaberetur occaſio, perſuaſo ſocio, mirè patientiâ geſtire, & animo eſſe æquiſſimo. Biduo ità in carceribus tranſacto, adducti qui facinoroſos recognoſcerent, dum intuentur attentiùs, non prædones, ſed Religioſos de Societate JESU eſſe pronunciant, quos ſola animarum, & Regni Cœleſtis præda ſollicitet. Tum verò conſternati facinore ſuo cives, culpam deprecari,

P. Mauritius Serpius Lusitanus S. I. odio Fidei in Africa occisus á Mahometanis A°. 1578. 4. Augusti.

C. Screta d. *M. K. f.*

precari, inauditam ſtupere lenitatem, nec velle ſinere oppido egredi, quàm illatum dedecus pari honeſtamento penſarent. Verùm tum demum Mauritius velut ad injuriam erubeſcere, nihilq; in ſe immeritò admiſſum profiteri; dignum qui perpetuis vinculis & carcere, tanquam fera beſtia attineretur. Atq; hæc ille de ſe ex animo ſentiebat, cùm humilitatis ſtudium omnem ei præcellentis ſapientiæ & virtutis, quâ exaggeratè fulgebat, conſpectum eriperet: quâ etiam ſuadente, ſcriptum aliquando Provinciali bene longum ſuorum defectuum obtulit, quibus ineptus omnino ad quodvis, alios regendi munus, redderetur. Cæterùm, quæ erat ejus explorata ſuperioribus prudentia, vitare non potuit, quin Ulyſſipone Domum Profeſſorum Præpoſitus, & Eboræ Collegium atque Academiam Rector adminiſtraret: in alios porrò deinceps atque alios Magiſtratus evehendus, niſi eum Regis Sebaſtiani favor, conſtante viri famâ allectus, ad ſplendida Aulæ Luſitanicæ miniſteria evocaſſet. In qua Epheborum Regiorum, qui è Luſitanæ Nobilitatis flore legi ſolent, curâ tantiſper habitâ, poſtquam Ludovicus Conſalvius Camara, Regijs confeſſionibus ſuam operam, Regis veniâ ſubduxit, aſſumptus ad eas Mauritius eſt propenſiſſimâ Sebaſtiani electione. Ipſe autem ſplendidos illos Aulæ fumos poſt amatam tantopere ſuam Religioſam humilitatē habens, itabat in Regiam paupere ſemper & obſoleto, cui dulciter aſſueverat, cultu, certus non aliter, quàm ex æviternarum Dei legum dicta-

dictaminibus, conſcientiam Regis gubernare. Cujus ſui inconcuſſi propoſiti luculentum ſpecimen dedit tunc, quando ab Henrico Infante Cardinale, Regnum pro Sebaſtiano etiamnum impubere adminiſtrante evocatus, ut ſe quoque confitentem audiret, prorſus diſertéque abnuit id ſibi integrum eſſe, quamdiu ab Eccleſiaſticis hominibus, contra decreta Summorum Pontificum, vectigalia repeterentur. Sed cùm Religioſiſſimus Princeps id ſe ignaro, ſi factum ſit, accidiſſe profiteretur, actisque pro libera admonitione gratijs, emendaturum quod peccabatur promptè ſponderet (ùt mox etiam præſtitit) tum demum aurem confitenti libentiſſimè præbuit.

Inter hæc procuratæ Regiæ conſcientiæ munia magnum in vicina Africa inter Mahometanos Principes de Regnis Feſſæ & Marocco exarſit bellum; ad cujus ſocietatem invitatus à Rege Mahomete Sebaſtianus, quia inter conditiones præcipua offerebatur, libera Evangelij per utrumque illud Africæ Regnum prædicandi facultas, ad arma provolavit. Ergo ſpecioſo dilatandæ fidei Chriſtianæ deſiderio, dum totus in reſtituendum ſolio Mahometem intentus, non ſolùm militum inſtituit delectum, verùm etiam intempeſtivo & juvenili fervore abreptus, copias in hoſtem ipſemet educere, immobili conſilio pertinax contendit, multis & magnis rationibus conniſus eſt eum ore libero ab ea expeditione Mauritius divertere. Sed immobilis in propoſito Rex perſiſtens, nullis ſummorum etiam Procerum, & Philippi Hiſpaniarum Regis conſilijs de ſententia, quâ certum ſibi exitium, & Regno univerſo calamitatem afferebat, dimoveri paſſus eſt. Igitur obſtinatum ad profectionem Regem certus & ipſe in omne periculum ſequi, caput ſuum DEO inter ſacrificandum pro Rege, Réque publica ardentiſſimè devovet: ubi etiam de ſecutura clade divinitus edoctus videri potuit, quam ità certò & aſſeveranter ſæpius, antequam portu ſolverent, pluribus prædixit. In digreſſu Ulyſſipone Socijs, atque inter cæteros P. Amatori Rebello, qui & ipſe Regem Sebaſtianum, pueritiæ ejus Magiſter olim inſtituerat, familiariùs valedicens, *extremùm te hoc Rebelle complector*, ait, *neque poſthac invicem viſuri, niſi in Cœlo, ſumus*. Duodecim unà ſocij, quibus præeſſe Mauritius juſſus eſt, cum exercitu transmiſerunt; ubi infeliciſſimè conſerto prælio, exercitus Chriſtianus internecione deletus, & pauci quidam Procerum vivi in poteſtatem hoſtium venerunt. Sebaſtianus juvenilis ferociæ prodigia edere hoſtibus, omni ratione vivum illum ſervare nitentibus, viſus eſt: ſed cùm indecoram deditionem averſatus, perpetuâ cæde manus hoſtiles à ſe depelleret, tandem vulneribus & telis debilitatus concidit exanimis, ambobus utriusque Maurici exercitûs Regibus, eodem prælij fato & nece ſimul involutis. Fuſo ac fugato Chriſtiano exercitu, cùm pro ſe quiſque ad vitam tutandam diverſè curſarent, Mauritius relicto equo vitam ſaucijs æternam, per ſtratum latè cadaveribus campum cum Chriſti Crucifixi ſigno percurſans, aſſerere inſtitit. Quorum alios ad ſpem futurorum erigens, alios ad ſupremam luctam Chriſtianè ſubeundam exhortans, alijs ſupremam peccatorum abſolutionem impertiens, unum quempiam ſaucium, atque in vulnere ponentem animam vidit. Confeſtim accurrens humi ſe ſternit, aurem confitenti pronus accommodat, & à noxis moriturum expiat. Inter hæc dum paſſim obvolitant Mauri victores, unus eum conſpicatus: *Ecquid tu iſthic Nazaræe canis impietatis moliris?* per contumeliam indignabundus exclamat: & librato acinace caput illi bipertito dividit. Ipſe eodem loci ſancto operi immortuus concidit, die 4. Aug. quo pugna conſerta eſt A. 1578. non aliâ causâ, quàm odio adminiſtrati Sacramenti, in cujus exercitio deprehendi contigit, necatus. Neminem ſiquidem aliorum Patrum qui exercitum ſequebantur, occiderunt, nè pretium ſervitutis amitterent; qui repræſentatâ poſtmodum pecuniâ vindicati, luctuoſæ cladis oculati teſtes & nuncij Ulyſſiponem rediêre.

P. Abrahamus Georgius, Alleppi in Syria natus, Soc. IESV. pro fide Christi obtruncatus in Africa A. 1595 menſe Aprili.

C. Screta del. Melchior Kuſell f.

P. ABRAHAMUS GEORGIUS.

AEternâ gentium omnium memoriâ & gratitudine dignus celebrari Gregorius XIII. Pontif: Max: inter immortalia, quæ in nationum diverſiſſimarum ſalutem molitus eſt opera, miſſis in omnes propè Orbis plagas & regiones è Societate nuncijs Apoſtolicis, qui eas per varios hæreſum & ſchiſmatum errores diſperſas, in unum Chriſti ovile, ſub unius Paſtoris curam congregarent, Maronitarum etiam gentem ſinu ſuo complexus eſt: quibus nè deinceps etiam deforent unquam veræ Fidei Doctores & Magiſtri, magnificum Romæ educandis gentis ejuſdem adoleſcentibus, ſumptibus & reditibus Apoſtolicis extruxit Collegium, & curæ Societatis contradidit. Sunt autem Maronitæ Syriæ populus Libani montis, quatridui ultra Hieroſolymam itinere, & Damaſci urbis incolæ, proprio Patriarchæ in ſpiritualibus ſubjecti, qui ex omnibus Græcæ Eccleſiæ nationibus ſoli conſtanter in obedientia ſedis Apoſtolicæ perſtiterunt quidem, multis tamen in ea gentium colluvie erroribus, Dioſcori præſertim hæreſi inquinati. donec A. 1581. Sergius Patriarcha ejuratis coram P. Eliano, & P. Joanne Bruno erroribus, Catholica dogmata integrè recepit, & inter complures etiam Sergium Riſium, fratris ſui filium, Romam ad Collegium

Maro-

Maronitarum tranſmiſit. Ex hac ipſa natione ductâ origine P. Abrahamus Georgius, natus eſt Aleppi in Syria, præcipuo Orientis emporio An. 1563. & futuræ ſanctimoniæ in ipſa infantia illuſtre præbuit ſpecimen, quando etiamnū ab ubere matris pendens, omni feriâ 4. & 6. jejunantis more, ſuctu conſtanter abſtinuit. Romam inter cæteros Patriæ ſuæ Juvenes adveniens, cùm in ipſo ſtudiorum ingreſſu inſolito ardore Societatem exambiret, appareréntq; in adoleſcente, præter vividam indolem, non ordinariæ virtutis præſagia, admiſſus eſt ad tirocinium A. 1582. Quo laudabiliter ad umbilicum perducto, & nuncupatis ex more votis, Florentiæ biennium condiſcendis Grammaticæ præceptis impendit; atque inde Romam revocatus, poſt Humanitatis & Rhetoricæ ſtudium, altioribus diſciplinis ad ſufficientiam imbutus eſt. Nec parùm ad virtutis alacriter perſequendæ ardorem profuit contubernium B. Aloyſij Gonzagæ, cum quo etiam minoribus ordinibus initiatus eſt in S. Joannis Lateranenſis Baſilica, A. 1588. Hos inter ſtudiorum labores nihil æquè grave Abrahamo accidit, quàm diuturno tot annorum ſpatio, veluti otioſum à procuranda ſalute animarum quieſcere, quarum profundo zelo eum exerceri cùm adverterent ſuperiores, placuit eum ad Orientis Indias deſtinari, ubi per linguarum, quas egregiè callebat, cum multis illarum gentium commercium, multò utiliſſimus fore videbatur.

Conimbricæ in Luſitania dum transmittendi tempus opperitur, interim alia ſociorum manus ad navigandum eo anno delecta, excluſo Abrahamo, in Indias deſtinatur, qui deſignatione hâc nihil motus, nihilominus P. Ludovico Azevedio, uni ex deſtinatis in Indiam, conſtanter ſæpius nunquam variatâ ſententiâ, perinde atque acceptâ divinitus prænotione aſſeruit, eo ipſo anno cum ijſdem illis Socijs ſe navigaturum. Nec prædictio fefellit, cùm enim fortuitâ causâ unus quiſpiam è deſignatis ad eam expeditionem fuiſſet impeditus, locum ejus eventu cæteris inexpectato, ſibi planè certo, Abrahamus obtinuit. Toto autem illo tempore, quod & aliàs ſemper conſuetum illi fuit, omne tempus à neceſſarijs liberum negotijs, orationi unicè impendebat, ſemélque duntaxat in die, & perparcè quidem cibum capiebat, addictus impensè domandis animi perturbationibus. Ubi etiam antequam vela faceret, res contigit plena admirabilitatis, quæ illum cruentæ pro Chriſto mortis certum reddere videbatur. Scalabis ſive Santarena oppidum Luſitaniæ haud ignobile, Tago impoſitum, raro prodigio celeberrimum eſt. Fæmina Urbis illius civis A. 1266. viro ſuo alienis amoribus obnoxio factura medicinam, Divinam Hoſtiam veneficæ Judææ ſuaſu clàm ore à communione exemptam, atque involutam ſudario, domum è Templo, in ſceleratam pharmaci mixturam Judææ deferebat. Verùm ſtillante ſanguinem ſudario conterrita, domum ſuam deflectit, & in ciſtam conijcit ſacram buccellam. Cùm verò nocte obſcurâ immenſam ex ſe lucem ciſta profunderet, ſciſcitanti marito quid eâ reconditum ſit, edifferit. Accitus manè Parochus, Cæleſte pignus, indictâ populo ſupplicatione defert in Templum, & æreo imponit Ciborio ad venerationem. Centum annos ità ſervata religioſè Hoſtia, cùm Anno 1370. proferretur ex more populo adoraturo, inventa eſt vitreæ inſerta ampullæ, ternos altæ digitos, ab imo fundo in tantas oris anguſtias coëunti, ùt cùm integra illi nequiverit ullâ humanâ induſtriâ immitti, Angelis authoribus id effectum credatur. Frequentatur is exhiberi ſolitæ S. Hoſtiæ dies incredibili hominum & multitudine & religione, novi præſertim & conſtantis hodiéque miraculi expectatione, quo ſe Chriſtus Servator intuendum Sacra ex Hoſtia aliâ atque aliâ formâ, diverſis ſpectatorum exhibet, huic matris in gremio infantem, alij flagris cruentatum, iſti ſub ſpinea corona, illi ſub gravi Cruce fatiſcentem, vel etiam à ſepulchro redivivum. Huc itaque de via pietatis ergò conceſſit etiam Abrahamus, cum ſocijs Ludovico Azevedio, præcipuo dein inter Æthiopas operario, Melchiore Coutinio, & Octavio Lombardo: & dum pignus illud venerabile adorat, atque obſervat impenſiùs, Dominum conſpicatur cruce onuſtum, qui ſe macte animo eſſe jubet, fore olim, ut ſuam ipſe crucem etiam portet, & ſibi Martyr exiſtat. Quâ denunciatione mirè recreatus animatúſque, continere ſuum gaudium, quin ſocios faceret conſcios, non potuit. Sic comparatus trajecit in Indiam A. 1592. & primam Evangelico operi manum admovit inter Chriſtianos Thomæos.

Ea gens à Commorino promontorio ad interiora uſque continentis, per Coromandelium tractum, & terras Malabarum, longè porrectos montes incolit, ſub Regum Calecutani, Cocinenſis, Cranganorij, Colani ad occaſum: ad ortum verò, ſub Regis Narſin-

gani dominatu, Ethnicis Saracenísque cincta ac permista. Ii ex Apostoli Thomæ præceptis atque institutis, à quo Thomæi nomen acceperunt, in hæc usque tempora Christi nomen fidémque tenuêre, hæresi tamen Nestorij multum inquinatam, quam ex placitis Armenij Patriarchæ, à quo Episcopos accipere consueverant, hausêre. Cùm verò à Mahometanis acerbè vexarentur, & ab Regibus Ethnicis in servitutem redacti, cùm alias indignitates & contumelias perferrent, tum verò sedem ac domicilia iniquis pensionibus redimere cogerentur, ad Lusitanorum amicitiam & præsidium refugerunt. Ab his ex quo in protectionem accepti sunt, eorum salutem PP. Societatis JESU impenso præ alijs studio, à quo pedem intulerunt in Indiam, complexi, plurimum laboris atque ærumnarum subiêre, obnitentibus, & circa quæstûs sui detrimenta solicitis, tum Nestoriano Antistite, tum sacerdotibus indigenis, quos Cassanaires vocant. Quorum iniquis conatibus obviam ut efficaciùs iretur, posterioribus annis ex designatione Philippi III. Regis Catholici, imperio Clementis VIII. Franciscus Rozius è Societate nostra Archi-Episcopi Angamalani nomen, & gentis universæ curam subivit. In hujus gentis cultura amplam meritorum segetem nactus Abrahamus, cum copiosis animarum manipulis uberes quoque patientiæ fasciculos collegit. Sæpe namque tecto omni excluſus, dum montes saltúsque percurſat, arboris alicujus umbrâ, prout temerè occurrerat, protectus, edendi ac bibendi penuriâ propè defatiscens, adeò tamen has inter ærumnas exultabat, ut interna sua gaudia premere impotens, exclamaret ad socium: *proh! quæ opes, quanta delicia sanctâ hac paupertate conteguntur!* Verùm hæc homini extrema omnia Christi causâ experiundi cupidissimo, orexin duntaxat prolicere, non famem explere poterant. Itaque operosiorem alteram, & aleæ periculosioris à DEO brevi sortitus est.

Post defunctum Andream Oviedum Æthiopiæ Patriarcham A. 1577. relicti aliquot superstites socij, Lusitanorum in illo Imperio reliquias, unáque indigenas Catholicos, in gravissima persecutionis procella tantisper tuebantur, dum nova sociorum auxilia subrogarentur ex India. Agebatur jam annus 1593. quoadusque nemini sociorum, licèt complures irrepere tentârint, penetrare fas fuit. Quia tamen unicus post Patriarcham ibi reliquus P. Franciscus Lupius, ob ætatem devexam votis omnibus suppetias poscebat, licèt omnes Regni aditus firmis præsidijs obsepti, nè quis Lusitanorum irreperet, sagaciſſimè à Turcis observarentur, tentata res tamen iterum fuit missis duobus Sacerdotibus, Antonio Monserrato, & Petro Paëzio, paratis cuivis discrimini caput objicere. Sed & hi in ora Arabiæ à Turcis deprehensi, duram toto septennio servitutem servièrunt. Nec infelix hic tamen sociorum eventus animos labefactavit. Placuit iterum atque iterum experiri, & pro salute periclitantium omnem adire fortunam. Igitur delectus est Abrahamus, qui præter Arabicum Chaldaicúmque, Turcici etiam sermonis peritus, vultu quoque Asiatico quàm Europæo similior, cæteris magis idoneus ad eam expeditionem visus est. Goam ubi redijt à Thomæis, nè quis ad Saracenos rumor emanaret, qui turbare posset consilium, annum integrum in Professorum domo delituit, non modò clam civibus, sed multis etiam domesticorum ignaris, Rogavit hìc Abrahamum aliquando P. Ludovicus Azevedius (qui à morte Patris idipsum testis affirmavit) ut inter sacrificandum nocte natali Domini, tria pro se DEO commendaret. Cujus desiderio satisfaciens, ità postmodum ei de singulis respondit: *Vide, nè primum posthac ampliùs à DEO petas: alterius rei compotem te DEUS facit: tertio locus omnino non est; nam hominem illum, cujus tibi cordi perseverantia tantopere est, sua DEUS in Societate ultra esse non vult.* Nec multò pòst homo ille è Societate dimissus est. Eidem Ludovico roganti ut se in Æthiopiam, cùm eò appulisset, à superioribus accerseret; facturum id quidem, si perveniſſet in Æthiopiam, spopondit, sed eò tamen se minimè perventurum asseruit; subindicando simul eidem & locum, & genus inferendæ sibi necis.

Cùm primùm navigandi tempus affulsit, Armenium se mercatorem, veste, pileo, barbâ promissâ monstravit. Nocte intempestâ domo egressus, cum puero Abassino itineris socio ad Matthiam Albulquerquium Pro-Regem, qui totus in eam expeditionem incumbebat, & pactus ipse fuerat cum navarcho Saraceno, valedicturus contendit. Ille ubi hominem aliena in veste conspexit, obortis lachrymis ruit in ejus amplexum, & alto suspirio: *hæ nimirum sunt artes*, inquit, *& technæ, quibus ad animarum compendia mortalium oculos fallere solet Societas, & suos Filios in discrimen ac certam propè mortem exponere!* tum aptis ad institutum donarijs & mercibus

bus auctum ubi à ſe dimiſit, ille ſalutatis, quos pia lachrymarum opplevit invidia, ſocijs, navim cum ſuo puero conſcendit ineunte Januario A. 1595. Poſt varias tempeſtates, mariſque & pyratarum pericula, Mazuam Arabici ſinûs Inſulam exiguam, Æthiopico littori oppoſitam, quam Saraceni præſidio tenebant, appulit, nemine quis eſſet, quidve acturus veniret, explorante. Itaque tam propinquus paucarum horarum ſpatio deſideratæ finibus Æthiopiæ, & in omnem irrependi occaſionem intentus, à Mazuæ Præfecto poteſtatem jam expreſſerat merces ſuas in Æthiopiam tranſportandi, & cum Navarcho trajectionem condixerat, cùm revocatâ ſubitò facultate, retrò redire juſſus eſt, retractionis causâ utì ferunt, à pueri ingluvie præbitâ. Hic à Patre, dum ipſe per Urbem itineri apparando diſcurrit, domi relictus ad ſarcinas, moræ pertæſus, fame ſtimulante comedere aggreſſus eſt, cùm dies eſſet ſevero Saracenis jejunio venerabilis, quo ante ſolis occubitum quidpiam deguſtare nefas habebatur. Ergo mirari primò puerum, quòd palàm auderet legem temerare, tum etiam ſciſcitari, quis eſſet, & unde domo? ac tergiverſantem minis & flagris adigere. Sic ille compulſus, Chriſti ſe cultorem, uti & herum ſuum, confeſſus eſt. Id nimirum Arcis Præfecto extemplo renuntiatum, atque ab hoc delatum ad Gubernatorem Urbis, Patrem retrahi, ſarcinis exui, & in cuſtodiam compingi fecit. Poſtridie vocatum ad ſe Gubernator in magna Mahometanorum corona interrogat, quis, cujus fidei, & cujas ſit? quid actum in Æthiopiam contendat? ille non ultrà diſſimulandum ratus, ſe, quod erat, Aleppo Syriæ oriundum, Chriſtiana ſacra profiteri, eadémque Æthiopiæ illatum ire, reſpondit. Hìc illum Prætor, qui & ipſe Chriſtianus antè fuerat, omnibus comitatis officijs pollicitationibúſque ad Mahometem invitat, ſuas ei ſarcinas redhibiturum, patefacturúmq; aditus in Æthiopiam, aut ſi malit Mazuæ conſidere, ampliſſimis cumulaturum honoribus ſpondet. Si nolit à Chriſto reipſa deciſcere, at ſimulet certè tantiſper, dum miſſione & commeatu accepto in tutum evadat. Abrahamus contrà his omnibus deſpectis, Mahometem omni contumeliâ dignum nullo ſe habere loco, ſolum Chriſtum Servatorem adeò ſibi in excelſo eſſe, ut nè vitam quidem velit ſimulatâ ab eo defectione redimere. Hâc libertate irritatus Præfectus, in turris arcem Patrem detrudit: unde aliquot poſt dies, ratus attritũ incommodis haud ægrè ceſſurũ, rurſum educit, pollicitationes iterat, & niſi obſequatur, minas. Illo renuente, conditionem dat, vel ut ſolenne illud carmen Mahometi pronunciet: *La ilà, ilà, Mahomet treènlaca*, hoc eſt: *alius non eſt DEUS, quàm DEUS, & Mahomet ejus Apoſtolus*: vel mortem atq; exitium expectet. Conſtanti vultu & animo imperterrito Abrahamus malle ſe dixit vitam millies & ſanguinem profundere, quàm ſacrilegò carmine Mahometem honeſtare. Quin ut ipſe potiùs Gubernator, qui Chriſtianis natalibus ortus eſſet, ejuratâ impijſſimâ ſectâ fidem in baptiſmo Chriſto juratam redintegraret, commonuit. Hâc liberâ conſtantique viri fortis exprobratione perculſus Gubernator, in tantum excanduit, ut admotâ capulo manu librârit in ejus caput acinacem. Quo nihil ictum declinante, ſententiam mortis in eum tulit. Pater illâ acceptâ quantas potuit Deo gratias agens, veſtes profanas depoſuit, & ſacerdotis de Societate habitu, vertice in coronam raſo, publicè ad ſupplicium prodijt; eductuſque ex oppido, carnificis gladio cervicem ſubjecit. Verùm diſſilijt primo ictu gladius, perinde ac ſi vitreus eſſet, Abrahamo penitus innoxio; quod & alteri ferro, poſtquam majore impetu & viribus in collum Patris impactum fuit, evenit, levi ſolùm plagâ in cervicibus ejus relictâ. Tertio demum enſe caput Abrahamo reſectum eſt An. 1595. cùm ageret annum 32. omnibus adſtantibus duplici illo prodigio conſternatis, multis verò indignam cædem luctu ac lachrymis proſequentibus. Ipſo adeò Gubernatore, qui plecti juſſerat, plurimum dolente, cùm negaret ſibi integrum fuiſſe homini parcere, cujus necem vel omnibus fortunis ſuis redemptam vellet.

Atque hic fuit exitus P. Abrahami ob fidei odium trucidati: cujus virtutes inter navigandum obſervatas Navarchus, tametſi ſectâ Mahometanus, & mirabatur ipſe, & paſſim apud alios deprædicabat, ut ægrè fidem inveniret. Ipſum quin adeò Cœlum virtuti ejuſdem teſtimonium præbuit, ſepulchri loco pluribus prodigijs illuſtrato. Nam quadraginta ipſos dies ſub veſperam quotidie circa tumulum viſa conſiſtere lux frequens, tanquam funalium; obſtupeſcentibus rei novitate ac miraculo, qui frequentes ab urbe prodibant ad ſpectaculum Saracenis. Ad hæc per eoſdem illos dies tres aves ingentes miri candoris, & inviſæ in ijs terris formæ, locum circumvolitare conſpectæ. Quibus commoti impij ſectæ Mahometanæ

Miniſtri, exhumatas corporis ejus exuvias volucribus in eſcam ejecerunt, & nè unquam diſcerni ad venerationem poſſent, inter oſſa profana miſcuerunt: ut adeò fruſtra illa indagarent P. Ludovicus Azevedius & Laurentius Romanus, qui A. 1605. illac tranſibant in Æthiopiam. Demum ante quadrageſimum diem tum Præfectus Arcis, tum quotquot necis ejus authores extiterant, morte ſublati ſunt: Gubernator autem Inſulæ & Urbis vix elapſo ſemeſtri, à Baſſa qui ei in gubernatione ſuccedebat, capitis ſupplicio plexus eſt. Quo factum eſt, ut bonorum animis altiùs inſederit opinio probitatis & virtutum illius, viverétque multis etiam poſt annis in illarum gentium recordatione ipſius veneratio.



P. Franciscus Ribeirus Lusit. Soc. IESV odio Fidei Christianæ à Mahometanis in ipso Missæ Sacrificio interfectus in Africa A. 1620.

C. S. d. M. K. f.

P. FRANCISCUS RIBEIRUS.

LUſitania Martyrum hujus & prioris ſæculi Parens, P. Franciſcum Orbi dedit in Civitate Aranda, quam moderni Torres Vedras dixêre, natum. Hic in ipſa pueritia tranſvectus in Indiam, Societatem complexus eſt Goæ, anno ætatis 15. Ubi exacto Tyrocinio, & poſt ſtudia omnia pro more Societatis ad calcem perducta ſacerdotio initiatus, deſtinatus eſt in Africam, proximorum deineeps ſaluti operam illis regionibus navaturus. Suſceperat ejus gentis

tis curam jam inde à priori ſæculo multis annis Societas, plurium capitum partim jacturâ, partim duriſſimâ inter Turcas captivitate; fructu tamen & eventu, ſi cum laboribus alibi impenſis conferantur, exiguo; cùm una prodigij plena Luſitanorum in Ambundos (hoc nomine cenſentur ſeptingentæ triginta Angolæ Regni Dynaſtiæ) victoria, longè latéque per Africam divulgata majorem ſpem proventûs animarum fecit.

Delatus illuc cum Prætoris Pauli Diazij claſſe A. 1574. P. Balthaſar Barreyra cum aliquot ſocijs, Chriſtianam rem feliciter, indulgente Rege, promovebat: cùm repentè idem Rex mutatâ mente, omnes illas plures ſeptingentis Regni ſui Provincias, ad delendum funditus Luſitanum Chriſtianúmque nomen tumultuoſiſſimè concitavit. Itaq; ex improviſo ſtetêre ad duodecies centena hominũ millia in armis, contra trecentos non ampliùs Luſitanos, & triginta millia Pauli Songa Reguli Banzæ, qui ſolus ex Dynaſtis omnibus in Luſitanorum religione & amicitia conſtans perſtiterat; adductus exhortatione P. Barreyræ, qui flagranti vultu, divino zelo, paſſim ordines Neophytorum Æthiopum concurſans, timere illos numerum hoſtium vetabat, Deum enim Chriſtum, cujus ſacra ſuſcepiſſent, cum innumerabili Cœleſtis militiæ exercitu, ipſis affuturum. Ab his ad Luſitanos verſus, *ſtate animis*, ajebat, *nec multò pauciores eſtis, quàm Gedeonis milites, qui Madianitarum multitudinem etiam inermes profligârant. Vobis ego Deiparæ nutu ac nomine denuncio certam illuſtrêmque victoriam de barbaris, à quorum ſacrilego ludibrio ſacram ejus effigiem paulo antè vindicâſtis. Craſtinus dies eſt Deiparæ Purificationi ſacer: ite cras auſpicatâ luce ardentes in prælium. Vincetis, ſpondeo, imò vobis cèſſantibus vincet illa, quæ aciei ordinatæ inſtar una eſt. Eundem me authorem ſpei, & participem periculi habetis; nec ceſſabo pugnantibus vobis, ſed oratione & manuum ad Cœlum protenſione dimicabo.* His veluti certæ victoriæ promiſſis incredibiliter accenſus eſt militum ardor, qui rum excipiendis confeſſionibus parte noctis impensâ cum ſocijs Pater, curavit inſuper, ut totum antemeridianum Feſti tempus Sacrificijs, Euchariſtiæ participatione, ſupplicationibus, à toto exercitu conſecraretur. Ante omnes Paulus Songa, cui ſummam ſecundùm ſe in exercitum poteſtatem Luſitanus Prætor eſſe juſſerat, capere gaudium non poterat, nec tenere ſe, quin per ſuorum ordines volitans, *vicimus Commilitones*, exclamaret; *nec noſtrum hoc prælium, ſed DEI eſt, cujus opem & ductum nobis deeſſe non poſſe planè certus ſum.* Juſſis interim militibus curare corpora, Paulus Songa ſpeculandis hoſtium rebus intentus, advertit montium præruptorum jùga, quæ Luſitanorum fronti objecta erant, ab immenſa illa Æthiopum turba occupari. Quare ne nocturnâ impreſſione in caſtris opprimerentur, pugnæ ſignum exercitui à Prætore, & à Barreyra *Maria victrix* in teſſeram data eſt. Ipſe directâ jam acie locum cepit, unde ſublatis in cœlum oculis & manibus, divinum auxilium ardentiſſimis votis poſcebat. Hora erat poſt meridiem ferè tertia; quando barbari promoveri aciem Chriſtianam verſùs radices ſuorum montium cernentes, è cunctis ſimul partibus cum impetu deſcendunt, denſiſſimas ſagittarum nubes ejaculantes. Verùm nullum è tot millibus telorum in noſtros ictum pertulit, ſed omnia Divinâ vi reflectebantur in authores, qui paſſim cadentes, fædâ ſtrage declivia montium latera complebant. Inſtare Chriſtiani tantò acriùs, quorum nullus globus æneis fiſtulis emiſſus, nullum ſpiculum arcubus Æthiopum in prima acie cum Paulo Songa fortiſſimè depugnantium, evibratum, ſinè noxa intendebatur. Barreyra ex his jam ſcilicet debellatum eſſe, cùm nullus è noſtris vel vulneratus hactenus eſſet, conijciens, currit ad Prætorem victoriam gratulaturus. Ecce autem in ipſo momento, fugientium paſſim priùs Ambundorum manipulus obvertit audacter vultum, ſagittas ejaculatur, unum alterúmque, mox alios uſque ad ſeptem è noſtris ſternit. Quo aſpectu ingemiſcens Prætor, *redi ſis*, exclamat, *ad orationem Pater, redi, ſi nos ſalvos vis.* Percuſſit ille pectus credulitatem ſuam damnans, & poſitis iterum genibus, profuſisque lachrymis propitiare Numen inſtitit. Hinc emendato ſtatim marte, curſu cœpto victoria proceſſit, pertinaciſſimis quibuſque hoſtium cæſis, reliquis fugatis. Jam ſol occubuerat, & denſa nox ingruens victoribus non minùs utiliter, quàm lux ipſa militavit. Clamor minax vincentium, gemitus cadentium, bombi ſcloporum, tormentorum ex ære tonitrua, deſperatæ vociferationes fugientium, terrore per noctis horrorem multiplicato increbreſcentes, extremâ conſternatione ſuperſtites dementabant. Vorago hiabat ingens præruptis marginibus, & prominentiâ rupium aſperis, altè deorſum ſidens. In eam primis quibuſque fugientium per deficientis jam

jam crepuſculi caliginem lapſis, alij ſuper ipſos acervatim ſimili errore, aut incumbente protruſi turbâ cumulabantur: quoad conferta multorum millium corporibus fovea cum cætera campi ſuperficie coæquata, funeſtum quendam & horribilem quaſi pontem Chriſtianis inſequentibus ſterneret; qui longè latéque procurrentes, cæde ac ſtrage omnia complebant: donec ſæpius dato receptui ſigno, in caſtra multâ jam nocte reverſi, DEUM ac Deiparam victoriæ authores, lætis vocibus celebrârunt. Inſecutis diebus novem Luſitani milites longiùs in terras Ambundorum progreſſi, ſub ſolis occaſum clarè Crucis formam ingentem, ac lucidam in aëre viderunt. Quod cùm reverſi ad caſtra narrarent, fuerunt qui ſe idem eodem tempore alio in loco uſurpâſſe oculis teſtarentur. Quo omnes interpretabantur ſibi à DEO oſtendi, in quo ſigno viciſſent: ſimúlq; augurabantur converſionem ad Chriſtum omnium illarum Africæ gentium, hoc oſtento portendi. Nec eos ſpes ſua, & favor Numinis fruſtratus eſt. Eâ namque victoriâ omnibus per Africam regionibus, ſed præcipuè ſub eâdem cum Angolæ Regno zona torrida jacentibus, vulgatâ, cùm præſertim ipſimet faterentur Ambundi ſe non viribus fractos humanis, ſed è cœlo manifeſtè pluentibus in ipſos jaculis debellatos, ingens nominis Luſitani terror omnes pervaſit, & campus Socijs apertus eſt latiùs liberiúſq; fidem Chriſti profitendi. Itaque plures ex eo tempore ab Luſitania eas in oras enavigantes Socij, & Madagaſcarem, & Mozambicum, cæteráque zonæ torridæ ſubdita Regna magnis Fidei progreſſibus excoluerunt.

Hos inter P. Ribeirus Mozambici An. 1620. animarum lucris intentus, rogatu Præfecti Luſitanæ Arcis, expeditionem Moderatorum juſſu ſuſcepit ad eos Æthiopes, qui 250. leucis ad Auſtrum Mozambico diſſiti, in extrema zona torrida ubi Capricorni Tropico concluditur, Promontorium accolunt, cui nomen à S. Laurentio Luſitani fecêre, Poſt ancipitem, & ærumnarum in æſtuoſiſſimo mari fætam navigationem, multa cum indigenis, multa cum ipſo Rege Idolis dedito tranſegit è Dei gloria: eóque hominem deduxit, ut ſibi gratum futurum ſignificaret, ſi ſuo in Regno Crucis trophæum erigeret, & Fide Chriſti fundatâ, Templa excitaret. Id ſimul ac Saracenis ſuboluit, qui frequentes ibi negotiantur, & perditiſſimâ Mahometicæ impietatis flagrantiâ nomen Chriſtianum inſectantur acerrimè, & ſoli penè per Africam Divinæ Fidei progreſſibus obſiſtunt, deliberato conſilio Patrem deſignant ad necem. Nec mora, in proximam ſuſcepti facinoris opportunitatem intenti, litantem ad aras tumultuoſi irruentes obruunt, improviſóque haſtis tranſverberatum, immaniter contrucidant, ad aram ipſam factum hoſtiam, ubi DEO pro ſe hoſtiam viventem immolabat Anno 1620.

P. FRANCISCUS MACCIADUS, & P. BERNARDUS PEREIRA.

SI Religioſus ſtatus ob continuam, quâ Mundo moritur, violentiâ, non falsò à Bernardo Martyrio comparatur, in quo duriora ſunt prælia vel unius Caſtitatis contra ſpiritualia nequitiæ, quàm in Martyrio Patientiæ contra Tyrannos & tormenta; Felicitatis, & Machabææ Matris virtutem adæquârunt Parentes Macciadi, qui non minùs ac illæ, ſeptem ſuſceptos in Luſitaniæ oppido Villareal liberos, omnes DEO in Religioſis Familijs conſecrârunt. Quorum Franciſcus Societatis Inſtitutum ſibi potiſſimè ſequendum ducens, ætatis ſuæ anno 17. ſæculi 1605. illud amplexus, non multò pòſt charitate Chriſti & proximi illum urgente, in Indiam, atque inde in Æthiopiam tranſmiſit. Cujus exemplo adductus alter fratrum ejus Antonius, non tantùm idem Religioſæ vitæ genus, ſed & miſſionem ad Indos ſecutus eſt, pari ferè heroicæ mortis exitu in eadem Æthiopia, peſtilentium obſequio vitam & animam devovens, in Regno Angolæ. Socius glorioſi pro Fide certaminis Franciſco fuit P. Bernardus Pereira, qui Viſei in eâdem Luſitania natus, adoleſcens ſui juris atque arbitrij trajecit in Indiam, ibique dedit Societati nomen ſub annum 1609. Tractabat uterque Theologiam Goæ A. 1623. prior docendo, iſte addiſcendo; ità egregiè Magiſtri vir-



P. Franciscus Macciadus, et P. Bernardus Pereira Lusitani Soc. IESV. Capite plexi à Mahumetanis in Æthyopia Ausciagutellæ. A. 1625. in Septembri.

C. S. d. M. K. f

virtutem imitatus, ut aptiſſimus ſuperioribus viſus ſit, qui in periculoſam Æthiopiæ expeditionem comes illi adjungeretur, ubi planè inſperantibus optatæ mortis occaſio utrique deſtinata eſt. Poſt multas in eo Imperio Regum, modò ſiniſtrè, modò bene in Catholicam Religionem addictorum, viciſſitudines, tandem Sultanus Sequedus ad coronam aſſumptus, deliberatâ ab inveterato ſchiſmate ad Romanæ Eccleſiæ unitatem tranſitione, Regnum ſimul univerſum Chriſti in terris Vicarij obedientiæ ſubijcere ſtatuit. Sed cùm pauculi admodum ex ſola Societate, ad tantam meſſis copiam ſupereſſent operarij, licèt ſupra vires, ſupráque modum niterentur, tamen nec milleſimæ ex uberrima ſegete parti, in horreum Domini colligendæ, quam zelus Imperatoris ardentiſſimè promovebat, ſufficere potuerunt. Sed neque ab India, unde ſola ſpes ſubſidij affulgebat, ſinè certo exitij aut captivitatis diſcrimine, quiſquam Sociorum penetrare poterat, omnes in Æthiopiam aditus & portus obtinentibus Turcis, omníque ſagacitatis induſtriâ, ne quis ex Luſitanis eò ſe inſinuaret, intendentibus. Quia tamen inſtantiſſimè ſuppetias Goâ evocare pergebant ſocij Æthiopici, Goanis (nè ſpem tantam in manibus poſitam corrumpi meſſorum inopiâ paterentur) tentari omnia viſum eſt, quò tantæ, tam diuturnæ, támque exoptatæ maximi Imperij converſioni, quanquam per extrema omnia & aſperrima, proſpiceretur. Ergo ex plurimis competitoribus, nam Impe-

rator magno numero Socios auxiliares mitti petebat, ſelecti ſunt in præſenti duo nominati Patres, qui ingreſſum per novas & intentatas hactenus vias in Abaſſiam molirentur, ut ſi ex voto res ceſſiſſet, plures deinceps eodem illo aditu penetrarent.

Conſcendêre navigium ingenti animi gaudio die Purificatæ Virgini ſacro Anno 1624. velis in Arabiam felicem converſis, in cujus conſpectum per difficilem Oceani æſtum pervenêre 21. Februarij. Arabiæ partem maximam Turca obtinet, & reliquos ferè ejus Principes atq; Regulos, omnes Mahometi devotos, ſibi habet tributarios. Patres ut ditionem Ottomanni Luſitano & Chriſtiano nomini capitaliter infenſi devitarent, Caxemam Urbem diverterunt, cujus Regulus Luſitano nomini apprimè favebat, licèt eo ipſo tempore Turcarum Tyrannus per Oratorem ſuum eos omnes arceri poſtularet. Antequam exſcenderent, ex conſilio Navarchi Turcicum induerunt habitum; datáque à Regulo in Urbe commorandi tantiſper facultate, in deſignata hoſpitia conceſſerunt. Poſtridie per Luſitanum hominem, quem penes ſe Regulus amicitiæ ſtudio habebat, Patres accerſit. Illi munus ex more illius & cæterarum orientis gentium (quarum Principem ſinè munere accedere habetur nefas) adornantes, tenue quidem illud ex Religioſæ paupertatis penu, quia tamen ex rebus Indicis conflatum, Principi longè gratiſſimum obtulerunt. Cujus raritate captus, mirè ſe illis benevolum, & ſupra expectationem affabilem exhibens, ad merendam etiam ex aſſis capellis, & alijs id genus lautitiæ Arabicæ inſtructam, frequentioribus cyathis ritu patrio propinans, perbenignè invitavit. Qui cùm modeſtè, propter Quadrageſimæ religionem, excuſarent, & ſolo hauſtu aquæ propinanti reſpondentes, modicum quid de ſaccharo libarent, ipſe vultum eorum roſeo liquore conſperſit: quod erat inſigne, ipſum verecundam illam repulſam haud quaquam trahere in ſuum contemptum, ſed à ſe libenter volentérque admitti. Aliquot ibi dies neceſſariâ captâ quiete, quia nullum offerebatur ulteriori promovendo itineri navigium, longioris moræ impatientiâ, ultro ejus ſibi præſtari copiam à Rege, quo Zeilam devehantur, exorant. Ille pronâ quidem voluntate poſtulatis aſſenſus, ſed ut fallendis Oratoribus Turcicis, qui tum in Aula Regis morantes perniciem illis in itinere moliri potuiſſent, aliò quàm Zeilam iter obtenderent, opportunè commonuit. Primâ Aprilis vela fecerunt, tam concitato mari, ut ſe crederent in momenta fluctibus obruendos: cùm tertiâ ejuſdem menſis die, eadémque quartâ ſanctioris hebdomadæ, prodigioſam in ecclipſata luna crucem intuentur, quæ inſtantem illis pro Fide mortem portendiſſe meritò cenſeri poteſt. Viſebatur illa in medio lunæ diſco, atro colore depicta, fulgentibus reliquis circùm lunæ portionibus; neque antè deſijt, quàm lunæ defectio. Adenum Urbem Turcicam pene inobſervati ſubiêre; unde Erythræo freto transmiſſo, 13. die Zeilam incolumes invecti ſunt. Zeila Emporium eſt olim nobiliſſimum, in exteriori Africa ad Erithræi fauces ſitum, rebus ad vitam cæteris, ſi unam aquam exceperis, abundans; incolis Mahometicæ ſuperſtitionis, adeoque in fluxa fide, dum quæſtum faciant, juxtà fas nefaſque habentibus, habitatum. Patres excenſuri, Turcicum habitum permutavêre Armenio, qui commeantibus toto Oriente mercatoribus, quales ſe profitebantur, ferè pervulgatus eſt: ſub quo faciliùs in eorundem Inſtitorum Caravana (ità caterva ſeu multitudo mercatorum vocatur, quæ magno numero in unum ſecuritatis ergò collecta, aliquoties per annum in Abyſſinam commeat) eò penetrarent. Zeilæ Gubernator, qui Urbi pro Rege octidui ſpatio inde confidente præerat, lectis Caxemani Regis, quibus Patres impensè commendabantur, literis, & Regis gratiâ, & ſuopte ingenio, omnibus eos excepit humanitatis officijs: eò etiam præcipuè, quod Imperator Abyſſinæ vehementer poſtulârit, ut ſi quos illac ad ſe tendentes ratio compendij, vel itineris ex India detuliſſet, benignè ſuâ gratiâ habitis, fieret expeditionis ſuæ copia proſequendæ. Cæterùm omnia paulò pòſt de PP. fuêre ibi ſuſpicioſiſſima; nam exploratores undique, quodnam ſub Armenio cultu genus hominum lateret, intenti, quantumlibet omni ſtudio Patres ſua obſcurarent, facilè tamen conjecerunt, longè à quæſtu atque negotiatione alienos eſſe, quorum proinde indicium ad vicinum Auxagurellæ Regem tempeſtivè prævolavit. Eò itaque quatridui itinere cùm Caravana delatis, Rex Mahometicæ inſaniæ ſtudio ardens, compedes extemplo injici jubet, pérque ſummam injuriam in carcerem compactos, durè omnino & crudeliter habuit.

Fama interim ad Imperatorem Sequedum de PP. comprehenſione perlata, ingenti animi dolore & ſolicitudine complevit, ut pro-

proinde omne ſtudium ad eos, qualicunque demum ratione eripiendos converterit. Et cùm bello armíſque in libertatem PP. aſſererе, domeſticis rebellium turbis intricatus, non poſſet, minis autem homo barbarus permoveri ſe non pateretur, blandis eum officijs aggreſſus, per caduceatorem generoſæ ſtirpis equum, & Palatinis primatibus mulas aliquot miſit, poſtulavítque per literas duos Patres, quos non neſciret ad ſe pertinere, miſſos fieri. At ipſe muneris tenuitatem cum faſtidio aſpernatus, captivos in caduceatoris conſpectū producit quidē, ſed illico per contumeliā retrudit in carcerem: additis ad Imperatorē præfidentibus, & arrogantiâ plenis literis, quibus minabatur ſe Patres neci, aut vænum daturum, aut certè in perpetua ſervitute habiturum pro mancipijs. Imperator accepto procacitatis intolerandæ reſponſo, nè quid Patribus præſentioris incommodi periculíve, par pari reddendo, accerſeret, diſſimulatâ injuriâ nuncium remittit, & quantâvis auri argentíve ſummâ depaciſci ſecum lubeat, verbis amiciſſimis leniſſimísque daturum pollicetur. Quod niſi faciat, Patrésque ad ſe liberos tranſire permittat, juſſos in Æthiopia tantiſper fiſti eos omnes, qui ex ipſius dominatu per eam quæſtum mercaturâ faciebant: quos omnino nisì reſtitutis Patribus, haud eſſet recepturus. Sed nihil apud Tyrannum ulla valuit aut officij ratio aut æquitatis: nihil ſuorum quamvìs complurium diſcrimen denunciatum: ſive quòd ab Æthiopum cum Romana Eccleſia, Patrum operâ, conciliatione, Mahometanæ ſectæ malè metueret, ex quorum ditione non ampliùs eſſent à Patriarchis Græci ſchiſmatis Epiſcopos & ſacerdotes poſtulaturi; ſive quòd majus à Gabriele, homine Ægyptio, rebellium in Abaſſia contra Imperatorem anteſignano emolumentum, tam ſibi privatim, quàm univerſim Mahometanis ſperaret. Gabriel enim, Abaſſinis Capraël dictus, Regiam mentitus proſapiam, Æthiopiæ populos ad avitum ſchiſma, contra Imperatoris Sequedi, ejus abolendi ſtudio defenſandum undique conciebat, & validâ contractâ manu contra Imperatorem movere eſt auſus. Objectus illi eſt Princeps Zelachriſtus Imperatoris germanus, Romanæ Fidei ſtudio flagrantiſſimus; qui primo congreſſu fudit perduellem, & cæſis viginti duobus millibus, reliquos in fugam ità conjecit, ut nisì Ducum unus ſeriùs quàm juſſus fuerat effugij viam præcluſiſſet, debellatum eâ die fuerit. Igitur elapſus tum quidem Capraël eſt, & novis ſupplementis auctus, haud procul Auxagurellani finibus ſe recepit: cujus fortunæ impenſiùs Rex ſtudens, Patres, quos ipſi adverſos in Religionis negotio fore, ſi ſe Imperatori junxiſſent, ſciebat, tollere de medio conſtituit, & eorum cæde aliquid ab eo nundinari. Poſteaquam ergo diu ferro compeditos in vinculis habuit, ærumnis, & vario malorum genere mactatos, intempeſtæ noctis ſilentio obtruncari jubet, atque in altam foveam præcipitatos obrui. Eodem anno 1624. ejus necis factus certior Gabriel, etſi factum laudaret, nequaquam tamen eâ contentus lanienâ, duos etiam Patribus à ſervitijs pueros neci dari, aut certè necandos ad ſe transmitti popoſcit. Verùm facinus antevertit Zelachriſti de Gabriele victoria, cujus gladium effugiturus, dum apud eos ipſos Auxagurellanos aſylum quærit, mortem invenit, ab ijſdem timore imminentis Zelachriſti interemptus. Caput ejus haſtili præfixum Zelachriſto oblatum eſt, & ab eo Imperatori transmiſſum, vaſtatâ nihilominus perfidi Regis provinciâ, ut etiam in hac vita debitas vindici Numini necis inſontium Patrum pœnas daret.

P. GASPAR PAES, & P. JOANNES PEREIRA.

Vo tempore P. Franciſcus Macciadus cum P. Pereira ingreſſum in Abyſſinam juſſi ſunt tentare per Zeilam, eodem ſimul anno 1623. Goâ diſceſſere 6. alij Patres, duo qui per Melinden, quatuor reliqui per mare Erythræum, & portus Turcicos molirentur eodem aditum: ut ſi unam & alteram expeditionem falleret ſucceſſus, tertia ſaltem eventu optato potiretur. Et primi quidem, de quibus jam diximus, ab Æthiopia prohibiti, aditum ſibi gloriosâ morte aperuerunt in cœlum: alteros fruſtratus eventus, unde venerant redire coëgit: tertij, de quibus potiſſimè, ob plurium annorum experientiam, & fruſtrà tentatam per Turcarum ditiones viam timeri poterat, feliciter perrupêre. Fuère hi præter P. Gaſparem, P. Emmanuel Lameira, P. Thomas Barretus, P. Hyacinthus Franciſci. Natus fuit



P. Gaspar Paës. et P. Ioannes Pereira Lusitani Soc. IESV. Fidei Catholicæ odio à Schismaticis Æthyopibus crudeliter necati Assæ, prior. 25 Aprilis. alter. 2. Maij. A. 1635.

C.S. d M.X f

Gaſpar Paës Covillanij in Luſitania, qui in prima ſtatim pueritia, neſcio quâ causâ vel occaſione, deportatus in Indiam, Societatis tirocinium Goæ auſpicatus eſt anno ætatis decimo quarto, ſæculi 1608. Vacabat is etiamnum Theologiæ ſub Profeſſore P. Franciſco Macciado, quando facto ſociorum pro Æthiopica expeditione delectu, ipſe inter primos cum eodem ſuo Profeſſore deſignatus eſt, alio quidem in Abyſſinam uſurus itinere, eodem tamen ad cœleſtem patriam ſanguineo pretioſæ mortis calle pertingens. Diſceſsêre Goâ ſub extremum An. 1623. Dium urbem & inſulam Luſitanam, unde anni inſequentis 27. Martij abeuntes, & Erythræi fauces invecti, Mazuam applicuêre 2. Maij. Et quia multis fuêre tum ab Imperatore Abaſſinorum Sequedo, tum à Luſitanorum Dienſi Præfecto, Baſſæ Turcico Mazuæ commendati, excenderunt habitu conſueto Societatis, excepti ab eo inſolitæ prorſus & inexpectatæ benevolentiæ ſignis, quæ munerum à Sultan Sequedo ſpes prolicuerat. Nam & tormenta venientibus in honorem per Urbem exploſa ſunt, & hoſpitia ſingulari curâ apparari juſſa, datâ inſuper ſpe celeris in Æthiopiam expeditionis. Patres ut indulgentiam in ſe Baſſæ ipſi etiam quantum poſſent conciliarent, primo ſtatim congreſſu munera ei Goâ ſecum advecta, more gentis, obtulerunt, quæ ipſe tum pergrata habere ſignificavit, tum quod officij & præcipuè obſervantiæ eſt, hoſpitalem illis propinavit potionem, expedivitque illico citum

tum nuncium ad Baſſam Suaquenum, ut in Æthiopiam ſuccedendi illis faceret poteſtatem. Duos circiter menſes iſthic Baſſa eos demoratus eſt, ut videlicet interim eâ cunctatione ab Imperatore Sequedo Patrum cupidiſſimo, aſellam eliceret, quam ſuo Turcarum Imperatori dono viciſſim transmitteret. Magno ſtudio id genus beſtiæ colore candido & mirabili corporis habitudine, ab omnibus illic Principibus exambitur, habetúrque ſummo in pretio, ità ut earum una quinquaginta & amplius millibus florenorum væneat. Ut primùm aſella advecta eſt, ſtatim etiam abeundi copia facta, 40. Turcarum comitatu adverſùs latronum incurſiones addito. Ità ſecuri Daboroam, primum Æthiopiæ vicum, atque inde Fremonam, ubi Andreæ Oviedi Patriarchæ monumentum eſt, incolumes pervenêre: quanto omnium Catholicorum gaudio, poſt tam diuturnam expectationem excepti, dici vix poteſt. Ad Imperatorem deinde ſalutandum à P. Viſitatore Emmanuele Almeida deducti, poſt humaniſſimam de adventu congratulationem, & ſingularem Imperatoris ex adventu novi Patriarchæ, quem paulò pòſt ſecuturum afferebant, lætitiam, in ſuam quiſque ſtationem toto Imperio, quod plurima Regna complecti alibi monuimus, diſtributi ſunt.

P. Gaſpar in Regnum Bargamedri, quod latiſſimis finibus continetur, miſſus, in abſentia Pro-Regis, Catholicæ Religioni apprimè addicti, uxorem interim illius ſpectatiſſimam in rebus fidei inſtruxit, & baptiſmi Sacramento, propter ambiguam Æthiopicæ formulæ ſignificationem, ſub conditione luſtravit. Idem præſtitit pleriſque Regni Optimatibus; quorum exemplo populus tantâ frequentiâ idem poſtulavit, ut orſus diluculo Pater, defeſſus uſque ad noctem, quà Catechiſmi doctrinam, quà ſacrum laticem nullâ intercapedine impertiendo, vix faceret ſatìs. Poſt dies 15. ab ea multùm dolente lachrymantéque digreſſus, alteram matronam Imperatoris neptem impenſiſſimè piam, & Romani cultûs proferendi cupidiſſimam, alióſque deinceps Regni Proceres, editiſſimis ac præcipitibus montibus ſuperatis convenit, idémq; omnibus officium exhibuit. Ex eo Regno ad Agaos Nili accolas, populos multitudine innumerabiles latéq; diffuſos, transgreſſione factâ, magnam & ibi rei Catholicæ acceſſionem fecit: donec Alphonſo Mendez novo Patriarchæ Æthiopum ex Societate JESU, Gorgoram cum reliquis ſocijs obviam excurrit, à quo novis inflammatus ardoribus ad ſtationem ſuam recurrit, bene inchoata ad debitam perfectionem promoturus. Rebus illic ità ex voto perfectis, ut jam ſinè ſua præſentia optato curſu progreſſuræ ſperari poſſent, in alias atque alias ſubinde Abyſſinæ regiones ſe transferens, magnos ubíque collegit animorum fructus, non prædicando ſolùm & docendo, ſed & imagines ſacras ad piorum devotionem eleganter (quam artem præclarè callebat) expingendo: quarum unam B. Franciſci Borgiæ ab eo expreſſam, ínque ejuſdem feſto publico cultui propoſitam, magnopere Imperator cum Palatinis & dilaudavit, & in veneratione habuit.

Ecce autem paucos poſt annos, quàm felicibus ibì progreſſibus Catholica Religio implantari, atque Alexandrinum ſchiſma extirpari cœpit, ſubita iterum in Fideles procella; & in Imperatorem rebellio, à pertinacibus hæreſis ſectatoribus, concitata eſt; cui ſuccumbentem Sultanum Sequedum nequidquam adhortationibus ſuis, inq; Deum fiduciâ conatus eſt frater Imperatoris germanus Razius Zelachriſtus eripere; donec intempeſtivis inſuper fatis erepto Sequedo, res Catholica pene univerſa nefariorum aſtu & potentiâ everſa eſt. Quippe Faciladaſius Princeps filius ætate atque animo invalidus, parenti Sequedo in Imperio ſuccedens, à matre vidua ſchiſmati pertinaciſſimè, adhuc vivente marito, addicta ſeductus, licèt Eccleſiæ Romanæ Sacramento pridem addictus eſſet, perſuaſus tamen non poſſe Imperium aliter, niſi revocatâ veteri Alexandrinorum fide, & Romanâ funditus extirpatâ, conſervari, totis in hujus excidium viribus & opibus conjuravit. Mox ad primum ingruentis procellæ ſonitum imbecilliores multitudinis animi concuſſi, partim à Religione Catholica palàm deſcivêre, partim occultam in animo ſervare contenti, apertè profiteri refugiebant: quibus robuſtior firmitudo, ij relictis ſedibus latebras, & ſponteneum exilium eligebant. Patres in quos potiſſimùm turbo concitabatur (quòd niſi his dimotis evelli ſtirpitus Romana Religio animis Fidelium non poſſet) mutato habitu, identidem ſedes mutare cogebantur, ut ſub alieno cultu meliùs & tectiùs conſtantiam trepidorum toto Imperio fulcirent. Donec A. 1634. acto in exilium Alphonſo Patriarchâ, & in Turcarum poteſtatem impiè perfidioſêque contradito, lata ſimul in omnes Societatis homines eſt exilij, & niſi migra-

rent, capitis proſcriptio. Ibi tum P. Gaſpar, & è Socijs qui potuêre, in Urbe Tigrani Regni principe Aſſa reſtitêre, nè ſimul omni paſtorum curâ deſtitutus grex, luporum direptioni impunè pateret. Hinc dum cautiſſimè ad juvandos ſolandósque Catholicos per intervalla procurſant, accidit aliquando, ut P. Gaſpari finitimos vicos & oppida, quò Catholicorum liberos ſacris undis ablueret, peragranti, obviam venirent adverſarij ità improvisò, ut nullus effugij ampliùs locus eſſet. Ergo ſubitaneo conſilio Pater frontem confeſtim linteo obvolvit, & voluntario caſu ex jumento, quo vehebatur, tanquam à recalcitrante excuſſus, in terram prolabitur gemens. Hoſtes ad eum mox delati, quærunt ex ejus comitibus, ecquis ille miſer eſſet, qui pronus corruiſſet è mula? quibus reſpondentibus, cæcum illum eſſe Luſitanum, totâ paſſim notum Æthiopiâ; in præſenti periculum ambiguo comitum reſponſo (nam & Luſitanus, & velatis linteo in præſenti oculis cæcus, & totâ Æthiopiâ nominatus erat) ſalvus evaſit.

Verùm haud multò pòſt, ingentibus jam exantlatis laboribus, ut hoſtium furori tantiſper cederet, unà cum P. Joanne Pereira, & P. Bruno à S Cruce, in ſolitudinem Fremonæ, haud procul Aſsà ſe recepit, connivente principio ejus loci Domino, quem fallere & latere, quamvis abſconditi, nequivêre. At ubi ad monachos aviti ſchiſmatis flagrantiſſimos defenſores ac vindices, Patres ibi agitare perlatum eſt, non priùs deſtiterunt hominem, errorum communione ſecum conjunctum, inflammare, inque cædem Patrum hortando, terrendo, obſecrando ſolicitare, ac præſertim eorum anteſignanus Abbà Asfà Chriſtòs, odio in Fidem orthodoxam flagrans, dum denique polliceretur violentas manus eis ſe illaturum. Sola jam opportunitas perficiendo quærebatur facinori; locus enim ſeu latibulum, quò Patres ſe cum fida Luſitanorum manu intra deſertum receperant, à natura munitum & in ſublimi monte locatum, ad patrandum ſcelus minùs aptum, & ſecurum ijs videbatur. Differtur itaque rei in actum vocandæ propoſitum, uſque ad celeberrimam illam ſolennitatem, quam S. Marci Evangeliſtæ honoribus ibi ad ripam fluminis agunt Chriſtiani. Convenêre illuc cum magno numero convenarum Catholicorum è ſuis latebris Patres, iisque Sacro divini verbi, & Sacramentorum pabulo refectis cùm ad ſua latibula malorum ſecuri remearent, ab Dynaſta 150. lancearijs ſtipato repentè occupantur; quorum terrore acti in fugam diversè Chriſtiani comites, in manibus hoſtium Patres, cum paucis fidentioribus, & pro Fide mori paratis, deſtituunt. Nec mora, lanceis haſtilibúsq; irruentes milites, P. Gaſparem ſecundo vulnere vitâ eodem in veſtigio ſpoliant, die 25. Aprilis ejus A. 1635. ætatis 42. Societatis 28. Duos alios Patres dirè convulnerant, & exturbatis ùt rebantur per vulnera è corpore animis, ſtrata humi cadavera omnibus veſtimentis ſpoliata relinquunt. Mirum verò dictu eſt, quod & ipſi crudelitatis authores mirabundi ſpectavêre, & poſtea prodidêre memoriæ; ſanguinem P. Gaſparis, cùm è vulneribus copiosè manaret, in terram neutiquam defluxiſſe, ſed in auras illico tenuatum vanuiſſe.

Cecidêre cum Patribus Æthiopes ex odio Romanæ Fidei ad tricenos alios, qui eos à peracta S. Marci ſolennitate domum deducebant: quorum mortes & vulnera ità proſequitur P. Brunus, ipſe etiam unus ex graviter ſaucijs, in literis ad Alphonſum Patriarcham datis 17. Julij A. 1635. *Poſt diſceſſum militum ducitur ad me P. Joannes Pereira, prope cor magno vulnere accepto, ſupra me jacentem ac nudum nudus exclamat: moriamur ſimul Pater mi, moriamur ſimul! & utinam mortuus fuiſſem! Peccata ritè confitetur apud me, & ego apud illum. tum cæteri vulnerati idem faciunt, ſcilicet Lucas Rapaſus, qui poſt confeſſionis Sacramentum emiſit animam; Zena Gabriel, Leon meus famulus, Franciſcus Machadus famulus Patris Pereiræ, Hieronymus Coſmi frater, primo aggreſſu necati: hic leviter vulneratus, omnibus nobis adjumento fuit cum Damiano, qui miraculosè inter cæteros relictus ſoſpes à vulneribus, ſed non à lapidibus, qui in illum jacti, non admodum noxij in eundem fuerunt. Hi poſtremo loco nominati nos paleis tegunt, lachrimis madentes. Non multò pòſt incendium excitatur apud nos in paleis* (nam regreſſi quidam ex homicidis illis, cùm fœni inſuper plurimum è vicina ſilva comportâſſent, in cinerem eos redigere volebant) *mortem omnibus minatur. Verùm ex Divino conſilio interea temporis adventat Afra Nebeſenſis, qua ad ligna colligenda ante militum adventum ad interiora deſerti perrexerat. Hæc incendij metum dirimit incredibili ſedulitate, ingenióque virili. Poſt incendium de improviſo accedit ad nos Auguſtinus Garenſis, quem optimè novit P. Didacus: veſtimentum quo erat indutus ſcindit in partes & nos tegit. Demum ad ſolù occaſum Xumò Ardui de Lima, Damianus Coſmi*

Frater

Frater eum famulis, ſepulturæ committunt vitâ functos, & nos humeris impoſitos ad latibulum ibi proximum ferunt. Ibi ſecuto poſtea die Franciſcus Machadus ſummâ animi alacritate animam DEO reddit, cui ſemper placuit. Ad ſeptimum diem P. Joannes Pereira poſt mediam noctem finem impoſuit doloribus, quibus à vulneribus continenter angebatur; & eò perrexit, ubi nullus dolor. Die verò octavo proximum morti me putabam: deficere mihi vires ſentiebam præ ſolito: lumen oculorum paulatim extingui: demum cum ſanguine ex quindecim vulneribus, quibus confectus eram effuſo, ſpiritus corporis paulatim extingui advertebam; ideóque animâ priùs DEO commendatâ conſolari cœpi, quos præſentes habebam, nè ex meo interitu triſtitiâ premerentur. Mortis autem verbum audientes, lachrimas effundunt uberrimas, ad pedes meos ruunt, precantes, nolim eos deſerere. Quæ nobis vita, ajunt, *ſinè Magiſtro, ac Patre? Quò ibimus oves deſtitutæ, & ſinè paſtore inter lupos? ut cum noſtris Magiſtris viveremus ac moreremur, inter deſerta remanſimus; rebus ferè omnibus deſtituti, nè deſtitueremur pane cæleſti. Te mortuo, quis eum nobis ſuppeditabit? Hæc & ſimilia Damianus de Meſquita. Reſponſum datum eſt illis S. Martini Epiſcopi, quo lachrymis abſtinuerunt, & noctu huc me duxerunt; ubi inter Martyrum conſanguineas, ac uxores, filiósque vivo ſemivivus, rebus ad recuperandas vires neceſſarijs deſtitutus, cum vulneratis pro Chriſto: pro quorum incolumitate ſolùm doleo. Utinam hæc ad veſtras manus perveniret, ut ex earum liberalitate aliquid acciperem, & Luſitanis iſtis conſulerem, & eorum inopiam levarem. Hoc enim ſolùm me vulnus lacerat; cætera quibus corpus inſignitur, gaudij fructus ferunt continentes. Hæc ego ſucciſivis temporibus præ virium defectione; unum rogo, ut DEO me commendatum velint, & peccatorum veniam meorum mihi impetrent: hæc enim indignum me Sociorum morte reddiderunt; ſed ſpe excitor ex infinitâ Dei miſericordia, tandem aliquando ad eandem mortem obeundam pro Chriſto Domino, & pro Fide Orthodoxa. Me incolumem multi eſſe audierunt; & præſertim Abbà Aſfà Chriſtòs, ad quem ſcripta fuit Epiſtola à Gabrà Chriſtòs, in qua nos omnes à ſe ex humanis ereptos affirmat cum Luſitanis, qui nobiſcum erant; & cauſam victoriæ in illius refert preces, utì teſtatus eſt mihi Olda Georgius, qui epiſtolam legit. Finem facio ſcribendi, ad genua, imò ad pedes veſtros provolutus, & oſcula honoris debiti impertiens.*

P. APOLLINARIS DE ALMEIDA, Epiſc: Nicenus. P. HYACINTHUS FRANCISCI, & P. FRANCISCUS RODRIQUEZ.

IN ipſo perſecutionis Æthiopicæ æſtu P. Apollinaris de Almeida, deſtinatus Alphonſo Mendez, ſi quid humanitus accidiſſet, in Patriarchatu ſucceſſor, & conſecratus Nicææ Epiſcopus, in Abyſſinam appulit A. 1630. Is natus Ulyſſipone in Luſitania circa A. 1592. penè puer, vix juſtâ ætate, nomen addixit Societati, in qua ingenij atque induſtriæ opibus tantum profecit, ut poſt Eloquentiam ſex annos explicatam, Philoſophiam Ulyſſipone, atque Eboræ ſacros libros quadriennio cum laude fuerit interpretatus, creatus Theologiæ Doctor. Secundùm hæc ſuperiorum miſſu deſtinatus in Indiam, ut unà cum P. Didaco Sicco Niceno Epiſcopo laboranti Æthiopiæ ferret ſuppetias, cùm in ipſo navigationis curſu, priusquam perveniſſent in Indiam, mors inopinata Didacum ſuſtuliſſet, ipſe in eundem illum titulum mandato Summi Pontificis & Regio ſuffectus eſt, eo ſemper in Matrem ſuam Societatem conſervato affectu, ut nunquam alio obſignandis literis & placitis ſuis ſigillo uti voluerit, quàm conſueto illi Sacroſancto nomine JESU. Goam A. 1629. ubi appulit, invenit P. Joannem Rocciam nominatum Hierapoleos Antiſtitem, & primum Patriarchæ Alphonſi ſucceſſorem, ideo remoratum à trajectu in Æthiopiam, quòd nondum fuiſſet nactus copiam initiandi ſui in Epiſcopum: hinc Apollinaris jam in Luſitania conſecratus, continuò maturavit eò traijcere, ut exoptatorum citò compos laborum evaderet. Quò ubi per ingentia maris & terræ pericula pervenit, deprehendit iniquiſſimam ſortem Catholicorum, ac Patrum præcipuè, in quos toto Regno juſſu Imperatoris fiebat inquiſitio, ut comprehenſi trans mare deveherentur, & Turcis in poteſtatem

P. Apollinaris de Almeida Epiſcopus Nicenus Soc. IESV. P. Hyacinthus Franciſci Lusit. P. Franciſcus Rodericius Italus, odio Romanæ Eccleſiæ ſuspensi et lapidati à Schismaticis in Æthyopia Oinadegæ, menſe Iunio. A. 1638.

C. S. d. M. K. f.

ſtatem dimitterentur. Ipſe pertentato annum integrum gentis ingenio, ubi deprehendit illud mobile penitus & inconſtans, haud operæ pretium fore cenſuit eo in Regno diutiùs commorari, eâ etiam ratione permotus, nè ſi unà cum Patriarcha, ad quem prima gregis illius cura, ad ſe autem ſuccedanea pertinebat, de medio tolleretur, nemo ſupereſſet, qui tum ejus vices poſſet excipere. Verùm id conſilium Patriarchæ minimè probabatur, exiſtimanti Imperatorem cum ſchiſmaticis in ſe unum maximè intentos, ſuâ etiam Regno, aut fortè è vita ejectione contentos, de reliquo non magnopere inquiſituros eſſe, an alius quiſpiam ſucceſſor palantes Catholicos regendos ſuſceperit, cùm id eouſque ipſos latuiſſet, ac proinde neceſſarium omnino fore, ut Epiſcopus in Regno perſiſteret, quò publicæ vexatorum Fidelium calamitati atque indigentiæ, quoad fas eſſet ſubvenire poſſet. Re tam ancipiti atque arduâ in deliberationem cum Patribus quotquot aderant deductâ, noluit Apollinaris ſuam dicere ſententiam, nè nimio fortaſſe ſui ſtudio duci videretur: ſed id ſe facturum profeſſus eſt, quod è re publica fore plures Patrum cenſuiſſent. Cenſuêre verò illi cum Patriarcha, utrumque in Regno oportere perſiſtere, ſed locis omnino & ſedibus diverſis, ut oppreſſo vel exacto uno, alter excipere gregis curam poſſet.

Itaque menſe Majo A. 1634. digreſſi ab invicem, Apollinaris cum Patre Hyacintho Franciſci in montem quendam ſe recepit; in

in alium iêre P. Ludovicus Cardeira cum P. Bruno à S. Cruce: Patriarcham cum novem reſiduis Patribus in ditionem ſuam Barnagaſſus recepit; ſed mox ingentibus Imperatoris pollicitationibus corruptus, navibus impoſitos, quaſi in Indiam eos transmittere vellet, per ſummam inhumanitatem atque perfidiam, Baſſæ Turcico, qui Suaqueno, cæteriſque Erythræi ſinûs præfidijs imperabat, in poteſtatem atque arbitrium dedit. Ab illo barbarum planè fædúmque in modum, ût captiva mancipia ſolent, habiti ſunt, detractis etiam veſtibus, ipsísque adeò quas è collo geſtabant, ſacris reliquiarum capſellis. Demum libertas eis venalis eâ conditione propoſita eſt, ſi eam triginta aureorum millibus redimerent. Cujus tam immanis pretij cùm nulla vel ex parte colligendi ſpes affulgeret, & annus jam integer inter acerbas vexationes duriſſimæ eorum captivitatis lapſus, nullà tamen erga inſontes illos miſeratione barbarum animum tangeret, quatuor aureorum millibus mutuò comparatis licentur libertatem ſuam. Verùm mox iterum novâ perfidiâ, cùm jam navim vela facturi conſcenderent, Baſſa revocatâ ſententiâ ſeptem duntaxat ſocios eo pretio miſſos facit, Patriarcham cum duobus iniquiſſimè retinet. Cujus rei nuncio in Æthiopam perlato, mater Imperatoris cum quibusdam Aulæ miniſtris capitali in eos furens odio, animum Imperatoris perpulit, ut datis ad Baſſam literis tres illos in ſuſpicionem alicujus proditionis arceſſeret, útque ſecuri eoſdem percuteret, hortaretur.

Percrebuit interim apud Schiſmaticos, Epiſcopum Apollinarem in Regno cum pluribus adhuc reſiduis Sacerdotibus degere; quâ eorum conſtantiâ efferati, qui Patres univerſim ejectos volebant, concitaverunt Imperatorem in eos ſive Regno, ſive è vita exturbandos. Quorum patrocinium ſuſcipiens Pro-Rex Dambeenſis, omnes in ſuam clientelam & ditionem invitavit, niſi ſatiùs viſum fuiſſet Epiſcopo diverſis potiùs ab invicem diviſos locis agitare. Igitur duobus ſocijs Pro-Regi conceſſis, Epiſcopus ad Regiones rubro mari viciniores deſcendit; ubi inter paſtores deliteſcens, lacte vitam ſuſtentabat, & ab aëris cœlíque injurijs frondibus arborum defendebat. Verùm cùm ab ijs ipſis pecuarijs exueretur paulatim ſuis quamvìs exiguis impedimentis, abreptíque per vim famuli venum Turcis dati eſſent, coactus eſt deſperatum apud illum ipſum perfidum Barnagaſſum, qui Patriarcham Turcis prodiderat, aſylum Doboroæ quærere, apud quem jam antea P. Franciſcus Rodriquez morabatur. Inde ad Patriarcham etiam tum vinculis Suaqueni attentum literas dat A. 1635. quibus fortunam ſuam, dubiam Barnagaſſi fidem, nullam meliorum ſpem, nullum operæ ex diuturniore ſua inter Æthyopas commoratione pretium explicabat: ſatiúſne ergo videretur inde ſe eripere, útque unà deinde Indiam repeterent, Suaquenum ſeſe convertere? Verùm quantumlibet optaret Patriarcha Epiſcopum periculis exemptum, quia tamen reſponſum, quo ad profectionem ſecum in Indiam accerſeretur, revenire, longè minùs ipſe adeſſe poterat, Divinæ Providentiæ commendatus eſt; dum interim Patriarcha, extorto violentè à negotiatoribus Luſitanis, quantum libido Baſſæ ferebat, pretio, in Indiam navigare cogitur. Pervenit interea in Æthiopiam novus ab Alexandria evocatus, in locum Catholici Patriarchæ Alphonſi, Abuna (ità illi Schiſmaticos ſuos vocant Patriarchas) qui in tranſitu per Suaquenum, ſingulari humanitate & benevolentiâ Alphonſi Sociorúmque captus, cùm nullis ſuorũ Pſeudo-Monachorum delationibus, ſuſurris, & querelis induci poſſet ad perſequendum Epiſcopum Apollinarem; illi denuo Imperatorem aggreſſi, quà minis, quà precibus ſollicitant, ut Epiſcopum cum duobus Patribus, apud Barnagaſſum morantes, neci tradat. Eâ poſtulatione impulſus Imperator, magnis denuo pollicitationibus Barnagaſſum aggreditur, eos ut ſuæ poteſtati tradat perurget; indemnes illos ſervaturum Regiâ fide pollicetur. Qui in reditu per Zamariani caſtra A. 1636. tranſeuntes, quia macie confecti, vix ampliùs illi ipſi qui antè fuerant cognoſcebantur, profuſas ei cæteríſque militiæ Ducibus Catholicis lachrymas exciverunt. Ibì Divinâ re in caſtris ab Epiſcopo factâ, & tam Pro-Rege quàm Ducibus, Sacrâ Synaxi refectis, profecti ſunt in utramque fortunam parati uſque ad vicum Ondeguè, haud procul à caſtris Regijs. Quò ubi adveniſſe cognovit Imperator, catenis manus & pedes innexos, Abunæ poteſtati & arbitrio permitti mandavit. Verùm hic benevolentiæ à Patriarcha Alphonſo exhibitæ memor, negavit ſe quidquam in eos juris arrogare velle. Itaque uni è Palatinis Magnatibus à Rege donati ſunt, homini quantum ſchiſmati addicto, tantum in ſacerdotes Orthodoxos crudeli, adeóque efferato, ut eos in vinculis ſemper ponè ſe, quoquo iret, libidinosè tractos, per noctem

ſuo ſub lecto cogeret more canum cubare, datâ in victum diurnâ ſolâ permodicâ orizâ.

Poſt eas calamitates pluribus menſibus toleratas, in exilium denuo in Dambeenſis lacûs Inſulam deportati, & capitalium Romanæ Fidei hoſtium, Monachorum Schiſmaticorum cuſtodiæ traditi ſunt, donec in libertatem Filiorum DEI optata mors illos hâc occaſione aſſeruit. Venerat Romam Abiſſinus quidam, homo ignobilis, Imperatoris Jacobi, qui Sequedum anteceſſerat, filium ſe mentitus: & ut gratiam apud Patres Purpuratos mercaretur, legatum ſe Romam ab Æthiopica gente univerſa aſſeruit, poſtulatum ex alia, quàm Luſitanorum natione, Fidei Magiſtros. Æthiopas enim Religioni Catholicæ optimè addictos, eò ſolùm Patres inſectari, quòd è Luſitana exoſiſſima illis gente orti omnes eſſent, qui Sultanum Sequedum contra Parentem ſuum in occupando Imperio potiſſimùm adjuviſſent. Patres Romanæ curiæ non tam quòd fidem impoſtori, nullâ publicâ fide legationem probanti, haberent, quàm ut experimento rem tanti ad Eccleſiæ Catholicæ incrementum momenti tentarent, duos, neque Luſitanos ortu, neque familiâ Societatis, delegerunt ex Ordine Minorũ Gallos, qui ineunte A. 1638. in Abiſſinam appulſi, cùm intrepidè ac apertè errores Alexandrinos ubique arguerent, & inſtituta Romana, velut eam in rem ab Imperatore evocati, prædicarent: continuò plures Schiſmaticorum è monachis & proceribus aulam interpellare, Regémque fœderis & violati promiſſi arguere, qui dogma Alexandrinum unicè colere pollicitus, clandeſtinè interim Româ alterius ſectæ Prædicatores accerſat. Imperator eâ obnunciatione concuſſus, ut innoxium ſe ejus negotij probaret, duos illos è Franciſcanis Patres ſuſpendio interimit. Epiſcopum autem Apollinarem cum duobus ſocijs, quòd ijs viventibus nunquam ſecuros ſe in nativa Religione perſtituros dicerent, improbiſſimorum hominum libidini permittit. Iſti nullâ interjectâ morâ comprehenſos per tumultum omnes tres, in ſtativa Regia ad Oinadegam vicum rapiunt, ibique temere ex rhamno ſuſpenſos, ſemivivos etiamnum ſpirantésq; ſaxis obruunt A. 1638. initio Junij, quorum corpora laniatui volucrum ac ferarum expoſita, in nullo fuêre violata.

Sociorum Epiſcopi primus fuit P. Hyacinthus Franciſci, Florentiæ in Italia domo illuſtri natus. Caſtimoniæ ſtudio, deſtinatas ſibi à Parentibus opulentas nuptias, generosè conſtantérque aſpernatus, Societatem Romæ complexus eſt A. 1614. profectus in Indiam Goæ ſtudiorum curſum confecit, cujus in meta conſtitutus An. 1623. cum P. Gaſpare Paëz aliiſque in Æthiopiam tetendit. Eluxit in eo tantus modeſtiæ, verecundiæ, atque omnis Religioſæ virtutis fulgor, ut eum ſibi præ omnibus eâ gratiâ Nicenus Epiſcopus in ſocium cooptârit: eſſétque totâ Æthiopiâ pervulgatum, illam ipſius formam atque indolem Imperio dignam ſatis oſtendere, illum alicujus Italici Regis filium eſſe. Paſſus eſt A. ætatis 40. Societatis 24.

Alter ſocius fuit P. Franciſcus Rodriquez Luſitanus, qui abſolutâ Conimbricæ, jam Societati adſcriptus, Philoſophiâ, Goam enavigavit; ubi alterum annum Theologiæ impendens, ſuſcepto ſacerdotio in Æthiopiam penetravit A. 1628. Ibi conſtanter Patriarchæ adhæſit, exædificandis potiſſimùm ritu Romano templis perutilis: donec exacto Patriarchâ, ipſe militari habitu inter Luſitanos apud Barnagaſſum remanſit, eísq; omni ope ad ſalutem præſtò fuit. Incidit glorioſa mors in annum ætatis ejus 35. Societatis 20.

P. BRUNUS BRUNUS à S. Cruce, & P. LUDOVICUS CARDEIRA.

Vantopere ſortem ſuam deflevérit P. Brunus, quòd interfectis pro defenſione Fidei Catholicæ P. Gaſpare Paës, & Joanne Pereirâ, ipſe quamvìs longè pluribus ſaucius vulneribus, comortuus non fuerit, audivimus ex ſuprà ipſiuſmet, peccatis & demeritis ſuis id adſcribentis, literis. Verùm magìs interim glorioſam illi, quia apertiore ſolius Religionis, & præmeditato odio inferendæ mortis lauream parabat DEUS, cujus teſtis eſſet Magoga Civitas copioſa, & celebre forum è Catholicis & Schiſmaticis Æthiopibus congregatum. Natus fuit in Italia Civitellæ 7. Novemb. A. 1590. Patre in eadem urbe Regio Auditore. A puero pietati addictus,

P. Brunus Brunus à S. Cruce Italus, et P. Ludovicus Cardeira Lu-
sitan, Soc: IESV, pro defensione S. Romanæ Ecclesiæ suspensi, et lapi-
dib, obruti à Schismaticis in Æthyopia A. 1640. 12 Aprilis

dictus omnibus festis sacra mysteria sumebat, solutiorum sodalium fugitans, cum modestioribus nonnisi de rebus divinis colloquia miscere solitus. Eâ verò fuit in egenos misericordiâ, ut panem illis, quem pro jentaculo & merenda quotidie accipiebat, suo fraudato genio, largiretur. Corporis afflictandi percupido, una puero ratio succurrebat, cingulo nimirum scorteo, quod gestabat, usque ad lachrimas diverberare sese: cùm interea deriderent eum domestici, quòd simul flagellantem se, simul tanquam ab alio cæderetur, plorantem audirent. Sed ipse propositi tenax, exemplis arctioris vitæ, & ferventibus supra ætatem adhortationibus, sorores suas tres eò impulit, ut sæculo relicto, virginitatem Deo in diversis Parthenonibus consecraverint. Decimum quintum ætatis annum ubi inter hæc attigit, ad Romanum Seminarium è S. Genesio, quod oppidum eo tempore gubernabat ejus parens, transmissus est: ubi triennium Grammaticæ Poëticæque impendit, eâ legum illius contubernij observatione, ut bis solùm toto triennio in eas deliquisse ipsemet notaverit, nimirum contentiosiùs unâ vice cum socio egisse in cubiculo, alterà silentium violâsse in triclinio: cujus utriusq; noxæ tanta eum semper tenuit detestatio, ut cùm sæpe antea, tum in Æthiopia generali eas exomologesi expiare meminerit, quibus scilicet in vita profana universa nihil gravius unquam admisit.

Perferebantur interea complures ab In-

dijs in Europam noſtrorum literæ, quibus uberrimæ gentilium converſiones, & atrocia ſociorum ſupplicia & mortes in fidei cauſa enarrabantur: quæ cùm ex intervallo ſuper menſa legi auſcultâſſet, æmulandi cœpit ardere ſtudio, & Societatis ineundæ ſenſim cupiditate flagrare, quam ferè cernebat in ejus operis parte eſſe potiorem. Ut ergo jam tum duriſſimis quibusque in Dei & animarum cauſa ferèdis aſſuefieret, cœpit ter quothebdomadis flagro membra concidere, ſimúlque cilicio uncinis aſperato corpus adſtringere: omni jentaculo & merendâ, uti & quovis luſûs genere abſtinere: ter in hebdomada per totum annum, & quotidie per quadrageſimam, nullâdum legis neceſſitate compulſus, jejunium obſervare; Sacramenta frequentare aſſiduè. Ex quibus tantum Religionis cæpit ardorem, tam inflammatis eam exambivit precibus, ut ſuperiores denique Societatis, ſpectatis egregijs ejus animi dotibus, ad Tirocinium ex Poëſi admittendum duxerint, pervigilio Aſſumptæ Deiparæ A. 1608. Tum ille ab ipſo propemodum Tirocinij ingreſſu ſuſcepit Indicæ poſtulandæ miſſionis cogitationem; ad quam ut inſtructior aptiórque evaderet, omnem inediæ ſitiſque ferendæ, quam Magiſtri facultate ſubire licebat, arripiebat occaſionem; nudâ incumbebat humo, duríſve aſſeribus; depoſcebat probris appeti, atque convitijs; humilioribus premi officijs; ut Tirocinij ejus Magiſter, cùm biennio tranſacto Romano illum Collegio ad condiſcendam Rhetoricam tranſcriberet, nullum ſe comperiſſe Tironum omnium diceret aut ad omnem virtutem magis incitatum, aut qui majores in ijs proceſſus haberet. Inſtitit ille tum longè ardentiùs, ac deinceps Philoſophiæ tempore, Indicos ſibi labores depoſcere, dum denique deductis ad finem Theologiæ ſtudijs, voti compos à Mutio Vitelleſco Generali factus eſt, ſpondente, miſſurum ſe illum propediem; expediret igitur ſeſe, & ad arripiendum pòſt paulò iter compararet. Et accidit tum penitus, ut Sultanus Sequedus Æthiopiæ Imperator, Patriarcham à Pontifice cum plurimis è Societate Patribus ad ſe mitti poſtularet, cui proinde Româ, præter eos quos Luſitania longè plures adjecit, transmiſſi ſunt P. Alphonſus Mendez Luſitanus, conſecratus Æthiopum Patriarcha, & P. Didacus Siccus itidem Luſitanus, deſignatus illi ea in dignitate ſucceſſor, atque interea Nicenus creatus Epiſcopus (qui tamen in itinere Indico obijt) illiq; comes attributus eſt P. Brunus.

In Indiam appulſis, atque inde Goâ in Æthiopiam navigantibus evenit, ut celebrante P. Bruno coorta ſubitò tempeſtas, certum omnibus afferre naufragium videretur. Hinc conſternati ventorum rabie qui ſacrificio aderant, metu naufragij huc illúcque diffugiebant, cùm Brunus animo vultúque immoto, correptis S. Hoſtiâ, Divinóque ſanguine, ſe convertit ad fluctus ventósque ſævientes, & per eum Dominum, quem ſuis præferret manibus adjurat, ut iras ponant & ſubſidant. Mirum dictu: quievêre continuò venti, mare conſedit, aër conſerenavit, & abruptum ipſe tantiſper Sacrificium, attonitis omnibus, qui vultum ejus interea coruſcum viderant, ritè peregit. Fremonam ubi attigit, totum ſe diſcendæ gentis linguæ addixit, miſſus inde A. 1626. ab Imperatore & Patriarcha Nebeſſeam in Regno Damaſi, ut templum ibi Romani moris, & Societati domicilium excitaret. Ac principiò quidem inſtauravit ibi templum ſanè magnificum, olim ab Helena Imperatrice conditum, ſed ætatis hominúmque injuriâ labefactatum, primúſque in eo Romano ritu ſacrâ hoſtiâ litavit. Plurimis ibi Eccleſiæ conciliatis, Gorgorram abijt, ubi rurſus ingens ad Romanæ fidei profeſſionem mortalium facta eſt acceſſio, baptizati perquam multi. Paulò pòſt accerſitus à viro Principe, ut cum illius conjuge, quæ Alexandrino in Schiſmate obſtinatiſſimè hæreret, experiretur, num quid ad ejus ſalutem opis conferret, cùm illa omnem converſionis aut confeſſionis mentionem admittere ſe nolle diceret; negavit viciſſim ille ſe de his velle cum ipſa tractare, ſed obſervantiæ gratiâ cupere duntaxat officiosâ ſalutatione defungi. Eo obtentu admiſſus, paucis verbis ejus animum ità pervellit, ut ipſa continuè ſummâ ſua ſponte poſceret ad fidem inſtitui, neque illum ante expiatam ritè conſcientiam ſuam à ſe pateretur divelli. Cújus nobiliſſimæ matronæ, & utì pertinaciſſimæ priùs, ità pientiſſimæ poſtea exemplum, mirum quantum profuerit plurimis ad ſalutem.

His aliiſque innumeris pro ſalute animarum ſuſceptis laboribus Bruno diſtento, prænunciatum fuit veluti divinitus in vico Aſcio, labores illum, ærumnas, & cruces manere permultas; quo ille vaticinio mirè geſtiens, Bruni Romani nomen, quo fuerat illic eatenus compellatus, cum Bruni à S. Cruce nomine commutavit. Et verò paucis annis, hoc eſt non integris ſex elapſis, quibus Æthiopicam Eccleſiam pacificè Patriarcha

guber-

gubernavit, indignatus Dæmon Catholicæ Religionis incrementa, plurimas rebelliones (quæ ibi pro mobili gentis ingenio ſunt creberrimæ) in propugnationem ſectæ Alexandrinæ excitavit, quibus fractus fatigatúsque piiſſimus alioquin Imperator Sequedus, permiſit imprimis ad diem 25. Junij A. 1632. ſuis, qui vellent, reditum ad vetera ſchiſmatis inſtituta: ac deinceps, nequidquam obnitente, & fratrem Imperatorem erigente Razio Zelachriſto, Eccleſias omnes, etiam quibus Patres & Patriarcha utebantur, hæreticis condonavit. Sed Imperatorem brevi pœna, & mors cita, ante evolutum trimeſtre ſecuta eſt. Facilladatius Filius, Patris in Imperio ſucceſſor, ſocios ſedibus ſuis inſuper omnes exegit, & Patriarcham, receptum apud Barnagaſſum quærentem, in immanem Turcarum captivitatem dedi mandavit; paucis reſiduis Patribus, ût alibi jam memoravimus, quos inter erat P. Brunus Brunus, cum Niceno Epiſcopo, per ingentes ærumnas & perſecutiones in Æthiopia, diverſis ſeſe latebris occultantibus. A. 1635. paulò ante cædem P. Gaſparis Paëz & Joannis Pereira, in qua etiam P. Brunum quindecim vulneribus ſaucium, evaſiſſe tamen, in geſtis eorum paulò antè memoravimus, duo illi evenerunt, quæ magnopere ad caſum quemlibet fortiter ferendum, animum ejus incenderunt. Puer infans, quem in ulnis mater catholica geſtabat, audiens illam de acerbitate perſecutorum vitæ P. Bruni inſidiantium quiritantem, & nè ille tormentis impar ſuccumberet formidantem, explicuit tunc primùm in voces linguam, diſertè aſſerens, neque interiturum eâ quidem præſente inſectatione Brunum, neque cruciatibus unquam ceſſurum. Item aliàs deprecanti Bruno Deiparam, cujus à puero erat ſtudioſiſſimus, ut ſe contra vim efferatorum hoſtium tueretur, néve ſineret conſtantiam ſuam eorum tormentis labefactari; adfuit illa aſpectabilis cum DEO infante, & ſuum pollicita in adverſis omnibus præſidium, anulo in ejuſdem digitum inſerto, utì olim Filio ſuo Catharinam, nunc item ſibi eum deſpondit.

Poſtquam ſubductus in tutum ex immani illà cæde P. Brunus, ex tot illis vulneribus ingenti profuſo ſanguine fruſtrà medicamentis curabatur, indicta ſunt pro eo publica omnibus fidelibus, etiam infantibus jejunia, unicâ per diem à matribus lactatione eis præbitâ, dum ſanitas illi à DEO reſtitueretur; quâ recuperatâ illico ſe ad omnes afflictiſſimi gregis curas, omnibus contemptis periculis retulit. Contigit intereſſe aliquando ejus concioni virum Principem Habetem Zamarianum, Imperatori affinitate conjunctum, qui ejus oratione permotus, continuò Eccleſiæ ſe Romanæ conjunxit, & montem, quem in ſua ditione habebat editiſſimum, ab incurſu cujuſvis hoſtis abundè tutum, inhabitandum illi obtulit. Hìc ille unà cum P. Ludovico Cardeira, ſolo præterea ex ſocijs in Æthiopia ſuperſtite, latitans, piorum vivebat eleemoſynis, ſuósque cætus ſtatis temporibus cum fidelibus celebrabat. Cùm verò ſæpius eos ſibi dedi urgeret Imperator, minatus alioqui ſe Zamarianum in perduellibus numeraturum, conſtanter renuit ille, maluítq; adeò in diſcrimen ſe cum univerſa domo & ditione ſua conijcere, quàm nefariâ proditione innocentes Dei famulos in certam necem Tyranno dedere. Tribus in eum vicibus infeſtas idcirco copias Duce Tigrano Pro-Rege immiſit Imperator, quem ſemper ingenti clade fudit fugavítque Zamarianus, & ultimo prælio unà cum Ducibus omnibus exercitûs etiam interfecit. Tandem, neſcitur quo caſu, oppreſſo Zamariano, timentes Schiſmatici nè ea Romanæ fidei media in Æthiopia relicta ſcintilla, aliquando eorum hæreſi deflagrationem crearet, cùm mons penitus inacceſſibilis armis obtineri violentè non poſſet, ſtatuêre ejus incolas velut indagine cinctos, fame ad deditionem cogere. Graviùs obſeſſos ſitis, corrupto ab hoſtibus, qui unus ad potum in montis radice ſcaturiebat, fonte, quàm fames habebat: ſed indictâ Brunus ſupplicatione (eò enim ſe præter complures Catholicos univerſa Zamariani receperat familia) & jejunio, ipſe nudatis pedibus Ven: Sacramentum circumtulit; quo in Ædem vix relato, tanta repentè montem pluvia, ſiccis undique atque arentibus circùm agris inundavit, ut aquis omnia receptacula implerentur. Sed & hâc demum aliquantò pòſt, omníque cibatu conſumpto, coacti ex intervallo nonnulli ad plana deſcendere, ut cibaria compararent, ab inſtructis undique inſidijs intercepti & contrucidati ſunt, contemptâ animosè vitæ ſervandæ conditione, ſi ad impiam ſchiſmatis communionem deſciſcerent. Ergo Patres ablegato ad Imperatorem certo homine petunt, ut ſi eos neque eo in monte, neque univerſim in Æthiopia morari ampliùs ſuſtineat, patiatur ſaltèm indemnes, utpote nullius admiſſi criminis reos, ad ſuos in Indiam redire. Ille per literas reſpondit, deſcenderent porrò de mon-

monte, atque ad ſuos abirent, aut ſi malint, loco quem ipſis in Regno ſuo aſſignaturus eſſet, ſecuri manerent: divinæ ſe ſuum caput iræ devovere, ſi quid illis nocumenti patiatur inferri. Eo Imperatoris freti ſacramento deſcendunt Patres, & mare Erythræum, unde in Indiam renavigent, petunt: cùm ſceleratè iterum à Gubernatore Tambanenſi intercipiuntur. Vehementer ursêre tum Monachi Schiſmatici Imperatorem, ut juberet eos è vita tolli, ſoluturos ſe eum juramenti obligatione, quo ſuum Deo caput pro eorum incolumitate devoverat. Sed cùm nollet fidem datam violare Imperator, ſcripſiſſétque Tambanenſi, ut illos ad ſe continuò ſub fida cuſtodia mitteret, illi per Imperatoris matrem mortem illis paravêre. Hæc literis Filij legitimis interim ſuppreſſis, alias nomine ejuſdem comminiſcitur, quibus jubebatur Gubernator Patres proximis Magogæ nundinis, ceu Majeſtatis reos, publico ſuſpendio necare. Illi in tempore ab homine Catholico, qui rem totam exploraverat, admoniti, eam ſibi felicitatem mirè gratulari, & imminenti propediem ſupremo certamini ſtrenuè ſe comparare. Magogam igitur A. 1640. 6. Aprilis qui tunc feria 6. majoris hebdomadæ fuerat, adducti, ad diem uſque Jovis 12. Aprilis in carcere attenti ſunt: quo producti ad fori medium, ubi truncum aridum lictores ſuſpendio ſtatuerant, ſuum ſtipitem flexis humi genibus devenerati ſunt. Tum manibus ligatis, corpore umbilico tenus nudati, factâ loquendi poteſtate, P. Ludovicus Cardeira multitudinem affatus: libenter ſe omnino mori, dixit, & in tantæ multitudinis conſpectu multò libentiſſimè, ut Chriſto Domino ſuo quaquâ ratione aſſimilari poſſint: & quidem pro ea fide tuenda, extra quam nemini omnino ſalus animæ ſempiterna poſſet obvenire. Cùm verò diceret Imperatoris Miniſter ſupplicio Præfectus, haud eſſe jam tempus ampliùs Romanæ prædicandæ fidei: imò verò, excepit Brunus, jam maximè id agendi tempus eſt, dum morte ac ſanguine veritas ejus obſignanda eſt, ut nulli poſthac dubium eſſe poſſit, quàm ſincerè eam & ex animo in vita prædicârint. His dictis convertit ſe Brunus ad P. Cardeiram, & ejus ad pedes advolutus oravit, ut ſemet, & quem manu prætendebat funem, tanquam ſuus ſuperior benedictione ſacraret, & priorem ſe mori juberet, ut Dominum ſuum quoad poſſet æmulatus, ex obedientia decederet. Cardeira & illi, & reſti, & ſibimetipſi bene à Deo precatus eſt, itémque & urbi & regno univerſo, Pſalmo ſexageſimo quarto ad finem uſque gentis linguâ recitato; quâ re Catholicis magnum pietatis ſenſum, hæreticis admirationem confuſionémque concivit. Tum reſtis P. Bruni prior arbori alligata eſt, & ipſe continuò tractus & ſuffocatus, anno ætatis 50. Societatis 35. vultu etiam à morte haud tetro, vel ùt eſſe ſuſpenſis ſolet lurido, ſed qualis viventi fuerat renidente, & blandum ſpirante: cujus aſpectu mirificè confirmatus Cardeira, eodem ſupplicio hilaris confectus eſt, anno ætatis 55. Societatis 39. Mox gentis more lapidibus appetiti, & quatriduo toto eodem in ligno pendere permiſſi, cùm omnis odoris corpora expertia eſſent, in collem belluis infamem abjecta ſunt, ne à Catholicis ad venerationem ſubduci poſſent. Erat P. Bruno Colonellæ in patria ſuperſtes frater Propertius Medicinæ Doctor: is gravibus aliquando doloribus in humero afflictus, literas à fratre olim ex Æthiopia datas magnâ fiduciâ loco affecto applicat, precatus, ut ſi quæ de ejus Chriſti cauſâ obita ferebantur morte veritati congruerent, opem ſuo malo afferret. Teſtatúsq; ſanctè eſt, ſeſe eodem ab admota epiſtola momento omni fuiſſe dolore liberatum, neq; unquam ex eo ampliùs, cùm antehac ſæpius ex intervallo rediret, condoluiſſe.

P. Ludovicus Cardeira Bruni in morte ſocius, Luſitanus ortu fuit, civitate Bejâ, qui anno ætatis 16. impetratâ ſocietate, A. 1611. transmiſit in Indiam, atq; inde cum reliquis in Æthiopiam. Cujus plenos fructibus labores, & ingentes toleratas ærumnas, quia jam relatis P. Bruni, aliorúmq; gemella ſunt, tacitus prætereo. Duobus autem præ reliquis ſocijs ſpecialiter profuit Æthiopiæ; canendi peritiâ tum voce, tum organo, cujus utriusq; diſciplinâ inſtitutis adoleſcentibus, mirè animos incolarum Fidei Romanæ conciliabat. Adhæc vernaculum gentis idioma aptiſſimè calluit, & Biblicæ Æthiopum linguæ, quam doctam ipſi vocant, ſociorum omnium peritiſſimus evaſit, in quam non pauca ſacris è libris tranſtulit, & alia ſuo ipſe ingenio, quo perſpicaciſſimo fuit, quatuor vota unà cum P. Bruno profeſſus, conſcripſit, mirantibus ejus facilitatem, & eloquentiam ipſismet Abaſſinis.

P. BERN-

P. Bernardus Nugueira illustrissimo ortu Lusitanus, pro fide Catholica à Schismaticis suspensus, in Æthyopiæ Regno Goiama. A. 1653.

C. Sereta d. M. K.

P. BERNARDUS NUGVEIRA.

PLures ex Lusitanis nobiles familiæ, tum per mercaturæ opportunitatem, tum per varias belli occasiones, quibus Abissinæ Regibus in Turcam, aliósque perduelles, subsidiarij sæpius ab India venerant, sedem sibi stabilem in Æthiopia fixêre, Fremonâ nobili ejus Imperij urbe, ac Oviedi Patriarchæ olim sede, deinceps autem etiam prodigijs claro sepulchro insignitam, majore parte eorum colonijs inhabitatâ. Ibi natus est P. Bernardus Nugueira, ductis è Bracharensi apud Lusitanos nobilitate claris originibus inclitum nomen, quod morte deinde supra natales quoque illustri gloriosius reddidit. A puero institutioni Patrum Societatis pij parentes filium commisêre, sub quorum disciplina latinis literis ad perfectionem imbutus, eos etiam in omni genere virtutum profectus fecit, quibus ad publicas, eásque sacras Patriæ utilitates, in Ecclesiæ candelabro positus, diu illic Fidem Catholicam post expulsos partim, partim necatos socios omnes, solus ipse utiliter sustentavit. Jam inde ab eo tempore, quo Sultano Sequedo Patriarcham à Romana Sede deposcenti, missus interim est P. Emmanuel Almeida, qui Visitatoris ac veluti Legati ad eum Imperatorem munus obiret in ijs, quæ ad rei Catholicæ instaurationem apud Abassinos expe-

expedirent, Bernardus illi fidelis comes ac interpres conſtanter adhæſit: cui viciſſim Almeida certis quæ ſe à publicis negotijs vacua dabant temporum intervallis, divinæ Scripturæ myſteria explicabat, tantâ Bernardi quà ſcribendo, quà audiendo ea excipientis contentione, & totius ingenij, quo excellebat, applicatione, ut eâ ſacræ diſciplinæ peritiâ plenè imbutus & ſcholaſticè doctus, magnos deinceps in omni occaſione de proximis fructus retulerit. Poſtquam autem ſuperveniens Patriarcha Alphonſus Mendez, Eccleſiam illam hæreſum erroribus perpurgare aggreſſus eſt, neminem quem lateri ſuo fideliorem adjungeret ſeu comitem, ſeu interpretem, nactus eſt Bernardo; hinc etiam ſacris initiatum ordinibus, in ardua illa tot laborum perfunctione habuit veluti adjutorem, omnibus ſecum proſperis & adverſis exercitum, & calamitatibus ijſdem, quibus alios eâ tempeſtate preſſos memoravimus, involutum. Demum ſocijs omnibus univerſim ab Æthiopia proſcriptis, Patriarchâ expulſo, Epiſcopo necato, ipſe unus Catholicus ſacerdos ad fidelis ibi gregis ſolatium, quia necdum Societati adſcriptus tolerabiliùs latebat, à Patriarcha relictus eſt: quo etiam luculento teſte & laudatore omnes Vicarij, & inconfuſibilis operarij partes cumulatè implevit. Quo eodem tempore aſſumptus eſt ad conſcientiæ arcana ab inclito illo Regióque Principe Razio Zela Chriſto, quem cùm optimi auguſtæ memoriæ Imperatoris Sultani Sequedi germanus eſſet, eo poſtea vitâ functo, Filius ejus & Imperij hæres cereo fluxóque ad conſilia nova ingenio, Patruum optimum longâ viginti & ampliùs annorum cuſtodiâ afflixit. Et cùm promiſſis varijs multifariam tentatum, à Romanæ Fidei ſanctitate dimovere non poſſet, aliquantò poſt necem Bruni & Cardeiræ, meliore conceptâ mente, è cuſtodia exemptum ſuo permiſit arbitratu vivere; unde nonnulla iterum bonæ in eo Imperio converſionis affulgere ſpes viſa eſt. Verùm cùm iterum à Monachis ſuis Schiſmaticis, qui ſupremum in eo Principe columen & firmamentum Catholicæ Religionis perſpiciebant, urgeretur, eundem illum ingratiſſimus nepos ſuſpendio interemit.

Fluxerat inter hos Bernardi Apoſtolicos labores Annus 1650. cùm P. Franciſcus Piccolomineus univerſæ Societati Præpoſitus Generalis, tum ejus privatâ ſolicitatione, tum Patriarchæ, virtutis ejuſdem commendatione inductus, datis ad Provincialem earum partium literis 30. Octobris, eum Societati legitimè adſcripſit; cujus ille tam diu exambiti favoris compos factus, novo ad rem bene gerendam capto exinde impetu, voluntatem ſuam omnem eorum qui regunt voluntatibus tranſcribebat. Et erat tum omnino ipſe ſolus, per quem Patriarcha circa oves ſibi commiſſas, quæ fieri vellet, conficiebat; hinc naviter in Regno Tigrenſi elaboranti, quædam Goâ in mandatis dedit, ſacerdotalis quoque apparatûs inſtrumento abunde ſubmiſſo: adhæc aurum adjecit, pro eorum qui iſthic inopiâ premebantur, Catholicorum levamento, quo ſuſtentarentur. Ibi rebus quam optimè conſtitutis Bernardus, in Regnum Gojamæ tranſivit, ut ſubmiſſorum à Patriarcha ſubſidiorum parte, illos etiam fideles adjutum iret. Sed non poterat diu latere tam navus ſupremi Abaſſiæ Paſtoris Vicarius, quin dum animabus æquè ac corporibus undequaque juvandis intendit, ad Pro-Regem deferretur: à quo tentus, vinculis immaniter conſtrictus, ad tribunal ductus, Religionis Imperatori tam inviſæ damnatus, & ad furcam, deſtinatum illic longâ temporum præjudicatione in Catholicos ſupplicium, addictus eſt. In qua ſuſpendio ſtrangulatus, fortem animã Creatori ſuo reddidit in eodem Gojamæ Regno. A. 1653.

SOCIE-



Societas IESU campos Asiæ fuso cruore rigans, semen fit Christianorum.

P. Scrēta del:

M.' Küsell fc:

SOCIETAS JESU ASIATICA.

ASIA, reliquarum Orbis Partium hactenus cognitarum maxima, & Europam Africámque propè vaſtitate excedens, maximos etiam Societati JESU exhibuit labores, incredibiles attulit ærumnas, & poſt innumerabilium Gentium & Nationum converſiones, feliciſſimos ex diris mortibus peperit triumphos. Ejus ut Nationes aliquando Catholicas, ſed Turcarum ſub Imperio in ſchiſma, aliásque hæreſes, prolapſas Eccleſiæ reſtitueret, pluribus legationibus in Syriam ſuſceptis, Maronitarum gentem, totámque Armeniam feliciter Chriſto ejúſque Vicario ſubjecit, per delegatos illuc à Gregorio XIII. P. Joannem Elianum, & P. Joannem Brunum, A. 1581. alioſque deinceps. Quibus ut nunquam deeſſent idonei ex propria Natione cultores, quorum induſtriâ & laboribus hodiéque in obedientia Romani Pontificis perſiſtunt, Seminaria Romæ Maronitis, Græcis, Armeníſque in Fide Catholica educandis excitata ſunt, in quibus pietate & doctrinâ inſtituendis hodiéque naviter deſudat Societas.

Præcipuus tamen Apoſtolicorum ſudorum campus illi fuit tertia pars Aſiæ, quam communiter Indiam Geographi nominant; quò in partem laborum Apoſtoli Thomæ divinitus vocata, ità feliciter in meſſem ipſius intravit, tam optatis ſucceſſibus Fidem illic per eum prædicatam propagavit, ut jure merito ejus ſocij, ſucceſſores magni Apoſtoli ſemper habiti, neque alio quam Apoſtolorum nomine (quo hodiéque in illis partibus gaudent) ab incolis ſint vocati. Ipſe quin adeò S. Thomas ſucceſſores ſibi eos, & laborum ſocios divinitus præſciviſſe, & deſignâſſe videtur. Siquidem Meliapore, quæ Coromandelis Regni tum caput erat, templum Chriſto molitus, à Rege autem Sagamo, & Dæmonum ſacrificulis impeditus, cùm inuſitatæ magnitudinis truncum in litus mare ejeciſſet, eúmque complures adhibiti Elephanti toto adniſu dimovere loco non poſſent, Apoſtolus Regi conditionem tulit, ſi truncum illum ſibi ad Templum vero Deo ædificandum daret, nullis machinis, nullo mortalium adjutore, ſe protinus illum ad Urbem tracturum. Cùm Rex inſanire hominem ratus annuiſſet, tum S. Thomas zonâ, quâ erat præcinctus, ad prominentem è caudice ramuſculum annexâ, ſigno tantùm facto Crucis, immanem arborem facili

ductu

ductu ſequentem, in ipſo pomario Urbis ſtatuit: ibidémque defixâ lapideâ Cruce vaticinatus eſt: cùm ad eum uſque lapidem pertingeret pelagus (diſtabat autem id temporis à mari leucas ferè decem) Divino juſſu è remotiſſimis terris candidos homines, ad eadem quæ ipſe intuliſſet Sacra inſtauranda, venturos. Nec fefellit prædictio; ſiquidem ſub Luſitanorum appulſum, quorum claſſe eodèm S.Xaverius aliíque deinceps è Societate adveĉti ſunt, occultis tot annorum acceſſibus locus Oceano tandem allui cæptus eſt.

Nulla inter innumerabiles propè nationes, Regna,& Inſulas illic eſt, quam non excoluerit, colátque hodie ingenti ſudore & ſanguine ſuorum Societas J E S U, plurimis hominum myriadibus ad Chriſtum converſis. Solus S.Xaverius, qui primus è Societate durum novale excoluit,ſupra decies centena millia propriâ duntaxat manu baptiſmo eluit, non accenſendo incomparabiliter majorem mortalium vim, quam ſuis prædicationibus inſtructam,alijs baptizandam reliquit,& quam Greg.XV.Pont.Max. aſſerit eſſe majorem, quàm ſuo Græci Romaníque ſubjecerint Imperio; & Bogius cum multis alijs Hiſtoricis teſtatur fuiſſe numerum copioſiorem, quàm univerſi à temporibus Apoſtolorum Hæretici ad ſectas ſuas per annos 1500. traduxerint: inter quos fuêre potentes Monarchæ, Reges & Reginæ ab Idolis aut Mahomete ad Chriſtum traductæ ſupra duodecim: Rex Vlatis,Rex Buliagri, Trauancoris,Saxumæ, Amangucij, Maldivarum, Celebis cum Fratre, duo Zeilani Reges, Regina Ternatis, aliíque ignoti Reges nominis. Cùm tamen penè extra ſpem eſſet, belluinam illam Principum licentiam circumſcribere terminis Chriſtiani pudoris, qui domi centum, foris quotquot immanis libido ſuaſiſſet, uxores alebant.

Nec ſegniore paſſu Xaverij veſtigia ſecuti ſunt ſocij, quorum Apoſtolico denique zelo impenetrabiles ceſsêre Chinarum Imperij muri, Regnorum Japoniæ portus impervij, vaſtiſſimæ & innumeræ Oceano ſparſæ Inſulæ, Molucæ, Salſettæ, Anchedivæ, Philippinæ, quarum una par eſt magnitudine toti Hiſpaniæ; Zeilani, Amboini,Celebis, quarum una Macazar nomine, milliarium ambitum continet 600. Inſulæ Mauri, Sanguini, Oræ Piſcariæ, Promontorium Comorini, ampliſſima Regna & Imperia Perſiæ, Mogoris,Siam,Calecut,Travancoris,Cocini,Bengalæ,Ormuz,Cocincinnæ, Corea,Tunchinum,& quidquid demum terrarum tractibus illis hactenus innotuit,nihil eſt quod ſe abſcondat à calore,& igneo Societatis zelo. Quanta porrò ex igne,quẽ mittere venerant in terras illas Socij,exarſerint veræ Fidei, & in DEUM Charitatis incendia,quàm latè porrexerint ſeſe animarum lucra, teſtis eſt Japonia, etiamnum domeſticorum pro Fide Athletarum ſanguine reſtagnans, tantâ in Tyrannorum atrociſſimis perſecutionibus conſtantiâ, ut omnibus ſacerdotibus, tam indigenis quàm peregrinis, morte vel exilio ſublatis, inconcuſſa tamen in Chriſti religione, poſt plura diriſſi-

mis ſupplicijs ſuorum ſublata millia, hodiéque perſeveret. Teſtis China, pluribus jam Templis vero DEO extructis conſecrata; in qua præter centena Catholicorum indigenarum hactenus millia, Principes è Regio ſanguine, ex ampliſſimo ordine Mandarini, Duces militiæ, Eunuchi Aulæ præcipui, Illuſtres Imperatorij Gynæcei fœminæ; Imperator quin adeò ipſe Sinarum poſtremus, dictus in baptiſmo Conſtantinus, cum matre Anna, & conjuge Helena, filióque unico, ſacro fonte à Patre Xaverio Koffler initiati ſunt. Cujus Chriſtianitatis tanta hodie ſpectatur Sanctimonia, ut aurea naſcentis Eccleſiæ ſæcula illic redire videantur. Teſtes Celebis Inſulæ, in quibus cum totis populis Regem Siami, & Regem Manades, P. Jacobus Magallianes: Inſula Sanguini, cujus Regem & Reginam cum univerſa aula, & duos alibi Reges P. Maſcarenia; Inſulæ Baciani, cujus itidem Regem cum tota Natione P. Antonius Vazius ſacris undis abluit. Ut taceam potentiſſimum Japoniæ Imperium in 63. Regna diviſum, quod præter alias ex Societate operas, excoluêre creati à Summis Pontificibus ex eadem Societate Japoniæ Epiſcopi, P. Melchior Carnerus, P. Sebaſtianus Morales, Ludovicus Cerqueira, P. Petrus Martinez: quorum, aliorúmque Sociorum indefeſſis laboribus vidimus ad Chriſtum converſos, maximos Japoniæ Monarchas, Franciſcum Regem Bungi, & aliorum ſex Regnorum Dominum: Bartholomæum Regem Omuræ, cum undecim alijs Japoniæ Regibus, Joannem Faramondum totius Japoniæ Imperatoris conſobrinum, lentis deinde vivum ignibus, poſt digitorum omnium in manibus & pedibus truncationem, pro Chriſto crematum: Franciſcum & Mathæum Regis Arimæ fratres, pro eadem Chriſti religione mortem paſſos. His acceſſit Mater regnantis hodie Perſarum Imperatoris; Filia Arabiæ deſertæ Regis: Filia Mahometani Dacence Regis, illa Ormuzij à P. Barzæo, iſta Goæ baptiſmo tincta. Hieronymus Xaverius magni Xaverij nepos, magni Mogorum Imperatoris Nepotes quatuor Chriſto adjunxit, quos ſecutus eſt ipſe Mogoris Imperator. P. Balthaſar Bareira Regem Mocumbre, & Regem Taræ centum quinquaginta annorum ſenem; P. Antonius de Andrada Regem Tibeti cum Regina: P. Antonius Eredia Regem Maldivarum: P. Emmanuel Diaz Reges variarum Provinciarrum tres, partim ab Idolis, partim à Mahomete Chriſto aſſeruerunt.

Quibus ſi accenſeas non jam de vulgo Gentilitatis, ſed ipſarum ſuperſtitionum, & profaniſſimorum Sacrorum innumeros Popas, & ſupremos Antiſtites, & tota Idololatricorum Cœnobiarcharum domicilia, & cum ſuprema poteſtate ſacrificulis præſidentes Pontifices, colliges nimirum exinde incredibiles ſociorum labores, exantlatos per mille difficultatum, ærumnarum, mortium pericula, inſuperabiles conatus, ad ſubijcienda humili Chriſti jugo colla eorum, qui penè inſtar Deorum à ſuis colebantur. Talis erat ſummus ille Brachmanum in Regno Ormuz Jogus (Pontificem nos dice-

diceremus) octogenario major, tantâ ſanctitatis opinione, ut Rex ipſe ab eremo ſua Ormuzium venienti pedes ablueret, & magnâ Religione aquam inde acceptam biberet: quem tamen in Chriſti rete mirâ felicitate pertraxit P. Barzæus, & præeuntis exemplum omnes Cœnobiorum illi ſubjectorum Brachmanes (quorum plures erant centuriæ) & Sacrificuli ſecuti ſunt. Par huic alius ille Bazaini, & alius iterum in Inſula Anchediva ſupremus Jogus fuit, alibíque totis Indijs, Japoniâ, & Chinâ, innumeri ſuperſtitionum Antiſtites; quorum opiniones aſſuetus ſequi populus, plurium millium uno ſæpe baptiſmo capitum acceſſu, Eccleſiæ fœtum multiplicabat. His acceſſit Thomæorum Chriſtianorum in Malabare Archi-Epiſcopus, à Neſtoriana hæreſi ad Catholicæ gremium Eccleſiæ A. 1577. reductus: in qua eadem Archi-Epiſcopali ſede poſitus deinde P. Franciſcus Garzia, totam illam gentem Romano Pontifici ſubjecit. Sed nimirum tam fortunati in medijs Inferorum Regnis ſucceſſus, ſinè multo ſanguine, prælijs & necibus obtineri non poterant, ubi per plura annorum millia quietâ & ſecurâ poſſeſſione triumphans Dæmon, omnem Inferorum objecit pœnam, armavit crudelitatem, ut nè ſede tam diuturnâ pulſus, ſubj ugum Chriſti Regna ſua mitti cernere cogeretur. Unde ſpectabis hìc benevole Lector, ſi uſquam alibi, inaudita ſuppliciorum genera, exquiſitiſſima tormenta, plura quàm ullâ aliâ parte Orbis funera, quibus Socij JESU dum pulcherrimam Orbis partem, ac veluti deliciarum hortum, ſanguine ſuo in futurum Chriſtianorum ſemen rigant, ab Elephantina incolarum rabie obtriti ſunt. Quæ dum legis, nè mirêre ſolùm otioſus ſpectator, ſed æmulare pro viribus ſtrenuus illorum ſectator! *mortes enim* & ſupplicia Martyrum, *exhortationes ſunt Martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Qui enim ipſos, in quantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire*, ait S. Auguſt. ſerm. 47. de Sanctis.

P. Antonius Criminalis Italus Parmensis, primus è Societate IESU, à Badagis Idololatris, in India Orientali, quatuor lanceis confossus, et obtruncatus. A.° 1549 in Majo vel Junio.
C. Screta del. Melch. Küsell f.

P. ANTONIUS CRIMINALIS.

NEmo ampliùs præter meritum, & sinè causa, odijs omnium usq; hodie exagitari, linguis maledicis configi, insectationibus exerceri, latronum supplicijs extirpari credat Societatem JESU. Verum quidem est, *quòd Deus ejus filios novissimos* Religionum *ostendit, tanquam morti destinatos*; ut dicere possint: *usque in hanc horam colaphis cædimur, & instabiles sumus, maledicimur, persecutionem patimur, blasphemamur, tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.* 1. Cor. 4. sed nunquid sinè causa? *Criminis* condemnat ipsa patiendi exordia, non sinè mysterij specie, primus omnium è Societate JESU Athleta *Criminalis*. *Criminalis* est, cui violenta mors primò obtigit. *Primum in quovis genere, mensura est reliquorum*; ait Aristoteles. Crimina plectuntur in primo, hinc de reliquorum conjice innocentia. Sed non turbetur cor vestrum socij! *Crimina* plectuntur in *Criminale* non alia, quàm quæ ad infame crucis patibulum Dominum vestrum condemnârunt! Dixerunt enim Judæi ad Pilatum: *si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*, Joan. 18. & rursus Matth. 27. *seductor ille, Hoc enim appellabatur nomine D. JESUS Christus*, ait S. Aug. in Ps. 63. *ad solatium servorum suorum, quando dicuntur seductores.* Seduxit

& An-

& Antonius Criminalis laudabili ab Idolis defectione ad veri DEI cultum Comorini Promontorij incolas, quò cum ſocio Joanne Beira à S. Xaverio miſſus eſt, ſocius futurus Franciſco Manſillæ, qui ſolus è Societate cum tribus Sacerdotibus indigenis, Chriſtianos ibidem per id tempus inſtituebat. Ad quos ùt cum Beira acceſſit Antonius, novis omnia flagrare cœperunt ſtudijs, quibus gentem illam ingenio ferocem, ad fidem Chriſti parum propenſam, incultam moribus, in mutua odia incenſam, Chriſto lucrifacerent.

Natus fuit Antonius Siſſæ in Italia, pago leucis circiter tribus Parmâ diſſito, 7. Febr. A. 1520. ubi à duobus Sacerdotibus humanioribus literis inſtructus, & pijſſimè educatus, cùm altiora ſtudia proſecuturus Parmam conceſſiſſet, in PP. Fabrum & Lainium Ignatij ſocios feliciter incidit, qui plus centum civibus eodem tunc ſimul tempore Exercitia S. Patris tradebant. Ad vacandum ijsdem ſub directore Fabro inductus Antonius, tam abundè infundentem ſe Spiritum Divinum hauſit, ut caſtitatem DEO perpetuam nuncuparet; & primo ſacrorum Ordinum initiatus talis foras prodiret, qualem ex talis Fabri incude exire decuiſſet. Inſuper curioſiùs introſpectis utriuſque moribus, formam illorum, quam ſuſpiciebat, ſtatuit æmulari: unde anno inſequente, qui fuit ſæculi quadrageſimus primus, idémque Societatis à Paulo III. confirmatæ primus, pedes Romam accurrit, ibidémque S. Ignatio probandum ſe tradens, continuè in numerum Sociorum admiſſus fuiſſet, niſi eum Parens in ſolatium orbitatis ſuæ, ob recèns defunctam matrem, evocâſſet. Apud illum aliquamdiu non jam ùt ſæcularis, ſed ùt Religioſus vivens, bonâ ejuſdem veniâ anno ſequente, medio hiemis Romam recurrit, & à S. Patre in Societatē recipi promeruit, annos natus 22. jam Subdiaconus. Non multò pòſt in Luſitaniam ad proſequenda Conimbricæ ſtudia cum quatuor ſocijs ire juſſus, viliſſimo habitu, & corrogatâ in diem ſtipe, totum quinque menſium iter pedes confecit; noctes, ſi bona ſors tuliſſet, in publicis pauperum domibus, vel inter deſerta mapalium rudera, vel ſi tenebris intercideretur, ſub dio traducere ſolitus. Quantâ autem in ſocios tunc ſe geſſiſſet charitate, luculentè expreſſit Ribadeneira, unus ex viæ Avenionem uſque comitibus, eâ, quam in morte P. Antonij dedit, epiſtolâ. *Mirabar*, inquit, *perſæpe ejus fervorem charitatis; ut mirum non ſit, ijs initijs finem datum à DEO non diſſentaneum. Conſuetum namque illi erat ſociorum ſarcinulas ſibi imponere; quoties fluvius transmittendus, vada ambigua tentare, & frangere; debiles etiam humeris ſublatos transvehere; hilaritatem omnibus vivacem vegeto ſuo latóque ardore accendere; ſuam denique ſingulis operam paterno affectu, famulari obſervantiâ exhibere.* Studijs Theologicis biennio abſolutis initiatus ſacerdotio, in Indiam ſolvit Ulyſſipone A. 1545. datis priùs his ad Parentem, quibus eum ad æterna fortiter hortabatur, ſalutaribus monitis: *Per Chriſtum te obſecro, id agamus, ut videre mutuò in beata illa, ad quam conditi ſumus Patria, poſſimus, in hâc opinor nunquam ampliùs viſuri. Saluti, dum licet, quærendæ incumbamus, nec enim poſtmodum dicere juverit: nunquam ſic fore credidiſſem. Erit cùm fruſtrà cupiemus, quod præſtare nunc ultro & facilè valemus. Si quid uſquam boni, ſi quid mihi jucundi gratificatus es, per Chriſtum te oro, theſaurum illum ambias JEſum Chriſtum, veros omnes theſauros ſe uno concludentem. Necte filiorum aut filiarum mordax cura ab eo retardet: fortaſſis enim futurus es nobis omnibus ſuperſtes; tametſi optarem nos omnes jam eſſe mortuos, crucifixos inquam, & ſæculo mortuos.*

Goam Indiæ Metropolim eodem anno 1. Septembr. appulſus, & poſt 6. menſium in Seminario S. Fidei, in Æditui & ægrotorum Curatoris miniſterio quietem, ad excolendum Oræ Piſcariæ Comorini Promontorium ire juſſus, totam illam Regionem per ducenta ampliùs paſſuum millia patentem, quotmenſibus nudo pede decurrebat, nuda ût plurimùm in humo dormiens, ubi eum nox interciperet; nullo adversùs ardores æſtatis illic ſæviſſimos, aut hibernos imbres tegumento munitus, per continua in fluvijs & torrentibus transvadandis vitæ diſcrimina, ſalutem animarum procurans; orizæ modico, & aquâ ſimplici victitans, nam piſcis & olus ſummæ illic Primorum ſunt deliciæ; tamque alacriter ærumnas omnes exhauriebat, ut ijs occalluiſſe videretur; & ubi omnes ipſius ſocios ſternebat fatigatio, morbúsque affligebat, charitatis illum, quàm naturæ vis animoſior, vegetiorem quotidie, ac velut recentiorem operi reddebat. Chriſtianos regebat ad ducenties mille, quos in oppidis, pagis, & tugurijs inter ſe longiſſimè diſſitos viſitans ſolabatur, confirmabat in fide, defendebat à Miniſtrorum Regiorum oppreſſionibus, & rapacitate militum, titulo cuſtodiendæ Provinciæ miſeros incolas expilantium. Ad hæc quanto eguerit Virtu-

tum

tum præſidio, facile eſt cogitare; patientiæ præſertim, prudentiæ, comitatis, & hortatricis reliquarum omnium charitatis, quâ omnibus omnia fieret, transformarétque ſe in eorum genium, ut ſibi devinctos Deo obſtringeret. Ac nè linguâ velut extraneum audirent, quem reipſa ubique experiebantur Patrem, hoc ſuis etiam laboribus tædium adjunxit, ut difficillimum, & valde barbarum illorum condiſceret idioma. Porrò in tanta, tam varia latiſſimæ vineæ atque itinerum occupatione, mira erat Criminali quieſcentis in DEO animi tranquillitas; útque nisì pro DEO, ità nisì cum DEO agebat nihil. Præterea genua ad orandum flectebat quotidie trigeſies aut quadrageſies, colligendis nimirū animi viribus, & implorando Divino auxilio pro munere Apoſtolico. Triennio integro eam Provinciam ſtrenuè excolebat Antonius, cùm Ignatius eum in numerum Spiritualium Coadjutorum per literas recipi jubet: pro quo beneficio impenſas S. Patri egit gratias ſequenti epiſtolâ, candido affectu, quàm ſtyli elegantiâ uberiore.

JESUS ſit ſemper cum omnibus.

TUa humanitati, Venerabilis Pater, me indignum Societatis Coadjutorem benignè placuit admittere: qua in re dabo operam pro viribus, ut tuis votis reſpondeam: quod Domino JESU præſtante, ſpero me facturum. Non quidem ad hoc munus me idoneum judico; nam longè me ad tanti muneris functionem diſtare reperio: nihilominus, ſicut tibi viſum eſt, ità cenſeo me ad unguem obtemperaturum. Non ſolùm autem Coadjutorem, ſed omnium bonorum, atque meritorum Societatis participem facis, inſuper omnibus facultatibus, gratijs, authoritatéque, non ſecus ac Profeſſis, uti libere concedis. Præterea doces Pater hæc omnia ad ædificationem, non ad deſtructionem mihi conceſſa; quod mihi proculdubio ubique terrarum in eodem Domino JESU Chriſto perſuaſi ſequendum. Et ut meliùs progrediar, etſi aliàs Romæ Chariſſimo in Chriſto Domino Petro Laudenſi vota Paupertatis & Caſtitatis, atque Obedientiæ, tibi danda reliqui; liſétque alibi idem pluries voverim: ſcias velim me non ſolùm Præpoſito & Profeſſis, Coadjutoribúsq; ſive Cooperatoribus, ſed cuicúnq; Societatis nomine exiſtenti, etiam ſervo, perpetuò adſtrictum eſſe. Quod attinet ad illa ſeptem, in quorum unum ſi quis incidiſſet, ad Societatem non admitteretur. Laudetur Dominus noſter JESUS Chriſtus, qui me ab illis protexit, & eripuit. Reliquum eſt ut obtentâ facultate à Magiſtro Franciſco, quibúsve expedierit, gratijs illis in Domino utar, nam abſque illa abſtinendum omnino duxi, perinde ac ſi hæc ad me nunquam perveniſſent. Interim Domino DEO Optimo Maximóque gratias agam, ipſum precabor, ut omnes nos ad Cœleſtem Hieruſalem pervenire concedat. Ex iſtis regionibus India, Comorini Caput appellatis, die 4. Decemb. 1548. Hæc ipſe ſtylo ſimplici.

Novo jam ſacramento autoratus Antonius, in oppido Punicali populis erudiendis inſudabat, donec animam cum ſanguine exſudâſſet. Occaſio necis hæc erat: Joannes Fernandius Correa, in Arce Bedalenſi Luſitani præſidij Dux, ut aditum ad Pagodem (nomen eſt Idoli eâ Regione celeberrimi) è Regno Biſnagæ, & Narſingæ adventantibus intercluderet Ethnicis, anguſtam viam, quæ ſola ad Ramanancorem, Idoli ejus ſedem patebat, foſsâ grandi intercepit, aggerémque altum extruxit; quo brevi ab Idolo vota, à templo peregrinos, à commeatu Brachmanes, in ampliſſimo Cœnobio penes Idoli Templum habitantes, excluſit, quorum reditus peregrinorum donis antè pingueſcebat. Fame itaq; ac irâ ſtimulati Brachmanes, apud Badagas Biſnagæ incolas injuriam queri, exaggerare probrum, damna exponere, vindictam flagitare, quam nimis pronum erat ab ijs obtinere, quibus ob aſſiduas prædationes & vaſtationes inviſi evaſerant & intolerabiles Luſitani. Ad arma igitur conclamatur undique; & quoscunque tangebat Religio, & Dei Ramancoris captivi libertas, opem ferebant ad DEUM è ſervitute redimendum; alij etiam honoris libertatísque ſenſu ſtimulati, commodam eam occaſionem arbitrabantur excutiendi jugum Luſitanorum, quos, utpote non plures quadraginta, non laturos aſpectum armatorum Badagarum, ſolúmque conſpici ſat fore ad eos exanimandos, fugandóſque cenſebant; neque alium ſibi inſequentibus ſuperfore laborem, nisì conficiendi fugientes. Conditâ die ſtetêre in acie, haſtis, & Mauricis miſſilibus inſtructa Ethnicorum & Saracenorum millia ſex, ſublatísque ſignis Ramanancorem cœpêre progredi, ſed ſparſis manipulis, nullo ordine, palantibus ſimiles, mutis tympanis, & gradu tacito; ut priùs oculis imminere ſibi illos, quàm rumore ſtrepitúque ſentirent Luſitani. Dum primi ſubſiſtunt manipuli, expectántque ſecuturos, deliberare cœperunt Luſitani, num in naves recedendum foret; cùm Arcis Præfectus Fernandius

nandius diceret, non poſſe nisì temerè quadraginta homines tot millibus opponi; neque auxiliares manus ſperandas eſſe ab Oræ Piſcariæ indigenis, piſcando quàm pugnando aptioribus; Arcem etiam Bedalenſem malè munitam, impreſſionique ferendæ imparem; pulveris inſuper igniarij & commeatûs defectum, fugam ſuadere aſſeverabat. Adeſt interim è pago vicino (quem paulò antè baptiſmo luſtratum divinis imbuebat) redux Criminalis, vidétque Luſitanos ſalutem in navibus quærere, barbarorum ferro obijci Neophytos. Ducem adit, obteſtatur, videat etiam atque etiam num quâ viâ res poſſet ſinè ſanguine cum Badagis componi, vitâ ſaltem ſuorum & Nephytorum ſalvâ. Sed Dux crudi propoſiti tenax, præter ſuos flocci reliquos habens, eos quà poſſent & nôſſent ſibi conſulere juſſit. Jamque infelices ſpe omni in Luſitanorum præſidio abjectâ, quibus lembi erant, in eos cum familiolis reculisque ſuis ſe colligebant, robuſtiores nandique peritiores ad Cilai ſaxa, altero milliari à continente diſſita, natatu contendebant; pueri & fœminæ, quorum calamitas major, & periculum triſtius, huc illuc curſabant; cúmque nullum necis aut ſervitutis cernerent effugium, lamentabili ejulatu replebant aëra. Pater filiorum, quos recèns in Chriſto genuit, lamentis motus, magìs autem veritus nè ſub tormentis duraturi non eſſent, quibus eos Badagæ retracturi erant ad cultus ſacrilegos; boni paſtoris functurus officio, animámque ſuam poſiturus pro ovibus, fruſtrà reclamantibus & dehortantibus Luſitanis, navim inſcendere detrectat; ſed quaquaverſum diſcurrens, ubi malè laterent, vel pejus proſtarent miſeri, ſedulè inquirebat, verbis ignitis conſtantiam Fidei, & neceſſarium in hoc rerum diſcrimine vitæ unà mortísque contemptum ſuadebat, ſpe vitæ beatioris quantocyus potiundæ erigebat animos, pueros & infantes ad cymbas comportare juvabat. Sed junctis jam copijs audaciores Badagæ, vias intercipere alij, alij ſcrutari latebras, magna pars ad mare proruere, quò ſe turba fugientium premebat. Nec tam celeres in vitando litore fuerunt Luſitani, quin ſex eorum è numero ſaucij, tres quidem ſtatim, duo alij paulò pòſt expirârint, ſexto ſolùm in vivis ſervato.

Pater igitur ut etiam Neophytos, qui ad templum magno numero velut ad aſylum confugerant, in fide confirmaret, ad eoſdem properat: mox ingenti poſt ſe excitus ſtrepitu, ùt reſpectans vidit hoſtem eſſe, ſibique ingruere, proſtratus in genua, manus oculósque in cœlum tulit, mortem magìs invitans, quàm expectans. Subſtitêre tantiſper attoniti Barbari, quòd factum hoc viri eſſe magnanimi non falsò putarent, nec abſtinuêre ſolùm ab eo manus, ſed etiam eorum unus illum è genibus in pedes erexit; comitem tamen Patris & interpretem, quo ad tradenda pueris Fidei myſteria utebatur, alius è Barbaris adactâ in pectus haſtâ, in conſpectu Patris interemit. Hos aliquantò pòſt alij ſubſequuntur, quorum telis eodem quo priùs ſitu ac ſpecie offert ſe victimam Criminalis; & ab his quoque præteritur innoxius, pileo tantùm erepto; adeò vel ipſi Barbari ſpeciem illam orantis verebantur. Nec multum jam aberat à templo, cùm turmâ tertiâ irruente, tertiùm ſeſe abjecit in genua; ubi vultum & palmas in cœlum tendenti, Saracenus haſtam ſiniſtro lateri immerſit; alij manus veſtimentis injecêre, quos ipſe Pater in veſte detrahenda adjuturus, eandem proprijs manibus diffibulavit; & nè quid prorſus hinc auferret veræ paupertatis amicus, interiorem quoque ſubuculam ſanguine ſtillantem exuit, Barbarísque conceſſit. Nudus jam & gravi vulnere ſaucius, ad Neophytos ſuos in templum nihilominus properat; cùm novus à tergo Badagarum fit tumultus; ad quem ille converſus, adverſum pectus vulneri præbuit, & vibratum à Barbaro haſtile excepit. Procumbens ergo in poplites vir ſanctus, haſtile ipſemet exemit pectori, avénsque cruentum vitæ ſuæ ſacrificium illic abſolvere, ubi eodem die incruentum ſacrificium Filij DEI-Hominis æterno Patri obtulerat, ùt erat exhauſtus ſanguine, & nutante jam greſſu, in templum nitebatur. Sed hoc ſupremum ſolatium ei abſtulit alia hoſtium ſuperveniens turma, à qua altero haſtili humeros, coſtas medias altero perfoſſus, in genua corruit, revolutúsque in alterum latus ſuo in ſanguine jacuit, donec palpitanti adhuc caput acinace reſcinderetur; quod in fano Idoli pro anathemate ſuſpenſum à Barbaris, vindictam & victoriam DEO ſuo gratulantibus, refert Lucena, & alij. Corpus verò poſt diſceſſum Barbarorum multis cum lacrimis ſabulo potiùs texêre, quàm tumulo condidêre Chriſtiani, cùm præter manus ad fodiendam humum inſtrumenta non ſuppeterent. Hæc Punicale accidêre, extremo Oræ Piſcariæ ad ſeptemtrionem oppido, anno 1549. menſe (quantum ex literis Balthaſaris

Gagi colligere licet) Majo; cùm annos vixiſſet novem ſupra viginti, menſes tres. Dignus, qui primus è Societate Martyrij palmam conſequeretur, cùm invictâ eſſet animi corporisque patientiâ, obedientiæ cultor eximius, ſimplicitate, humilitate, manſuetudine illuſtris; quàm contemptor proprij, tam Divini honoris ſtudioſus; verbo talis, ut adhuc vivum Xaverius *Sanctum* paſſim compellaret. In literis verò ad Ignatium, quatuor ante Criminalis martyrium menſibus, hæc de eo ſcripſit: *Antonius Criminalis Comorinenſem agrum cum ſex ſocijs colit. Mihi crede eſt Sanctus, & natus ad erudiendam gentem illam. Mitte huc ejuſmodi complures, nam te iſtic ad manum habere plurimos arbitror. Noſtris illa in Ora præeſt. Ethnicis juxtà & Saracenis gratus: à noſtris vero dici non poteſt quantopere diligatur*: hæc Xaverius.

Sereniſſimus Luſitaniæ Rex Joannes epiſtolam, quam de morte Antonij à Goano Epiſcopo acceperat, prædicari palàm per Luſitaniam juſſit è ſacris pulpitis, & Julio III. Pontifici Maximo per Oratorem ſuum glorioſum Criminalis agonem exponi fecit; dignum ratus, nè Chriſti Vicarius tale pro Chriſto ſuſceptum certamen ignoraret. Alphonſus Cyprianus, emeritæ virtutis ſenex, & Chriſtianorum Choromandelium Pater, in literis ad S. Ignatium poſt celebratas fusè virtutes, quas in Patre Antonio per menſes decem in Ora Piſcaria obſervârat, ſubdit: *ſingula, quæ Hymno ſolenni veſpertino Confeſſoribus* (iſte Confeſſor Domini) *Eccleſia tribuit, excelluiſſe in Antonio Criminali.* Antonius verò Gomez cenſuit, victoriâ ſui perpetuâ, & interioribus conflictantis ſecum animi cruciibus, ærumnis præterea & vexationibus corporis, hilaritate ſummâ toleratis, apicem illum ſummi honoris à DEO promeritum, quem tandem aſſecutus morte clauſit beatâ, invidendâque magìs ſocijs, quàm dolendâ. Sed & P. Henricus Henriquez, noſtris poſt necem Criminalis in Ora Piſcaria præeſſe juſſus, datis Punicali ad S. Ignatium anno 1549. literis, *Poſſum*, inquit, *R. V. affirmare, Patris Antonij Criminalis excellentem fuiſſe ac ſublimem vitam. Nihil eo caſtius, nihilque purius, nihil ſui, quod quidem noverim, deſpicientius, nihil accuratius in obediendo, ſpiritu pauper vivens & moriens, ùt cui ſepeliendo lacerum lintei ſegmentum defuerit. Habemus hìc illum pro Martyre, & hoc tantum bonum rebus pro DEO geſtis putamus conſecutum. Patres noſtri ac Fratres ab ejus morte in orbitate ſibi videntur agere; & prorſus in eo omnium virtutum abſolutum exemplar amiſerunt. Chriſtiani quoque Patrem in eo lugent chariſſimum, ejúsque necem ferunt ægerrimè. Denique P. Franciſco Xaverio mirum in modum ſatisfaciebat, nec poſſunt de eo tam multa perſcribi, quin ſcribenda ſuperſint multò plura.* Hæc Henriquez. Bedalæ & Ramanancoris Chriſtiani teſtati ſunt, ſe ſuis oculis inter ſacrificantis Patris Criminalis manus vidiſſe hoſtiam rubentem, & tinctam ſanguine, paulò quàm occideretur à Barbaris; ut videretur DEUS præludere cruentæ neci ſacerdotis ſui, qui tunc incruentum Filij ſacrificium ſibi offerebat. Et tunc quidem hoc portento præluſit exitio Patris, quod aliàs miraculo ab eodē averterat, & in hoc uſque tempus diſtulerat. Idolum ille, quod Gentiles antiquâ Lucinæ ſuperſtitione parturientibus opitulari credebant, nil mortē ſuam, nil furorem Ethnicorū moratus, præcipitavit in mare, templúmque ſolo æquavit, eo tempore, quo Ethnica Nobilis ex partu laborabat. Veriaus conjunx, nè ob eam cauſam Idolum ſuæ uxori opem negaret, furibundus Criminalem ad necem requirit; ſed vix pedem domo extulit, cùm mulier vehementiſſimis torta doloribus, intellexit divinitus, ſe eâ morbi vehementiâ interituram, ſi quâ violentiâ Sanctus violaretur; jubet proinde maritum revocari, & tam procul manus abſtinere à DEI ſervo, quàm ſalvam cuperet conjugem. Quibus minis deterritus Barbarus rabiem poſuit, & uxor feliciter enixa eſt, & maritus Patrem poſtmodum & coluit vivum, tandémque etiam Martyrem, non jam ſuâ crudelitate factum, eſt veneratus.

Mortem glorioſam Criminalis ùt Europæi intellexêre Socij, dici non poteſt quanto ſpiritu, & alacritate ejuſmodi miſſiones, ſive in India, ſive in Europa expetierint, ſpe martyrij adipiſcendi. Conſalvus Sylveria in Luſitania Patrem Criminalem per martyrium imitandi deſiderio incenſus, extra ſe ferebatur; quod tandem poſt graviſſimos in Africa labores, eſt conſecutus. Eos verò qui in India verſabantur id deſiderium eò urebat impatientiùs, quò erant fidei hoſtibus viciniores, & ab ijs ad mortem ipſi quoque avidè poſcebantur. De quo Gaſpar Barzæus, ille Apoſtolico Vir igne flagrans, ità in Europam ad Socios ſcribit: *Non poſſum ſatis exprimere, quantus me ardor incenderit, & nunc etiam teneat, pro Chriſto JESU patiendi, ex quo de Martyrio accepi Fratris noſtri Patris Antonij Criminalis. Spero ejus quamprimùm gratia me fore compotem, quando incipit DEUS*

eam

eam noſtris largiri, qui ejus deſiderio tenentur. Equidem affirmare auſim, ſanguinem primi hujus Martyris ſemen fuiſſe non tantùm Chriſtianorum, ſed & ſemen Martyrum, quandoquidem in ſola poſtmodum Aſia tam multi è Socijs Martyrij palmam ſint conſecuti. Sed & in Europa patrocinium jam vitâ functi multùm profuit ejus ex fratre nepoti, Joanni Dominico Criminali. Ægrotabat hic A. 1595. vitâ à Medicis jam conclamatâ; cum nocte quâdam vigilans, flammam circa tectum videt horrendam erumpere, ex qua totum ſubitò cubiculum occupante proſiliens Dæmon, inque eum minax ungulis inſiliens, raptaturus ad inferos diſcerptum videbatur. Tam immani horrore extra ſe poſitum, nec Dei, nec Sancti ullius memorem, non deſeruit Antonius, ſed vultu ſereno & hilari comparens, brachio arreptum timere vetuit, & poſt expulſum Dæmonem, flammámque extinctam diſparens, nepotem corporis & animæ ſanitati, mutatis in melius moribus, reſtituit.

P. NUNNIUS RIBERIUS.

EOdem quo P. Criminalis anno, menſe Auguſto, die 22. primum numerum, & par nobile Martyrum complevit, ſecundus ordine è Societate JESU, in odium fidei veneno ſublatus in Molucis P. Nunnius Riberius. Qui vitam nobiliſſimis natalibus auſpicatus in Luſitania, dum anno 1543. in Conimbricenſi Academia SS. Theologiæ daret operam, eximiâ Conſalvi Sylveriæ conſtantiâ, quâ is pro obtinenda Societate adverſùs reluctantes præcipui in Regno nominis parentes certavit, permotus, ad eam & ipſe ineundam conſtantem adjecit animum; & Cal. Auguſti ejuſdem anni, cum multis alijs inſignis doctrinæ ac pietatis viris admiſſus eſt. Tertio demum poſt ingreſſum Religionis anno, cum lectiſſimo Sociorum manipulo, ad manipulos in albeſcentibus illis Regionibus colligendos, in Indiam miſſus eſt, jam tum ſacerdos. Vix litora Indiæ pede contigerat, cùm per literas jubetur à S. Xaverio navigare Malacam, quò ipſe S. Pater propediem Amboino rediturus erat. Qui ùt Nunnium primùm conſpexit, agnovit virtutem viri ſummis quibusque expeditionibus parem, ac idoneam eſſe. Igitur poſt bimeſtrem ſecum Malacæ commorationem, ſolum absque ſocio anno 1547. miſit Amboinum in Molucas. Sunt Molucæ Inſulæ complures ſubjectæ Æquatori, quarum nulla plus leucas ſex ambitu ſuo colligit. Quæ cùm ingentis pretij frugem (quæ indigenis cariophyllum, Hiſpanis ob figuram clavus dicitur) ferant, reliqua pœne cuncta ad victum & cultum neceſſaria aliunde mutuari coguntur. Earundem Inſularum alia Banda nomine, ſola (quod conſtet) in Orbe terrarum, in lautiores menſas & medicamenta mortalium, ex una eadémque arbore macim & nucem myriſticam progerminat. Indigenæ verò colore ſunt fuſco, capillo ſparſo & fluxo, ad bella ſtrenui; at in Banda viri mercaturam, fœminæ agriculturam exercent: in alijs verò Inſulis victitant medullâ arborum quarundâ, quam medullâ *ſagum* vocant; ea lentè purgata, & teſtaceis incocta formis, non ſolùm in quotidiana alimenta, ſed etiã in uſum nautici panis abundè ſufficit. Et ex ejuſdem plantæ ramis artificiosè conciſis, ſiti levandæ mirifici ſaporis ſimul & ſalubritatis candidus liquor exudat, quem vulgo *tuacam* appellant. Convenæ ſunt è Sinis, Javis, & Cherſoneſo, origine & ſono linguæ diſpares, cæterùm contumaciâ, ſcelere, perfidiâque ſimillimi; quippe qui non niſi malo pœnæ adacti bene agere nôrunt: & non ferro ſolùm, & apertâ vi, ſed & fraudibus, venenóque graſſantur. Circa Amboinum autem adeò belluinæ ſunt indolis, ut filij parentes decrepitos viciſſim donent, ad inſtituendas ſemicrudis eorum carnibus epulas, inter nefarias choreas abſumendas: in omni verò laſciviæ genere etiam belluis ſunt pejores, latrocinijs terrâ marique metuendi, & nihil non perfidiæ auſuri, ubi oboli lucellum affulſiſſet. Ex his tamen P. Nunnius per quadrimeſtre ſpatium, quo claſſis Luſitana ibidem moras traxit, ſexcentos circiter ad Chriſti cultum perduxit, Idola nefaria complura evertit. Recedente poſtmodum claſſe, Luſitanos quoſdam, qui ſe ſocios ſancti laboris manſuro ibidem P. Nunnio obtulerant, ad æqualia ſtudia fervore

P. Nunnius Ribera Lusitanus Societatis IESU, Amboini in Moluccis Insulis, veneno à Saracenis ex odio Fidei propinato interemtus A° 1549. 22 Augusti.

C. Screta delin. Melchior Küsell f.

ſuo ità excitavit, ut illis adjutoribus ſeſquianni ſpatio duo ampliùs hominum millia aquis ſalutaribus abluerit. Paſſus inter Apoſtolicos hoſce labores ſemel atque iterum naufragium, in mortibus verſatus frequenter, quas à capitalibus Chriſtiani nominis hoſtibus in horas expectabat; vitam interim, pro Inſularum diverſitate, nunc puſillo oriza, nunc herbarum radicibus, nunc medullâ ſago, miſere ſuſtentans. Solo affectu dives in Chriſtianos pauperes; quibus (cùm aliud præ manibus non foret) ut opem ferret, ſuas ſibi detrahebat veſtes, eósque ſeminudos contegebat. Accidit ſubinde, ut mendici quidam ſubſidium à Patre peterent, cùm Nunnius tenerrimo commiſerantis animi affectu motus, quidquid ferè gerebat veſtium protinus exuit, & petentium egeſtati diviſit, coactus ipſe ſolâ lodiculâ involutus incedere, dum veſtimenti quidpiam à Luſitanis pro ſe rurſus emendicâſſet.

Hæc agentem ſervum DEI, circumpoſitis flammis domi ſuæ exurere tentant Saraceni; ſed cùm fraus ex voto non ceſſiſſet. Pater periculo divinitus ſubductus, paucis poſt diebus furorem hoſtium declinaturus, ut prodeſſet pluribus, navigium conſcendit, & in aliam Molucæ Inſulam contendit trajicere. Verùm facto naufragio in fluctus excuſſus, dum nando conatur in litus evadere, immane adijt vitæ periculum, è quo tamen demum, ſed fœdè lacer, emerſit. Nimirum undarum impetu in ſcopulos impactus, capite corporéque toto confractus eſt

ità,

ità, ut vix triduo in pedes consurgeret, sed reptaret humi quadrupes & semilacer, omni humanâ destitutus ope; donec à silvestri homine (Allifuros nominant) in pagum quendam delatus esset, ubi à Neophytis sedulò recreatus, & pristinæ restitutus est integritati. Verùm quia Saraceni pretium interfectori Patris non parvum proposuêre; eorum aliquis usitatâ, ùt diximus, illic gentium viâ veneni, tentavit Patrem è medio tollere. Dies erat Assumptæ in Cœlos Virgini sacer, quo eodem die, quamvis ignaro Nunnio, primum Japoniæ pedem intulit Xaverius; Nunnius tamen, sive quòd in spiritu hunc ipsum in Japoniam ingressum, & apertam Evangelio viam persentisceret; sive imminentis sibi Laureolæ præsagus, & velut de triumpho adventante exultabundus, miro succensæ mentis, & elevatæ vocis impetu, in Missa (quam submissâ cæteroqui voce dicebat) occinere cœpit: *Gloria in Excelsis DEO.* Absolutâ deinde concione dum cibum sumeret, virus sive cibo, sive potui latenter infusum hausit; quod ubi permanavit in venas, & tota viscera permeavit, gignere ingentes æstus & febres cœpit, tetrósque stomachi dolores ciere; è quibus Nunnius sensim confici, in horas contabescere; donec septimâ die (qui erat 22. Aug. Anni 1549.) depastis exitiali peste præcordijs extingueretur in Amboino. Vires Patri extinguere potuit virus, non virtutem; qui supremis adhuc septem vitæ diebus cùm ex debilitate ingredi non posset, gestari in linteo à Christianis per omnes pagos voluit, ut D. Joannis Apostoli (cum quo venenum hauserat) senescentis exemplo, inter discipulorum manus Ecclesias suas inviseret, & saluberrimis monitis tum universos, tum singulos confirmaret. Has inter curas & labores vitâ jam deficiente, spe vitæ beatioris plenus, crucémque Christi arctè complexus, pro ejusdem Crucis gloria ab inimicis Crucis Christi est enectus, cùm vitam ibi egisset in perpetua ærumnosissimi laboris assiduitate difficillimam, præter herbas crudas & orizæ pugillum omni alio cibo carens, tecto etiam & lecto præter cœlum & humum nullo.

P. LUDOVICUS MENDEZ.

Alter in Ora Piscaria ictus piscator est P. Ludovicus Mendez. Erat hæc ipsa Ora Piscaria prima olim occasio mittendi Operarios è Societate nostra in Regiones Indiæ, albas ad messem. Cùm enim Paravæ (id genti est nomen) adempto à Mahometanis piscandi arbitrio, gravioribus in dies afficerentur injurijs, neque excutiendæ tyrannidi soli sufficerent; in summa consilij inopia, suadente Joanne Cruceio Malabare Christiano, Legatos 15. petendæ opis gratiâ Cocinum destinant, qui Gentis nomine sponderent, Paravas omnes Lusitana Sacra suscepturos, si auxilio in rebus afflictis sibi afforent Lusitani. Utque sponsioni major esset fides, mox ut mandata suorum exposuêre Legati, salutaribus aquis cum alijs 70. Paravis à Michaële Vazio Indiarum Vicario abluti, Christo dedêre nomina. Hoc veluti pignore cæterorum voluntatis accepto Lusitani, non dubitavêre suppetias ferre laborantibus. Classe proinde à Cocino expediâ ad litus Piscarium, Mahometanorum non tantùm repressêre audaciam, sed etiam Paravis erepta piscationis jura restituerunt. Quâ eâdem classe advecti sunt Sacerdos aliquot, qui lustrandis baptismo Paravis, summis æquè ac infimis, nemine repugnante, ità instituêre, ut paucos post dies tota gens Christianam se esse miraretur. Ad hujusmodi veluti subitarios fidelium greges aliqua subinde mancipia, & auxiliares Indi temerè adjungebant sese; magis quò Dominis, aut Lusitano Prætori gratificarentur, quàm quòd suis ponderibus Religionum discrimen & momenta perpenderent. Igitur multò maxima Neophytorum pars, præter intincti lymphâ corporis, & nominis immutati memoriam, Christianæ disciplinæ retinebant nihil; quod ipsum partim gentis fiebat socordiâ, partim inopiâ Cultorum, quippe qui propter paucitatem, neque probè subacto solo sererent, neque sata deinceps ab initio usque ad extremum æquali curâ prosequerentur. Ità labores in semine destituti, optatam segetem virtutis ac pietatis ferre non poterant. Inter hæc è quotidiano com-

P. Ludovicus Mendez Societatis IESU, Comorini in India Orientali, ab Ethnicis, Fidei hostibus, post aliquot accepta vulnera, obtruncatus. A. 1552.

C. Screta del. *Melch. Küsell f.*

commercio cum Nationibus, quæ ignorant DEUM, multa & gravia in Luſitanorum etiam mores irrepſerunt vitia; propiúsque aberat, ut Europæi advenæ aliquid in dies ſingulos ex Aſiatico traherent luxu, quàm ut indigenis ipſi Chriſtianæ ſanctimoniæ quidpiam impertirent. Hæc Joannes Luſitaniæ Rex cùm & literis multorum, & ſermone didiciſſet, angebatur intimis ſenſibus; quippe cui ſalus hominum, ac præcipuè ſuorum popularium cariſſima ſemper fuerat. Stimulabat præterea animum illa quoque Religio, quòd ex Decretis Pontificijs, & jure Divino, non niſi tuendi augendique divini cultûs, & propagandi Evangelij nomine (ſi promulgationem eam impedirent) bellum ignotis gentibus inferre, & Indicarum frugum opûmque decimas & vectigalia ſibi capere liceret. Sollicitè proinde viros doctrinæ virtutíſque non mediocris famâ eximios undiq; conquiſivit, quos laboranti Indiæ ſubmitteret operarios; ſed fruſtrà; cùm per id tempus tanta foret hujuſmodi Virorum per Luſitaniam penuria, ut Concionatores è finitimis Regionibus accerſerentur, & magnis ſtipendijs evocarentur è Gallia, Hiſpania, Italia, Germaniáve, qui in Conimbricenſi Academia, tunc recèns excitata agerent Profeſſores. Hiſce curis anxius, jámque ad Indiam ſublevandam externa circumſpectans auxilia, opportunè intelligit Societatem JESU nuper ab Ignatio inſtitutam eſſe, quæ ad Evangelij prædicationem ſinè ulla prorſus aut temporum, aut locorum exceptione,

coa-

coaluiſſet, jámque in varijs Europæ locis haud obſcurum egregiæ cujuſdam pietatis & doctrinæ ſpecimen dediſſet. Hoc lætus nuncio Rex, Petro Maſcareniæ, ſuo apud Pontificem Oratori mandat, etiam atque etiam agat cum Ignatio, utì Socios ſex ad ſeſe mittat, quando generis humani ſalutem, & Chriſti, Domini gloriam uſque adeò ſitiant; non defuturas in Aſia & Africa ſcaturigines, quibus eam, aliqua ſaltem ex parte relevent ſitim. Hoc mandato accepto Maſcarenias Ignatium appellat: Ignatius ex authoritate Pontificis, quod alijs quoque Regionibus conſultum vellet, Oratori expetenti ſex, duos tantùm aſſignat: Franciſcum Aſpilquetam, cognomento Xaverium, & Simonem Rodericum Luſitanum. Simone devecto navi in Luſitaniam, Xaverius in comitatu Maſcareniæ iter pedibus potiſſimùm per Alpes, & ſaltus Pyrenæos emenſus eſt. Qui ubi Regem Ulyſſipone ſalutâſſet, ab eodem Pontificio diplomate inſtructus, quo Nuncius Apoſtolicus ampla cum poteſtate per Indicas Regiones creabatur, anno tandem 1541. Aprilis die 7. cum Paulo Camerte, & Franciſco Manſilla, prætoriam S. Jacobi conſcendit, in qua illum ſecum Alphonſus Martinus de Soſa, Indiarum pro Rege Gubernator, habere voluit: & Xaverium poſt varia navigationis & diuturna diſcrimina, Goam Urbem totius Indiæ Principem, Paulo & Franciſco Mozambici relictis, deduxit. In ea Urbe poſtquam in Luſitanorum perverſiſſimis moribus, neque multùm ab Ethnicorum differentibus, corrigendis emendandisque, per menſes ſex ſummo ſtudio, nec minore fructu deſudâſſet, quâ erat convertendorum Gentilium ſuccenſus cupiditate, hortatu Vazij, & facultate à Prætore Soſa habitâ, ad Oram Piſcariam magnâ animi ſui voluptate profectus eſt. In quo Oræ maritimæ tractu quantas Vir Sanctus ſolus per duos ferè annos converſiones, quanta miracula fecerit, nil attinet hìc ſcribere. Id ſolum nunc memorandum eſt, ab eodem Sancto, cùm is iter in Sinas adornaret, in Oram Piſcariam miſſum eſſe P. Ludovicum Mendium. Qui poſtquam annum jam quartum ibidem excolendis doctrinâ Chriſtianâ Paravis profuiſſet, præciſo à Barbaris capite, charitatis & zeli ſui immortalem promeritò eſt coronam.

Fuerat eâ tempeſtate mos atrox inter conterminos Piſcariæ Reges, vendendi populationes finitimorum, qui viribus & reſiſtendo debiliores forent, vendebatúrque conceptis ad pretij & prædarum menſuram diplomatis. His Regum muniti literis emptores, latronum conducebant turmas, armatíque modò hunc, modò alium pagum repentè invadebant, ac eo direpto, in ditionem ſui Regis recipiebant ſeſe, prædam graſſationis cum eo diviſuri. Docebat tunc Mendez Chriſtiana Myſteria in pago Piſcariæ populoſo, qui Badagis tributum ſolvebat ex eo tempore, quo hi irruptione factâ Antonium Criminalem occiderunt, & Oram Piſcariâ fœdè depopulati ſunt. Quem pagum cùm ſæpiùs acceptâ prædandi licentiâ devaſtarent latrones, indigenæ injuriam apud Badagas queſti ſunt, Badagæque tributarios ſuos à violentia invaſorum vindicaturi, quàm plurimos è prædatoribus obtruncârunt. Rex prædationis, quam Badagæ ulciſcebantur, nundinator, irâ rabiéque furens, cùm Badagis vindicibus, utpote validioribus, arma inferre non auderet, in Chriſtianos tributarios ſe convertit. Pagum igitur dictum intempeſtâ nocte magno numero, elatísque vocibus ingreſſi Barbari, in plebem & Primores promiſcuè ſæviunt, ut in ſolitudines alij, alij in Templum (ubi eâ nocte Ludovicus in oratione vigilârat) diffugere coacti ſint; quos Pater ſummâ commiſeratione excipiebat, erigebat ſolatijs, præparabat imminenti neque dubiæ lanienæ. Obſervârunt concurſum populi Templum verſùs prædones, eóque præcipites advolant; ſed confertam multitudinem aggredi veriti, lignorum ſtrue Templum cingunt, omnes uno incendio perdituri. Hìc Mendez pro foribus hoſti obviare, rogare ſupplex, erga DEI domum, erga tot inſontes, pueros ferme fœminásve, cauſæ quam ultum irent ignaros, incrudeſcere nè velint. Quæ dum pro ovibus bonus Paſtor orat, ferrum precantis faucibus barbarus immergit; mox proſtrato latus iterum ferro eodem fodicat, demum palpitantis & ſpirantis adhuc caput abſcindit: quod reduces poſtmodum, pauculis alijs cæſis ac ſaucitatis, ad Regem ſuum triumphabundi attulêre.

DUO



Duo Sacerdotes Societatis IESU *in Salsettis Indiæ Orientalis Insulis, ab Idolorum cultoribus, lapidibus obruti A.° 1554.*

C. Screta del. *Melch. Kisell f.*

DUO PATRES ANONYMI.

IDem omnino Salsettanis evenit, quod Jerosolymis Salvator prædixerat. Postquam enim Jerusalem lapidâsset eos, qui mittebantur ad eam, Prophetas, justâ DEI ultione factum est, ut non relinquerent lapidem super lapidem vastatores Jerusalem. Lapidaverunt pariter Salsettani Indigenæ A. 1554. missos ad se ex Europa divini verbi Præcones è Societate duos; quâ lapidatione eam, sed favorabilem sibi pœnam promeriti sunt, ut aliquot pòst annis, dum pro Rege Indiam gubernaret Antonius Noronia, ducenta octoginta templa Pagodum in tractu Salsettano funditus eversa sint, præter infinitas alias ædiculas, quæ singulæ suum habuêre, sed obscurioris nominis Pagodem. Eversionis hujus initium (ut specimen secuti ex morte Patrum proventûs demus) ductum est à famosa & propudiosa Basilica, in qua Pagodi primario, in simulacro quâvis giganteâ magnitudine immaniore, abominando prorsus modo sacrificabant, prostitutione scilicet publicarum meretricum, quæ illic de publico alebantur, ut promiscuè adeuntium ad templum turpitudini paterent. Expeditionis egregiæ auspex P. Ludovicus Goëz cum Præfecto Lusitano, simulacrum Pagodis in frusta conscindunt, Basilicam subruunt, ac nè ullæ de Templo subruto Ethnicis

nicis extarent reliquiæ ad venerationem, ejus loco Crucis trophæum erigunt. Neque hìc ſtetit fructus laborum è ſanguinea ſegete lapidatorum ſacerdotum prognatus. Licèt enim dum viverent ſemen Divini Verbi ſeminare viſi ſint ſuper petram, & lapidea Salſettanorum corda, à quibus tandem nullum reportarent fructum, nisì lapides, quibus obruti ſunt; mirâ tamen metamorphoſi potens DEUS de lapidibus iſtis ſuſcitavit filios Abrahæ, auferens lapidea indigenarum corda, & dans eis cor carneum; ut vix ulla deinceps à nece eorum fuerit illis partibus natio ad Fidem Chriſti pronior; licèt interdum novo Apoſtolicorum Virorum ſanguine oportuerit eam in majorem fœcunditatem, quaſi rigari. Id quod hâc ratione evenit.

Confecerant penè ijdem ſive petitum lapidibus, ſive aliter, innumeris plagis affligtum P. Petrum Colazzium, & ùt mortuum dereliquerant: quem tamen palpitantem adhuc deprehendentes Chriſtiani, Goam in linteo deportârunt, ubi quadraginta dierum curatione convaluit. Móxque ùt ingredi potuit, in campum, ex quo ſaucius & ſemianimis elatus nuper fuerat, redivit, vitam pro ſalute animarum, & pro Chriſto mortem in promptu habens: unâ ingrati ſoli culturâ difficili, quod tam avarè diuturnis ſudoribus reſponderet, afflictus. Quod aliquando tacitè apud ſe dum queritur è monte edito civitatem deſpectans, & meliora deſperans propè de relinquenda fruſtra curat Babylone deliberat, placuit Divinæ Bonitati ſervum ſuum docere, non in vanum locatam operam, neque fruſtra rigatam Patrum lapidatorum ſanguine terram ſterilem. Audit enim ima ex valle derepente vocem pueri concinentis: *In nomine Patrìs, & Filij, & Spiritûs Sancti*: pergentis eodem cantu ſcitè pertexere reliquum ſacræ doctrinæ carmen, prout à Patribus edoctus fuerat. Eâ voce mirè recreatus, animari ſe majorem in modum perſenſit ad labores, in ejus populi ſalutem fortiter integrandos: velut ſibi ore pueri DEUS ſignificâſſet, haud quaquam eos in caſſum deinceps caſuros eo in ſolo, quod ſuo & duorum illorum Patrum ſanguine jam emollijſſet. Et verò reſpondit optatiſſimus conceptæ ſpei eventus, reddiditque fructum pluſquam centeſimum. Tantæ enim fiebant poſtmodum ibidem ad fidem converſiones, ut ipſi Europæi Goæ Chriſtiani, quis credat? arrogato ſibi ſapientiæ cothurno, improbare cœperint, tantos ad ſuſcipiendum ſolennem baptiſmum accurſus (ſeptingenti enim quandoque ſimul adveniebant) laudem ſibi Patres noſtros ex tanto numero, non Dei gloriam ex ſalute illorum quærere dicentes, quos ad baptiſmum aut allicerent promiſſis, aut minis intruderent. Jactabantur hæc ventoſis ſermonibus adverſùs ſolennes Salſettanorum in templo noſtro Goano baptiſmos, ad quos confluebant turmatim Ethnici; cùm potentiorum impugnatorum unus in agmen eorum numeroſum Goam intrantium incidit, qui duce nemine, ſponte ex pago, in quo Chriſtianam inſtitutionem audierant, ad Patres Goanos veniebant, ut baptiſmi tandem compotes fierent. Conſtitit Nobilis curioſiùs inſpectans, hominèsque vidit omnis conditionis & ætatis ramos geſtantes, hilares ducentes ſaltando choros, & cantu doctrinæ Chriſtianæ, quam ab excolentibus Inſulam Patribus didicerant, lætos & amœnos. Perculit Nobilem id ſpectaculum, quod non coactos ad baptiſmum, ſed ultroneâ voluntate à Deo motâ, illum lætiſſimè expetentes prodebat: ità ut non diu pòſt obviam Patri noſtro cuipiam factus, equo deſiliens in aurem repeteret: *Credo, Pater, credo, & certò credo eos, qui manibus veſtris tinguntur ſacro baptiſmate, ultro & magnâ voluntate id agere.* Certè tantus erat Neophytorum ardor, ut vix ſacro balneo tincti, fierent ſtatim Evangelij præcones; lapſóque vix hebdomadæ unius ſpatio, chorum ad Patres ducebant vernaculis organis variarum tubarum, tibiarúmque feſtum & hilarem, cultu omnes decoro, aliquos etiam aureis torquibus inſignes, omnes læto cantu baptiſmum poſcentes, & ad eum optandum à Neophytis perſuaſos. Nec quieſcebant, donec propinquos omnes undeunde conquiſitos, ad ſacrum lavacrum adduxiſſent: licèt quibuſdam magno eſſet redimenda ad Chriſtum converſio, quod & frequenter domo extruderentur, ejurarentur à parentibus, à Saracenis non pauci occiderentur. Brachmanarum etiam complures in magna templi frequentia, è loco eminenti ſuos execrabantur errores, veniam petebant peremptarũ à ſe animarum, ſuperbo & avaro mendaciorũ & fraudum præcio. Quorum unus opulentior, id ſibi muneris perpetui injungi à noſtris petijt, ut exeuntibus è Chriſti lavacro pauperibus ſuâ ipſe manu calceos aptaret; quod etiâ quoad vixit, ſummâ animi voluptate faciebat. Ità ſcilicet ædificabatur Salſettana Eccleſia ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, quos ad ſe miſſos nuper lapidaverat.

Unus è Socijs P. Henrici Enriqvez, Societatis IESU in Promontorio Comorino, à Barbaris, odio Fidei trucidatus. A° 1555.

C. Screta del. *Melch. Küsell f.*

P. HENRICI HENRICHEZ Socius Anonymus.

MAgnis Xaverij laboribus & ſudoribus excultum Comorini Promontorium, non ità continuò ſubigi potuit, quin in longa deinceps tempora uberem Apoſtolicorum laborum campum ſucceſſoribus & Filijs ejus præbuerit. Præerat Socijs Goâ illuc transmitti ſolitis Henricus Henrichez, qui leucas excolebant ſexaginta oræ litoralis, in qua ſunt pagi vel oppida plura quadragenis, nonnulla capitum quinque millibus habitata; gens dura & agreſtis, anni maximam partem ad mare tranſigens. Infelicitas ſoli triſtis, omnia occupant arenæ ſteriles; ſolis ardor intolerabilis, aquas urens, & ſabulum in tantum excoquens, ut ſoleas ambulantium exurat. Malorum autem cumulus mediterranei barbari, lege Deorum cultores, profeſſione & arte graſſatores. Torrentis inſtar ſubinde ex montibus ſubjecta inundant improviſi, direptisque omnibus, homines in ſervos abigunt. Aptiſſima denique ad fingendos probandósque Tirones Apoſtolici muneris regio (ùt eam vocabat Xaverius) ſeu vitam ſpectes ærumnis exercitam, ſeu difficilem culturam, ſeu pericula nunquam non obvia. Verſabantur in ea cum Henrico Socij aliquot, intérque eos, de quo agimus, necdum ſacris initiatus; partiti inter ſe loca, quæ ſua ſinguli pro parte per-

peragrabant, ut ſe omnium votis & neceſſitati commodarent. Sexcentos quotannis vel octingentos ex adultis Chriſto adſcribebant, continui erant in concionibus ad viros, doctrinæ rudimentis ad pueros, miniſtrandis tam numeroſo populo Sacramentis, ut multis locis totus annus videretur Jubilæo coli. Magno præterea Religionis ſacræ compendio Caſciges & Brachmanes (religioſa Idololatriæ Magiſtrorum nomina) crebrâ verſabant diſputatione; id quod majorem in modum valebat ad ſtabiliendos in propoſito Chriſtianos, & rudiores ad Fidem Chriſti amplectendam inducendos, cùm viderent ſectarum ſuarum ſapientiſſimos, rationibus domitos, evolvere ſe nullo exitu poſſe, ſed vel mutos ſilere, vel ea reſpondere, quæ pueri etiam dicere erubuiſſent.

Horum unus inter Brachmanes Jogus annos egerat aliquot in eremo ſolus, pœnis ultroneis aſperos; unde deſcendens, concionari paſſim de ſeipſo, affirmaréque ſe eſſe illum, qui tot pridem annis fato functus, imò antea ſæpius mortuus, Deorum gratiâ in vitam toties redîſſet, ut hâc arte eorum venerationem, in Brachmanes & Jogos liberalitatem, eis inculcaret. Hic tantum fidei in plebe ſtulta invenit, ut cùm recenſeret multa ab annis trecentis, quæ ipſe oculis vidiſſe aſſerebat illic geſta, pro indubitato crederetur annis trecentis ſenior eſſe. Tam prodigioſæ oſtentum novitatis dum ſpectatur tanquam cœlo lapſum, exprobrabant Chriſtianis Ethnici, ecquem poſſent de ſuis monſtrare hominem ſæculorum trium, & ex mortuis vicies redivivum? ſi tanti fieret ad annunciandam Chriſti legem enavigâſſe illis Magiſtros tot maria uſque ab Europa, quanti præſtare, Magiſtrum ex orbe defunctorum toties reducem habere? Quod ubi Henrichez intellexit, miſit extemplo, qui homini gratularetur in viciniam adventum, rogarétque pergere uſque ad Punicalem, ubi ipſe æger morabatur; cupere ſe vehementer tantum virum nôſſe, fruique illius præſentiâ. Invitatio tam comis, Jogo pecuniæ avido ſpem fecit doni alicujus à Chriſtianis, Patre acceſſum ſuum ità penſaturo, emungendi. Stipatus ergo densâ populi turbâ Punicalem in medio Nobilium cum pompa ingreditur, quam conflabant pueri coronati, Virorum ordines, Muſicorum chori, inſano ſtrepitu aures tundentium. Occurrentem hominem Henrichez magnâ voce, quam omnes exaudirent, non jam ſalutavit, ſed ad defendendum tam prodigioſum, cui ſimilem mundus nunquam ſpectâſſet, vicies in orbem ex mortuis reditum, provocavit. Conturbatus inſperatâ provocatione Jogus, cujus falſitatem verax conſcientia objurgabat, pudore tamen metum ſuperante, videri voluit in pugnam libenter aſſentiri. Ergo poſtridie coram tota multitudine coactus de ſua tam multiplici ſuſcitatione dicere, cùm in multis ab Henrichez falſi reprehenderetur, animo tandem penitus concidit, ubi hanc ſibi ab eodem conditionem proponi audivit: *Debere illum, qui vellet hominibus perſuaſum, ſe toties mortuum, toties ſuſcitatum, ut minimùm ſemel coram illis mortem oppetere, & palàm ſemel reſurgere.* Deprehenſus enim infelix, nec futuri aleam ſubire voluit, nec defenſionem præteriti, quod tam diu jactáverat; ſed incomitatus certamini, & Oppido ſe inglorius ſubduxit.

Hæc aliàque præclarè in rem Chriſtianam, & Idololatriæ exterminium geſta, in rabiem ſcilicet egêre Caſciges, & gentilem viciniam Bagadarum, non aliter reſtinguendam, quàm è Socijs cujuspiam ſanguine Pagodibus ſuis immolato. Igitur in omnem, maturando uni alicui certo (Henrichez fuiſſe veroſimile videtur, nam hic ipſe Barbarorum errore pro ipſo enectus, Henrichez ſocius in Actis nominatur) exitio occaſionem intenti, dum ſagaciter, quà ocyſſimè illum deprehendant, veſtigia prædicantis legunt, incidunt in hunc æmulum zeli illius ſocium; quem nihil dubitantes illum ipſum Henrichez, quem veſtigabant (& erat omnino Idololatrici cultûs hoſtis acerrimus) ſuperſtitionis avitæ everſorem eſſe, cæco impetu irruunt, & plurimis confoſſum vulneribus, ad optatam, exantlatis ſudoribus, lauream transmittunt Anno 1555. 6. Decembris. Cujus quidem nomen in terris poſteritati intercidit; Cæleſtibus tamen faſtis glorioſiùs inſcriptum, bonitas cauſæ, & mortis illuſtris titulus perſuadet



P. Alphonsus à Castro Lusit: S.I. post gravia supplicia mortem pro Christo subiit, à Mahometanis in Molucis occisus Aº 1558.
C. Screta del. Melch. Küsell f.

P. ALPHONSUS DE CASTRO.

ALphonsum Castrium Orbi nostro dedit Olyssipona; Orbi novo & Societati P. Franciscus Viera, quo Castrius Confessario utebatur, & cujus hortatu cum alio Juvene, Societatis itidem Candidato, è Lusitania navigavit in Indiam, ut ibidem à S. Xaverio in Societatem faciliùs admitteretur. Ubi navem conscendit, insignem de consanguineis victoriam retulit, plus quàm navali coronâ dignam. Accurrerat ad navim cum propinquorum globo frater, & natu major, & Juris laureâ venerandus, ut fratrem ætate minorem à consilio absterreret; diúque inquisitum tandem è latebris per vim ad Navarchum protrahit, & ab eodem sibi reddi multùm expostulat. Sed Alphonsus negat se hominem nôsse, neque pro fratre habere eum, qui ad Christi sequelam properanti obicem poneret. Quâ constantiâ victus Doctor, domum inanis redire coactus est. Alphonsus autem unà cum Juvene viæ & consilij socio in navi remansit constans; & ità quidem, ut sive alia obliti omnia, sive providentiâ Numinis freti effectus paupertatis voluntariè experiri cuperent, viaticum pro longinqua navigatione comparatum inferre negligerent. Imò & illud, quod filijs spiritualibus sollicitus P. Viera intulerat, magnanimi Juvenes, nè amore DEI dilatatum

cor

cor earum rerum cura coarctaret, in tenuiſſimum quemque navalis turbæ brevi erogârunt; totum reliquum iter confecturi mendicato. Univerſum interim tempus vel ſacræ lectioni, vel piæ meditationi, ac ſacris inter ſe colloquijs, vel ægrorum miniſterio tribuebant, eâ cæleſtium ſolatiorum exundantiâ, ut in conſpectu Indiæ conſtituti, cùm ſe invicem intuerentur, riſum tenere non poſſent.

Advectos in Indiam Xaverius in Societatem recepit. Et Alphonſum quidem laborioſis miniſterijs, & pietatis exercitijs Goæ exercitum, & quodam quaſi œconomi munere functum, demum & ſacerdotem creatum, ſecum Malacam deduxit: ubi dum Alphonſus primum ſacrum facit, S. Xaverius illud concione habitâ honeſtavit. Poſtmodum autem Malacæ & Cocini pro concione ità ſe probavit Alphonſus, ut eum Cocinenſes concionatorem ſibi depoſcerent; ſed Xaverius A. 1549. ad Molucas mittendum cenſuit, ut Socijs ibidem ſparſis præeſſet. Quo in munere multa & gravia, non modò à Mahometanis & Barbaris, ſed etiam à domeſtico quodam, eodémque ſocio pertulit. Erat is Antonius Vazius Neophytis natus parentibus, homo alijs, quàm ſibi ſapientior, idémque ingenio acer, in ciendis pro concione affectibus potens, in vulgari converſatione affabilis & pius, cæterùm ſuperficiariâ ferè pietate, cum ſuavitate quadam ingenij & morum conjunctâ, quâ fiebat vulgo amabilis, maximè Præfecto Oduardo, qui Vazio familiariſſimè utebatur. Hâc porrò ſe apud Præfectum gratiâ inſigni, & ſingulari apud populum Viri magni opinione circumſpicientem, ſubibat quidam pudor obnoxiæ Alphonſo Caſtrio obedientiæ, ferebátque duriùs, quòd jugo alterius ſubeſſet. Scalpſit hanc ejus pruriginem miſſionis longinquæ urgens occaſio, quâ Rector Caſtrius ad infideles Mauros juvandos evocabatur; qui Ternate ſolvens ſuas regendi vices Vazio commiſit. Injecto Vazius in gradum hunc pede, per ſe commentus eſt, quà in ſuperiorem evaderet. Mirum planè auditu & miſerabile, in Regionibus Orbe toto diviſis & barbaris, Apoſtolatûs muneribus inſudantem ſic deſipuiſſe ambitionis leviſſimæ ambitu, ut confingeret literas à Provinciali, quibus Rector noſtrorum (qui tamen tantùm ſex erant) dicebatur; reverſum Alphonſum excluderet, & indigniſſimè Virum manſuetiſſimum haberet. Donec literis à Provinciali Indiæ ad populum Ternatenſem datis, doli convictus, & morbo graviſſimo deterritus, ſuam publicè noxam fateretur, & populum ab errore deduceret. Cæterùm à Societate homo talia auſus nihilominus ſegregatus eſt; donec compluribus demiſſi animi datis argumentis, admiſſionem ad Tirocinium rurſus impetrâſſet. Vocationis enim ſuæ ad Societatem amantiſſimus jam inde fuerat, cùm dimiſſionem à S. Xaverio petiturus, uno in ſe Sancti Viri oculorum conjectu, paucisque his vocibus: *Et vis fili mi à nobis diſcedere?* ſic immutatus eſt, ut nunquam impoſterum de Societate deſerenda tentationem ullam paſſus fuerit.

At Alphonſus muneri jam reſtitutus, paulò pòſt ex Maurica Ternatem accitur à Franciſco Viera, ſuo olim in Luſitania Confeſſario, tunc Goani Collegij Rectore; & inſtaurato per occaſionem Jubilæi, quod Viera ſecum attulerat, animo, ad Mauricas Inſulas remittitur, deducturus ſecum Socios, qui per eas plagas præeſſent, & mox ubi res compoſitæ forent rediturus, ut primo quoque tempore tranſiret in Baccianum, ad naſcentis ejus Eccleſiæ, cujus linguam in promptu habebat, ſtatum ordinandum. Quò poſtquam digreſſus eſt, bello omnia tumultúque miſcentur in Molucis. Tumultûs occaſio hæc erat. Multa jàm pridem de perfidia & occultis machinationibus Regis Molucenſis Aërij delata erant ad Odoardum de Saa, Ternatinæ Luſitanorum Arcis Præfectum; velle nimirum Aërium conjunctis cum Bornei Rege viribus Luſitanum nomen penitus in ijs oris extinguere. Ad quæ cùm acceſſiſſent intentatæ per inſolentiam Baccianenſi Regulo Joanni (qui ſub protectione Luſitanorum baptiſmum recèns ſuſceperat) impotentes minæ, Odoardus haud cunctandum ratus, in arcem diſſimulanter Regem, ejúsque fratrem Cizilgazarem totius fraudis ſocium evocat, & comprehendit; falsò ratus, hâc viâ tumultus comprimi, & rebellionis primos ignes extingui poſſe. Egit enim amor populi erga Regem die uno, quod annis compluribus odium Regis in Luſitanos non potuit. Ad arma concurritur à Ternatenſibus, Tidorenſibus, Marcianis, & à conterminis etiam Inſulis, quascunque incolebant Saraceni. Hi omnes ad Babum captivi Regis filium confluunt, grandíque conſtituto exercitu, cingunt premúntque Luſitanorum oppidum & arcem; omnes conclamant aut Regis libertatem, aut Luſitanorum necem, qui fidem proditione fefelliſſent. Inter hos motus, venit capto Regi in mentem

de navigiolo, quod Alphonſo commodaverat in Maurum transmiſſuro, indéque poſt menſem redituro rurſus Ternatem: dúmque ſperat fore, ut capto Caſtrio ipſe è carcere per commutationem liberetur, jubet occultè filium naviculas in excubijs habere, quæ revertentem Patrem intercipiant. Sed caſſum fuiſſet hocce Regis conſilium, ſi Vieræ proceſſiſſet. Miſerat enim & ille celocem ad P. Alphonſum, monens, Ternate in defectionem omnia ruere, ſtratum mare hoſtibus, populum in armis eſſe; proin in Mauro tantiſper ſubſiſteret, dum novis ab ſe literis revocaretur. Ità quidem Viera; ſed DEO viſum eſt, ut nuncius tempori non adeſſet. Confectis igitur Alphonſus negotijs dierum ſpatio quindecim, Ternatem remeabat turbarum ignarus; incurritque in vigiles in reditum ſuum inſidias, & ab hoſtibus capitur. Qui mox vinctum in oppidum Ires deportant, libris, ſupellectile ad rem ſacram neceſſariâ, Crucifixi effigie olim à Xaverio geſtatâ, & alijs rebus omnibus ſpoliant; Adoleſcentes inſuper Chriſtianos tres viæ comites, in mancipia divendunt; veſtibus, ipſóque induſio intimo Patrem nudant, roganti plurimùm, fragmentum lacerum vix relinquunt, quo ad pudorem cingeretur: poſt hæc manus in tergum retortas conſtringunt, funéque circa collum implicito per dies quinque in oppido aſſervant: inde Ternatem deducunt, ſed in crucem ex decuſſatis duobus navigij lignis compactam, nudo corpore ſublatum; ex qua deinde ſolutum ſiſtunt Principi Babo arcem obſidenti, qui nudi Alphonſi, antè ſibi noti ſpectaculo motus, femoralia & induſium ſibi ipſe detraxit, quò ejus nuditatem obtegeret. Ipſe etiam Rex in arce captus, ubi Caſtrium captum inaudijt, miſit à quibus ſuo nomine officiosè viſeretur. Niſus etiam eſt Princeps Babus Caſtrium ſuorum fidæ cuſtodiæ tradere, ſed obſtitêre Ireenſes; cauſati nuſquam gentium tutiùs, quàm apud ſe tenendum. Iren igitur Patrem reducunt, veſtibus, quas Babus donaverat, rurſus ſpoliant, ſemicinctu vili ægrè illi ad pudorem tegendum relicto. Revinciunt denuo ab humeris manus; fiſſo arboris gravi trunco ad modum numellæ collum medium inducunt; jámque de fuga Patris nihil ſolliciti, abjectum humi, dies totos triginta ad ſolem & nocturnam auram nudum, veſpis & culicibus commordendum exponunt. Quod quidem tormenti genus glorioſo Athletæ longè graviſſimum fuit, qui dudum valetudine tam erat affectâ, ut auræ etiam leviſſimæ ad nudum corpus afflatu offenderetur, eámque ob rem nè noctu quidem ad conciliandam quietem veſtes deponebat unquam, nec obſoletum induſium cum recenti, niſi medio ardentique ſole, frigoris intolerans permutare ſolebat. Præterea nihil per octo omnino dies cibi ad eum allatum eſt; reliquis verò diebus furtivè attulêre aliqui cariophyllos (quo fructu Inſula abundat) recentes; ſed Maurus ſacrificulus, qui à Patris latere per dies octo nunquam diſceſſit, ad defectionem Alphonſum identidem ſollicitans, faſſus eſt, Patrem etiam ijs abſtinuiſſe; mirabatúrque vitam abſque alimento tamdiu à Patre protactam. Accedebat ad tantam barbariem Caciziorum inſultus frequens, quà promiſſis, quà minis urgentium ad ejurandam Chriſti fidem, & profeſſionem Mahometis ſuſcipiendam; quod facinus Alphonſus cùm execraretur, atrociter à Barbaris cædebatur. Tandem Mahometani ubi nihil proficere ſe vident, virúmque tot cruciatibus & inediâ conſumptum, ut ſpes vitæ nulla ampliùs ſupereſſet, intuentur, ſtatuunt eum ferro abſolvere. Ergo Mauris duobus ſicarijs mactandum tradunt; qui arreptum per aſperas cautes ſecundùm litus deducunt, locum qui maximè placeret, tanto ſceleri delecturi. Ibat Pater ſpecie quidem ſpirans cadaver, at eo animi vigore, ut abrupta ſaxorum, levitate mirà ſupervaderet, quaſi tot dierum ærumnæ non conſumpſiſſent robur, ſed pondus tantùm levâſſent corporis. Quin adeò tanquam non ad necem, ſed ad convivium properaret, notabat ipſemet loca idonea lanienæ, & ſubſiſtens tortoribus demonſtrabat. Quod poſtquam ſemel ac iterum feciſſet, occurrit demum modica planities exeſæ rupi ſubjecta, in qua magnus jacebat truncus, quem maris undæ alluebant. Atque Alphonſus: *Nónne hic locus placet?* inquit, animo tam erecto, ut cùm placere demum ſibi reſpondiſſent, acinacem, quo erat conficiendus, ſibi petierit oſtendi; quem modicè contemplatus: *acies*, inquit, *hebes eſt, meliori eam cote ſubigite.* Tum rogat manus vinculis exui; ſed negantibus id ſicarijs: *agite*, inquiebat, *ſolvite; num nè fugiam timetis? nihil eſt quod timeatis; ad hoc manus ſolutas poſco, ut religioſiùs tantiſper DEUM precer.* Quod ſubridens, & tranquillâ oris ſpecie cùm diceret, carnifices multùm invicem mirati, manus illi liberas conceſſerunt. Manibus Pater in Cœlum ſublatis, proſtratus in genua, Deo ſe in victimam offerebat; & paulò pòſt ſur-

ſurgens, arboris trunco pronus incubuit, quò commodiorem ictum carnificibus præberet: quos etiam blandâ voce affatus: *Jam verò*, ajebat, *quod cordi eſt perpetrate.* Hic alter eorum impacto dorſi ſpinæ in longum acinace, diviſurus planè medium erat, niſi magnâ vi ambabus manibus ictum vibrans, caput ipſe ſibi læſiſſet (ſunt enim tam exquiſitæ temperationis & ponderis eorum gladij, ut uno ictu medium hominem per totum rectà findant.) Alter igitur adhuc vivum ſuo acinace abſolvit; tertiâque vibratione in mortui jam collum inflicto ferro, caput ſummum à maxillis diviſit. Corpus truncum in mare devolvunt barbari, caput ludo crudeli ad inſtar pilæ inter ſe jactatum, altè tandem acuto ſcopulo defigunt.

Vulgatâ poſtmodum P. Alphonſi nece, non tam mortis immanitas, quàm occiſi robur, & invicta poſt diuturnos carceris cruciatus morientis virtus, ipſis adeò Mahometanis admirationem, & Patris reverentiam impreſſit. Sanè miles quiſpiam Giloli aliquamdiu præſidiarius Patri Vieræ narrabat, S. Martyrem Alphonſum Caſtrium (ſic eum nominabat miles) etiam apud Mauros plus habere venerationis, quàm apud Chriſtianos. Addebat audiſſe ſe à Rege Giloli Mahometano miras de Caſtrio laudes, de illa potiſſimùm adeundæ mortis generoſitate. Illud verò ejuſdem curioſi & ſolliciti roboris de inſpiciendo, & acuendo acinace argumentum, hocce ſarcaſtico in ſuos epiphonemate Regem clauſiſſe: *hoc noſtri videlicet Cacizij facturi eſſent pro Maurorum lege!* Placuit etiam benigniſſimo Domino, qui nunquam liberalitate vincitur, ſuo heroi reddere vicem, non modò confitendo illum coram Patre Cæleſti & Angelis, ſed etiam coram hominibus. Nam corpus quod in rapidiſſimum mare projectum, & unius diei ſpatio ultra centum milliaria abripiendum erat, elapſo tamen triduo tantum abfuit ut loco motum ſit, ut aliquantò etiam ſuperiùs cerneretur, quàm quò fuerat abjectum; vulneribus adeò vividis, ut tunc inflicta putares; eâ denique luce perfuſum, ut gummitas recèns pictorum tabulas ſuo ſplendore referret. Situs ipſe corporis quaſi viventis erat, nam alto ſcopulo inſederat, qui pleno æſtu, aquis in fornicis ſpeciem ſinuatis ambiebatur; quo ſitu multos dies perſtitit, quin diſſolveretur. Exactis tandem menſibus octo, & obſidione Ternatenſi ſolutâ, miſit P. Viera hominem, qui reliquias ad ſe deferret chari ſibi olim filij ſpiritualis, & nuper fratris. Oſſa igitur conſumptâ carne hærebant ſuis adhuc commiſſuris, in ſitu ſedentis hominis, niveóque candore nitentia; at calvaria inter eas rupes nullâ potuit ſagacitate reperiri.

Porrò homicidæ Patris non tantùm ij qui ferro eum violârunt, ſed quicunque carceri mancipârunt, ipſorúmque adeò agnati, peſſimo exitu brevi tempore perière; ferro alij, alij igne, plurimi morbo nunquam antè viſo, quo tumeſcente in veſicas ignitâ ſanie turgidas, per univerſum corpus nudatis carnibus defluebat cutis, viſcera dirus calor depaſcebatur, ut omnes magnis clamoribus Alphonſum repetentes perirent. Regi Aërio vinculis ſoluto faſſus eſt ſenex Ireenſis, filios ſuos vendito calice, qui ablatus Patri fuerat, novo mali genere intumuiſſe enormiter, quo tumore brevi confecti, elatis in Cœlum brachijs, ad uſque ultimum halitum vociferabantur, *ô DEUS! ô Domine DEUS!* quamvis Gentiles eſſent. Idem etiam Rex totam hanc Martyrij ſeriem, ut eam ab ipſismet carnificibus acceperat, P. Vieræ narravit; quod totum confirmârunt etiam piſcatores duo, qui ad littus piſcantes, dum P. Alphonſus ad necem raptaretur exconſione factâ, generoſi agonis fuêre ſpectatores.

P. FRANCISCUS LOPEZ.

FRanciſcus Lopez gente Luſitanus, annorum undequadraginta, è quibus in Societate viginti, in India exegit duodecim, cum Joanne Nunnez Baretto Patriarcha anno 1556. Goam advectus eſt. Ex quo tempore varijs tum Goæ, tum Cocini perfunctus eſt officijs, quà catecheticis exhortationibus, quà Sacramentorum adminiſtratione, quà gubernando etiam Coullanum Collegium; potiſſimùm tamen geſſit Concionatoris munus, magnâ laude, & ingenti ani-



P. Franciscus Lopez Lusit: S.I. pro Fide Christi occisus à Mahometanis in mari Cocinensi Aº 1568. 29. Octobris.

C. Screta del. Melch. Küsell f.

animarum messe; eáque vi pœnitentiæ & doloris sensum ab Auditoribus exprimebat, ut rarò diceret, quin Auditorium in apertos fletus undique erumperet. Cocini degentem offenderunt naves quatuor Octobri medio, anno 1568. appulsæ, quibus Ludovicus Ataides novus Indiæ Pro-Rex vehebatur. His postmodum quinta accedens, mox Goam, reliquis Cocini subsistentibus, perrexit, Apostolorum Simonis & Judæ festo die. Navi cum imperio præerat Ludovicus Mello, vehebátque centum quinquaginta Nobiles Lusitanos, è nostris verò quatuor, qui eandem armis & mercibus bene instructam Cocini jussu Rectoris conscenderant, Goam devehendi; scilicet ipse P. Franciscus Lopez cum tribus fratribus, Antonio Dionysio, Jacobo Carvallio, Emmanuele Lobo, & Adolescente Candidato Societatis, qui Goam petebat, ibidem Societatem initurus. Felicem cursum læti tenebant, cùm postero die propè Cialem, celoces Mahometanorum quindecim ex insidijs invadunt Lusitanos, & Calecutio egressi, armis, velis & remigio habiles, pugnam cantu barbaro, velut prædâ jam-jam potituri, inchoant. Impressionem illam hostis primam non modò animosè fregit Lusitanus, sed aliquot etiam ictibus liburnas eorum depressit binas, tertiam uno latere mutilavit, majúsque aliquod exitium minabatur barbaris pertinaciter eam aggredientibus. Cùm ecce omnino miserandus casus in nostros revolvit perniciem, & victoriam abstulit, quam jam tenere videbantur,

tur. Intentis enim in prælium Luſitanis, in tormentarium pulverem, neſcio cujus incuriâ ſcintilla delapſa, totum ſulphurarij pulveris commeatum in flammam rapuit, puppim primùm, & ex ea certantes magno fragore in auras excuſſit; tum peſte continuò diffusâ, multis locis igne concepto oneraria, fornacis inſtar ardebat ſuccenſa. Erecti ſpectaculo hoſtes, navigia propiùs admovent, excepturi homines in captivitatem, & prædam, ſi quam liceret, è flammis ſubducturi. Chriſtiani quò ſe verterent, quodve præeligerent mortis genus, aliquamdiu deliberaverunt; undique circumſtabat mors, vel igni, vel aquâ, vel ferro pereundum erat, vel hoſtium arbitrio permittenda vita, morte ipsâ futura ſors acerbior. Sed ùt vitâ nihil eſt carius, leviſſimum malorum viſum eſt illud, ubi ſpei aliquid reliquum eſſet. Itaque ùt ad quemque flamma arrepſerat, in mare delapſi, ad Malabaricas adnabant celoces, ultrò ſe in ſervitium offerentes: quorum tamen pars ab hoſtibus ſuorum cæde exacerbatis occiſi, pars redemptioni aſſervati ſunt. Socij cum P. Franciſco diu in angulo conflagrantis Onerariæ perſtiterant, Deum orantes, ut regere ſe eo tempore, ac tueri vellet. Tandem & ipſi adrepente flammâ mari ſe committunt, ſi quid ſpei ſors daret experturi. Et Franciſcus quidem obeſitate corporis ad natandum inhabilis, ad Maurorum celocem, à qua propiùs aberat, enititur cum adoleſcente Candidato, qui pòſt elapſus è barbarorum manibus, ſeriem necis oculatus & propinquus teſtis confirmavit. Patrem videlicet ex tonſi verticis corona pro ſacerdote agnitum, ſublatum fuiſſe comiter in triremem, & admodum blandè interrogatum: an vellet Mahometi nomen dare, vitámque hac lege redimere? at P. ſevero vultu impium deteſtans facinus: *Ego*, inquit, *nequaquam id in animum induco meum.* Hìc verò Mauris haſtas in adverſum pectus intentantibus, vibratôsque in caput acinaces, niſi Chriſtum ejuraret; eâdem conſtantiâ reſpondit: *Chriſtianus ſum, mortem pro Chriſto libenter oppetam: vitam poteſtis, non Fidem, juvante DEO, eripere: ſtat ſententia, quodvis ſupplicij genus ſubire priùs, quàm egredi Religione Chriſtianâ.* Nec verbis ulteriùs acta eſt res. In illa Chriſtianæ profeſſionis illuſtri generoſitate, Saracenus haſtâ medias coſtas transadigit, alius caput ingenti vulnere dividit, in mare provolvunt cæteri, & ſupernatantem pergunt lanceis configere, donec mergeretur, & vitam glorioſo certamine terminaret. Idem factum eſſe Carvallio & Lobo referebant ij, qui prælium ſpectârunt, & uni quidem eorum biremem prehendenti caput ferro depreſſum. Quartus porrò Antonius Dionyſius, ex quo ſimiliter per innumera vitæ pericula elapſo rei ſeries comperta eſt, in Diaconum jam tunc ordinatus, quàm prodigiosè tot inter mortes & ærumnas ſervatus ſit, libet ex literis P. Organtini, quas ad S. Borgiam tunc Societatis Præpoſitum Generalem dedit cognoſcere.

Hodie, inquit, *Antonius Dionyſius appulit, quem tenebant captivum Mauri; recenſuítque nobis ſuos caſus, Patris Franciſci Lopez, & aliorum necem. Ac de ſe quidem narrat: ſibi juxta navim ex funè prehenſo pendenti, nè mari mergeretur, malum anticum in caput ruiſſe. Semimortuum eo ictu à Mauris tentum; quibus cùm aliud ex navi nihil prædæ flamma reliquiſſet, in littus regreſſos, illic à conferta ipſorum turba quæ littus compleverat, ſe cum ejuſdem fortunæ ſocijs (ùt eſt gentis crudeliſſimæ mos) omni convitiorum genere ſalutatum, cunctis ad necem captivos poſcentibus. Spoliatos deinde veſtibus, & prorſus nudos in varia ſparſos loca; ſe in pagum abductum Capocatim dictum, ſecúmque triginta Luſitanos; fuiſſe illic nudum in compede, ſummísque miſerijs; tandem pro Religioſo agnitum, Maurique indicio, à quo viſus olim Cocini fuerat, Domino proditum. Servatum nihilominus ab hero in vivis, ne illi cum eo pretium redemptionis interiret; ſed pejus quadrupede tractatum. Occupari ſolitum purgandâ quatuor domorum orizâ; quod opus cùm probè obiret, ventitaſſe narrat ad ſe Mauras anus, &, purga orizam meam Pater, imperâſſe, ſputísque interim faciem fædâſſe, cecidiſſe pugnis, & omni contumeliâ affeciſſe. Herum verò pueros miſſitâſſe, qui bufones & ranas è lacunis conquirerent, iísque os comedentis aut quieſcentis verberarent. Dormienti quoque ſubjectum ab ijsdem pueris gladiolum quempiam; pòſt verò malignè velut ab inſcijs, & caſu ſuperveníentibus retectum, proclamantibus ſe ad necem ab Antonio deſignatos; pugnis, calcibus, aliísque contumelijs, conflatam calumniosè injuriam ulciſcentibus. Diebus aliquot elapſis, cùm ad alium tranſiſſet herum (bis enim vanierat) in conſervum incidit Juvenem, cui ex inopia redemptionem deſperanti, Mauri perſuaſerant Mahometem. Jámque ad ſolennem circumciſionem dictus erat dies; cùm eum Antonius accerſit, noctémque in eo erigendo ſolidam inſumit tam proſperè, ut aſſurgeret miſer, & in gradu Chriſtianæ Fidei firmus conſiſteret. Die poſtero Mauri frequentes*

quentes adſunt, deducturi ad fanum Juvenem: at is liberè Chriſtianum ſe faſſus, Mahometem ejurat, fixúmque ſibi denunciat in Chriſto vivere & mori. Quo fruſtrà modis omnibus impugnato, in Antonium denique iras vertunt, velut mutationis ejus tam ſubitæ autorẽ, mortémque ei idcirco intentant; quibus ille conſtanter dicebat, mortem ſibi ex voto venturam, quæ tali de cauſa inferretur. Abſtinuêre tamen ab eo cruentas manus barbari. Non tacebo, quantâ vi Sacrificuli egerint, ut Luſitanorum quempiam, & nominatim Antonium impetrarent, Mahometi ſuo immolandum, ſponſione datâ victoriæ in perpetuum obtinendæ. Sed placuit Deo eum his omnibus malis eripere, aureis centum quinquaginta redemptum. Non tamen priùs dimiſſus eſt à Barbaris, donec ejus capiti Coronam Clericalem igne inurerent.



P. Georgius Fernandez et P. Gomez Damaralius Lusitani S.I. pro Religione enecti à Barbaris in Iava Insula. A°. 1580. 24. Septembris

C.S.d. M.S.f.

P. GEORGIUS FERNANDEZ, & P. GOMEZ DAMARALIUS.

DUm confitentium peccata tollunt Agni, barbarorum gladijs tolluntur & ipſi victimæ, P. Georgius Fernandez, & P. Gomez Damaralius; agone eò glorioſiore, quòd & victimæ charitatis, & ſanctæ Fidei teſtes purpurati occumberent; confeſſionem facientes Fidei, dum alij apud eos confeſſionem facerent peccatorum. Amboinum celebrem in Molucis Inſulam deſtinati erant

erant à Rectore Goani Collegij, ut pro ſuo, quo ardebant, Apoſtolico zelo, oram illam, quà confirmandis Neophytis, quà convertendis ad Fidem Sanctam Gentilibus excolerent. Jámq; Goá anno 1580. menſe Septembri in navigio Auguſtini Nonnij ad deſideratam miſſionem proficiſcebantur, vento ſecundo uſi uſque ad Inſulam Javam majorem; cujus incolæ jam inde à primo Luſitanorum in eas oras ingreſſu (ùt ſunt ingenio ferociſſimi, & Chriſtiani nominis jurati hoſtes) cum Luſitanis perpetuas exercent hoſtilitates, in omnem intenti eis nocendi occaſionē. Et cùm ex Numinis potentia multoties in prælijs manifeſtè Luſitanis aſſiſtentis perſpecta (quorum pauculi ingentes Javenſium copias ſæpius ingenti clade fuderunt) eorum ſacra expetere debuiſſent, incredibili furore ex eo tempore in Chriſtianum Numen & nomen exarsêre, ut quoties deinceps Luſitani in Molucas proficiſcentes Javam prætervehérentur, toties ferè ab infenſis incolis infeſtarentur. Vix igitur & hoc anno ex ſpeculatoribus cognoverant appropinquare Luſitanam Biremem, cùm mox complures naves inſtruunt, quibus Luſitanam invadant. Decertatum eſt utrinque acriter; & ùt quiſque ſua fortiùs tuetur, quàm raptor invadat aliena, Luſitani magnam edebant in Javenſibus ſtragem; ſed quâ effera gens magis irritaretur ad pugnam, velut ſi infixæ in pectora hoſtium haſtæ, & ferreæ glandes, ſtimuli forent barbaris ad victoriam aucupandam. Feſſis tandem Luſitanis navis expugnatur, & captiva abducitur ad indubitatam necem. Patres igitur claſſiarios, mercatorésque mæſtos omnes, ſpe melioris vitæ ſolari, hortari ad preces, ad confeſſiones invitare: quas dum in Zaënſi portu magno dolore factas excipiunt, à ſupervenientibus Saracenis duplici furore, quòd in ipſo Chriſtianorum Sacrorum miniſterio deprehenſi, in eos accenſis, per impiam crudelitatem uterque jugulatur, die 24. Septembris, anno 1580. Poſtquam P. Fernandez annum egiſſet ætatis 33. in Societate 18. Gomez ætatis 37. in Societate 20. tria ſolennia vota triennio antè profeſſus.

Luſitanus natione erat uterque; Fernandez quidem vitam auſpicatus Olyſſipone, Gomez Viſei, ad lucra animarum ficti factique ambo. Fernandez jam tunc Theologiæ Conſultus, poſtquam Conimbricæ atque Eboræ literaturam politiorem, & Rhetorum Cathedram docendo honeſtâſſet, omnem illam ſuam facultatem ad Gentilium commoda convertit, & quæ deſeruit roſtra Orator, invenit in Java Martyr, è navi raptus ad ſecurim. P. Gomez autem quadriennio priùs cum Alexandro Valignano Viſitatore Oceanum trajecit, ut opem ſuam adducendis ad Chriſtum Gentilibus impenderet. Multis ille annis eam miſſionem à Moderatoribus ſummo animi fervore expetierat: at cùm Moderatores, neſcio quibus de cauſis, in ea concedenda difficiles forent, Beatiſſimæ Virginis patrocinio ſibi in hocce negotio utendum ratus, votivam ſuſcepit peregrinationem ad ejus ædem, quam in Caſtellæ finibus ſitam, ab Rupe Franciæ nominant. Ibi provolutus in genua Gomez quà lacrymis, quà ardentiſſimis precibus Matrem implorat miſericordiæ, Superiorum animos in ſua vota flectere ſibi liceat, ipſiúsque magnæ Matris honorem in gente non ſancta promovere. Et verò reperit ab eo momento faciles in deſideria ſua Moderatores, qui Gomezium, ùt dictum eſt, anno 1574. in Indiam navigare juſſerunt, ubi ſedecim annorum fructuoſos pro Fide labores, glorioſo tandem fine coronavit.

P. PETRUS MASCARENIA.

ERat P. Petrus cum Paulo Apoſtolo *in laboribus plurimis, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter*, priuſquam ſemel expetitam toties pro Chriſto mortem oppeteret. Societati nomen Goæ dedit anno 1558. cùm ætatis annum ageret ferè trigeſimum. Atque ubi biennium Tyrocinij perſolviſſet, ſtudijs admotus, ſacrisque ordinibus initiatus eſt, & ad Salſettanos primò cum Emmanuele Gomis Laico ablegatus; ubi illum DEUS gratiâ ſanitatum donare dignatus eſt, ut gentilium animos Chriſtianorum ſacris hâc viâ, illis utique perutili, conciliaret. Fœminæ enim acerrimos dolores diù perpeſſæ, pertinaci item alvi profluvio ità afflictæ, ut morti vicina crederetur, ſolâ Evangelij ſuper eam recitatione, valetudinem integram momento temporis reſtituit. Et viro cuipiam annos jam duos è

P. Petrus Mascarenia Lusit: S. I. odio Fidei Christianæ in Moluc is venenô à Barbaris sublatus. A°. 1582.

C. S. d. M. K. f.

paralysi, finè ulla salutis spe decumbenti, eâdem Evangelij recitatione malum omne penitus depulit. Quibus signis, & ferventi insuper Patris adhortatione moti Salsettani, ingenti numero baptismo tingi expetierunt; quem illis magnâ suâ voluptate per pagos discurrens conferebat; generosus omnium periculorum, quæ in tanta barbarie occurrere quàm plurima necesse est, contemtor. Biennium ferè in ea cultura posuerat, cùm superioribus visum est illum laborantibus in Amboino & Molucis, vexatisque multum à Mahometano Principe Christianis, cum alijs socijs quinque submittere. De quorum adventu ubi in Mauro Insula, quadriennio postquam inde Patres abfuerant, auditum est, pagi omnes littorales ad portum confluxerunt, sublatis in Cœlum manibus, fletu, gaudio, cantibus, & teneritate intimæ benevolentiæ gratulati sibi eorum adventum. Postridie visi turmatim è montibus patres matrêsque descendere cum liberis parvulis, quos Christiano lavacro initiandos deferebant, præfati, nihil se habere quod Patribus darent præterea; sed probè animo retinere, horum salutem puerorum pro omni thesauro illis esse, cujus desiderio ex alio Orbe illuc essent advecti. Illo itaque die lustrati sunt supra 150. ac paucis deinceps diebus ad mille, nondum tertium ætatis annum egressi. Pueros adulti secuti sunt, partim Mauri, partim Ethnici, præ gaudio inter lætos clamores in lachrymas soluti: jurabántque omnes se vitâ priùs, quàm lege Christi, ejúsque præ-

præceptis deceſſuros. Inter reliquos pagus erat Galelea, multis incolarum millibus frequens, ubi plures Mahometani Chriſtianos magnopere opprimebant; donec loci Dynaſtæ, Fioliza dicebatur, cor tangens Divinior afflatus, repentè ex infenſiſſimo hoſte, adeò ferventem Legis ſacræ fecit Prædicatorem, ut vocatâ ad convivium urbe universâ, omnes ad ſuſcipiendum Baptiſma exhortaretur. Itaque de Myſterijs Fidei abundè inſtructis omnibus, præire ipſe ad ſacrum Baptiſma voluit; quem ſecuta Nobilitas, demúmque ad uſque infimum populus, ex diſcorde hactenus gente populum unum effecerunt.

Rebus ità in Mauro & Amboino uteunque compoſitis, P. Petrus duobus ibidem, qui cæpta promoverent, relictis, cum tribus reliquis Ternatem contendit, tres menſes in Luſitanorum Præſidiariorum culturâ poſiturus. Succeſſerat ad votum morum in Luſitanis reformatio, ut jam cenſerent omnes in excolendis ſolis Luſitanis diutiùs non occupandos. Proinde tertio Pentecoſtes die inſtauratis de more Societatis votis ſimplicibus, reliqui aliò profecti ſunt, Maſcareniâ cum Vincentio Diazio tyrone, quem ibidem recèns adlegerant, relicto. Prima Maſcareniæ cura de Templo erigendo fuit, quo ad id uſque tempus Ternatenſes caruerant. Igitur ex collatitia mercatorum ſtipe magnis animis ædificium aggreditur, támque ſtrenuè operas urget, ut cùm die Sanctæ Annæ cæptum eſſet, quinto idus Novembris ejusdem anni primum in eo Miſſæ ſacrificium ſolenni pompâ habitum ſit. Poſt hæc ad viva DEI templa, quæ ſuperſtitio Idolis ſacraverat, ædificanda converſus, totam latè viciniam circumcurſabat, & viris potiſſimùm Principibus Fidem Chriſtianam efficaciter ſuadebat; quòd uſu jam didiciſſet, plebejos horum exemplo facilè Eccleſiæ aggregari. Quin etiam Deus procul aliunde Reges magnos, virósque Principes ad Divinum fontem accerſere Ternatum viſus eſt. Horum unus fuit Toparcha Urbium quinque, Regis Tidorenſis cognatus, cujus exemplum ſecuti ex Proceribus Regiæ ſex primarij, eodem lavacri vitalis beneficio per P: Maſcareniam fruiti ſunt: ac demum aliquot poſt diebus duo Regis Tidoris fratres, tandémque Rex Bengaij, Réxque Baciani. Cujus Chriſtianæ rei progreſsûs dolore perciti Caſciges (Mahometis Popparum genus) inſalutatâ Regis Matre, pertinaciſſimâ Mahometi cultrice, in montes profugiunt; diſertè faſſi, malle ſe profugos ab Aula & oculis hominum degere, quàm tam multis ad conciones Maſcareniæ confluentibus, Legis ſuæ ruinam ſpectare præcipitem. Tantis porrò barbarorum baptiſmum poſtulantium obruebatur P. Maſcarenia cum altero Societatis ſacerdote accurſibus, ut de una ſolùm earum, quæ noſtros flagitabant, Inſularum ſcribat, *ſi centum & plures adeſſent ſacerdotes, operosè in ea occupatum iri, cùm tamen ejusmodi Inſulæ forent quàm plurimæ.* Quot verò pro Dei gloria P. Petrus exantlaverit labores in terra Selebum, quò anno 1568. cum claſſe ad Regem Siani ex captivitate liberandum ſubmiſſa profectus eſt, lubet ex ipſiuſmet literis, Ternate pridie Nonas Martij anni 1569. datis cognoſcere. *Quando apud Selebes hoc anno verſatus ſum, non abs re fore exiſtimavi, ſi ad vos, quæ ſint ibi geſta, perſcriberem: ut cùm tantam meſſis copiam, in tanta operariorum inopia cognoveritis, cuncti Domino ſupplicetis, utì quàm plurimos dignetur huc mittere. Sionis Rex, quod jam audiſſe vos reor, converſus ad Chriſtum eſt, & ſacro baptiſmate initiatus in ora Manadi, quo tempore Didacus Magallianes ibi fuit. Ea de cauſa intra ſexdecim menſes totum Regnum ab eo defecit, uno duntaxat oppido excepto, quò ille cum parente fratribúsque confugit, atque inde ad hoc Ternatis Caſtrum ſe contulit, opem à Luſitanis imploraus. Interea Divinâ adſpirante Clementiâ populares ejus ad ſanitatem reverſi, Regem in Patriam revocant, imperata facturi. Celox ad eum deportandum à Luſitanis inſtruitur. Unà diſceſſimus ipſo natali die Sancti Bartholomæi. Proximo die Dominico in ora Manadi ſacra Miſſæ peregimus. Ibi cognitum eſt, dimidiam tantùm Regni partem ab Rege ſtare, cæteros in defectione perſiſtere. Inde ad Sionem Urbem appulſi, jactis anchoris oppidanos de Regis adventu facimus certiores. Ij ſimul atque audierunt Luſitanorum navi delatum Regem, quamquam teneret Arcem adverſa factio, nihilominus Principes ad navem uſque acceſsêre ſeſe dedentes, ac Regis pedes multis cum lacrymis oſculantes. Subſtiteramus ibi jam triduum, nec hoſtes ad pactionem adduci poterant. Quocirca Navarchus, & Conſalvus Hurtadus cum ſua cohorte deſcendunt: ad hos armati adjunguntur trecenti ex ijs, qui Regi favebant. Quare perterriti hoſtes arce deſertâ in montes recepêre ſeſe. September menſis tunc agebatur, jámque aderat dies præfinita Navarcho, ut ſe cum reliqua Luſitanorum claſſe conjungeret. Quocirca ſolutis anchoris, Natali die Mariæ Virginis ex eo loco pervenimus ad pagum familiarum circiter trecentarum, quibus Conſobrinus quidam Regius imperat. Ibi remanſimus celoce*

abeunte, ego & Rex cum Luſitanis duobus. Nec mora, templum excitatum eſt: in eo Regis Patrem, qui ibidem erat, ſacro baptiſmate abluimus, venerandum ſenem, ad Chriſtianam Fidem valde propenſum, & ingenio inprimis mitem ac docilem. Septembri exeunte cùm Neophytos Manadenſes inviſere decreviſſem, Rex ipſe cum multis è ſuorum numero me proſequi ſtatuit. Dum ornantur navigia, è Sanguim Inſula honeſtiſſimi quique viri ad me venerunt, rogantes ut irem ad Regem ſuum Chriſtianis initiandum ſacris: cujus rei magnam ipſi quoque voluntatem oſtenderunt, cùm ſignis alijs, tum verò comâ extemplo tondendâ, quam alunt mulierum more valde promiſſam. Quorum ego ſtudijs optimis obſequendum ratus, præſertim quòd eâ ratione ad Inſulæ Sanguim totius (quæ ſanè magna eſt) converſionem aditus patefieret, admodum lætos dimiſi, pollicitus me ad eos eſſe venturum. Ij ſimul ac patriam attigere, novas ædes nobis excipiendis exſtruere aggreſſi ſunt. Inde paucis interjectis diebus Regis cognatus, cujusdam viri Principis filio comite, præclarè inſtructo navigio venit ad me deducendum. Parata jam erant Regis quoque Sionis octo navigia. Itaque is etiam mihi cum ſua cohorte ſe comitem præbuit. Feſto die Sancti Franciſci manè profecti, veſpere ad Sanguim acceſſimus: poſtridie Rex Inſulæ cum Optimatibus ingenti omnium gaudio nobis obviam prodiere. Urbs Regia, & Inſulæ totius nobiliſſima, Calanga appellatur. Eò ſumus deducti; ac triduò poſt promulgavimus Evangelium: quo perattentè audito Rex & Regina, Primoréſque reſpondent, meam ſibi orationem vehementer probari; proinde magnopere velle ſe fieri Chriſtianos. Moratus igitur ibi ſum, quoad fuit neceſſe ad præcipuam ſexûs utriusque Nobilitatem ſacro baptiſmate expiandam: quo illi ſuſcepto, Redemptionis humanæ myſterio dici vix poteſt quantum voluptatis & gaudij non ſolùm animo cæperint, ſed etiam publicè oſtenderint. Neque tamen inter haſce gratulationes vel Reges ipſi, vel cæteri, de ſalute animarum ſeriò mécum agere & quærere deſtiterunt. Planè ut noſtra domus inprimis laxa, dies noctésque auditoribus eſſet referta. Decretum eſt etiam communi conſilio, ut veneranda Crucis trophæa ſtatuerentur: eámque Crucem ſuâ ipſi manu viri nobiles è ligno pulcherrimo fabricati ſunt. O ſpectaculum noſtris oculis perquam jucundum! Fratres mihi cariſſimi, ſi vidiſſetis Regum illud par, Sionis & Sanguim, Chriſti Domini Crucem primùm ſublatam in humeros, deinde Proceribus certatim adjuvantibus defixam & erectam, nixos genibus cum univerſa multitudine ſuppliciter adorantes! Interea tempus advenerat Cauripanos Neophytos inviſendi. Ea res magno ſanè mœrore Sanguinianos affecit; quos ego, ut potui, levavi, pollicitus me reviſurum ipſos in reditu. Rogatus ab ijsdem, ut ante diſceſſum aream extruendo Templo deſcriberem, pecuniam in id corrogatam præſto futuram in tempore; æquatam & amœnam agri planitiem illis ad mare aſſignavi, denſis conſitam arboribus, quæ arbores intra ſex horas univerſæ (& quidem Principum manibus) prorſus ſunt exciſæ. Tantus eos ardor animi, tantum novi Templi deſiderium ceperat. Quin etiam Rex devexâ jam ætate, cùm propter infirmitatem corporis exercere ſeſe ipſe cædendâ ſylvâ non poſſet, inſtabat tamen, ac præerat ſedulus operi, cæterósque hortabatur. Regina verò juſſit nuntiari, ſe quoque cum fœminis purgando ſolo, herbísque vellendis, in ejus laboris ac meriti partem eſſe venturam. Ad extremum cùm non liceret mihi apud eos eſſe diutiùs, ab Rege ipſo, & à nobiliſſimis quibusque honoris causâ ad navem deducti conſcendimus. Luſitanis duobus qui mécum erant, ſingula donata mancipia. Regis præterea juſſu propinquus ipſius, & alius item ſummo loco natus adoleſcens, actuario nos proſecuti ſunt. Erat adhúc nobíſcum Sionis Rex: cujus in Regnum ſimul atque pervenimus, navigia comparari imperavit, ut nos in Cauripam comitaretur ipſe cum magno Principum numero. Itaque Regno bellicis copijs præſidijsque firmato, navibus quinque profecti Calendis Novembris, altero die Manadem attigimus: ubi verſati ſumus ad dies decem. Interea Balachini (ſic enim appellantur hi populi) ad me detulerunt, hominum eſſe plus centum millia, qui jam pridem avidè Baptiſmum expeterent; ſimúlque Regem Sionis rogarunt, ut ea de re mécum ageret. Sed ego cùm cernerem ejus oræ Neophytos eſſe permultos, nos autem ità paucos, ut non niſi rarò ad eos adire poſſemus, excuſavi me ùt potui, præbuíque ſpem fore, ut à Patribus, qui ad Selebes erant commorandi causâ venturi, baptizarentur. Me verò non aliam ob cauſam eò acceſſiſſe, niſi ut factos jam Chriſtianos inviſerem. Inde curſum in Cauripam intendimus, & exitinere ad oppidum quoddam Regis Bolonis maximè nobile naves appulimus, ut relictum ibi à Didaco Magaliane adoleſcentem acciperem, mecúmque perducerem. Rex Bolonis Manadi Regis eſt filius, Mahometanus ille quidem, ſed ad Chriſtiana Sacra propenſus: is aberat eo tempore paſſuum ferme ducenta millia. Mater autem ipſius ubi cognovit me portum iniiſſe, miſit qui me & cibarijs, & humaniſſimis verbis exciperet: ſed mihi nequaquam eo loco morandum exiſtimavi. Itaque adoleſcente, quem dicebam, in navem accepto, Cauripam denique attigimus,

magnâ

magnâ tum Neophytorum, tum etiam Ethnicorum lætitiâ, cujus non obſcura dedere ſigna, quamdiu ibi manſimus. Neque verò parum nos occupatos habuit gentis ejus religio ac pietas, ità ut noſtrum hoſpitium celebraretur aſſiduè vel à Neophytis, quos in Fide confirmabamus, vel ab Ethnicis, qui ſalutaribus rudimentis ac præceptis imbuebantur: quos ego tamen baptizare nolui, quanquam idipſum efflagitantes, ob eas ipſas cauſas, quæ mihi apud Batachinos occurrerant. Dixi aliquem è Patribus ad eos habitandi causâ venturum: atque hac ſpe injectâ digreſſi inde, Sionem ineunte Januario menſe tenuimus. Conſalvus Pereira Luſitanicæ claſſis Præfectus Regi Sionis receperat, ſe illi adverſùm rebelles ſubſidio eſſe venturum: jámque Januarius erat in exitu, necdum ille aderat. In ea expectatione comparuere duo navigia, quibus Rex comite me prodijt obviam, ratus eſſe de claſſe Præfecti. Sed à Luſitano Præfecto Mandornella, qui ijs navigijs vehebatur, cognitum eſt, Luſitanicam claſſem vi tempeſtatis in Malacam abreptam; ſanè moleſtus fuit mihi hic nuncius. Cognitâ mœroris causâ Mandornellas, ipſe Regi ſe ſuósque milites liberaliter detulit, ac Divino favente Numine ità ſe præclarè geſſit, ut paucis diebus duo caperit oppida, vel ipſo loco, vel propugnatoribus, & armatorum apparatu inprimis munita. Eâ victoriâ ſedati & compreſſi tumultus, univerſa Inſula in ſui Regis poteſtatem redacta, Selebes Luſitanorum virtute perterriti. Regis hujuſce Fides ac bonitas præter æterna, quæ (ut ſperamus manent illum in Cœlis) præmia, felicem etiam hunc rerum exitum videtur in terris eſſe promerita: uſque adeò nos officiosè & amanter eſt proſecutus, quantumcunque nobis apud Selebes contigit iter facere, nuſquam à latere noſtro diſcedens. Itaque in ejus gratiam magnus etiam nobis honos eſt habitus: nec ſolùm in deducendis nobis officio fungebatur, ſed etiam Fidei Chriſtianæ præconem ſe præbebat, exponens quàm illam ſibi frugiferam ac ſalutarem expertus eſſet. Nobis verò apud eos pro ſua probitate pióque animo gratias agebat ingentes: & cùm alia, tum illa præcipuè prædicabat, ſe in exilij ſui calamitate benignè à nobis exceptum ac ſuſtentatum, denique in Regnum noſtro beneficio reſtitutum eſſe. Quibus ille rebus animos hominum non mediocriter permovebat: nec apud Neophytos modò, ſed apud Luſitanos ipſos magna noſtrorum nomen ponebat in gratia. Pacato igitur, ùt dixi, Regno, Rege ſalutato, Ternatem reverſus ſum, mecúmque Regis filium duxi natu maximum, indolis egregiæ, nonum circiter agentem annum, quem ipſe mihi tradidit Parens educandum apud nos.

Inde renavigans Anno 1569. in Molucum, atque rurſus in Amboinum, non minorem tolerantiæ ſegetem à Mauris, quàm laborum habuit à Chriſtianis. Legi ſinè lachrymis non poteſt alia ejus in Luſitaniam epiſtola, quâ ſocios hortatur ad opem, quàm plurimi poſſent, celeriter ferendam tot miſeris ſacrum baptiſma flagitantibus, & ſacerdotum penuriâ in cæca errorum nocte tabeſcentibus: ſibi dolore rumpi ſolere viſcera, quòd ſolus tot millibus ſat eſſe ſuâ unius operà non valeret, audirétque illos interim ſuam ſortem lamentis, & luctu inconſolabili querentes. Tetendiſſe ad auxilium manus Inſulas octo, ad Amboini maximam pertinentes; Burros duos, majorem & minorem; Zeilanum, & non exiguo numero alias: ab ſe verò quid eis præſtari tandem potuiſſe? cùm in ea tantùm, ex qua hæc ſcribebat Inſula, non plus 20. leucarum ambitu, pagos numeraret 60. quorum plures capita cenſerent ad quinque millia; quibus ut aliquo modo ſatisfaciat, cibo ſibi & ſomno tempus deeſſe. Fluxo erat & debili corpore, morbísque obnoxio: ſed eorum ſenſum ægritudines obruebant alienæ, quibus graviùs quàm ſuis frangebatur. *Adeſte* (inquit, noſtros Conimbricæ alloquens) *adeſte dilectiſſimi, neque vos aut metus, aut dubitatio moretur, nè fortè tot morbis & ærumnis, quibus hæ affatim abundant Oræ, imbecilles ſitis & impares; ſubinfluit enim debilitati corporis & virium Divina Virtus. Experti loquimur; nam morbis ſæpius redactos ad extrema, perpetuis verò circumſeſſos & preſſos anguſtijs, eâ vi reficit Divina Bonitas, non modò æquo ut animo, quibus arctamur, miſerias toleremus, ſed optemus etiam graviores.* Inter hæc non rarò à Saracenis Ethnicísque ad mortem quæſitus, ſingulari DEI providentiâ ereptus eſt. Quodam tempore comprehenſuri Patrem Barbari, montem, in quem Pater ſeſe receperat, armato circùm milite velut indagine cingunt, ut nullâ humanâ ope elabi poſſe videretur; ſenſim deinde progreſſi circulum coarctant, & in anguſtum quendam ſalebroſúmque tramitem proſerpunt. Nullam jam evadendæ morti viam ſupereſſe advertit Maſcarenia, præterquam per montis quoddam præcipitium, quod conſcendere barbari utì non poterant, ità defendere non curabant, cùm ſatis ſuo ſitu fugam præpediret intercluſo Patri. Qui tamen brevi prece invocato Deo, per illud ipſum præcipitium prono corpore ſe devoluit, longúmque poſtmodum iter per ignotas ſemitas tam vegetus con-

confecit, ut ſeipſum mirari non deſineret. Sed paulò pòſt ad cædem rurſum à Gentilibus deſignatus, ad aliam ſylvam profugit, hoſtilem in latibulis declinaturus rabiem; in qua ipſos octo dies nullo alio, quàm herbarum agreſtium cibatu vitam ſuſtentavit. Incurrebant in eum ſæpè feroces Saraceni, Deo tamen oculos eorum excæcante, Patrem nunquam agnovêre; ferámque rati, præterierunt innoxium; ac tandem fatiſcentes, re infectâ, damnatóque conſilio, domum ſe receperunt. Accedentes verò ad deſertum poſt gravem tentationem & octiduanam inediam, velut de Cœlo miſſi Angeli, Chriſtiani indigenæ, miniſtrabant ei; atque ægrè pedibus ex debilitate conſiſtentem, in manibus & brachijs ad ſua domicilia deportabant, & ingenti charitatis ſignificatione varijs fomentis vires ità integrabant, ut paucis pòſt diebus ad opus Apoſtolicum periculorum ſecurus rediret. Tandem poſt multos agones, & morte ipsâ graviora pericula, mortem inde hauſit, unde alij ſalutem ſibi propinant. Nam Saraceni cùm aperto furore Patrem è medio tollere nequirent, ad dolos converſi, potui venena miſcuêre; ut frigido veneno quem in vivente non poterant, fervidum lucrandarum animarum zelum unà cum vita extinguerent. Quod factum eſt Anno 1582. magno omnium Luſitanorum & Indigenarum dolore, qui eum diligebant ùt communem Patrem, venerabantur tanquam Sanctum, audiebantque velut ex Spiritu Dei loquentem, quo converſiones animorum edebat admirandas. Equidem Ternate dum aliquando concionaretur, homo publicè ſceleratus pænitudine tam ſeriâ confixus eſt, ut ex pulpito deſcendentis Maſcareniæ genua complexus, ejus aurem ſupplex ad confeſſionem popoſcerit: quam cum fletu peregit tam acerbo, & tam altis gemitibus, ut ab omnibus perciperetur.

P. RUDOLPHUS AQVAVIVA cum Socijs.

PAterno clarus ſanguine Rudolphus, eodem in obſequium Chriſti profuſo multò clarior, Patrem habuit Joannem Aquavivam Atriæ Ducem, Claudij Præpoſiti Generalis Societatis JESU fratrem germanum; Matrem verò Margaretam Piam Carpenſem, Rudolphi Carpenſis Cardinalis ſororem; fratres germanos duos, Julium & Octavium, utrumque ſacrâ purpurâ inſignem. Jam inde à prima ætate indoles Virtuti aptiſſima in Rudolpho emicabat; cùm ægrotantes per Urbem incomitatus conquireret, blando alloquio in ſordidis eorundem grabatis reſidens ſolaretur; mendicantibus detractas ſibi veſtes elargiretur. Orationi in ipſa pueritia mirè intentus, adeò totus in Deum abſorberi conſueverat, ut à Lucretia Palmeria Nobili Matrona aliquando in contemplatione deprehenſus, apertis quidem oculis, ſed ſensùs omnis expers eſſet, & neque voce compellatus, neque ſæpius veſtium tractu ad ſe revocatus, quidquam perſentiſceret. Perſolvebat autem orationem omnem genuflexus, ut tandem neque genua fuerint paria continuando labori, intumeſcente primùm eorum altero; quod vero Rudolphus contentionem nil remitteret, etiam in periculoſum ulcus turgente. Hiſce Pietatis exercitijs occupato vileſcere cæpit ſæculum, placere vita Religioſa, eáque potiſſimùm in Societate JESU; eò prorſus tempore, quo Claudius Aquaviva Patruus, Rudolpho ignaro, relictâ Pij V. Pontificis maximi Aulâ, cui Cubicularius deſerviebat, ad eandem Societatem, attonitâ ac ſtupente Curiâ, ſe adjungebat. Neque vota ſua coram domeſticis ità preſſit Rudolphus, ut non ex ejuſdem moribus (quibus Patres noſtros ad Ducem ſæpius ex itinere divertentes exprimere ſtudebat) facilè legerentur; unde & parvulus Jeſuita paſſim ab aulicis audiebat. Inter hæc mater ejus Margareta morbo correpta diem clauſit extremum: cui animam agenti Rudolphus Crucifixi effigiem manu tenens aſſiduè aſtitit, ea ſuggerens, eóque animi ſenſu, ut ab exercitato ſacerdote plura non requireres. Lacrymas non modò non fudit ipſe ob mortem matris ſibi cariſſimæ, ſed & alios ut à fletu abſtinerent hortatus eſt, quòd perſpectam matris virtutem ſpem certam facere diceret indeptæ jam beatitatis. Enimvero fuit illa Matronalibus abundè dotata virtutibus, ut non indigna videretur eo admirabilitatis ſuffragio, quo ad uſque 36. poſt fata annum, cadaver ejus integrum pro-

P. Rudolphus Aquauiua Italus Ducis Atriæ filius Soc: IESU. cum quatuor Socijs profide Christi in India crudeliter enectus. A. 1583. 15. July.
C. Screta del. Melchior Küsell f.

prodigiosè ſervatum eſt, neque capillo quidem adhuc dilapſo. Matre ad hunc modum orbatus, Patre ultro ſeipſum orbare cogitabat Rudolphus: ſed acriter illo deſiderijs ſanctis obſiſtente, moræ impatiens, Domum Profeſſorum Romæ accedit, verbis, gemitibus, lacrimis Provincialem, Aſſiſtentes, Generalémque Præpoſitum fatigans. ut ſe in Societatem recipere velint. At Patres ubi intellexêre à Duce necdum poteſtatem Rudolpho factam, ſuaviter Juvenem hortati ſunt, per aliquot præterea dies parentis reſolutionem præſtolaretur; ad quæ immobilis Rudolphus, cùm ultra æqui bonique fines pietati paternæ ſe indulſiſſe, neque cunctationem ſe pati poſſe, lacrimabundus iteraret: ſubijciens Rodericius Provincialis: *Vide*, inquit, *nè fortè ſenſus iſte non perinde, ac videtur tibi, ſincerus ſit, ſed propterea Societatem ità deſideres, quòd Patruus tuus Claudius eam ingreſſus ſit.* Ad quæ veluti ſuboffenſus Juvenis: *Amandate me*, inquiebat, *in ſeptentrionem, vel in quamlibet aliam remotiſſimam Regionem, modò recipiar in Societatem; paratus ſum Tirocinij, & univerſa vitæ tempus eo loco ponere, unde nulla ſit ſpes unquam ſive Claudium, ſive alium quem è meis reviſendi.* His atque alijs ex magno & divino quodam ſpiritu reſponſis ità Patres inflexit, ut eum domo violenter exigere religioni duxerint. Miſſo itaque uno è Socijs, qui Ducem de filij propoſito commoneret, Rudolphus vix ſua capiens gaudia, Patri Alphonſo Ruiz Tironum Magiſtro traditur, ad S. Andreæ hoſpitij

nomine deducendus. Quò ùt pervenit, dici non poteſt, quo animi & teneritudinis ſenſu novitios ſingulos complexus perfuderit, ſingulis etiam pedes exoſculaturus, nisì Magiſter vetuiſſet. Adeſt interim Præſul Julius frater natu major cum triſti nuncio, ad Parentem continuè redeundum eſſe, ſic jubente Pontifice. Ea res cùm declinari non poſſet, ut quàm mitiſſimè ageretur, Claudium mittit S. Borgias Generalis Præpoſitus ad Rudolphum, qui eum bono animo eſſe jubeat, hortetúrque, ut Chriſti Vicario lubens obtemperet, Divinæ diſpoſitioni felicem rei eventum committens. Jam ad Rudolphum rumor aliquis de adventu Fratris Julij, & adventûs cauſa, pervolârat; & cùm aliud non videret effugium, latebras quæſivit, quibus tegeretur, dum turbo remitteret. Sed reperit eum tandem latitantem Claudius, & mandata quæ ferebat exponit. Cui lacrimabundus Rudolphus: *Tu hoc loco ſi eſſes*, inquit, *rogo quid ageres? quid tibi animi eſſet? Túne hæc facta ut probare poſſis? Nil equidem ajo*, reſpondit Claudius: *nuncium ego duntaxat P. Generalis, & ejus juſſu hortatorem ago.* Cùm Rudolphus nihilominus obniteretur, à ſupervenientibus alijs januam verſùs tractus eſt, miſerabiliorem ſeſe dictitans, quàm ſi in latrones incidiſſet, cùm hi vitam etiam animæ, quam latrones non poſſent, ereptum irent. Ad januam Præpoſitus Generalis cum alijs Patribus, & Præſul Julius Aquaviva cum aliquot Nobilibus operiebantur. Quos ubi Rudolphus conſpexit: *Ecquid demum* (inquit ex abrupto) *tam malè meritus de vobis ſum Domini, ut ità me inſectemini? Per ego vos Deum teſtor, qui ad hanc me Religionem vocat, faceſſere mihi negotium deſiſtite, & ejus in vos iram concitare.* Et quoniam Julius videbatur acriùs agere, adverſùs illum Rudolphus iratior: *Núnne hoc fratris*, inquit, *num Conſanguinei, num facinus eſt amici ô Juli?* Præſuli verò cuidam, qui hortabatur ut lætus ac volens iret: *Noſtin'*, inquit, *Domine quid ſit Religio? Nolles profectò tanto me ſpoliare bono, ſed ipſe tu quoq; frui velles, ſi nôſſes.* Et quoniam incaluerat, cùm admoneret Præpoſitus Borgia, ut miſſis verbis obedienter iret: *Pace tuâ Pater*, inquit, *haud equidem licere tibi reor eos ab Societate excludere, quos ad eam DEUS advocârit.* Ac reſpondente breviter rurſus Borgia, iret, ſic jubere Pontificem. *Ex ipſo quoque*, ſubjecit, *ſi mecum loqueretur, Pontifice quærerem, ſi ſempiternis fortè damnarer ignibus, erepturúsne me inde ipſe foret?* Tandem cùm nulla Juvenem expediendi via reliqua videretur, ſi ſuadendo hortandóque certaretur, ſic eum vultu ſeveriore Borgias compellat: *Cave ſis fili, nè immoderato ſtudio perditum eas id ipſum, quod tantopere tenere vis. Primas in hac Religione obtinuit ſemper propria voluntatis infractio. Quòd ſi tu ſtatim adeò difficilem te atque intractabilem ipſo in exordio præbes, parum habile ingenium ad eam te habere declaras.* His verbis quaſi frigidâ perfuſus, confeſtim obmutuit; útque teſtaretur ſe velut membrum Societatis ejuſdem Præpoſiti imperia exequi incipere, in currum fratris conſcendit.

Ad paternas reductum ædes candidatum nobilem multi acriter exagitârunt; præque alijs Avia ejus Cæcilia Urſina Comes Carpenſis; quæ dum preces blanditiásque omnes in caſſum cadere vidit, eò demum deſcendit, ut ſuaderet alium Rudolpho Ordinem, in quem ſacris honoribus pateret aditus, quibus olim auctus ad Eccleſiæ poſſet emolumenta prodire. Cui Rudolphus: *Domina, æternum ego & irrevocabile divortium, non inducias & amicum diſſidium cum ſæculo meditor; neque ad diverſorium humilitatis, ſed ſtabile ejusdem domicilium, qualem utique Societatem eſſe aſſeris, aſpiro.* Alterius verò Matronæ nobilis, moleſtè præceptum obtemperandi parentibus oggerentis, loquacitatem, unicâ repreſſit interrogatione. *Domina*, inquiebat, *ubi, & quamdiu ſtudium conſcientiæ quæſtionibus navâſti, quòd tam ſcitè vim præceptorum DEI pernoveris?* Inter hæc Rudolphus, cujus anima deficiebat in atria Domini, opem ſibi à Generali Præpoſito implorandam cenſuit, optato ſanè eventu. Mox enim Claudius cum Joanne Polanco ad Pium V. Pontificem Maximum mittitur, qui ſignificet Rudolphum ſat jam ſupérque probatum videri, neque ultrà de conſtantia ambigendum eſſe. Dum hæc Præpoſiti nomine Pontifici proponit Claudius, Julius è contra Aquaviva Cardinalis nomine Parentis, eadem, quæ olim Parens ipſe Pontifici obtrudebat: *Inconſultum videri Rudolphi conſilium, & ab ægritudine quapiam, triſtitiáve animi profectum.* At interfatus Beatus Pontifex: *haudquaquam à triſti & melancholico ſpiritu eſſe Religionis propoſitum, ſed à bene tranquillo lætóque*, pronunciavit. Cæterùm quoniam pauculos poſt dies Dux Româ diſceſſurus eſſet, indulgere ſe Patri dixit, ut apud eum Rudolphus interea loci maneret; ſimul verò atque Dux abiret, Rudolphum nemo ampliùs demoraretur. Ità demum in Ducis digreſſu bonâ ejuſdem gratiâ, incredibili

ſuo ſolatio in Tirocinium receptus eſt 4. Non. Aprilis A. 1568.

Erat hoc ipſo tempore Romano in Tirocinio B. Stanislaus Koſtka, Rudolpho noſtro planè geminus & germanus; ſed illo conſummato in brevi, partes ferè virtutis obeundæ Rudolphus obtinuit. Non lubet hìc recenſere ea virtutum ſingularum decora, quæ fusè in vita Patris commemorantur; illud univerſim attuliſſe ſufficiat, quod plures cum Carolo Maſtrillo accurato actionum Rudolphi obſervatore pronunciârunt: eo in gradu virtutes in Rudolpho fuiſſe omnes, totus ut modeſtia, totus humilitas, totus charitas, totus denique virtus videretur. Sed non ſatìs Rudolpho erat ſibi bonum eſſe, nisì & alios bonos faceret, eos præſertim qui veræ Fidei expertes Orientales plagas incolunt. Hos ut inviſere, & in ſancto conatu vitam & ſanguinem fundere ſibi liceret, ardentiſſimè à Superioribus expetijt. Duo tamen faciebant, ut Everardus Borgiæ in Generalatu jam ſucceſſor, quamvis ſingulari ſtudio in earum gentium converſionem incumberet, Rudolphi tamen vota differret. Primò, quòd exiſtimaret ejus talenta tanta eſſe, quæ Europæ plurimum prodeſſent, adeóque hoc illi columen non videretur ſubducendum. Deinde, quòd corpus invalidum, & labefactatas vires, Indiæ laboribus impares judicaret. Ferebat pacatè eam repulſam Rudolphus, addebat tamen nihil ſe dubitare, quin demum vota ſua optatum eſſent finem habitura. Degebat id temporis in Collegij Romani ſervitijs Bernardinus Nurſinus (is, qui poſtea Camillo Lellio, Ordinis Clericorum infirmis miniſtrantium Inſtitutori primus adhæſit) & jam eam habebat apud Patres opinionem ſanctitatis, ut in dubijs, deſperatisve rebus, precum ejus ſuffragia paſſim expoſcerent. Rudolphus igitur cùm de Indica expeditione, ac propemodum de valetudine etiam conclamatum foret, Bernardini precibus ſuam neceſſitatem commendat. Is poſtquam rem ardenter cum DEO & DEIPARA egit, Rudolphum fortè obvium arctè complexus, bono animo ac certâ ſpe eſſe jubet, non tantùm valetudinis recuperandæ, ſed & Oceani tranandi, & quod optatiſſimum eſſet, ſanguinis ibidem pro Chriſto fundendi. Ità ſibi à Sanctiſſima DEI Genitrice ſignificatum eſſe. Lætus eâ denunciatione Rudolphus; quà orando, quà corpus afflictando, Deum in ſua vota trahebat; donec Everardus injectâ ſibi divinitus (ut ajebat) luce, poteſtatem ſeciſſet in Indiam proficiſcendi cum Nicolao Spinola, Michaële Rogerio, & Petro Berno, qui & ipſe poſtmodum in odium fidei occiſus eſt. Mox ſub navigationis initia prope portum Ligurnum eâ jactati ſunt tempeſtate, ut nautæ omnes deſperatâ ſalute nudos ſeſe in mare dejicerent, univerſi natatu evaſuri; quod idem Nicolaus Spinola natandi peritus faciendum ſibi cenſuit. Reliqui cum Rudolpho natandi inexperti mortem quidem præſtolabantur in navigio, votum tamen peregrinationis ad vicinam Matris DEI ædem concepêre, ſi ſalvi litus tenerent. Ratum continuò votum fuit; tranquillatum mox mare, & Socij periculo defuncti, in novas ſervati ſunt ærumnas. In ſinu enim Lugdunenſi per ſeptem continuos dies in perpetua mortis expectatione tantâ jactati fuêre tempeſtate, ut navi peſſimè quaſſatâ, ex cubiculo demigrandum foret ſub tabulatum, & inter equos, qui in Hiſpaniam eodem navigio vehebantur, ſtabulandum. Nec meliore uſus eſt diverſorio in alia navi, quâ Ulyſſiponem appulit; de quo ipſe ità inter alia ſcripſit ad Michaëlem Lauretanum: *Diverſorium meum*, inquit, *in navi, tametſi mihi nunc carcer, nunc ſepulchrum videtur, duos pedes latum, totidem altum, ut neque flexis genibus ſtare liceat, neque orare, niſi ſedenti aut proſtrato; tamen lætor in ijs quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus; & quia conformor Cruci Domini.* In literis verò ad Everardum fusè datis, ità de ſe ſcribit: *Atque in hac provincia ità acquieſco, ac voluptatem tantam experior, ut equidem vocationem meam nè cum toto quidem terrarum orbe mutârim. Didici enim jam nunc aliud eſſe ſervire DEO inter ærumnas, ac citra eas; quásque homines in conclavi ſuo orantes, & procul ab occaſione eas exercendi poſiti, exiſtimant ſibi adeſſe virtutes, eas ſæpenumero umbras potiùs, quàm virtutes eſſe.*

Præſtolabantur Ulyſſipone adventantes ex Italia Socios alij decem in eam profectionem deſignati, quibus adjunctus cum reliquis tribus Rudolphus, pridie Annunciationis anno 1578. in altum provectus, pridie Exaltationis Sanctæ Crucis Goam pervenit. Ubi ad ſextum Calendas Novembris prima Rudolpho obtigit baptiſmi conferendi occaſio. Viginti homines poſt meridiem privatim ab eo ſacris undis aſperſi ſunt, ſed memorabili prorſus eventu. Erat enim ex eo numero vir ævo gravis, qui cùm Mahometem ſequeretur, Goam nuper nullius ſuaſu aut monitu venerat; inſtabátque, ut quàm citiſſimè baptiſmo initiaretur, quòd neſcire

ſe diceret, quantum ſibi reſtaret uſuræ lucis. Ecce autem prædeſtinationis Divinæ inſigne documentum! protinus à baptiſmo narium vena ità illi ſolvitur, ut nullâ ope proficiente, cum immenſa copia ſanguinis ſupremum ediderit ſpiritum, Deo primitias Rudolphi Indicas ità honorante. Aperuit Deus paulò pòſt Rudolpho latum patientiæ, laborúmque campum apud Mogores; quorum Rex Echebar nomine, inter Orientales maximus, magnum Tamberlanum octavo gradu contingens, miſſis per legatum literis Regijs, duos è Societate Patres ad ſe mitti poſtulabat, quarum tenor hic erat. *Ad Patrem præcipuum, in nomine Domini. Literæ Salaladini Mahometi Echebariſxæ, Regis manu DEI conſtituti. Patres Collegij S. Pauli primores, ſcitote me vobis valde benevolum eſſe. Mitto iſtuc Ebadolam Legatum meum, & Dominicum Petrium* (erat is Chriſtianus interpres, natione Armenus) *petitum, ad me duòs ut Patres doctos mittatis, librósque legis, & nominatim Evangelium; ut legem ejúsque perfectionem cognoſcam. Aveo enim eam nôſſe. Oro igitur omnino veniant cum ijsdem Legatis, & libros Legis afferant. Sciántque Patres qui venerint, me eos excepturum quàm honeſtiſſimè, & gratiſſimos habiturum, &c.* Exarſit inter Socios generoſa cupiditas & modeſtiſſima contentio, dum ſibi quilibet glorioſum laborem depoſceret: tandem omnium ferè ſuffragijs Rudolphus ad eum deligitur, & comites duo item ſacerdotes, Antonius Monſerratus Catalaunus, & Franciſcus Henricius Perſa, genere Mahometanus, ſed optimus Chriſti cultor, idémque Perſicè doctus, quâ linguâ Mogorum Nobilitas utitur. Diſceſſerant ingenti gaudio paulò poſt medium Novembrem, quos interim Rex in Urbe ab ſe condita, cui nomen Fatepurum, adeò cupidè expectabat, ut præcognito eorum Goâ diſceſſu, dies itineris numeraret, diſponens ſuâ opinione manſiones. Cúmq; paulò lentiùs ob valetudinem Monſerrati procederent, relinquendus is erat in Urbe Narvaria, ſex dierum intervallo à Fatepuro diſſita, quòd Rex per nuncios iter accelerari juberet. Nec minor in adventu fuit lætitia, quàm ſolicitudo fuerat in expectatione. Ut primùm advectos cognovit Rex, edidit mandata, ut ad ſe priùs, quàm compellarent quemquam mortalium, deducerentur. Qui cùm veniſſent, omni honore acceptos per inſignem benignitatem, multis diverſisque in multam noctem interrogationibus tenuit. Tum juſſit hoſpitaliter accipi, & ingentem vim pecuniæ afferri, quâ uterentur arbitrio ſuo. Sed Rudolphus eâ omni cum liberali gratiarum actione remiſsâ, cauſam breviter adjecit, Religioſos ipſos eſſe, id eſt, homines qui ultro abdicatâ rei pecuniariæ poſſeſſione, devotáque Deo paupertate, neceſſarijs vitæ contenti eſſent. Eam Rex profeſſionem plurimum apud ſuos ac ſæpius commendavit; deditque eos alendi negotium Domino Petrio; ex quo Patres tantum præcisè admittebant, quantum vitæ tenuiter tolerandæ ſatis foret.

Rex erat ætate circiter quadragenarius, oris colore non admodum Europæis abſimili, ingenio ſagaci & magno, Chriſtianis ità favens, ut etiam quoſdam deſertores impios, ad regreſſum pecuniâ & beneficijs invitârit. Attulerant Patres, quòd ipſe ſacros libros poſtulâſſet, Regia quatuor linguarum Biblia, ſeptem compacta Tomis, opere eleganti atque magnifico, ei donanda. Quos ubi primùm obtulerunt, ea Echebar ſingula aſſumens volumina, detracto capitis integumento, nudo vertici reverenter impoſuit, & oſculatus eſt: percontatus nominatim quod eſſet Evangelium, præcipuéque veneratus, ſuum in conclave omnia magnâ curâ recondi juſſit. Sub hæc, quò tranquillitati Patrum conſuleret, ijſdémque ſui copiam expeditiùs faceret, ſemotum intrà ſepta Regia domicilium attribuit. Qui cùm ibi Sacellum continuò ingenti nitore cultúque, quàm id loci fas fuit, exornâſſent, id ultro Regi viſere libuit. Propoſita erat in ara Sanctiſſimæ Dei-Parentis imago, ex ea expreſſa, quæ Romæ in Exquilina Baſilica colitur. Rex ùt pedem in Sacellum intulit, & in ſacram effigiem defixit obtutum, Majeſtatem admirans, & Religione perfuſus, primò Mahometanorum more ſtans, cervice, humerísque profundè incurvatus; deinde more Chriſtianorum, nudo vertice, flexo genu, manibus junctis; tum ritu Ethnico humi toto proſtratus corpore, adoravit: adijciens Majeſtatem Numinis dignam, quæ gentium eunctarum ritibus adoraretur. Inter hæc nullum Rex omittebat erga Patres genus benignitatis; ut ipſum adeò Monſerratum, cùm adhuc languens fuiſſet advectus, & ab ſuis curari medicis juſſerit perdiligenter, & eum ipſemet inviſerit ſæpius, ſummáque comitate ſtuduerit conſolari.

His officijs eò magis Patres delectabantur, quòd ad excipiendam ſalutis doctrinam non alienam indolem indicarent. Sed ultra ea vix quidquam Echebar progreſſus eſt. Cognoſcendæ Chriſtianorum legi, poſtulatu Rudol-

Rudolphi, diem certum deſtinavit, cujusque hebdomadæ Sabbathum; quóque liquidiùs rem cognoſceret, diſputationem inſtituit eruditiſſimis Mahometanorum advocatis, quos Mulaſſos vocant; qui tertio congreſſu ità revicti ſunt, ut profiterentur ultro, nihil reſtare ſibi quod contrà afferrent; neque jam cum Rudolpho, ſed inter ſeſe, in alias alij diſtracti ſententias concertarent, non ſinè admiratione perpetuæ inter Patres concordiæ. Omitto quibus de rebus diſceptatum ſit, ſatìs habeo indicare ſucceſſum: qui is fuit, ut Rex jam non obſcurè ſtomacharetur ineptias Alcorani, eásque identidem Mulaſſis ad inurendum dolorem objectaret. At Mulaſſi, pars aſſentiri propè palàm, maximéque Abdulfaſil Regiorum ſacerdotum Antiſtes ac princeps; alij leviter repugnare, plerique fremere, irâ odióque diſrumpi, denique cùm nulla laqueos exuendi via ſuppeteret, miracula poſtulare. Fuit quin etiam eorum de grege profundæ quiſpiam improbitatis, qui ſumpto ab audaciæ oſtentatione conſilio, ſive medicamentis fretus ac veneficijs, ſive ubi ad rem veniretur, per artem & fucum eluſurus certamen, fieri periculum vellet, ut Rudolphus cum Evangelio, ipſe cum Alcorano ardentem inſilirent in rogum, & cui flamma peperciſſet, ejus lex prodigij ſancita ſuffragio, pro vera ſuſciperetur. Quæ temeraria, ſeu fraudulenta provocatio, egregiam Rudolpho materiam præbuit animi ſui præſtantiſſima decora expromendi; tria præcipuè, maximam Fidem, maximam obedientiam, maximam fortitudinem. Etenim ubi primùm ignis mentionem Mulaſſus fecit, Rudolphus ùt ardebat Fide, ſi æſtum ſequeretur animi ſui, in conditionem lætiſſimus ferebatur, certus eam, quam tueretur, veritatem affici damno nequaquam poſſe; & adeſſe cauſam rebatur idoneam dandæ in conſpectu Fidei, nè tergiverſatio in Religionis contemptum acciperetur. Verùm cùm & Socij deterrerent, & ipſe ad Sapientum decreta in conſpectu Domini rem examinâſſet; facilè intellexit, manifeſtam eſſe Dei tentationem. Evidentibus enim rationibus Mahometicam vanitatem redargui, ipſósque ſatìs Mulaſſos, & Regem vidiſſe, nihil in ea ſolidum, nihil nisì turpiſſimum, atque adeò conflatam varijs è ſectis colluviem, corrivatis undique quæ corpori blandirentur, & quàm ſimillimos belluis homines facerent, inveniri. Nullis igitur opus eſſe prodigijs, imò, nè ſi fierent quidem, valitura apud eos, qui ad lucem rationis idcirco caligant, quia divelli ſuis à libidinibus ultro nolint. Hæc atque alia iſtiuſmodi cùm Rudolpho & ſuggererentur à Socijs, & ipſi ſuccurrerent; non ille tamen magìs mentem ſubjecit rationibus, quàm voluntatem obſequio, nè ſuam potiùs tanta in re, quàm alienam ſecutus ſententiam videretur. Verùm enim verò cùm illum ea vehementer cura coqueret, nè per eam detrectationem ſplendor aliquando ſanctiſſimæ Legis apud Barbaros infuſcaretur; dum verſat animo, quid conſilij ſequendum foret, vide quàm mirabilem invenerit viam non ſuſtinendæ modò, ſed etiam decorandæ dignitatis Chriſtianæ. Quod tantopere ſemper expetiverat, veniſſe tempus arbitratus eſt, nobile Martyrium & voce faciendi & ſanguine. Maledicere palàm Mahometo decrevit, & aſperiùs quàm conſuêſſet exagitare Mulaſſos; ut quoniam capitali ſupplicio Mahometani facinus illud ſinè mora vindicant, intelligerent omnes, nequaquam ſe metu mortis periculum ignis recuſare, qui ad certam ſe mortem ità ultro ac volens offerret. Ergo poſt multas preces ad Deum, ut ſacrificium ſuum in odorem dignaretur ſuavitatis accipere, plenus animi Divinæque fiduciæ, in Mulaſſorum & Procerum corona, ſedente in medio Rege, in hanc ſententiam prolocutus eſt. *Ignem ego, Rex (teſtis eſt Deus, in cujus conſpectu ſto) pro veritate Chriſtianæ legis non reformido; jube rogum accendi: in eum me jube vivum dimitti in teſtimonium Chriſti JESU: non paveo, non recuſo; amo, exopto. Atque nè cauſa deſit, capitale eſt apud vos, qui ſecùs de Mahometo loquatur: ajo Mahometum falſum Prophetam eſſe; Antichriſtum eſſe; mendacem & fraudulentum eſſe. ajo Chriſtum JEſum Filium eſſe DEI vivi; neque aliud nomen hominibus datum eſſe ſub Cœlo, in quo ſperanda ſit ſalus. In hujus teſtimonium profeſſionis vel igne me, vel ferro, vel quâ lubet nece mactato. At tentare Deum nefas eſt, neque opus miraculis firmare Fidem, quam ratio manifeſta evincit.* Satisfecit Regi oratio, quanquam non omnes in partes; adeò miri alicujus ſpectaculi, quemadmodum olim Herodi, libido exarſerat.

Paucis diebus intermiſſis, nunciari Rudolpho jubet, Mulaſſum jactatorem illum eſſe hominem ſceleratum, & ſupremo ſupplicio dignum, ſéque cupere conflagrantem videre; ut quando apud plebem ejus ſcelerum ignaram nonnulla in veneratione eſſet, ità redactus in cineres, absque invidia ſua pœnas daret. Itaque conditionem ignis intrandi verbo Rudolphus acciperet; curatu-

rum ſe, ut prior ille ingrederetur, quia provocaverit; eóque combuſto, ne fineretur Rudolphus intrare prohibiturum. Hoc Pater accepto nuncio, confeſtim ad Regem properat, declarátque ſibi nequaquam licere necis cujuſpiam participem fieri. Et ille, *non id peto*, inquit, *ut in necem conſentias: ſed ut conditionem accipere te ſimules.* Id quoque cùm ſibi licere Pater negaret, inſtitit, ut nutu ſaltem conſentiret; at, cùm eo loco nihil à voce diſtare nutum, eſſet reſponſum; ſubijcit, *denique ſatìs habeo, ut præſens interſis, tacitus licèt atque immotus; rem ego proponam, perficiámque.* Tum Rudolphus: *nè erres, ô Rex; nihil eſt quòd interſim, ſi nihil in me poſſit inde referri; ſin autem præſentiam meam populus pro conſenſu accepturus ſit, non patiar, ſed publicè proclamabo, teſtabórque diſſenſum. Hinc diſce quàm pura ſit, quàm ſimplex, & ſancta Chriſti Filij DEI Religio. Simulationes iſtas & involucra non recipit. Ut ipſa vera eſt, ità quidquid fictum ac ſubdolum eſt, odit & vindicat. Itaque tibi author ſum, ut ſi quâ pœnâ Mulaſſum ſuas ob noxas plectere vis, lege in eum agas, & cauſam ſupplicij vulgus intelligat. Denique Chriſtianorum ſi juvat experiri conſtantiam, me in ignem immitte. Quod attinet ad miracula, tum fuerit opportunum de ijs agi, cùm Mulaſſi oſtenderint in rationibus noſtris haud ſatis eſſe firmitatis. Quamdiu illa ſtabunt, nè alia quærant. Vias inſuetas tentare, dum trita notæque patent, ſuperbum ac temerarium eſt.* Hæc fortiſſimus Chriſti Præco liberè modeſtéque, & ſapienter dixit: ut ingentem à Corona plauſum retulerit, & Regis vel curioſam miraculorum aviditatem, vel moleſtam flagitationem repreſſerit.

Cæterùm non ſatis noverat Rudolphus Regis animum, & erga Sanctam Fidem propenſionem, cùm in Aula nihil conſtaret magìs, quàm non Mahometanum, non Ethnicum, non Chriſtianum Regem eſſe. Exhibebat ille quidem Patribus benignitatem, ſed in rebus Fidei inconſtanter ſe habebat; ùt qui centum concubinarum illecebris implicitus, in ludicra opera & ſpectacula abreptus, cogitationes divinitus injectas continuò & velut in ſemine ſuffocaret. Super omnia adverſabatur ſaluti hominis væcors ſuperbia. Volebat ſibi Auguſtiſſimæ Triados, nec non Incarnationis myſterium ità demonſtrari, ut id ſuâ intelligentiâ comprehenderet. Explicabat utrumque Rudolphus aptiſſimis ſymbolis, ut vel ipſi faterentur Mulaſſi, ſic explicata continere dignam Deo Majeſtatem, neque valeret repugnare Rex: ſed eodem tamen hærebat in nodo, & obtentum quærere videbatur ſuæ perfidiæ. Fecerat quidem poteſtatem ſubditis, qui vellent, Chriſtiana ſacra ſuſcipiendi; ſed rogatus, ut voluntatem ſuam Regio diplomate teſtaretur, pertinaciter abnuit, ſuam affirmans abunde vocem eſſe: quo factum eſt, ut diffidentibus populis, ea poteſtas nullum haberet uſum. Illud tamen videri potuit ingens rectæ mentis argumentum, quòd tribus è filijs natu ſecundum, Barhium nomine, Monſerrato tradiderit Luſitanicè loqui & ſcribere edocendum, imbuendúmque etiam, ſi vellet, Chriſtianâ Fide. Itaque perplexis Patribus, nec quid conſilij capere, nec quid ſperare oporteret, uſpiam affulgebat; ut proinde docendus fuerit per literas Provincialis de toto Mogorum ſtatu à Rudolpho exaratas. Addidit & alias ad Nunnium Rodericum Goanum Rectorem, quas hìc ſubnecto, ut ſanctiſſimi ejus animi ſpecies penitus intelligatur.

Ex literis, inquit, *ad P. Provincialem ſcriptis, quæ inter nos domi, quæque foris cum Rege ſint geſta, cognoſces. In his tecum, nempe cum Patre Spirituali, ſolummodo agam de me. Optimè nôſti, quantum expetiverim hanc provinciam, & quantâ exultaverim lætitiâ, cùm miſſus in eam ſum. Sicut audivimus, ſic vidimus. Ad id quod optabam perveni, id eſt, ut teſtificarer coram Regibus, & Principibus hujus Mundi nomen Domini JEſu Chriſti, cùm ſpe præmium inde reportandi mortem, quam ſacræ literæ in conſpectu Domini pretioſam appellant. At ſcito Pater, non paucos eſſe hoc loco, qui hujusmodi mortem cupiunt: verùm abeſt tantum à nobis, quantum Rex abeſt à funere. Interim dum illa differtur, non deeſt materia ærumnarum inteſtinarum & externarum, ut interdum tædeat me etiam vivere: placuítque Authori expeditionis hujus Deo mihi porrigere calicem, non eum qui inebrians dicitur, ſed illum alterum, qui vini meri plenus miſto. Cæterum nondum usque ad ſanguinem reſtitimus. Ità tamen ſimul conſolatione abundo, ut ſi ad meam hanc voluptatem accederet, ut liberarer ab onere hujus qualiscunque Præfecturæ, quod Sancta Obedientia mihi ſupra vires meas impoſuit, totúmque in Socium meum reijceretur, tum verò impleretur gaudium meum, ac ſuperabundaret; ſi tamen eſſe gaudium poteſt in medio nationis pravæ, ubi nihil niſi peccata vident oculi noſtri; ubi aures nihil audiunt, niſi teterrimum, ac fœdiſſimum Mahometi nomen. Nihil Pater (flens ſcribo) nihil hunc aërem perſonat, nisì illud diabolicum nomen: nec ferè unquam ſuaviſſimum*

JEſu

JEſu nomen ad aures noſtras accidit. Namque Mahometani, ſi quando appellant, ſolùm nominant JEſus Propheta, Deíque Filium negant. Atqui ego talem JEſum non novi, nec ſcio dicere, niſi JEſus Filius DEI: idque ſi interdum linguâ ipsâ multum pronuncio, ac volo ſatiari dicens, Chriſtus JEſus Filius DEI, tunc refricatur mihi pœna & afflictio ſpiritûs, quòd ille, apage inquit; alius aures obturat; illi irrident; hi execrantur. Ubi verò me domum recepi, cupio ut ipſi parietes, & pauca illa Chriſtianorum animæ, quæ velut in Arca Noë nobiſcum ſunt, undique ingeminent acclamántque, Filius DEI; ſed reſpondere mihi videntur, quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Cùm Regem allocuturi, atque ad ſalutem ſublevaturi adimus, occupatos homines invenimus in precationibus illis funeſtis, quas Mahometani tantâ ſedulitate modeſtiáque, ac reverentiæ ſimulatione exequuntur, ut mirum ſit; cogimúrque oculis noſtris illorum videre dealbatorum abominationem ſepulchrorum. Denique totum hìc Mahometus eſt; hìc Anti-Chriſtus pollet in hac gente; ad tartareæ hujus bellúæ honorem flectunt genua, proſternunt corpora, manus attollunt, eleemoſynas erogant, faciunt omnia: nobisque libertatem vocis non licet exercere, nè vitam Regis in periculum adducamus. Itaque mori non licet; nec tamen vivimus, quia tabeſcere nos fecit zelus noſter, ſolúmque ſpe vivimus, eáque incertâ, quæ nonnunquã ad mala potiùs, quàm ad bona vergit. Quòd ſi ſpes noſtra ſimilis eſſet ſpei animarum Purgatorij, item ſimilis conſolatio eſſet. Nunc autem earum certa eſt, cum ſecura expectatione boni eis promiſſi; noſtra planè habet incertum eventum, quod quidem ad converſionem Regis pertinet. Nam alioqui Deus eum ſenſum infundit cordibus noſtris, ut labores in conſpectu Majeſtatis ejus nihilominus acceptos confidamus eſſe, quàm ſi exitum ſortirentur: quia ſcrutator cordium & renum eſt DEUS. Hæc cogitatio facit interdum, ut mihi ſimiliter atque Patriarchæ olim Jacob, dies hi pauci videantur præ amoris magnitudine, cùm dies ac noctes laboremus in re tanti DEI obſequij, quantum eſt Fidem ejus in gentibus barbaris ſerere, tanto cum vitæ noſtræ diſcrimine. Atque hæc altera eſt cauſa conſolationis noſtræ, quòd eo loco verſamur, qui quandam nobis neceſſitatem imponit, quotidie vitas noſtras in mortem offerendi; quem ſtatum videtur mihi debere quivis germanus Societatis filius invidere nobis; quia majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Et quanquam charitatem in nobis ità magnam non agnoſcimus, quòd nondum usque ad ſanguinem reſtitimus; tamen eo loco ſumus, ubi propiùs eſt, ut hanc quoque DEUS nobis concedat. Ac proinde precor te, Pater, qui me ſemper amâſti, ut adjuves me ad gratias agendas de beneficio tanto. Et quoniam de charitate eſt ſermo, quâ nihil eſt dulcius, nè ab ejus te ſuavitate diſtraham, in ea finem dicendi faciam, tuis me Sacrificijs & orationibus ex animo commendans. Fatepuro 4. Id. Septembr. 1580.

Miſſionis exitu tam incerto Provincialis ex literis cognito, revocandos exiſtimavit. At Rex uni Franciſco Henricio poteſtatem abeundi fecit, reliquos duos negavit cum bona ſua gratia abituros.

Interim arma in Regem germanus ejus frater, qui Regnum Chabul citra Indum poſſederat, corripuit, junctis ſibi Bengalenſibus, qui paulò antè rebellaverant, eam defectioni prætexentes cauſam, quòd Rex Religionem mutare vellet; ut idcirco Rex ſive diſſimulandi causâ, ſive revera alienior, aliquamdiu priſtinæ in Patres benevolentiæ ſignificationem intermitteret. Jam verò cùm adverſùs fratrem ingentes copias Rex ipſe produceret, caſtra ſequi Rudolphus ſtatuit, ut ſalutis Regiæ momenta captaret omnia, & occaſionibus immineret. At Rex ſatìs fore dixit; ſi Monſerratus, nè filij quem ſecum ducebat, profectus in literis retardaretur, ſecum iret. Fatepuri igitur relictus Rudolphus vitam planè cæleſtem ducere orſus eſt, ut etiam barbaros in ſui raperet admirationem, qui ſæpius ad oſtium cubiculi adreptabant, dum corpus flagris malè exciperet. Ipſe Regis filius natu maximus ſtrepitu ingenti verberum noctu exaudito, è conclavi proſiliens, ad cubiculum Rudolphi, ſonitum flagelli ſequens, acceſſit: cúmque Pater finem pulſandi feciſſet, ingreſſus diſſimulanter, pavimentum ſanguine conſperſum conſpiciens, quid egiſſet interrogabat; rem totam leni riſu, & gratâ interpretatione tegente Rudolpho. At Regulo ſic ejus facti ſpecies inhæſit, ut poſt annos multos venerans, celebránsq; tantæ virtutis memoriam, coram Patre Hieronymo Xaverio exclamaret: *O virum! ô qualis erat iſte vir!* Nactus etiam per Regis abſentiam plus otij Rudolphus, illud limandæ linguæ Perſicæ, excogitandisque argumentis, quibus inſaniam Mahometi quàm clariſſimè refelleret, impendebat. Quo in ſtudio ità profecit, ut totum Alcoranum egregiè calleret, & locos ſibi invicem repugnantes haberet promptiſſimos; Mulaſſis vehementer mirantibus, qui defenſionem nè attentare quidem jam audebant. Sed nequiverat Rex diutinum ferre

Viri

Viri deſiderium, ac propterea profligato celeriter bello, ad ſeſe eum acerſivit in caſtra, támque honorificè & amanter adventantem excepit, ut Aulici tantam ſui Principis indulgentiam admirandi nullum facerent finem. Porrò Rudolphus ut tantis gratijs redderet talionem, omnibus artibus ſalutem Regis procurare ſtuduit: ipſum adeò Regem induxit ut jejunaret, jejunióque flecteret Patrem luminum, ad elargiendum ſibi veræ fidei lumen. Sed barbarus cibo abſtinens, potione quâdam ad mentis uſque ſtuporem ſe interim ingurgitabat: itáque hærens in cæno, vitâ æternâ indignum ſe reddebat.

Erat per id tempus ſolus jam apud Mogores Rudolphus, nam Rex Patrem Monſerratum Legatis ſuis adjunxerat, quos ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem (ad quem tunc mortuo Henrico Cardinale univerſa Luſitanorum ditio pervenerat) ad Summum itidem Pontificem, & Generalem Societatis Præpoſitum officioſis literis inſtructos, expedivit. Goam ubi Monſerratus pervenit, fuſiúsque expoſuit infructuoſam videri noſtrorum in Mogore ſtationem; ſtatuit Provincialis etiam Rudolphum inde evocare, datis ad Regem literis, in quibus oſtendebat Rudolphum maximè idoneũ fore Legatis in Europam comitem: addidit & alias ad Rudolphũ, quibus jubebat, ut omnimode ſe à Rege expediret, redirétque in Indiam. At Rex urgenti abitum Rudolpho ità reſpondit: *Ego te plurimùm diligo, & conſuetudine tuâ plurimùm delector. Quod pertinet ad veritatem Diviuæ Legis, ità ſum animatus, ut eam ex quocunque quamvis viliſſimo homulo, ſi cognoverim, ſinè mora ſim ſuſcepturus. Caterùm nemo unus omnium extitit unquam cujuſvis diſciplinæ, ex quo tam multa, quæ ſatis mihi facerent cognoverim, quàm ex te. Abire ſi placet, ego vim tibi non inferam, cum bona tamen venia & voluntate nunquam abibis. Denique peccatum hoc, ſi me deſtitueris, tuum in caput ſit.* Repoſuit Rudolphus: Regem à Patribus non deſerendum, ſed ſuo tempore alios viros optimos & doctiſſimos ſubmittendos; propterea que ſe neque libros, neque ſacram ſupellectilem aſportaturum. Nihil tamen de propoſito ſuo remittebat Rex; id unum repetens: ſe quidem eum nolle per vim tenere, invitiſſimo tamen ſe abiturum. Perſtitit nihilominꝰ in obediendi ſtudio Rudolphus, ſeque ad profectionem comparavit. Tum Rex, ubi eum advertit animum planè obfirmâſſe ad abitum, ſacramento primùm adegit, ut ſponderet reditum, quantum in ſe foret, ad Mogores. Deinde accipere juſſit quidquid in Regno ſuo arrideret, profeſſus nunquam paſſurum ſe, ut abiret indonatus. Rudolphus ut morem Principi gereret, Moſcovitam Chriſtianum, qui cum Polona conjuge, & parvulis duobus liberis Regi captivus ſerviebat, ſibi dari poſtulavit, & cum ijs Goam reverſus eſt ſub initia Maij, poſt quatuor annorum in Mogore commorationem, ingenti Sociorum gaudio, qui ſe Rudolphum inter homines vivum viſuros deſperaverant. At Rudolpho hærebat infixus animo dolor, amiſſi ùt rebatur per eam revocationem Martyrij, quẽ ipſe Monſerrato & Henricio Mogoricæ expeditionis comitibus, cùm in Indias nuncius obitæ ab Edmundo Campiano, & Alexandro Brianto in Anglia glorioſæ mortis, perlatus eſſet, talibus verbis deplorabat: *Illi, illi ſunt viri; nos verò indigni tam beatâ ſorte homuli.*

Cæterùm paulò pòſt DEUS viro Martyrij fitientiſſimo occaſionem fundendi ſanguinis ſuppeditavit in Salſettis. Deerat ſub id tempus Salſettano Collegio Rector; cui muneri opportuniſſimum viſum eſt Roderico Vincentio Provinciali ſubſtituere Rudolphũ, cujus virtutẽ ſapientiámq; omnes & admirabantur, & amabant. Ibat ad eam expeditionem Rudolphus, Evangelicâ, ſi aliàs unquam inopiâ inſtructiſſimus, tribus unimirum univerſim codicibus; ſacris Biblijs, Breviario, & vitâ, quæ jam tum manuſcripta circumferebatur, S. Xaverij. Expetebant interim Neo-Rectorem avidè Salſettani Socij, inque ejus adventum renovationem votorum diſtulerant. Quâ Cortallini peractâ, cæpit Rudolphus domicilia Sociorum & Eccleſias omnes circumire, ipſos adeò Ethnicorum pagos, quos paulò antè Idolorum everſio acriùs in Chriſtianos irritârat. Quin & oculos in Coculinum conjecit, ſtatuítque oppidum inviſere, fundamenta ſacræ ædis inibi poſiturus. Vix itaq; dies Dominicus illuxit, qui fuit pridie Idus Julij, cùm Rudolphus & Paciecus in Arce Ravioli, aliíque in alijs ſedibus rem Divinam fecêre, dixêréque ad populum pro concione, & omnes ſub veſperam in pagum Orlienſem convenere. Inde Antonius Franciſcus unus Sociorum ſcribit ad Coculini primarios, Rectorem poſtridie cum alijs Patribus eò venturum; rogare ſe præterea, dent operam, ut univerſi conveniant, habere ſe quæ unà cum illis, ſalutis ipſorum causâ, communicet. Reſcripſit ad eas literas è Principibus unus, ſe quidem malis domeſticis impeditos (extiterat enim inter eos ex primarij viri cæde diſſenſio)

ſio) convenire minùs commodè poſſe, ac pro dignitate Patres excipere. Si tamen oppidum liberet inſpicere, id ipſorum commodo fieri licere. Hiſce nuncijs Barbarorum excitata perfidia; continuò inter ſe deliberant quemadmodum Patres Deorum ſuorum everſores, ſuæ legis irriſores, peſſimis ſupplicijs diſcruciatos interimant. Noſtri Idibus Julij, quo die P. Ignatij Azevedij, & Sociorum ejus obitam heroicam necem Goani Socij piè recolebant, ſuo quiſque Sacro peracto, adulto valde jam die, ſui ignari diſcriminis, Coculinum rectà contendunt. Erant omnino de Societate quinque, Rudolphus Aqvaviva, Alphonſus Paciecus, Antonius Franciſcus, Petrus Berna, Sacerdotes; & Franciſcus Aranea ad opera manûs adjutor; qui cùm reparandis, cæmentóque adverſùs Barbarorum injurias ædificandis præeſſet ædibus in Salſettis, eundem maximè ad uſum Coculinum, cùm locus ædi ſacræ capiendus foret, ducebatur. Proſequebantur noſtros Chriſtiani propemodum quinquaginta, Luſitanique eo in numero duo: cùmque primos Coculini aditus attigiſſent, nemóque obviam prodiret, placuit primarium quendam virum accerſere, qui apud ſuos plurimum authoritate valebat. Is ubi acceſſit, & cauſas, cur nemo adverſum procederet attulit, abeundi veniam confeſtim petijt. Noſtri ut maneret cùm exorare non poſſent, quòd is occupationes neſcio quas prætenderet, hominem dimiſerunt. Is ubi diſceſſit, omnium advertit aures & oculos clamor horrificus. Ariolus erat, ſinè quo iſti nihil moliuntur, qui fœminarum & puerorum in corona magnis ſtridoribus clamores edebat, & inſanâ totius corporis jactatione pulverem in aërem ſpargebat; nec quid diceret ſatìs perſpicuum erat, nisì illud; adveniſſe jam tempus, quo violatum ulciſci Numen Idolorum oporteret, injuriásque eas, quæ quotidie inferebantur à Patribus, vindicare. Sub hæc paratum jam ſibi tugurium Patres intrant; Crucem in faſtigio ſtatuunt, & pauliſper quieſcunt. Nemo paganorum apparet. Mox quidam conſpecti commeantes ultrò citróque, & oculos exploratorum modò in tugurium defigentes, captantésque aure ſuſpensâ Patrum ſermones. Qui cùm audìſſent de ædificanda æde ſacra agitari, jámque poſitam Crucem animadvertiſſent, è veſtigio evaneſcunt. Ultro accerſitis duobus è primis, qui degebant in vicinia, alter tantùm venit, cui Calugus Naique nomen erat; interrogatúsque quid ità principes pagi non adeſſent, ſolemnia benevolentiæ argumenta præbituri; deinde, quid inconditi ſibi vellent venefici clamores? Reſpondit perfrigidè, domeſticis populum conflictari diſcordijs: Magum, Idolorum juſſu, concire multitudinem adverſùs Patres; verùm jam ſeſe rem totam diſturbâſſe. Hæc Alphonſus Paciecus cùm audìſſet, hominem ad Rudolphum adducit, qui paululùm ad canonicas precationes à cætu ſeceſſerat. Mirâ ille hominem comitate complexus, offert operam ſuam ad diſſenſiones tollendas. Viſus eſt Barbarus probare ille quidem conſilium, ſed nihil ab ſe, ignaris fratribus, ſtatui poſſe cauſatus, abſceſſit. Etiamnum reſonabant dira carmina, horendúsque venefici ululatus; quæ quò diutiùs advenarum aures verberabant, eò certiùs ipſi nôrant contra ſe fundi. Et quanquam vitam ſuam in DEI poteſtate poſitam eſſe meminerant, tamen horrore quodam ſenſim perfundebantur; atque adeò ſinè cunctatione retrò abijſſent, nisì ſuborto imbre, allatisque eodem tempore cibarijs, reficiendas tantiſper vires, dum deplueret, cenſuiſſent. Curatis raptim piéque corporibus, dum quidam de comitatu, quòd allata domum annona multitudini minimè ſufficiſſet, ad quidpiam coëmendum in pagum ingreſſi, expectantur, Patrésque interim jamjam profecturi, de aptando ſacræ ædi ſitu ſermonem conferunt, locúmque deſcribunt: ecce tibi clamor affertur ingens ex ea parte, quâ primarij Pagodi ruinæ in proximo ſtabant; & qui expectabantur Chriſtiani, fugientes apparent, eósque inſectans globus ingens Ethnicorum, haſtas, gladiósque vibrantium, & ſagittas aptantium arcubus, magnóque fremitu ingeminantium; *Macta veneficos, macta patriæ noſtræ perturbatores.* Omiſsâ dein inſectatione fugientium, intendunt curſum ad Patres. Continuò Chriſtiani Orlienſes obviam inermes, ùt erant, progreſſi, admonere etiam atque etiam, precari, obteſtarique, nè Patres innoxios, támque ipſis benevolos violarent. Illi contrà nihil penſi eorum habitis conſilijs, tela expedire. Luſitanus Regius Scriba ſclopeto inſtructus, ſe ferebat adverſùm, ſpeciem præbens vim vi repulſuri. Sed Paciecus hominem reprehendens: *Abſtine*, inquit, *non enim ad bellum venimus*; pergénsque in occurſum furentium, brachijs tanquam ad complexum expanſis, quieſcere, ac ſecuros jubebat eſſe. Inter hæc nova turba ex ea parte, quâ Patribus retro iter capeſſendum erat, cum infeſto clamore, velut ex inſidijs dato ſigno cooritur.

Præibant robuſti duo Barbari, feroces juventâ, nudi corpora, ore truci, ſparſo & incondito crine; multitudo ingens ſequebatur. Hi priores in eum locum, ubi Patres conſtiterant, curſu delati, quis inter eos præſit, interrogant. Rudolphus in re ſubita conſtans animo, equum ad fugam ſibi expeditum à Chriſtiano, quo utebatur interprete, oblatum repudiare, Sociorum cuicunque eum ſe concedere dicere; hortari ſuos ad ſubeundam fortiter pro Chriſto mortem, quæ omni profectò vitæ anteferenda ſit; eam tantopere expetitam, & tam diuturnâ peregrinatione quæſitam, ecce jam eſſe in manu, eam non modò non dubitanter, ſed etiam ardenter exciperent. Inter hæc verba adfuit illico hoſtium manus, & ab Rudolpho ipſo cædis fecit initium. Huic poplites primò ſuccidit ingenti plagâ: quo ille vulnere procumbens in genua, oculis in cœlum intentis, diductâque ſuis ipſe manibus veſte, nudam præbuit hoſtili ferro cervicem. Sed nè id quidem ad leniendam carnificis crudelitatem ſatis fuit. In eas ipſas cervices, quas Chriſti pugil nudârat, impreſſo mucrone, duas illi graves mortiferásque plagas impoſuit. Huic immanis ſcenæ ſecundo actui præludere jam olim Rudolphus perſæpe viſus eſt, cùm inter precandum exardeſcens, diffibulatâ veſte, nudatóque collo, perinde quaſi jam tum feriendus foret, exclamaret in cœlum: *Paratum cor meum DEUS, & paratum collum meum, Deus cordis mei!* Ad has plagas acceſſit nova, quæ humerum à reliquo corpore penè diſcerpſit; & ad extremum jaculi vulnus in pectore; quibus vulneribus animam ſuo edidit Procreatori. Supremis autem vocibus dixiſſe memoratur, ut eſſet ſuo Domino uſquequaque perſimilis: *Ignoſce illis, Domine!* atque addidiſſe: *S. Xaveri, ora Deum pro me! Domine JEſu accipe Spiritum meum!* & hoc ubi tertiò repetiverat, expirâſſe. Atque huc Rudolphum ſua Virtus provexit, quò tanto ſemper ardore contenderat. Nihil enim adeò, cùm ex Regno Mogoris revertit, querebatur, quàm quòd medios inter hoſtes nunquam ſibi ſors ſimilis obtigiſſet.

Proximè Rudolphum, ac penè eodem tempore, invaſêre Franciſcum Araneam, quem gladio vulnerârunt in gutture, & lanceam adegerunt in coſtas. Jacuerat is prope ſepem, ægram trahens animam, donec Barbari reliquis interfectis, occiſorum cadavera numerarent; atque ubi conſpicati ſunt Franciſcum ſpirantem adhuc, omnis ad eum virorum, mulierum, ac puerorum multitudo convolat, magnis clamoribus præ lætitia geſtientium; qui quò plus honoris haberent Idolo ſuo, bis circa illud ſeminecem raptant; deinde ùt mos eſt gentis in reorum quæſtionibus, uno tantùm pede conſiſtere jubent, tum etiam Idolo ſupplicare. Quod cùm conſtantiſſimè facere renueret, poſitus eſt quaſi ſignum ad ſagittas, quas innumeras in eum miſerunt, & ſanguine imbutas Idolo conſecrârunt. Atque is fuit univerſorum furor, ut nè pueri quidem ipſi puellæque in ejus corpore lacerando, ſuísque manibus, mucronibus, jaculis, & præacutis ſudibus configendo, animum poſſent ſatiare, cùm è ſuis ulciſcendis Idolis aliquam ſibi quiſque partem conaretur laudis appetere. Quare & arundines, & veruta, & alia ejuſmodi tela ejus cruore madefacta, unà cum reliquo occiſorum ſanguine, ſuis conſecrabant Idolis: eodémque ipſo, ùt eorum mos eſt, Deorum ſimulachra feſtis clamoribus inungebant. Denique ità confecto laniatóque Araneâ, vulneribus aliquot in cervice defixis, reliquum ſpiritum exhauſerunt.

Tertio loco Petrum Bernam aggreſſi, in caput ejus transverſo vulnere ità ſævière, ut vertex avulſus modicâ penderet è cute; alter oculus illi telo trajectus; auris dextra ferè detracta. Addidêre & contumelioſa tormenta, verendis exſectis, & in os morientis per turpem contumeliam immiſſis; ea de cauſa, quòd ille nuper vaccam, præcipuum ipſis coli ſolitum Numen, ſuper ejuſdem Aram occidiſſet, & Deorum fana evertiſſet.

Similiter Pater Antonius Franciſcus, accepto in capite gravi vulnere, & reliquo corpore confoſſus, id demum obtinuit, quod quotidie in Miſſæ Sacrificio à DEO Euchariſtico enixè poſtulabat, ſcilicet ut ſibi ejus cauſâ mortem oppetere liceret. Certè eo ipſo die Sacrificanti, miro prodigio ſacer ſanguis exundans efferbuit labrotenus, haud obſcurum fundendi ſanguinis argumentum.

Sed & P. Alphonſum Paciecum eâ gloriâ fundendi pro fide ſanguinis dignatus eſt DEUS. Hic dum Barbari alios crudeliter laniant, veluti moræ impatiens, *me me*, clamabat: *adſum, qui feci, qui veſtra Idola comminui.* Hæc dicenti cùm Barbari lanceam adegiſſent in pectus, ille extenſis in crucem manibus, oculiſque in cœlum ſublatis, alteri ſe vulneri offert intrepidus; quo accepto: *Tu Domine*, inquiebat, *lanceâ pro me confixus es, per eam ego te obteſtor, ut hiſce parcas, & novos illis Fidei prædicatores ſubmittas*; cúmque

hoc

hoc dixiſſet, concidit exanimis. Erat Alphonſus clariſſimâ Principum inter Hiſpanos familiâ genitus, talentiſque ad quævis Societatis munia egregijs inſtructus, quod ipſum moram illi injecit, nè, pro eo ac optabat, in Indias mitteretur. Vicit tamen piâ importunitate Superiorum reluctantiam, ſancto etiam dolo uſus, ut Deum in ſua vota flecteret. Inſtabat hora, pro qua Cordeſius Provincialis Conſultores ſuos evocârat, de Alphonſo in Indiam mittendo ſupremùm deliberaturus: tum Alphonſus ſingulos viritim in Collegio Socios adit, rogátque ut eâ horâ coram Diviniſſimo Sacramento certum quoddam negotium Deo commendent. Convenerat in odeum conſtituto tempore totum prope Collegium, & ùt alij alios ignorabant ab Alphonſo rogatos, mirabantur inſolitam id temporis ſuam comprecantium frequentiam. Ipſe etiam interim Alphonſus in cubiculo ſuo impactis vehementer in dorſum flagris, cælum pulſabat. Perſeverabant adhuc in oratione Socij, cùm ecce Alphonſus adeſt, & gratulabundus: *abire*, inquit, *licet, jam voti compos ſum.* At illi re cognitâ, pro qua preces adhibuerant, partim gratulari, partim dolere, plus impetratum quàm voluiſſent. Egit is primum in Goano Collegio per triennium Miniſtrum, id eſt, religioſæ œconomiæ ſub Rectore cuſtodem; inde Socius Provinciali adjunctus eſt; aptiſſimúmque judicârunt omnes, qui in graviſſimis Indiæ negotijs ad Summum Pontificem, & Societatis Generalem Romam mitteretur. Quia verò metuebant, nè Europæi Virum ſibi interciperent, datis ad Everardum literis petierunt, nè in detentionem Alphonſi ullatenus conſentiret. Ipſum etiam Paciecum literis ſuis ad reditum ità hortatus eſt Provincialis: *Confortare Pater, mementóque jam dudum te, cùm primùm has in Oras diſceſſiſti, totum eis debitum, ac dedicatum eſſe; non itaque permittat Dominus, ut te careamus. Equidem pro eo, quantum rationibus Provinciæ hujus commodaturum te perſuaſum habeo, etiamſi jam vitâ exceſſiſſem, dolerem vehementer, ſi exiſtimarem fore, ut hoc illa ſubſidio nudaretur.* Ad ipſum verò Generalem Mercurianum hæc ſcripſit: *Mitto in Urbem, ut rerum noſtrarum ſtatum edoceat, Alphonſum Paciecum. Vir eſt, cui perinde ac mihi, in omnes partes tutò habeas fidem. Partes enim poſſidet omnes Prudentiæ, Virtutis, experientiæ: ſupérq; omnia, eſt filius verus Societatis. Quam ob rem vehementer abs te peto, ut eum ad nos omnino remittas. Nam verè magnam jacturam, ſi eo careret, hanc Provinciam feciſſe cenſerem.* Redijt porrò Alphonſus confectis feliciter negotijs, atque potiſſimùm impeditâ facultate, quam Luſitani Præfecti pro Salſettanis à Rege petierant, ut ijs Idola retinere fas eſſet; quòd metuerent Salſettanos ad Idalcanem omnes migraturos, cum jactura redituum Regiorum. Tredecim inſuper ſocios ſecum ex Europa advexit, novos vineæ operarios. Dúmque Provincialis nomine Rudolphum in Salſettas deducit, unà cum eo, aliíſque è Societate quatuor, ſæcularibus verò Chriſtianis viginti, 15. Julij 1583. pro Fide occiſus eſt. Corpora occiſorum in puteum quendam conjecerunt Barbari, quæ poſt triduum extracta, adeò nihil corruptionis paſſa ſunt, ut recentem potiùs ſtillarent è vulneribus ſanguinem, quaſi eo die ſaucia ta fuiſſent. De Rudolphi potiſſimùm corpore affirmârunt complures, odorem quendam ex eo prodijſſe jucundiſſimum, ſanguinémque, qui ex omni vulnere, tum è cervice manabat uberrimus, ita æſtuâſſe, ac ſi ſuccenſis ignibus efferveſceret. Quæ res omnium animos vehementer accendit, tantúsque oſculantium manus, pedésque ac plagas, impetus fuit, ut jam tum cæleſtem eorum gloriam videre ſibi quodammodo viderentur; Reliquias etiam ex ijs aliquas tam ſtudiosè quærebant, ut alij ſudaria ſanguine tingerent, capillos evellerent alij, alij ungues præſcinderent; ità ut Rudolpho quidem nec in manibus nec in pedibus unguis remanſerit ullus. Tanta erat apud omnes Rudolphi æſtimatio. Corporibus aptè compoſitis, ſolennis inſtituta eſt ſupplicatio. Deportabantur ea à Patribus, crebris cum funalibus, cantúque Pſalmorum, qui ad eam triumphi gloriam ſpectare potiſſimum videbantur: ſed lacrimarum effuſione tantâ, ex intimis ortâ lætitijs, ut naſcentis velut Eccleſiæ imaginem repræſentaret. Delati ſunt hâc pompâ ad Templum Oppidi Ravioli, ibíque in prægrandi arca conditi: Patre Provinciali votivam Miſſam in gratiarum actionem ſolenni cantu peragente, quòd tale funus non alias deſiderare videretur exequias.

Quâ die cæſus cum ſocijs fuit Rudolphus, eâdem ipsâ P. Joanni Ferdinando, quem & vitæ ſanctimonia, & perfamiliaris cum beatis Spiritibus conſuetudo clarum fecit, Deo monſtrante, tota rei geſtæ ſeries in Europa patefacta eſt: ſciſcitantíque ex præſente ſibi Angelo, cur ità malè diréque haberi ſuos famulos DEUS permitteret? reſponſum ab eodem eſt, id eâ re permitti, ut mor-

te ſuâ gloriam DEI illuſtriorem reddant. Anno ab iſtorum Herqum cæde quarto, qui fuit ejus ſæculi octogeſimus ſeptimus, deliberante Petro Caſtrio viro nobili, cùm in Luſitaniam ſolvere cogitaret ex India, trés-ne Salſettæ pagos, qui ſibi mulctæ nomine obvenerant, Domui Probationis Goanæ noſtræ, domeſticâ neceſſitate laboranti tribueret; an pretio divenderet alijs? Novitij, Viſitatoris Alexandri Valignani admonitu, precibus inſtitêre, & hos Chriſti Pugiles, qui nuper in illis eiſdem pagis, vitam profuderant, oravêre, ut rem ſuſciperent, cujus ſucceſſus populorum utilis converſioni foret. Ea conſultatio dum per dies aliquot tenet, Frater unus è Noſtris exactæ ætatis, Procurator Domûs Probationis, ad mulierem accedit ex tertio S. Franciſci Ordine, probatæ ſanctitatis; ejúsque preces in rem præſentem efflagitat. Recepit illa ſe facturam. Hoc dum agit; cogitare ſecum primò inde cœpit, Paupertate magiſtrâ ſtare omnem Religionem: inde autem, non eſſe cur eo præſidio Novitij nudarentur. Ea verſanti, offertur ſpecies Rudolphi ultra modum humanum, gemmatam habentis coronam in capite, è qua ſplendor admirabilis emicaret; qui ad eam, *filia, curari debet aliquid*, inquit, *Domui Probationis ad propulſandam inopiam, nè multis ſit iter ad Societatem JEſu obſeptum: ſuper ea re ſcrupulum omnem abijce; & ad Deum preces effunde.* Quærenti, *quis eſſet? Rudolphus ſum*, ait, *quem Chriſti amor in illis pagis compulit ad mortem.* Et multis ultro citróque auditis, & redditis, ſermo finitus, magna cum mulieris lætitia; quæ viſum uni è Noſtris recenti gaudio aperuit. Preces verò auditas eventus edocuit; nam & Caſtrius liberam nobis omnem poſſeſſionem donavit, & conſecutus eſt Salſettanorum, qui requirebatur, aſſenſus; Prorege ipſo, omnibúsque Magiſtratibus noſtrâ causâ adlaborantibus.

Anno hujus volventis ſæculi tertio decimo, Neapoli quiſpiam è Nobilitate, noſtro nomini haud ſatis æquus, cùm Rodulphum in omni paſſim ſermone cerneret veneration ſi eſſe, atque in concilio cætúque eorum, qui in Fidei odium cæſi fuêre, collocari; improbare factum inſtituit, ſugillare Patres qui ſinerent, reprehendere qui nomini ejus honorem deferrent; *qui vitam*, ût ajebat, *per infortunium abſolviſſet, quale pleriſque, qui Barbarorum veniunt in poteſtatem, comparatum eſt.* Eâ nocte quæ diem illum excepit, quo importunus homo per licentiam exorbitârat, ecce quieſcenti multa in luce ſpectabilem ſe Rodulphus exhibuit, &, *num ſe cognôſſet?* quæſivit. Illo inficias eunte, ſciſcitatus eſt, *quî demum hominem, quem non nôſſet, vellicare, ac petulanter auderet inceſſere?* cúmque ille, ut *quis ipſe eſſet, ediceret*, vehementer oraret; *Rodulphum eſſe*, reſpondit *ſeſe, quem ipſe non eſſet pridie vituperare reveritus*; eóque dicto confeſtim evanuit. Verùm Nobilis viſo perterrefactus, poſtridie primâ luce rem detulit ad Archi-Epiſcopi Vicarium; eóque comitatus ad Patres venit, ubi conſpectâ Rodulphi expreſsâ coloribus in tabula effigie, agnovit in illa Virum, quem nocte conſpexerat; & ejus honori deinceps venerationíque ſtuduit impenſiſſimè.

Tertium his libet inſerere, prorſus ad Rodulphi gloriam & ornamentum haud parum illuſtre, illi nimirum debere plurima ex parte Societatem noſtram egregium decus illud Eccleſiæ Japonicæ P. Carolum Spinolam, cujus in loco certamen exponam. Is enim dum ſalubres de rebus deferendis humanis cogitationes cum animo ſuo verſaret, commodùm nuncij adferuntur de morte noſtri Rodulphi. Quod genus tam fortunatæ mortis cùm vehementiùs generoſum Caroli pectus percuſſiſſet, alienæ victoriæ flammis accenſus, mox etiam paris deſiderio mortis exarſit. Re ergo Deo commendatâ ſecum ſtatuit, Religioſum Societatis JESU Ordinem, itidem ût ille, inire, itérque in Indiam omni deinde contentione procurare. Haſce res Carolus ipſe affirmat ſcriptis Omurano è carcere literis ad P. Mutium Vitelleſcum Præpoſitum Societatis univerſæ; quibus poſt alia, narrans ſuam ob Chriſtianæ legis præconium captivitatem, eximium hoc ſuæ patientiæ beneficium, maximam partem acceptum refert precibus P. Rodulphi, cujus ſe morte pro Chriſto obitâ excitatum ad Societatis, Japonicæque profectionis ingreſſum tam enixè flagitandum, affirmat. Tanta nimirum eſt vis atque efficientia exempli Sanctorum!

P. FRAN-



P. Franciſcus Garrion Hiſpanus Soc: IESV, pro fide Chriſti veneno ſublatus in Iaponia, A. 1590. menſe Auguſto.

C. Screta del. Melchior Küſell f.

P. FRANCISCUS CARRION.

EIdem Chriſtianam primus in Japoniam anno 1549. intulit S. Franciſcus Xaverius; inde gentis illius Apoſtolus ex merito appellatus, eandem etiã ferè biennio prædicatione & miraculis conſtabilivit, genitis Chriſto per Evangelium, ex omni hominum genere quàm plurimis. Proſecuti ſunt eandem Provinciam non ſinè graviſſimis difficultatibus Patres noſtri, & grandia incepta P. Franciſcus Carrion primus omnium literis conſignavit, & in Europam miſit, magna ſancti laboris & ipſe pars; cujus aliquot præcipuos ſucceſſus, ex ipſomet hic delibare juvat. Fervere potiſſimùm tunc noſtrorum zelus viſus eſt, cùm circa annum ejus ſæculi ſeptuageſimum nonum, Alexander Valignanus Orientis Viſitator, totum noſtrorum in Japonia regimen in tres quaſi Provincias diviſiſſet; deſignâſſet etiam Collegia quæpiam, in quibus Juniores noſtri linguæ Japonicæ, aliiſque neceſſarijs ſtudijs vacarent; Excitâſſet ſeminaria, & domum Probationis, in quam admitti poſſent è Luſitanis ibi peregrinantibus, aut etiam è Chriſtianis Japonijs, ſi qui noſtro inſtituto idonei, à DEO in Societatem vocarentur. Quibus ità conſtitutis, Viſitator in Regnum Arimæ ſe contulit, ut Regis converſioni, alterius Regis Omuræ Bartholomæi Patrui, ejuſdem

ſuaſu de religione Catholica amplectenda deliberantis, manum ultimam imponeret. Sed reperit Regem in propoſito vacillantem; ut quem avia Idolis addicta, cum avunculis ejuſdem ſectæ à ſancta cogitatione retraxerat. Effecit tamen adjuvante DEO, ut rurſus aures libenter daret ſibi differenti de doctrina Chriſtiana, & non longè pòſt, cum uno è patruis ſuis, & juvene patruele tempus locúmque condiceret baptiſmo, in quo Rex quidem Protaſij nomen accepit; uxor verò paucis pòſt diebus maritum ſecuta, Lucia dicta eſt.

Auctâ per hos Principes Religione Kalendis Martij Meacum verſùs iter inijt, quò eum ſpes convertendi Nobunangæ Japoniæ Imperatoris evocabat. Adiverat hunc Imperatorem priùs P. Organtinus, cum Laurentio Japone interprete, qui patriâ elegantiâ de Chriſtianæ Religionis veritate differens, eo guſtu à Nobunanga auditus eſt; ut Aulicos ſuos ei diſſertationi intereſſe Imperator voluerit; id tamen priùs in aurem Laurentio familiariter inſuſurrans: *Etſi ego*, inquit, *contentiùs, & irato ſimilis te quæſtionibus laceſſam, tu tamen audacter loquere.* Tum valvas pandi, & Proceres ſuos vocari jubet. Cúmque multa ex Laurentio ferventer quæſijſſet, Laurentio plauſibiliter omnia diſſolvente; altâ voce Imperator Principes adſtantes circumſpiciens, *adeſte*, inquit, *auxilio: nam cogi me ſentio ad iſtam adeò rationi congruam Religionem amplectendum. Quin vos ipſi ad Sacra Chriſti cum conjugibus & liberis ſuſcipienda comparate.* Móxque ad Laurentium converſus, jubet cum Nobilibus viris de Fide Chriſtiana uberiùs loqui. Quod cùm is rurſus cum ingenti plauſu feciſſet, Imperator, ſubitò Organtinum cum Laurentio in intimum ſecum conclave deduxit; ibique exquiſitis formulis utrumque obteſtatus eſt, ſibi nè mentirentur; dicerèntque, an revera ea, quæ dixerant pro veris ipſi haberent? Cauſam dubitationis ſuæ afferebat; quòd poſteaquam mira à ſuis Bonzijs de futura vita ipſe audijſſet, ijdem tamen Bonzij, ſub fide ſecreti ſibi faſſi fuerint, ea quæ dicerent, falſa quidem eſſe, jactare ſe tamen illa ad populum, ùt ſibi quæſtuoſa, & politico regimini utilia: & idcirco eadem de doctrina Chriſtiana ſe ſuſpicari addebat. Hìc Orgãtinus in ſeriũ compoſito vultu, quàm potuit efficaciſſimè, certiſſimam ſuam myſteriorum, qnæ docebat, fidem, aſſeveravit. Viſaque in conclavi Regio figurâ globi terreſtris, eam arripiens; *vide*, inquiebat, *Domine, unde quantíſque marium ac terrarum ſpatijs, quàm horrendis periculis venerim.* (ſimul illi Italiam monſtrat, relegitque digito viam, quâ ſe inde in Japoniã contulerat) *quanta autem* ſubjunxit *foret hæc dementia, ſi florentis Patriæ meæ neglectâ dulcedine, ſinè ulla humani commodi ſpe, ingentibus vitæ periculis huc veniſſem, ſolâ inſtigante inani libidine mendaciorum venditandorum? Quòd Bonzij, ùt inquiebas, populum fallacijs ſuis circumveniant, faciunt id, ùt ipſe etiam dicebas, tanquam ſibi quæſtuoſum. At nos paupertatem ultro amplexamur, & ex miniſterijs noſtris nullum facimus quæſtum; ut quos una beata vitæ ſpes ſuſtentat & erigit.* Audivit hæc Imperator fixis Patrem intuitus oculis, & quaſi ſatisfactum ſibi foret, invitus eum à ſe è Regia dimiſit. Sub idem tempus commiſſum eſt grande inter Bonzios Foheſcianos, & Giodoſcianos de Fide certamẽ, cuj⁹ arbitrum elegêre Nobunangam; qui eam certamini legem dixit: ut victi capite mulctarentur. Concurſu rabioſiſſimè peracto, victores declarati ſunt Judicum ſententijs Giodoſciani. Foheſciani verò, juſſi priùs ſanguine proprio ſubſcribere oblatæ chartæ, quâ ſe convictos, & ratione ab adverſarijs ſuperatos fatebantur; demum capite plexi ſunt, qui certaverant: reliqui ſectæ ejuſdem in deſertam Inſulam deportati, bona & caſtella eorum plurima, direptioni populari permiſſa. Erat Foheſciana ſecta omnium infeſtiſſima Catholicæ Religioni; Quare illam ſuam operam Nobunanga reduci ad ſe Organtino magnificè jactans, id ſe ipſius, & Chriſtianorum amore feciſſe prædicabat, confirmavítque ſpem de ſui converſione conceptam, ut jam Organtinus plura, quæ è re Chriſtiana eſſent, majori audaciâ aggrederetur. Ædificabat gloriarum pleniſſimus, & triginta ſeptem Regnorum Dominus Nobunanga Urbem Anzuquiamam quantâ poterat magnificentiâ, cupiens eam Regnorum omnium caput & Metropolim eſſe. In ea civitate cenſebant omnes, ſummi momenti. inſtitui publicam Religionis Catholicæ profeſſionem, cui rei perficiendæ hæc commoda ſe obtulit occaſio. Vulgaverat Imperator, Urbe jam, domóque Regiâ perfectâ, edictum per omnes ſuas ditiones, quo cunctos Dynaſtas ac Principes invitabat ad viſendum utrumq; illud ædificium. Fiebátque concurſus ingens primæ Nobilitatis, quòd metuerent notandam ab homine ſuſpicaci & jactabundo ſuam abſentiam. Organtinus igitur gratiam Imperatoris aucupaturus eodem venit, & confeſtim ad ſalutationem

tationem Nobunangæ admiſſus, facilè intellexit, non parum eum delectatum, quòd Europæi quoque (quos Patriæ magnificentiæ aſſuetos parvi facere opulentiam Japonicam percrebuerat) ſuorum operum & opum ſpectatores cupidos, & laudatores non paucos videret. Hac opinione tumido & læto Imperatori Organtinus libellum porrigit, quo petebat ſibi fieri poteſtatem, domûs & templi ſuæ Religionis uſibus in Urbe nova condendi. Negârat id priùs pluribus præpotentibus Bonzijs Nobunanga, Patri tamen blandiſſimo & renidenti vultu non ſolùm liberaliſſimè annuit, ſed ultro amæniſſimum locum delegit, & ut ſtatim ædificium in eo noſtrum inchoaretur, juſſit. Non defuerunt hoc rerum articulo ſibi Chriſtiani Meacenſes, ſed ingenti ſtudio & ſumptu partim ibi emptâ, partim Meaco apportatâ materiâ, intra unum menſem ex elegantia Japonica utriusque ædis molem ligneam erexère. Acceſſit poſtmodum & Viſitator Valignanus Imperatorem, quem ipſe & tres filij ejus certatim honoribus excepêre; & domum regreſſis decem anates peregrini generis, rarum illic donum, quódque ipſe Imperator paulò antè à Legato Regis Banduenſis acceperat, Viſitatori ſubmiſit. Fecit etiam eidem petenti poteſtatem fundandæ in Urbe nova domûs pro Seminario puerorum; quam Nobunanga paulò pòſt ad faſtigium perductam inviſit & laudavit. In ea ſtatim viginti quinque nobiliſſimos pueros ſub cura Organtini collocatos, diſcedens Valignanus reliquit; qui cùm in diſceſſu gratijs prolixè actis Nobunangæ valediceret, ingentis pretij tapete donatus eſt, in quo eminebat phrygio opere depicta Urbs Anzuquiama: opus in paucis inſigne, quod deinde à Legatis Gregorio XIII. Romæ oblatum admirationi fuit. Omnia hæc benevolentiæ in Patres argumenta ſpem augebant de converſione Imperatoris: ſed libido & ſuperbia retinebant hominem à Fide amplectenda. Conſtat eum, & Filium ejus primogenitum, ſeriò egiſſe cum Organtino, ut legem, quæ libidinum licentiam prohibet, tanti ſper laxaret; pollicebantúrque ſe cum Aula, ac Japonia tota confeſtim Chriſtianos futuros. Superbia ejus in tantum etiam excrevit, ut Divinos honores appeteret. Locum proinde in colle novæ Urbi adjacente deſignat, & totam artificum, ex arcis & urbis opera perfecta feriantium, induſtriam adlaborare jubet in Delubro omnium, quæ unquam in Japonia fuiſſent, ſuperbiſſimo illic erigendo. Exiguo tempore (ùt Japones ſunt in ædificijs velociſſimi) moles conſtitit omni magnificentiæ genere viſenda. Apparebant ibi ſpecioſiſſimis in loculis expoſita ſimulacra Camium, è totius Japoniæ expilatis Sacrarijs eò translata; ſupra hæc humiliora per ædis circuitum ſacella, eminebat altè thronus ſplendidiſſimo ornatu radians, in quo præcipuæ venerationi ſaxum exponebatur, inſignibus Nobunangæ ſculptum, ipſúmque Nobunangam Japonico uſu repræſentans, noménque Idolo novo novum impoſitum Xantai. Miſſa mox decreta, quibus ad ultimum Februarij invitabantur omnes, Natalem Nobunangæ celebraturi, & adoraturi novum numen Xantai. Addebantur promiſſiones obtemperantibus amplæ: fore, ut qui Xantai adorarent, è pauperibus divites, è ſterilibus fæcundi, è morbidis valentes & ſanifierent; qui id negligerent, ſupplicijs mactandos. Adfuit ergo condictâ die innumerabilis ex univerſa Japonia hominum multitudo, campos ingentes tabernaculis latè poſitis operiens, quòd minimam eorundem partem tecta Urbis, alioqui ampliſſimæ, vix caperent. Primus omnium ſplendidiſſima pompâ Jonus Suquendonus, Mini & Boazi Rex, maximus natu filiorum Nobunangæ, ſacrificatum exquiſitis ritibus novo DEO proceſſit. Hunc Reges & alij Principes, tum Nobiles, ac denique plebs, ingenti ambitu ſecuti. Non tulit impunè hominis arrogantiam DEUS. Paucis poſt diebus concubiâ nocte effulſit ab occidente vibrantiſſimus ſplendor, ſimúlque ſupra turris apicem ardentiſſimè flammeſcens nubes apparuit, eodémque ſitu ac viſu, ad obſervantium horrorem, ad ſolis uſq; ortum perſtitit. Horribilis etiam paulò pòſt Cometes longiſſimam, & formidoloſiſſimè micantem caudam latè explicans, medio æthere exarſit, in dies aliquot. Lancea etiam ignita ſereno excuſſa cœlo in arcem novam intorta eſt, cunctis horrentibus; uno Nobunangâ, quem monſtra petebant, giganteam temeritatem oſtentante, & contemnente minas, quas tragico ſuo mox ſanciturus erat exitu. Etenim adulto Majo, Faxibæ primario ſuo Duci, adversùs Amanguccianum Regem, & Bonzium Ozacæ Principem bellum gerenti, poſcentíque auxilia, totum copiarum ſuarum robur, quósque in comitatu ſuo fideliſſimos habebat, ire ſuppetias juſſit. Numeroſiſſimam horum auxiliorum manum ductabat Aquechius, vir manu promptus, & Nobunangæ percarus. Hic Meaco profectus, reputare

putare ſecum cœpit, quàm deſtitutus viribus præter morem Imperator eſſet; adeóque oppreſſioni, quâ ipſe creſceret, opportunus. Duces igitur quoſdam ſibi addictos, Nobunangæ infenſos, clàm advocat; conſilium exponit; omnes probant. Hinc ſubitò ignaris militibus pronunciatur nocturnum iter Meacum verſùs, arcano, ùt mentiebantur, Nobunangæ juſſu, quendam ſibi ſuſpectum Dynaſtam opprimere ſtudentis. Sub lucem adſunt Meaci 14. Junij, palámque jubentur Palatium Nobunangæ oppugnare. Nec mora in quoquam fuit. Surgenti è ſtrato Nobunangæ, & manus ad faciem lavandam levanti, trepidus adfertur nuncius, Regiam armatis obſeſſam eſſe. Ille audaciſſimus nihil credere, & ſolita ſuperbiâ mirari. Donec prodeunti ad feneſtram, ſagitta humerum transfixit; quâ ille extractâ enſem ſtringens, fortiſſimè aliquamdiu multis reſtitit: donec glande plumbeâ trajectus, ſanguine ac vitâ deficiente, in conclave ſecretum profugit, foréſque clauſit; ibíque, ùt quidam referunt, uſitato in Japonia deſperatorum more, ventrem ſibi diſſecuit. Sed vix id ſciri pro certo potuit: nam flamma undique à conjuratis palatio ſubjecta, ſtatim illud cubiculum unà cum cadavere abſumpſit, extinxítque ſimul Suquendonum Nobunangæ primogenitum, & primum nuper ad Idolum Xantai ſacrificulum. His ità Meaci peractis, tota militum vis Anzuquiamam Urbem novam convertitur Aquechio Duce. Arx capitur, ſparguntur avariſſimè cumulati theſauri, & quod per vim ac rapinas victrix quindecim annorum licentia corraſerat, triduo per profuſiſſimas largitiones diſſipatum eſt. Quo rerum articulo emerſus è latebris Oxaquenus ſecundo genitus Nobunangæ, dum Sanxius frater tertius cum exercitu ad ultionem necis paternæ properat; Arci, Urbi, Templóque Anzuquiamo flammas ſubjecit, omniáque horrendo incendio delevit. Hic finis fuit primi Japonicæ Monarchiæ Imperatoris, qui felicitatē Auguſti in vita, Cæſaris tragicum exitum in morte repræſentare videbatur. Deo juſto Judice ſuperbiam hominis, & in profitenda Fide agnita ſocordiam ità plectente. Occiſo Nobunangâ, cùm amicorum ejus proſcriptio fieri cæpit, noſtri Meacenſes nîl mitiùs ſibi, quàm cruentam necem, utpote Imperatori notoriè familiaribus, templo autem & domui triſte incendium ominabantur. Sed fuêre curæ DEO Patres adeò, ut Organtino filium ſuum in præſidium ſubmitteret ipſe Aquechius. Brevíque interfecto Aquechio pax Japoniæ, rebúsque Fidei apprimè neceſſaria redijt. Hæc aliáque plurima in annuas literas ſuo ſtudio redacta, primus, ùt dictum eſt, in Europam transmiſit P. Franciſcus Carrion, oculatus geſtorum teſtis, & magnâ parte Apoſtolicorum laborum ſocius, dum Scimum Inſulam, atque ipſam Urbem Meacenſem (in qua relata tragœdia peracta eſt) gnavus operarius excoleret. Cúmque ſæpius deſideratam pro Chriſto mortem ſpe devorâſſet, anno demum 1590. ejus calicem ebibit, dum in Firandum ad opus Evangelij miſſus, tantam ibidem impietatis feciſſet ſtragem, ut eam æquis oculis Ethnici ferre non valentes, toxicum ei miſcuerint genti familiare, quod viſcera haurientis contorta, diſcruciat, & provocato priùs copioſo per vomitum ſanguine, tandem & animā ipſam corpore exturbat. Id cùm incautus ſumpſiſſet Franciſcus, nec domare poſſet pharmacis, triduo per ingentes cruciatus exacto, vitam in Firandenſis Inſulæ vico Ikizuk dicto, beatâ morte coronavit anno 1590. Oriundus ille erat Methymnâ Campi, exactóque Philoſophiæ curriculo, & ſuſceptis Baccalaureatûs inſignibus, ad Societatem anno ejus ſæculi ſeptuageſimo primo, ætatis undevigeſimo acceſſit, & quo jam tum flagrabat divinæ gloriæ ſtudio, Alexandrum Valignanum Orientis Viſitatorem anno 74 ſecutus eſt primùm in Indiam, ac porrò in Japoniam poſt biennium progreſſus, repetitâ aliquantiſper Philoſophiâ, aliíſque ſtudijs celeriter, ùt res poſcebat, inſtructus, manum Apoſtolico operi admovit, quod nonnisi à vita priùs derelictus deſeruit.

P. GEOR-



P. Georgius Carualhal Luſitan. et P. Iosephus Furlanettus Venetus, S. I. ex propinato in odium Fidei veneno mortui A. 1592.

C. S. d. *M. K. f.*

P. GEORGIUS CARVALHAL, & P. JOSEPHUS FURLANETTUS.

PRovidit Eccleſiæ, & Societati ſuæ optimus DEUS continuam operariorum ſucceſſionem, velut ſi mortes ac Martyria, novæ forent virorum Apoſtolicorum geneſes, per quas uno avulſo non deficit alter. Sublato igitur per venenum Patre Franciſco Carrion, in illius locum & labores mox ſuffecti ſunt P. Georgius Carvalhal, & P. Joſephus Furlanettus. Viſeum, Urbs Luſitaniæ non ignobilis P. Georgio Patria fuit, qui in Societatem admiſſus A. 1568 menſe Majo, ætatis florentis anno 18. magnos ſtatim in virtute fecit progreſſus. Suo rogatu deſtinatus in Indiam, comes factus eſt Rudolpho Aquaviva, aliisque magni nominis Viris, quibus ille permiſceri & vitæ merito, & mortis gloriâ meruit. Goæ Tyronibus datus Magiſter, cùm eas partes laudabiliter ſuſtineret, accerſitus eſt in Japoniam, & operam perutilem, ùt erat navus & impiger, in Scimo Inſula procurandæ ſaluti mortalium præſtitit, Bungenſi præſertim in Regno, quod turbatum deprehenderat. Tradiderat Franciſcus Rex Bungenſis filio ſuo præmaturè Regni adminiſtratio-

nem, qui licèt magnum Chriſtianæ Religionis propagandæ zelum, parentis Catholici hortatu, prætuliſſet, propoſitum tamen non tenuit, Riozogi terroribus, & Bonziorum ſuaſu in transverſum actus. Concepit infelix, ſeditiosè id flagitantibus Idololatris, ſacramentum impium, quo ſe obſtrinxit ad reddendos Bonzijs ereptos cenſus, permittendáque ſacra Camium, ac Fotoquium. Tantæ idcirco perfidiæ ſibi conſcius, Magiſtrorum Fidei congreſſus occurſúsque declinabat, nullius majore, quàm Parentis ſui Franciſci, Regis ſenioris dolore, pudoréque. Qui cum in morbum periculoſum incidiſſet, accedentes ad ſe officij causâ Principem filium, cum nuru ipſius conjuge, admittere in conſpectum noluit: auditúsque eſt cùm diceret (id quod eventu deinde comprobatum, ſpiritu Prophetico præviſum fuiſſe apparuit) ſtirpem ſuam, quæ quingentis jam annis in Bungo regnabat, in iſto ſuo adverſùs Deum rebelli filio, ſic ejus peccatis exigentibus, finem habituram. Mox bello invaleſcente, brevi tempore Fungenſe, Chicungenſe, ac Buygenſe Regna, quæ Franciſcus Parens Bungenſi adjunxerat, amiſit. Bungenſe ipſum vix tenebat, Proceribus plurimis rebellantibus. Interea Rex ſenior ſtudijs Religionis ſe totum addicebat, & in domo privata degens, octavo quoque die ritè confeſſus, Euchariſtiam ſumebat. Quotidie manè ſtatis horis myſteria vitæ ac mortis Chriſti commentabatur: veſperi autem cum congregata familia in Sacello domeſtico, flexis ante aram genibus, coronam Deiparæ recitabat. Votis inſuper tribus in hoc ſeceſſu ſe Deo devinxit; Caſtitatis conjugalis, Obedientiæ mandatis DEI, & ſuis in ſpiritu directoribus, conſtanter exhibendæ; poſtremò bonorum honorúmque omnium priùs jacturæ ſubeundæ, quàm in Fide Chriſti titubaret. Operæ pretium eſt audire, quibus verbis hoc poſtremum votum expreſſerit. *Promitto tibi JEſu Chriſte, Fili DEI, me te, unum verum, æternúmque DEUM agniturum, adoraturum ſemper, & quæ docuiſti creditурum: etiamſi Patres Societatis, quos mihi dediſti Magiſtros, à te deficerent: etiamſi (quod fieri non poſſe arbitror) Vicarius tuus in terris, Romanus Pontifex, & tota Chriſtianitas Europæ tuum cultum abijcerent.* In his pietatis officijs ac cogitationibus verſantem, circumſiſtunt rebus jam perditis Regni proceres, & miſſi à filio, qui enixè precarentur, ut tenuium Imperij reliquiarum Regimen, & Patrocinium ſuſciperet. Diu reluctabatur: ſed pietate, ac miſericordiâ victus, tandem annuit. Principiò quatuor Principes, qui Regem juvenem pravis ſuis conſilijs perverterant, exilio mulctavit. Tum exercitu inſtructo Chiracuram factioſorum Ducem oppugnare orſus, brevi tempore à conſpirantibus deſtitutum oppreſſit, & acie occidit. Sic Regno Bungenſi pax reddita, Deo, quâm ſit ad omnia utilis pietas, exemplo illuſtri demonſtrante.

Profuit hæc pacificatio P. Georgio, aliſque è Societate operarijs ad uberiores fructus ex eo agro carpendos, cùm indies novos, etiam è prima Nobilitate, ad Baptiſmum pertraherent. Jam verò cùm laborantem Firandi P. Franciſcum Carrionem veneno ſuſtuliſſent barbari, ejúsque ſocium P. Theodorum Mantels, eâdem arte laboribus Apoſtolicis inutilem effeciſſent, ſuffectus eſt illis cum ſocio Patre Joſepho Furlanetto, P. Georgius Carvalhal. Verùm nec illis diu licuit eſſe ſuperſtitibus; quippe quos ante exactum ibidem, à quo venerant, annum, eodem toxico infecêre barbari; ex quo acerbus primùm capitis dolor, tum febrium ardor, demum cruentus vomitus ſubſecutus, P. quidem Georgium intra octiduum confecit Ikizuki die 5. Maij 1592. Joſephum verò uno poſt hauſtum venenum anno, cùm Arimam ad Obamenſes balneas experiundas profectus eſſet, eadem mali vis ingenti Chriſtianorum luctu peremit, poſtquam in Societate vixiſſet annos 22. in Japonia quindecim. Vir, qui dum valuit, comitate & robuſtâ charitate; poſtquam valere deſijt, tolerantiâ, & pietate in ſui amorem omnes trahebat. Natione & patriâ Venetus erat, in Indiam profectus A. 1576. jam tum ſacerdos, navigatione difficillimâ, quâ mille quingenti morbis conſumpti fuère. In Japoniam anno 1578. provectus, laudabilem in Scimo operam poſuit Gentilibus ad Chriſti Fidem adducendis. Subinde Superiore Seminarij Facazukienſis morte ſublato, in ejus locum ſubrogatus eſt. Ibi & juventutis curam egit perdiligenter, & ad Chriſtianorum eruditionem inſigni fructu incubuit, & gentiles, excurſionibus per vicinos populos factis, plurimos lucrifecit; tinctis aliquando uno in oppido ſimul ſacro latice bis mille ſexaginta quinque capitibus; quæ omnia unus ille indefeſſus præſtabat. Revocatus A. 1587. in Scimum, adminiſtrandam ſuſcepit Eccleſiam, quam toto jam ſexennio dirè vexârat Tonus, qui juxta Leges Japoniæ, poſt piam & Chriſtianam mortem Ludovici Regis Catti, filij parvuli Ludovici itidem dicti, utpote

utpote patruus, tutorem geſſit, homo Ethnicus, & in omnem vexandorum Chriſtianorum occaſionem intentus, ùt qui Evangelij præcones ex Inſula proſcripſit, Chriſtianis neceſſitatem intulit aliò migrandi, paucis ibidem in ærumnis cum laude conſtantiæ durantibus; quos adventus Patris, quaſi è cœlo miſſi Angeli, recreabat. Multa ibi præclarè geſta ſunt à Patre Joſepho clam Tono, conſultúmque diligenter animorum corporúmque ſaluti, diſtributis etiam propriis ſuis cibarijs in famelicos inopes, cùm annus gravior annonam orizæ, quâ victitant, afflixiſſet. Id genus Apoſtolicis laboribus probè excultus, deſtinabatur ad præmium ab Agonotheta Chriſto, dum Patribus per venenum in Firando infectis, ipſe cum P. Georgio ſuffectus, eodem toxico extinctus eſt.

P. Theodorus Mantels Belga S.I. in Iapone ex odio Fidei veneno Sublatus. A°. 1593. 5. Maij.

C.S.d. M.K.f.

P. THEODORUS MANTELS.

ERat P. Theodorus Mantels Patris Franciſci Carrion ſocius non tantùm uſque ad fractionem panis, quem parvulis in Fide ſimul frangebant, ſed etiam uſque ad bibendum calicem paſſionis, eodem quo P. Carrion die oblato hauſtu intoxicatus; ſed ùt erat ætate ac corpore firmior, ſumto inſuper confeſtim antidoto vim ejus retudit, per biennium vitâ inter ingen-

tes cruciatus extractâ. Octobri menſe redux Macaum è Japonia P. Alexander Valignanus Orientis Viſitator, eum periclitandi ex mutatione aëris remedij gratiâ ſecum duxit; ſed cum illa priore nocentior videretur, Malacenſem periclitari à medicis juſſus eſt. Verùm conſumptis jam per veneni violentiam vitalibus, decimo octavo poſtquam Malacam appuliſſet die, vivus per biennium Martyr, malo victus occubuit anno ſæculi ejus 93. ætatis 33. Leodium Urbs Belgij frequens ac celebris, Moſæ amni impoſita, Theodoro natalis fuit: quem latinâ inflexione Mantelium, Manteles alij nuncupant, Societatem anno 1580. menſe Februario vicenarius ingreſſus eſt, Divinæque gloriæ inter barbaros proferendæ ſtudio ſuccenſus, in Indiam poſt triennium profectus, inde rurſus in Japoniam trajecit, eo tempore, quo Saxumanus diviſo bifariam exercitu Bungum intravit, pagos, oppida, atque inprimis Chriſtianorum Eccleſias fœdè vaſtans. Miſcuerant ſe Saxumani copijs Bonzij, tempus vindicandi Deos ſuos à noſtris ſpretos ſibi oblatum gratulantes. Hi furore pluſquam barbaro in Cruces obvias, & ſimilia Chriſtianæ pietatis monimenta debacchabantur, templa diruebant, ſacras imagines, veſtes, ſacra vaſa, ferro, aquâ, aut igni malè perdebant. Non tamen ſemper impunè; præterquam enim, quòd complures ex ſacrilegis in ipſo flagranti ardore ſceleris repentinâ morte, aut calamitate aliâ oppreſſi ſint, imbellem etiam fœmineum ſexum in ultionem provocârunt.

Erat Chriſtiana mulier, quæ ex Arce Uſuquienſi ardentem in Urbe capta domum Probationis Societatis, & duo Templa Chriſtianorum deflagrare videns, non magis ejus ſpectaculi acerbitate pungebatur, quàm æmulo zelo, quòd magnificum Cœnobium Bonziorum, cum ſpecioſo Idolorum delubro, in ora continentis ab Arce anguſto freto dirempta, cernebat: & indignata Chriſti templa abire in cineres, nefaria verò Dæmoniorum culmina ſtare integra; ardore quodam altiore ſtimulata, nocte concubiâ, fretum ſola natando traijcit; móxque non uno loco ligneis (ùt ferè ſunt ædificia Japonum) ædibus igne admoto, repetito natatu ſe arci reddidit; indéque undantem è Cœnobio ac templo Bonziano per tenebras flammam, & magno ſuo ſolatio ſpectavit, & pari gratulatione alijs oſtendit. Sed tolerabilior jactura fuit parietum tectorúmque quantumlibet DEO ſacratorum, quàm viventium DEI Templorum, hominum videlicet Chriſti doctrinam profitentium; quorum ingens numerus omnis ſexûs, conditionis & ætatis, cùm Fidem ejurare reſpuerent, vitâ ſpoliati ſunt. Invidebant tam glorioſa certamina diſcipulis ſuis Magiſtri Fidei, Societatis noſtræ Patres, Carrion potiſſimè, Patris Mantels ſocius; ſed barbaris ſatìs erat eos, jam antè propinato veneno intoxicatos, Regno ejeciſſe, quos incruentæ morti ſervavit DEUS; ſi tamen incruenta dici poteſt, cùm ingentem ſanguinis copiam Chriſti Athletis ſumptum expreſſerit venenum.

SANCTI TRES JAPONIÆ MARTYRES.

NUmeroſum equidem Candidatorum Martyrum exercitum habet in Cœlis, ùt ſperamus, JEſu Societas; ſed Militans in terris ex authoritate ſacræ Romanæ Eccleſiæ triſagium tantùm accinere ſuis Athletis hactenus poteſt, diceréque: *S. Paulus, S. Joannes, S. Jacobus.* Hi Mundo primùm, pòſt etiam Cœlo in Japonia nati; primitiæ fuêre, quas Eccleſia & Societas Japonica cruento ſacrificio DEO hactenus ſacravit. Perſecutionis occaſio hæc fuit. Poſt Nobunangæ, quam ſuprà memoravimus necem, Imperium Japoniæ occupaverat Faxiba Cambacundonus, qui pòſt Taicoſama dici voluit. Is Religioni Chriſtianæ per annos complures impensè favit; donec anno 1587. ſceleſtiſſimo Jacvini conſilio, ſuis omnibus Fidem Chriſtianam interdixiſſet, Patrésque è Japonia proſcripſiſſet univerſos. Erat Jacvinus Taicoſamæ Medicus & Leno, olim Bonzius, qui dum Imperator Ozacâ progrederetur, ne pellices ſuas ſecum ducere cogeretur, virgines undique conquirebat, quibus Imperator libidinoſiſſimus abuteretur. Commorante igitur Taicoſamâ in Urbe Paçatenſi, exhauſtâ jam vicinià, Jacvinus excurrit Arimam, inde Virgines Imperatori collecturus.

S. Paulus Miki, S. Ioannes de Goto, S. Iacobus Gisai, Iapones Soc. IESV, pro Fide Christi Crucifixi Nangasaki in Iaponia. A. 1597. 5. Februarij.

M.K. f.

cturus. Christianæ illæ erant omnes. Itaque cùm vocatas ad se impudentissimus leno consuetâ impudentiâ compellâsset; singulæ quasi ex composito responderunt; morituras se millies potiùs, quàm DEI Legem talia prohibentem, violarent. Indignatus suprà quàm credi potest infamis homo, callidè instructus nocendi artibus, ad hilariter cœnantem, meróque Lusitano æstuantem Cambacundonum ingreditur; Percontantíque de more: *ecquam duceret speciosam comitem?* ille, artifici mæstitiâ vultum obductus, contractis nonnihil humeris: vacuum se, ac graviter increpitum à puellis Christianis, Arimâ redire dixit. Exilit ad hæc audita Cambacundonus, discurrit, vociferatur clamoribus horrendis, exitium minatur Arimensibus fœminis. Astutissimus leno concesso hisce æstibus spatio, blandè rursus adrepens, ut novos, jámque perniciosiores suscitaret: *mihi verò*, inquit, *ô Imperator, immeritò videris succensere dementatis mulierculis. Quid miseræ potuerunt, nisi quod edoctæ, quod jussæ fuerant facere? ad hoc eas Europæi illi Bonzij* (sic nostros vocabat) *quos in deliciis habes, erudierunt. Quamvis delicias solùm tuas per illorum consilia interturbari, minima pars damni fuerit: statui ego tuo, fortunæ, vitaque tuæ (Dij omen avertant!) timeo.* Tum multa sententiæ suæ confirmandæ, à Lusitanorum illic degentium, Christianorum item Principum Japoniorum, Justi Ucondoni potissimùm potentia formidabili, occupatis Insulis Philippinis, & rebellione recenti Bon-

zij Ozacenſis, mutuatus argumenta, in eam Imperatorem concitavit rabiem, ut is intempeſtâ mox nocte nuncios ad Juſtum Ucondonum miſerit, per quos optionem apoſtaſiæ, aut exilij offerebat. Qui cùm retuliſſent Ucondonum exilium & mortes mille præeligere; alios mox ad Provincialem Coëllium expedivit, qui ex eo quærerent, quâ facultate Patres Fidem prædicarent, boves animalia innoxia, & de homine bene merita occiderēt, Bonzios pellerent? Reſpondit Pater breviter: habere ſe diploma ipſiusmet Imperatoris, quo poteſtas Patribus ampliſſima concederetur, propagandæ in Japonia Legis Chriſtianæ. At furens Tyrannus nihil ea penſi habens; Juſtum Ucondonum priùs omnibus poſſeſſionibus, ſanè quàm ampliſſimis, honoribus item, officiisque omnibus ſpoliatum, unà cum fratre, conjuge, liberis, ſene Patre Dario, in exilium ablegat; eandem etiam in Patres ſententiam edit. Juſtus ad eam denuntiationem nihil turbatus, imò plurimùm ſibi gratulatus eſt, quòd dignus habitus ſit pro nomine JESU contumeliam pati; quin & ipſe ſui exilij nuncius, habitu jam ùt exul ſordido, ad familiares ſuos accurrit. Hìc ſenex Pater: Juſtum non ſinè lacrymis dulciſſimis amplexans; *Læta*, inquit, *fili narras; bene nobiſcum agitur, cùm familiam noſtram dignam DEUS judicet, in qua Chriſtianæ conſtantiæ prima exempla conſtituat. Macte iſtâ virtute! libenter ſequimur. Utinam contingat poſt opes ac rem familiarem, etiam vitam pro Chriſto profundere! eamus actutum, quo DEUS vocat.* Patris vetuli authoritatem reliqua ſecuta familia, omnibus palàm inceſſit lætitijs: frater, uxor, liberi, certatim pro ſe quiſque Ucondonum amplecti, renidenti omnes vultu, feſtis acclamationibus celebrare gaudium, concurrere in ædem ſacram, hymno ſolenni gratulari felicem ſortem, nec finem inſtantis mali optare alium, quàm oppetendam pro Chriſto mortem. Hinc reverſi ad iter ſe comparant; prodeúntque parvis inſtructi ſarcinulis, herì principes, hodie mendici; dignum Cœlo ſpectaculum! omnes quo ſe reciperent ignari, paſſim per avia errabant: tandem in ſylvis ac montibus variè quæſitis latibulis recepti; id unicum dolentes, quòd etiam Patres, eâdem ſententiâ comprehenſi, animabus opitulari deinceps in Japonia nequirent. Conſtituit viginti dies Tyrannus, intra quos omnes Patres è Regni finibus excederent. At cùm navis non ante ſextum abhinc Menſem eſſet inde ſolutura; juſſi ſunt interim omnes Firandum convenire; ibidémque præſtolari navis diſceſſum.

Erant è noſtris per Japoniam ſparſi tum viginti; qui ut ad ſpeciem Tyranno parerent, à Provinciali evocati ad conductum locum, brevì omnes convenerunt, adductis etiam ſecum Seminariorum alumnis, & Catechiſtis juvenibus, quòd hi omnes inſtantiſſimè ambirent eorundem periculorum cum Patribus, & exilij fieri participes; oblatis priùs ultro Patri Organtino ſchedulis, quæ continebant abdicationes Patriæ, opum, Parentum, Legis Chriſtianæ gratiâ. Deliberatio habita poſtmodum Firandi eſt; an abeundum noſtris è Japonia eſſet? Erant qui cenſuerant manendum ſolis Sacerdotibus & Catechiſtis; reliquis, ac potiſſimùm Novitijs abeundum, ut in tranquillitate adoleſcerent, ad ſupplendum aliquando defectum Sacerdotum & Catechiſtarum, conſumptorum ærumnis aut gladio Cambacundoni. Prævaluit tamen generoſius conſilium, judicantium, nè Tyrones quidem ab hac pulchri periculi communione ſegregandos eſſe, nec invidendam illis raram occaſionem educationis nobilis inter Martyria. Manſêre itaque in Japonia omnes, hinc inde per Dynaſtas Chriſtianos diſperſi, quòd hi certatim, etiam cum præſenti capitis periculo, certos Patrum manipulos ad ſe mitti poſtulârint. Interim uxor Cambacundoni, audito Patrum exilio graviter ingemuit, inſtantérque urſit apud virum ſententiæ revocationem. Sed barbarus, quamvis fateretur ſe paulò ulterius irâ prolapſum, quàm neceſſe fuerit, non fore tamen è dignitate ſua ajebat, ſi à propoſito, quod tanto ſtrepitu ſuſceperat, citò ac leviter deſiſteret. Procurabant interea rem Chriſtianam ſtrenuè, quamvis cautè, ſparſi per Japoniam Patres, & præter infantes innumeros, ex adultis per eas latebras ſacro recèns tinxerunt lavacro quàm plurimos. Jámque paulò liberiùs agere cœperunt, cùm circa annum 1596. in Japoniam venit deſignatus ejuſdem gentis Epiſcopus ex Societate, Pater Petrus Martinez, ſpecie Legationis ad Cambacundonum ab Indiæ Prætore miſſus, & à Tyranno comiter exceptus, permiſſúſque in Regno ſedem figere. Sed nova rurſus erupit procella, unde minimè timeri potuit. Ad annum uſque 1593. ſoli è Societate operarij vineam Japonicam excolebant, donec ex Sacro Ordine S. Franciſci quatuor diſcalceati Patres ad Tyrannum ex Philippinis Inſulis, quas

eripere

eripere volebat Regi Catholico, miſſi eſſent, pacem petituri: qui ejus Legationis obtentu ad Martyrij ſpem, cujus erant ſitientiſſimi, aſpirabant. Eos Imperator liberaliter habuit, annuitque, ut ſedem ſibi Meaci, quam petierant, ſtabilirent; eâ tamen lege, nè Chriſtianæ Fidei cuipiam ſuorum capeſſendæ authores forent. At ipſi ſanctiore zelo inflammati, paulò pòſt domicilio Templóque excitato, SS. Euchariſtiæ Sacramentum publicè propoſuêre, fruſtra amicis, fruſtra Patribus noſtris dehortantibus, qui vehementer timebant ſuum quinquaginta annorum laborem, per ardentiorem illum zelum momento uno peſſumdari. Sed flagrans illa Martyrij cupido obſcurabat publici periculi magnitudinem, adeò, ut anno 94. ejusdem ſeculi, accitis tribus alijs ſocijs, novam Ozacæ erexerint ædem, & in ea perinde ac Meaci, plebi promiſcue Legem DEI propoſuerint. Jámque tertiam Sancti Lazari meditabantur Nangaſachi; cùm Jacvinus ille medicus occaſionem nactus, Imperatori denunciat, Legem Chriſtianam rurſus à novis Sacerdotibus Franciſcanis publicè doceri; Patrésque noſtros idem privatim facere. Tum excandeſcens Cambacundonus, homines intempeſtâ nocte mittit, qui Meaci & Ozacæ Patres utriusque Ordinis dent cuſtodiæ, & illis obnoxios in catalogum referant.

Erant Meaci è noſtris aliquot cum P. Organtino; ſed Gibonoſcius Gubernator optimè illis affectus, nè comprehenderentur impedivit; Ozacæ verò ſolus è Societate per id tempus degebat Paulus Miki, cum Joanne de Goto Religionis Candidato, & Jacobo Kiſai viro ævi grandis, & ſervilibus domûs noſtræ miniſterijs occupato. Hi proinde cum uno è Franciſcanis, tribúsque ejus familiaribus comprehenſi Ozacæ; Meaci verò è Franciſcanis Patres quinque, Laici duodecim conjecti in vincula, numerum quatuor & viginti compleverunt. Inter eos Paulus noſter præ gaudio vix capiebat ſeſe, cùm ſecum reputaret, quòd triginta tres vitæ annos numerans, feriâ quintâ, in utroque Domino ſuo ſimilis, comprehenſus & vinctus eſſet. Cúmque noctem ſubſecutæ diei in carcere inſomnem egiſſet, quâ præſtabat dicendi facultate, ad cuſtodes ſuos, aliósque Ethnicos incarceratos prolixam habuit orationem de Fidei myſterijs, de Domini cruciatibus, de Martyrij excellentia. Admirabantur qui aderant dicentis incredibilem ardorem, robuſtámque charitatem; quorum duobus carcere detentis eam Veritatis lucem affudit, ut pollicerentur, ſimul ac vinculis expediti forent, baptiſmum ſe ſuſcepturos. Diluculo diei tertiæ Menſis Januarij, revincti poſt terga manus, inter lictorum contumelias & probra, ſpectante miſerantéque populo, delibuti tamen gaudio, ſacris hymnis intenti, ducuntur in Vicum ſuperioris Meaci amplum, & perfrequentem: ubi mitigatâ à Gibonoſcio ſententiâ, lævæ auris extremum (nam alioqui utraque reſecari debebat) ſingulis præciditur. Reſectas noſtrorum, humique projectas particulas collegit, tulítque ad Patrem Organtinum Victor Neophytus, Ozacano Gubernatori à ſecretis; quibus acceptis Organtinus, inter fluentes ubertim lacrymas: *Ecce primitias*, ait, *Societatis in Japonia! Ecce laborum tantorum pretium, ac fructus! Hos ego flores novellæ Eccleſiæ, tibi magnè DEUS ſupplex repræſento; tu fac eos, quæ tua eſt conſueta benignitas, in meſſem Chriſtianorum uberrimam progerminare.* Plura conantem, & ſuus, & adſtantium fletus prohibuit. Ternos deinde felicibus carris impoſitos, priſco Japoniæ more, trahente bove, circumvexêre per vicos ad ludibrium in populi frequentia, quantam compita, feneſtræ, tecta capiebant. Noſtri vehebantur poſtremi: è quibus Paulus ad plebem circumfuſam ſuâ linguâ de Chriſtianæ Fidei myſterijs, è carro velut è cathedra, verba faciebat. Præferebatur omnibus in oblonga pertica deſcriptum in tabula ferale, ſed honeſtum carmen, hâc ſententiâ: *Quoniam hi ex Luzonijs* (ita Philippinas Inſulas indigitant) *venere ſpecie Oratorum, & Meaci, ad Chriſtianam legem pervulgandam, id quod ſeverè jam olim fieri vetui, perſtitêre; edico ut omnes, unáque iſti Japones, qui nomina ſua eidem legi dederunt, è medio tollantur. Proinde quatuor hi & viginti Nangaſachi infami Cruci ſuffigentur. Et quisquis ex hoc non paruerit interdicto, quo rurſus eam Legem proſcribo, is ſe unà cum ſuis mulctatum iri ſit certus.*

Simul atque ad carcerem revecti ſunt, Paulus Franciſcanos Patres arctè, reverentérque complexus, illis impensè gratias egit, quorum ſub umbra tam grandis, tam diu deſiderati à DEO beneficij compos evaderet. Satellites aurigæque qui aderant, ſpectaculo attoniti: *Quid hoc eſt hominum*, ajebant, *prorſus inſuetum atque mirabile, in ſuis malis atque opprobrijs, juxta ac ſecundis in rebus, lætitiâ exultantium?* Poſtero mane, hoc eſt die quartâ Januarij, vilibus jumentis impoſiti, Ozacam primùm, deinde Sacajum deducti, utrobique ad ignominiam contume-

liosè

liosè per compita, ſicuti Meaci, circumvecti ſunt. Conſilium enim Taicoſamæ erat, ſuos infami ſpectaculo à capeſſenda Chriſti Fide deterrere; ſed Bonzijs conſilium hoc non placebat, quòd ità nequaquam opprimendam, quin magis etiam ſpargendam eam legem non dubitarent. Remanſerant Sacai uſque ad diem nonam Januarij, inde profecti ſunt Nangaſachum itinere terreſtri, ut obvijs in locis triſti ſpectaculo cunctis horrorem, odiúmque Chriſtianæ Legis inferrent: quam item ob rem cauſa ſupplicij ſublimè, ut ſpectari legique poſſet ab omnibus, haſtili præfixa ferebatur. Abeſt Sacajo Nangaſachum ſexcentis paſſuum millibus, viâ difficili, & inæquali; annìq; tempeſtas inclemens erat, & in Japonia ventis plerumque horrida, & ſæva gelu, adverſùs cujus incommoda Martyres malè comparati. Miſerat proinde P. Organtinus Chriſtianum ſolidâ virtute, Petrum nomine, qui tres ſocios noſtros ope, impendiíſque, ùt foret uſus, proſequeretur: & Franciſcanis ad idem obſequij ultro ſe alter addiderat, cui Franciſco nomen erat; ſed in viæ decurſu ipſi quoque in cæterorum relati cenſum, Martyrio pro mercede donati ſunt. Multa paſſim in itinere geſta præclarè ab Sanctis ſunt, quæ recenſere ſingula prolixum eſſet. Paulus inprimis ardebat animo, ſocios inflammabat, & patriâ linguâ, quâ nondum promptâ Franciſcani Patres atque expeditâ pollebant, verba, an verborum fulmina? ad ſuos cuſtodes & obvios quosque jaciebat. Pollebat enim dicendi & vi, & copiâ ſingulari. Eundem & ſocios inceſſit ardens cupido ſacri Myſterij pro Viatico ante mortem libandi: eâ causâ monuit per epiſtolam P. Vice-Provincialem Societatis prænaturè, ſic ſcribens: *Nullo alio in hac vita deſiderio nunc tenemur ampliùs, præterquam confitendi, communicandique priùs, quàm Nangaſachum attingamus: neque enim novimus, num qua ſe poſtmodum oblatura occaſio ſit. Patribus Franciſcanis his, nondum idiomatis noſtri ſat gnaris, integram conſcientiæ rationem nequimus exponere. Magno autem ſolatio eſſet nobis, ſi P. Franciſcus Paſius eo munere perfungi poſſet.* Die poſtremo Januarij pervenêre Facatam, ubi comiter humanitérque, itidem ùt alibi paſſim, ab Ethnicis ipſis, nedum à Chriſtianis neophytis, habiti ſunt. Paulus ibidem multam noctem prædicando impendit de more. Poſtquam eos Facatam appuliſſe reſcivit Fazamburus, cui Regio juſſu cura ſupplicij ſumendi mandata fuerat, obviam Martyribus proceſſit, ut morti devotos excipiperet; & aptari per nuncium Nangaſachi continuò Cruces quinquagenas præcepit. Et quoniam hic numerus patibulorum major erat, quàm captivorum, pium ſanè ac religioſum certamen exortum eſt inter Chriſtianos reliquos, dum pro ſe quiſque ſuperfluas Cruces occupare contenderet. Ipſos adeò infantes, malorum inſuetos, ardor invaſit moriendi; viſaque eſt ætate major eorum prudentia, interrogationibus tentata, cùm ſe ad Martyrium offerrent. Calendis Februarij Facatâ Carazum delatis, Fazamburus Paulum noſtrum ex vetere neceſſitudine miſeratus, ſalutavit cum lacrymis, & ejus vicem moriendi, ſuámque ejus plectendi duram neceſſitatem dolere ſe, cum ſenſu teſtatus eſt. Cui Paulus: *Deſine lacrymarum iſtarum*, inquit, *amice, & queſtuum: pro Divina lege & doctrina Cœleſti mortalibus tradita nex illata, felix fortunatáque eſt, neque indiga miſerationis: hoc unum ſine me impetrare abſte, ſi quid mihi gratiæ reliquum apud te eſt, ut Nangaſachi breve mihi, ac ſocijs ocium facias, ad ſacræ Confeſſionis ac Communionis copiam.* Annuit ille tum quidem poſtulato, atque ùt videbatur, ex animi ſententia; ſed poſtmodum ubi tempus ac res admonuit, parcior promiſſo fuit. Porrò progreſſi venêre ad Figenſis Regni vicum, cui Zucaſaki nomen eſt. Inde diſceſſum poſtridie eſt, & itineris reliquum, quà terreſtre fuit, pedibus emenſum, quamvis algente cœlo, & fractis per incommoda corporibus, ut quàm erant propiores Martyrio, tam illi congruentiùs proluderent. Ad quartum Februarij ſub meridiem appulêre ſacra Chriſti Martyrum turma Sononchum Omurano in agro, novem procul leucas Nangaſacho, maris interjectu: ſimúlque duo Societatis Patres adfuêre, Franciſcus Paſius, & Joannes Rodriquez. Incredibilis utrimque extitit conſolatio, nec vacua lacrymis mutui amoris, ad conſpectum Patris Paſij; ſalutem ille peramanter impertivit principiò univerſis à P. Vice-Provinciali, tum ad ſubeundum ſtrenuè certamen verbis opportunis accendit. Paulus arctè Patrem complexus, ſubmiſſo animo reſpondit, certam ſibi firmámque conſtare ſpem Divinæ ſobolis, per hanc Tyranni inſectationem vehementer copioſéque augendæ; quando ipſe Ozacæ in cuſtodia, quæ Dei benignitas eſt, ſex gentilibus coactus fuerit, propter importunitatem poſtulantium, vitalis lavacri copiam facere; quo maximè tempore poterat eos deterrere ab ejuſmodi petitione procella ſuboriens. Veſperi conſcendêre navim, trajecturi ad locum

cum ſupplicij, ſed manibus à tergo conſtrictis, inſertísque in reſtem feralem cervicibus. In brevi ſpatio ſeptem emenſi leucas, portum Pokizu tenuerunt, ubi noctem in navi toleravêre perfrigidam. Manè vix luxerat; cùm Fazamburus ad Patres Paſium, & Rodericium (qui Nangaſachum præceſſerant) mittit, ut venientibus occurrant, & trium ſuorum confeſſiones, turbâ dimotâ excipiant; id ſe amicitiæ, & datæ fidei concedere; de alijs curæ illis ne ſit. Communioni impertiendæ per tempus locum non fore, ſed neque neceſſarium videri occumbentibus pro Chriſto ſuo, qui ſuis ipſe pro viatico ſit. Porrò in locum ſupplicij venire, neque Vice-Provinciali per ſe fas eſſe, neque Epiſcopo. Idcirco Epiſcopus per certum hominem omnibus primùm in commune, tum Franciſcanis Patribus ſeorſim benedixit, benéque precatus eſt. Egêre gratias illi magnâ religioſæ ſignificatione modeſtiæ, deprecati præterea, quòd minùs illi promptè exactéque, quàm fuerat æquum, obtemperâſſent. Adhæc Vice-Provincialem, cæterósq; de Societate per interpretem oravêre, ut quas illis creârant moleſtias, conſuetâ ſibi facilitate condonarent. Paſius Uracamum uſque non longè diſſitum, Rodericus ultà pauxillùm proceſſit, & certiores fecit Sanctos Martyres, paucas ipſis eſſe reliquas vitæ mortalis horas, ſucceſſuram continuò candidiſſimam immortalitatem; quâ voce, vix dictu facilè eſt, omnium animi quantâ ſint lætitiâ delibuti. Paſius ſegregatum à cæteris, deductúmq; ad Noſodochium S. Lazari Paulum noſtrum, vitæ univerſæ errata repetentem audivit; mox etiam Joannem & Jacobum exomologeſi purgatos, ad Societatis vota, & Religionem ipſam, utì jam antè per P. Organtinum flagitârunt, authoritate P. Vice-Provincialis admiſit, quem illi abſentem in Paſio, utì parentem, Deíq; vicarium amplexati ſunt. P. Rodericius interea cæteros ad agendum fortiter, conſtantérque pro Chriſto tolerandum cohortatus, eorum etiam nonnullis ſacrâ poteſtate noxas condonavit.

Collis eſt extra Nangaſachum trans militarem viam, mari imminens, atque in Urbis conſpectu, cujus in adverſa parte locus eſt facinoroſis plectendis addictus. In ejus partem alteram juſſit Fazamburus, flagitantibus Luſitanis, transferri Cruces: meditabantur enim jam tum Luſitani templum S. Mariæ, Martyrum appellatione nobile, ibi olim excitare, horum Sanctorum pugilum venerandæ memoriæ, quam ſontium confuſione nolebant obſcurari. Explicatam ſummo in colle aream cruces viginti ſex, ternis, quaternísve disjunctæ paſſibus occupabant. Tot nimirum ad illuſtrem Martyrij gloriam deſtinabantur, cùm duos illos in itinere additos, ceu Regij edicti immunes, fruſtra Paſius à Fazamburo repetiviſſet. Circùm iuſtructus ſclopis & haſtis ſtabat ad vim arcendam multus miles: lictores pro numero Martyrum, ut dum ſuus cuique præſto eſt, moræ compendium fieret. Admiſſi in medium ſoli Paſius & Rodriquez, ad confirmandos athletas. His ſimul ac venêre in conſpectum Crucum, tanta de repente vis gaudij oborta eſt, ut eam in vultu, in verbis, motibus emicantem conſpicatus Fazamburus, ſciſcitaretur admirabundus ex Paſio, ecquænam illis eſſet tam inſolentis lætitiæ cauſa? Sed cùm Paſius diceret, gloriam illos ab ignominia repetere, & mortem in Chriſti cauſa oppetitam DEI ſervis dulceſcere; renidens ille, hominem animalem ea non capere quæ ſunt ſpiritûs DEI, ſuo etiam exemplo patefecit. Crucem Japonij hunc in modum componunt. Tigno majori duplicem aptant trabem transverſam, alteram cui manus, longiorem; breviorem alteram infernè, cui pedes ferreis manicis, aut funibus adſtringunt. Trunculus porrigitur medius, cui reus ponderi corporis ſuſtinendo velut inequitat. Collum cirrus innectit ferreus. Summa brachia cubitum inter & ſcapulam, corpúsque medium funes affirmant. Tum erecta crux paratam in ſcrobem depreſſa, humo ingeſtâ ſaxísque firmatur. Sic ibi ſontibus fieri inſuevit, ſic noſtris etiam cum Martyribus actum eſt. A ſuo quisque lictore compactus in Crucem, ſublatúsque in altum, obverſis ad Urbem, ad mare, ad Auſtrum vultibus pendêre. Medij fuêre ſex Patres Franciſcani; illis utrimque ad dexteram lævámque, pari numero deni; tres noſtri ad lævam tenuêre, Jacobus quintum locum, Paulus ſextum, Joannes ſeptimum. Inde è cruce velut è cathedra Paulus, cujus æſtum ne ipſa quidem propoſita pœnarum facies potuit reſtinguere, ad ſuos populares convertit ſermonem: *Ego*, inquiebat, *extraneus non ſum, cives mei, ne cui fortaſſis ea opinio ſuſpectam faciat Evangelij mei fidem. Japonia mihi patria eſt. Societatem JESU jam olim complexus, en agor in Crucem idcirco, quia Chriſti doctrinam evulgavi. O factum bene! DEO meo gratias ago ob hoc beneficium. Sed vos quando hic rerum articulus veritatis diſſimulationem excludit, ſic à me accipite: nullam patere, præter eam, quâ Chriſtiani ingrediuntur, ſemitam ad ſalutem. Ego, ùt in ea edoctus ſum, Regi necem*

meam liberaliter perlibenterque, & ijs omnibus, qui ſunt ejus authores, condono, ijsque vitam Divinæ gratiæ per ſalutarem Baptiſmum exopto. Subinde oculis ad conſortes gloriæ ſuæ dictionêque translatâ, conſtantiam illis ad mortem excipiendam, & pectoris robur adjunxit. Interea quatuor ſatellites lancearij liberatas vaginis lanceas, qualibus hanc in rem uſus Japonibus eſt, expediverunt; ancipites eæ ſunt, & oblongæ, formâ atque acie macheræ perſimiles, haſtilibus præfixæ. Quas illi dum ſtringunt, Chriſtiani, qui frequentiſſimi aderant, ſalutaria JESU ac Mariæ nomina conclamarunt, & miſtum gaudio ploratum ediderunt. Adactis mox per coſtas lanceis, à dextro in cordis latus, brevi morte omnes exanimati ſunt. Si quid uſpiam vitæ reliquum in ullo latere per ſigna compertum, id alterâ transverberatione expreſſum, illico fuit.

Hic felix Chriſti Martyrum exitus fuit, qui fortiter dimicantes retulerunt è certamine gloriam, ex hoſte palmam; cujus extitit in publico teſtis atque aſſertor, decretæ à Taicoſama crudelitatis titulus, & cauſa ſævitiæ in eo deſcripta, omnibus palam eodem in loco ſupplicij ad lectionem ſublimè propoſita. Nangaſachum locus certaminis fuit, dies quinta Februarij, annus 1597. Chriſtiani ſimul atque vulnera Martyribus infligi, & jam undique derivari copiosè ſanguinem conſpexêre, per medios ſatellites fecêre viam, nec minis deterriti, nec fuſtuario coêrciti, dum ſudaria, veſtes, ſacro cruore imbuerent. Sed in amictus quoque Martyrum ab ijsdem religiosè ſævitum eſt, lacinijs ad veneration-nem diſtractis; ut honeſtari deinde corpora ſtoreis circumdatis oportuerit. Fazamburus irâ ſuccenſus, veritúsque tot undique confluentium agmine ad Martyrum cultum, violentam rapinam cadaverum, cuſtodias denſari juſſit, & Præfectis vigiliarum vitæ minas propoſuit, ſi quodquam cadaverum deſuiſſet. Verùm ut prohiberi à ſanctis corporibus vis potuerit, certè religioſa veneratio nullâ quivit induſtriâ coërceri. Ora Sanctorum Martyrum vultúsque, præter ſolitum aliorum eâ ſupplicij formâ necatorum, decorè viſa renidere, admirantibus Ethnicis inſolentiam venuſtatis. Idem in ſanctis corporibus nitor candórque quatuor & quadraginta poſt dies ab eorum obitu deprehenſus à Luſitanis, dum ſoluturi Macaum, illuc venerationis ergo veniſſent; nulla tabes aut pœdor, nulla à voracibus corvis, qui perfrequentes ibi ſunt, violatio, quamvis tanto ibi temporis ſpatio pependiſſent. Quin etiam ſanguis S. Pauli atque aliorum trium, confusè ab Italo milite collectus in petaſo, ſervatúsq; in fictili Sinico, quod Porcellanam vocant, poſt nonum menſem fluidus, purúsque, & expers vitij ac graveolentiæ fuit. Nec multò poſt obitum Sanctorum die Veneris in noctem devexâ, tres lucis tractus, formâ columnarum, ſublimè corporibus imminere conſpecti ſunt; quorum qui medius erat, ſupra ſacram Societatis ædem ſuo motu delatus, ibi evanuit, & tenebricoſam noctem ſerenavit, & viam poſt ſe, quam ſuo ductu ſignavit, ſcintillis luminis, quaſi ſtellis diſperſit. Diu etiam deinceps ſextâ quaque feriâ flammulæ refulgentes, velut ſidera locum Martyrij obivêre, ritu ſupplicationis ordinatæ, & ad ea uſque proceſsêre domicilia, quæ prima excipiendis Martyribus Nangaſachi fuerunt deſignata. Hæc atq; alia per eos dies oſtenta comparuêre, quæ Sanctorum Martyrum gloriam Divino viſa ſunt ſuffragio nobilitaſſe. Porrò meſſis ex eorum ſanguine, tanquam è ſemine, tam copioſa Chriſtianorū ſecuta eſt, ut quando altera in eam Eccleſiam concitata tempeſtas eſt A. 1620. jam ſeptingenta credentium millia, vel ſola Societas in Japonia procuraret. Hæc de Martyrio; nunc pauca de ſingulis adnotabimus.

SANCTUS PAULUS MIKI.

NAtus eſt in Japonia, claro genere è Regum Japoniæ ſanguine derivato, A. 1564. Patrem habuit Miki Fandacudonum, virum bello ſtrenuum, & Fide Chriſti nobilem, apud Nobunangam olim Imperatorem Japoniæ in paucis gratioſum. Quinquennis Chriſto ejúsq; Eccleſiæ per Baptiſmum inſertus, à puero ità modeſtiam, atque artes cæteras bonas ſecutus eſt, ut ad eas videretur ab ipſa ſua indole, & natura comparatus. Poſtquam ad undecimũ ætatis annum adolevit, P. Organtino inſtituendus in Anzuchiamenſi Seminario à parente traditus eſt, quo per annum 1582. vaſtato, ad proſequendà literarum ſtudia delatus eſt ad Amacuſanum Collegium. Ex illo ſuum nomen Auguſto menſe A. 1586. Parente jam Bungenſi in bello ſublato, in Societatem transcripſit, exactóque conſuetæ periclitationis biennio, Religioſis ſeſe votis in Scholaſticum

ſticum approbatum (ùt nos appellamus) mancipavit. Latinitati deinceps aliqualem dedit operam, fructu quidem, pro ingenij ejus præſtantia, minimè magno, ſed ùt uſus erat Japoniæ, neutiquam pœnitendo. Cæterùm in perdiſcendis intimè, penitúsque capiendis Chriſtianæ Diſciplinæ principijs, & Japonum ſectis multiplicibus, ad eas convellendas, perveſtigandis, longè utiliorem operam impendit. Nam cùm earum eſſet inſignem adeptus ſcientiam, ſimúlq; facundiæ, quam acceperat à natura, admirabilem multarum virtutum, quibus domi foríſque inclaruit, vim atque efficacitatem adjunxiſſet, vix credi poteſt, quàm ſecundâ ubique famâ, quantis animorum motibus ad concionem diceret. Ità Omurano primùm in Regno, atque Arimenſi, ac deinceps in Meacenſi tractu, & Procerum ſibi benevolentiam, & complures illorum veritati ac Eccleſiæ conciliavit. Eminebat in eo potiſſimùm domi exacta ad regulas diſciplina morum, foris animi profunda demiſſio, deſpicientia fluxarum rerum, corporis ad egregiam modeſtiam conformatio; poſtremò in omni actione temperata facilitate maturitas. Cæterùm & domi & militiæ nihil admirabilius in eo, neq; præſtabilius extitit ardore charitatis, & omnis experte deſidiæ ſtudio Chriſtianæ ſuos inter populares amplificandæ Religionis, ùt nullus unquam illi neque locus, neque tempus, nulla ab eo opere aliena occaſio videretur. Hinc ille crebrò diſſertare cum Bonzijs, valideque confutare; hinc alijs eorum coarguendorum rationem ac modum tradere, hinc & commentari, ſcriptóque vulgare, quæ ad convellendas Japoniæ ſuperſtitiones ex uſu alijs eſſe poſſent.

Paucis antè diebus, quàm ædibus noſtris Ozacæ adderentur excubiæ, incurrit in Ethnicum, hominem facinoroſum, quem turba lictorum ob ſua flagitia rapiebat ad pœnas. Irrupit per confertos ſatellites Paulus turbâ dimotâ, & ſontem brevi, ſed flagranti alloquio ſic accendit, ſic permovit ſubjecítque veritati, ut doctrinâ ſalutari, quoad res ferebat & locus, inſtitutum, & ſacro ablutum latice tranſcripſerit Cœlo. In ipſis vinculis atque carceribus quæſtum faciebat animarum, ſemper potens pollénsque animi, atque eloquentiæ vi, ſeu liber, ſeu vinctus foret, inter ludibria plebis, & publicam ignominiam, à carrucis infamibus, è jumentis, in via, in diverſorijs; ad extremum denìq; ad Ethnicos & interfectores ſuos, ad Neophytos tribules, ad priſcos Catholicos exteros, ad ipſos ejuſdem ſecum gloriæ ſocios, & conſortes palmæ inſiſtebat verba facere, hortari, ac mediâ in morte inflammare univerſos de Cruce. In ejus conſpectum ùt primò venit, eam ſubmiſſo corpore veneratus eſt, atque exoſculatus: contrà verò ſpectantium ſalutationes ità admittebat, ut verbis ac vultu, quidquid aliquam ſui venerationem indicaret, averſaretur. Cùm per corporis parvitatem eò minimè pertingeret, ut medio Crucis tigillo poſſet inſidere, à lictore medius linteâ ſindone trunco Crucis alligatus eſt. Is quò linteum niſu arctiùs adſtringeret, pedem alterum Pauli corpori, vim facturus, impreſſit. Corripuit improbitatem hominis Pater, qui Paulo adſtabat; cui ille: *ſine Pater*, inquit, *agat pro libidine atque arbitrio ſuo, mihi neque id curæ, neque moleſtiæ eſt.* Intentâ jam in ſe lanceâ dixit: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*; mox: *Subvenite Sancti DEI:* Et eam precationem perſequens, transadacto ferro vitam præclarè actam præclariùs abſolvit, natus annos 33 quorum undecim puer domi, undecim in Societatis inſtitutione, reliquos undecim ipſa in Societate, eâ virtutum gloriâ, quam memoravi, peregit.

SANCTUS JOANNES DE GOTO.

AB Inſula natali nomen hoc, à familia cognomen Soan ſortitus, à Chriſtianis parentibus inde uſque à puero ad pietatē educatus, ſimul ac potuit per ætatem Societati ad ſervitia Templi traditus, Dogici (nos Catechiſtam diceremus) partes diu præclarè egit. Ad idem muneris ſecutus Ozacam P. Petrum Morejonium, dum ibi verſatus eſt, candidiſſimæ mentis, nec minoris Religioſæ integritatis, ad regularum noſtrarum normam conformatæ, ſemper omnibus documentum exhibuit. Eo tempore domi erat Ozacæ, quo Taicoſamæ imperio excubijs circumventa eſt. Potuit ſe ipſe, ſi libido fuiſſet, tempeſtati ſubducere; ſed maluit fortunam Societatis, quam habebat in votis jam pridem, præſertim tam pulchram experiri. Ergo convaſatâ celeriter, ſepoſitáque ad tutelam ſupellectile ſacrâ, cujus ille tum quidem curam agebat, paſſus eſt no-

nomen ſuum, ſicuti è Societate foret, in tabulas proſcriptionis referri: atq; ne id vacuum veri, & malè gereret, continuò per literas, interprete ſancto Paulo Miki, ipſe unà ac Jacobus à P. Organtino adſcribi tandem jam aliquando Societati flagitârunt; quibus ille ſe rem cum P. Vice-Provinciali, Nangaſachi tum agente, confeſtim literis peracturum recepit. Quo die Meacum ad primum ſupplicium contumeliâmq; in propatulo ſubeundam Ozacâ diſceſſit, flexis humi genibus DEO gratias pro beneficio habuit. Inde quàm læto, quàm hilari ore atque animò ſcenam feralem peregerit, permirum eſt. Votis Societatis, Patris Vice-Provincialis conceſſu, in manibus P. Franciſci Paſij nuncupatis, tanquam novo quodam imbutus ſpiritu, ad Crucem alacer adſpiravit. Eam ùt conſpexit, pronus ſalutavit: & ad ſuum genitorem, qui aderat, converſus, pueritiæ ſuæ benè ab eo educatæ inſtitutæque, acceptam referre ſe conteſtatus eſt eam boni vim, quæ jam erat in manu; egit pro ea gratias, & ad Fidei defendendæ conſtantiam illum, & per illum matrem abſentem hortatus, huic vittam lineam, patri roſarium ſertum, quæ reliqua illi erant, extremum obſervantiæ pignus largitus eſt. Dein adſtantem Chriſtianum quempiam ſibi notum oravit, ut Meacum redux ſibi ſuam operam ſalutandis Patribus Societatis gratificari velit, & P. Petro Morejonio imprimis ſignificare, ſe ipſius exemplis virtutum, quæ habuiſſet in oculis, & præceptis optimæ inſtitutionis ad eam, cujus jam particeps evadebat, gloriæ ſummam profeciſſe. Sublatus in Crucem conſortes ſuos dexrrâ lævâque ad animi firmitatem verbis idoneis corroborabat: & viciſſim ipſe à P. Joanne Rodericio ad conſtantiam admonitus, ſecurum illum ſui, atque expertem ſollicitudinis eſſe juſſit; per eum ſe conſtiturum uſque ad extremum, per quem uſque adhuc firmus conſtitiſſet. Haſtâ demum transfixus, pronunciatis ſoſpitalibus JESU ac MARIÆ nominibus, adoleſcens optimus, unde-viginti natus annos, ad deſtinatam in Cœlo gloriam coronatus abſceſſit.

SANCTUS JACOBUS KISAI.

ORiundus è Regno Bigenſi, & ab infantia Chriſtianis ſacris initiatus, uxorem itidem Chriſtianam habuit; atque ex ea ſuſcepit filium, nomenque indidit Joannis, quem probè educatum à parvulo, decennem ſibi reliquit ſuperſtitem. Conjugem ad Idolorum cultum impiè reverſam diu ſollicitavit ad pœnitentiam. Sed ubi contumacem, & alienioris ingenij pertinaciter eſſe expertus eſt, facto legitimè divortio repudiavit. Igitur poſtquam à maritali cura otioſus fuit, prorſus ad pietatem ſtudium omne ſuum, operâmque convertit. Sollicitè Societatem expetere, ambire, eò domi noſtræ rem familiarem curare, adeſſe Januæ, hoſpites advenientes conſuetâ Japonibus urbanitate excipere, Ciam temperare; intereâque religioſos miſcere ſermones. Cia pulvis eſt è folijs arboris toto Oriente cognitæ & percelebris, qui aquæ calidæ permiſtus hauſtúsque, mirum in modum caput corpúsque corroborat. Uſus autem obtinuit, ut honeſtioribus hoſpitibus ipſo in acceſſu porrigatur, ac ſæpius etiam ex intervallo, ſi diuturnius ſit colloquium; habetúrque ad id ſemper in promptu aqua fervens. Pertinet verò ad officioſam ſedulitatem, id promptè, mundè, urbanè exhibere. Ex quo continuæ ſedulitatis, & officioſæ charitatis Jacobo naſcebatur occaſio. Erat in eo mira demiſſio animi, quâ ſe poſtponebat omnibus, omnibus concedebat. Eâ gratiâ, dum ducebatur ad Crucem, cuipiam poſtulanti à ſe ſtrophiolum, quod fortè pendens gerebat è cingulo, dare vehementer abnuit, ne qua peccatori homini, ùt ſe ſe dicebat eſſe, veneratio tribui videretur. Verùm qui poſtulaverat, vel eâ ipsâ tantæ ſubmiſſionis gratiâ, ſudarium, quamvis repulſus, eripuit, & venerationi ſervavit. Paſſioni & cruciatibus Chriſti Servatoris mente retractandis intentus impensè fuit; eámque totam feralem hiſtoriam habebat in libello manuali vernaculis characteribus eleganter deſcriptam, quò ſibi eſſet ad manum evolvenda quotidie, familiaritérque proſequenda. Ozacæ domo cuſtodijs conſeptâ, ſuo in tabulas relato nomine, per literas Societatem ipſe quoque ab Organtino poſtulavit, & obtinuit. Educendus Meacum, Deo beneficium publicæ contumeliæ de genibus gratulatus eſt: cruciatus autem illatos & opprobria excepit animo non ſolùm æquo, ſed hilari & feſtivo. Toto itinere, atq; ipſa in Cruce propitiando tacitis precibus Numini potiſſimùm intentus fuit. Demum acceptis haſtâ vulneribus, pronuncians ſacra JESU & MARIÆ nomina, victor in Cœlum palmâ inſignis immigravit ſexagenario major.

VIN-

Vincentius Aluarus Nobili ſtirpe natus in Luſitania Soc: IESU, obtruncatus pro Fide à Mahometanis in India. A. 1606. 18. January.

C. Screta d. *M K f.*

VINCENTIUS ALVARUS.

FEliciſſimi Patrum Societatis in proferenda latiſſimis Indiæ Regionibus Chriſti Fide ſucceſſus, & Apoſtolicorum laborum fructus, eum livorem in Mahometanis excitârunt, ut in eorum, veluti juratorum Prophetæ ſui hoſtium, exterminium intenti, terrâ marique implacabili odio perſequerentur. Frendebant illi ſe non tantùm Regnorom & Inſularum dominijs, in quibus infinitam gentilium multitudinem Turcico premebant jugo, converſis ad Chriſtum indigenis, depelli, verùm etiam præcipuos quoſdam è ſuis ad ſuſcipiendum Baptiſmi lavacrum traduci. In his Peripateticus erat Mahometanus, non tantùm ex conjecturis ab horoſcopo Propheta nominatiſſimus, verùm etiam Sanctimoniæ titulo, longiſſimâ intra vaſtam ſolitudinem inediâ captato, totâ Perſide & Regno Ormuzij celebratiſſimus. Habebat uxorem è ſtirpe Zaidis prognatam, qui rectâ ſerie ad Mahometem pertinebat, & ex ea ſuſceptam filiam jam nubilem: quæ concionante per compita Ormuzij P. Barzeo ſive doctrinâ Chriſti afflatæ, ſive interiore Divini Spiritûs magiſterio edoctæ, deſiderium ingens ceperunt Religionis Chriſtianæ. Ergo rei peragendæ dum vias invicem meditantur, non multò pòſt de media nocte clàm ſe domo ſubducunt, & facultatibus o-

mnibus, hoc eſt quater mille aureis annuis, derelictis, ſacro tingendas Baptiſmate Barzeo ſe ſiſtunt. Maritus & parens furore percitus, dromedarijs ad Perſarum Imperatorem transmiſit, omnésque in itinere Mahometicæ ſuperſtitionis Principes querelis ſuis in Barzeum & ſocios accendit. His acceſſit Princeps fæmina, in Alcorani doctrina verſatiſſima, & unius ex Arabiæ deſertæ Reguli, ac Mechæ Præfecti ex Fratre Filia, nupta Legato Imperatoris Perſarum Ormuziū deſtinato; & quia de Mahometi erat prognata ſanguine, verrendo ejus Mechæ fano jam olim à teneris fuerat deſignata, quod niſi Virginibus ſpuriâ illâ Mahometanorum ſanctitate ac genere claris apud Turcas non tribuitur. Exemplum igitur duarum ſecuta, clam familia & marito Barzeum adit, & Chriſtiana myſteria edocta Baptiſmum ſuſcipit. Maritus ad hæc veluti furijs agitatus, Barzeo & ſocijs funeſta omnia minatur, iriſque tumidus, magnis itineribus Babilonem ad Imperatorem contendit, perfidiam accuſat, raptæque Conjugis contra gentium jura in Legato ſuo violata, ultionem depoſcit. Non multò pòſt quatuor Urbes in ora Amani ſitæ, quas primas infamibus ſuis venenis fædarat Mahometes, Legatos ad Barzeum mittunt, Religionem Chriſtianam poſtulantes: quibus tandem & Rex ipſe Ormuzij acceſſit, Legis Chriſtianæ deſiderium eidem aperiens, & certum Baptiſmo tempus condicens. Interim autem totâ Inſulâ per præcones graviſſimis pœnis vetuit, ne quis Mahometem impoſterum auderet inclamare, qui ipſis ſummus eſt in falſum Prophetam honor; & portas Fani Regij muro obſtruxit, in quo ſolo (nam alia Barzeus, fixis inibi publicè cum puerorum in ſupplicatione ductorum manu Crucibus, occupaverat) ſuos conventus Mahometani peragebant.

Hi aliíque ab impia Mahometi ſuperſtitione magnificè traductorum ad Chriſti Fidem paſſim per Indiam ſucceſſus, tantum Patribus apud illius ſectatores, Malabres præſertim, odium concitârunt, ut aliter niſi illorum ſanguine reſtingui non poſſe videretur. Itaque piraticam Indico mari paſſim exercentes, nullis ferè mari alijs inſidiabantur mercibus, quàm ſocijs intercipiendis, quos dolori ſuo & Mahometi immolarent. Conſcenderat Vincentius Alvarus navem, Bazaino Goam ad ſtudiorum curſum proſequendum vocatus, unà cum P. Antonio Veloſo; jámque Ciaulum prætervectus, non procul Dabule, quod Oppidum Idalcani paret, diſtabat, cùm à Malabaribus piratis Mahometi cultoribus intercipitur. Exin de pretio redimendæ captivitatis à Luſitanis unà navigantibus agi cœptum, nec difficulter conventum: excipientibus tamen ab ea libertatis conditione Saracenis noſtros homines, quos in mare cervicibus reſectis ſe proturbaturos jurabant, quia Mahometum, ejúsque legem expugnatum irent. Cui ſupremo actui congruè interim ut præluderent, nullum à perpetuo verberum pugnorúmque grandine vacuum tempus tranſire ſinebant. Quia tamen lytro redimendis captivis à Procuratore Regis Luſitaniæ faciliùs exprimendo, efficacior fore judicabatur unus ex noſtris, idcirco fluvium non procul Dabule, ubi Procurator Luſitanus agebat, invectis, deſignatus eſt ad id Vincentius. Sed is ardenter inſtitit, ut ſacerdos potiùs mitteretur, cujus major futura eſſet auctoritas ad rem conficiendam: reipſa autem volens Patrem ſubductum tempeſtivè malis, quæ ſibi gratulabatur, & ſervatum animorum faciendis lucris, quibus ſe minimè idoneum vir humillimus rebatur. Interim dum in oppido res conficitur, dies Veneris, Mahometo inter Saracenos ſacer, Vincentio glorioſus illuxit: quem ut ſolenni cærimoniâ facerent ſacratiorem, Vincentium Mahometo victimam mactare conſtituunt. Inſtitêre magno conatu vitam ei exorare Luſitani, & pro charo capite grandius nequidquam pretium addicere: quos ipſe è contra vehementer deterrebat, ne paratam ſibi Martyrij gloriam tam vili impendio averterent. Ergo vinculis inſuper injectis, ad proram navigij raptatur ſub veſperam, ubi locus erat impio ſacrificio deſtinatus, & ùt quidam referunt, erecta ara Mahometi ſacra, ad quam piacularis hoſtia caderet Vincentius; tum verò ubi ſe mortis tam pretioſæ candidatum vidit, tanto delibutus geſtire cœpit gaudio, ut cùm foris toto vultu & corpore prorumperet, humano majus eſſe qui aderant, opinarentur. Ad necis locum procedens, Pſalmum: *Miſerere mei DEUS*, decantabat, donec provolutus in genua, captivos omnes rogavit, ſuis ut DEUM precibus ſibi redderent propitium. Demum demiſſo capite inclamanti: *Miſerere animæ meæ bone JESU*: cervix à Saraceno præciſa eſt 18. die Januarij, vel ùt alij in Aprili, Anno 1606. ætatis 27. initæ Societatis 11. Corpus in mare dejectum nunquam poſtea comparuit. Facinus horrore & crudelitate pleniſſimum incondito clamore Mahometani, veluti præclarè factum, proſecuti ſunt, & impoſtoris

ſui

ſui nomen inſonantes, vultu in terram dejecto, ut eâ victimâ ſibi eſſet placabilis, orabant. Ortus erat Vincentius Ferreriâ Luſitaniæ oppido, nobiliſſimâ Proſapiâ; exoratáque Societate JESU, cùm eſſet laborum pro Chriſto adeundorum avidiſſimus, magnâ contentione ab ipſo Tyrocinio poſtulavit in Indiam, velut ad fertilem ærumnarum campum ablegari. Quo poſteaquam Anno 1599. pervenit, inſigni domeſticorum exemplo vitam per omne pietatis genus exercuit: nec antè patiendi ſitim extinxit, quàm à barbaris in odium Fidei Chriſtianæ ipſe extinctus eſt, factus priùs cruenta DEO victima, quàm incruentum ad Altare DEO offerret Sacerdos.

Franciſcus Martinez Soc. IESU, natus in Sina Macai, odio Religionis ab Apoſtata falsò delatus, et ad mortem usq; fuſtibus contuſus, Cantone in Sina. A. 1606. die 31. Martij.

FRANCISCUS MARTINEZ.

EX quo ſanctiſſimum Chriſti Evangelium, vaſtiſſimo Sinarum Regno inferri à Socijs cœpit, tranquillè ſemper per ampliſſimos ejus Provinciarum tractus diſſeminatum eſt. Acutiſſima namque ſimul & mitiſſima incolarum ingenia, utì rationum momentis profundè & ſolerter penſandis, adeòque percipiendæ Fidei veritati ſunt aptiſſima, ità à ſanguine & omni violentia quàm maximè abhorrent. Tenèntque pro regula communis veritatis, ferarum eſſe, non hominis ad manus venire: bellum autem non aliud eſſe, niſi feritatem, arte ac legibus, quas

quas feræ non habent, utcunque digeſtam: humanitate autem nihil magis homini convenire. Inde militiâ nihil abjectiùs eſt apud Sinas, nec ad illam quiſquam inducit animum, qui putet ſe aliquid in literis poſſe, cùm ſit illic Literati & Militis diſcrimen, quale imperantis & famuli. Atque hinc eſt, quòd jam integro pœne ſæculo Societas JEſu ab A. 1582. laboriosâ non minùs quàm fructuosâ Imperium iſtud ſatione excolens, nullum tamen odio Fidei cenſeat illic interemptum, unum hunc ſi excipias Franciſcum: quem tamen non niſi mendaci & improbâ cujuſdam Fidei deſertoris atque apoſtatæ nequitiâ circumventus Magiſtratus Cantonienſis neci dedit.

Fuit Franciſcus natione Sina, in Scholis noſtris Macai Fide Chriſti imbutus, atque ab Alexandro Valignano Orientis Viſitatore in Sinas cum Socijs immiſſus A. 1589. ubi poſt paulum in Societatem, primus ex illa gente cum Sebaſtiano Fernandez receptus eſt. In ea deinceps ſtrenuam impendit operam convertendis gentilibus, & tam Xaucei, quàm Nanciani atque Nanchini Neophytos Apoſtolico zelo excoluit, tum privatis, tum publicis pro concione allocutionibus. Debet illi Sinenſis Eccleſia magnum illud columen Ignatium, qui priùs Chiutaiſo dictus multùm rem Chriſtianam adjuvit. Evocavit interea Macaum Valignanus Franciſcum exeunte A. 1605. ducem ſibi in Sinas futurum, ad luſtranda coràm ſociorum domicilia: qui proinde Magiſtratuum diplomatibus inſtructus, ubi in Cantonienſis Provinciæ Metropolim appulit, turbata reperit omnia, vano de Luſitanis Macaënſibus diſſipato rumore, quaſi P. Lazaro Cataneo Viro Societatis egregio, conjurationis duce, Regnum Sinis occupare molirentur. Ea calumnia à nefarijs hominibus, & quidem, quis credat? Chriſtianis Europæis, ut Societati pararent invidiam, quam ſuis iniquis conſilijs obeſſe videbant, conflata, faciles ad fidem imbellium Sinarum animos invenit. Adhæc audità morte Valignani, anceps animi, adhúcne pergeret Macaum, an regrederetur, hærebat Franciſcus. Monebant Amici, ut conſpectum irati populi devitaturus, retrò, unde advenerat, rediret, nè pro abſente P. Cataneo ſuccedanea victima occideret. Ipſe Patriæ jure & innocentiâ, & ſolenni diplomate ſecurus, præſtolari conſtituit motum obedientiæ à Carvallio Rectore Macaënſi, cujus imperium datis literis expetijt. Sanctiorem illic hebdomadam cum pauculis Chriſtianis religiosè exegit; nunquam domo pedem, lecto rariſſimè extulit, ob vires ſputatione ſanguinis & febri proſtratas: latebatque facilè ignotus, niſi Chriſti deſertor ſacrilegus lucri fame eum proditum perdidiſſet.

Convenit hic illum per eos dies, & ut aliquid emungeret nummorum, terrores cœpit verbis oſtentare, & delationem ipſius ad Magiſtratum comminari: & cùm ſe videret ſpe ſuâ excidere, apud unum è maris cuſtodibus, ceu Regni cum Cataneo affectatorem, poſtulavit. Cuſtos ſe præmium ſimiliter à Magiſtratibus, velut re gravi deprehensâ, ratus accepturum, rem defert ad Urbis Progubernatorem. Hic ſinè mora lictores mittit cum ſatellitio, qui ſibi Franciſcum & ædium Dominum, cum omnibus comitibus ſiſterent. Febri jacens in lecto æſtuabat Franciſcus, ſervos ſecum habebat duos, pueros item duos cum patruo illorum; cum quibus vinculis innexus, per mediæ noctis tenebras, & confertiſſimam populi concurrentis multitudinem ad Palatium inconditè raptatur. Ibi nullâ cauſæ cognitione præmiſsâ, è fori Sinenſis periniquo uſu, omnes tormento ſubjiciuntur, quod ità apud Sinas inſtituitur. Pedes rei inter duo ligna tortoris arbitrio conſtringuntur, quæ ingenti malleo concuſſa, ipſos pedes horrendum in modum contundunt. Franciſco præ ceteris crudiùs habito, vox nulla, vel gemitus doloris index erupit: quin imò ſocios adhortabatur ad tolerantiam, meminiſſent ſe Chriſtianâ lege à mendacio prohiberi, viderent ne quæſtioni cederent, per quam tormenta vitæ alterius eſſent redempturi. Dirè extorti, ad Vicarium Præfecti raptantur: quærit is ex Franciſco: *quid eſſet? cur illuc Macao veniſſet?* Tranquillè Franciſcus: *non Macao, ſed Sciaoceo adeſſe*: idem comites affirmârunt, & quod protulit diploma; in quo legens Vicarius ſubſcriptos Mandarinorum præcipuos, vindictæ metu cohorruit, quam non eſſent in eum diſſimulaturi, qui ſævâ illum barbarie torſerat, quem ipſi ſuâ fide ac nomine ſecurum voluiſſent. Hoc advertens ſceleſtus Apoſtata, ſubità vafritie pœnam confictæ calumniæ, ſceleratiori calumniâ accumulat. *Quidquid*, ait, *loquantur literæ (veræ an falſæ veſtrum eſt diſcernere) ſed is certò Macao huc venit ad emptionem bellici commeatûs*: & teſtem ex pueris minorem producens, ex eo ſciſcitatur, *coëmiſſet nécne medicinam aliquam Franciſcus?* annuit ignarus fraudis puer, & quidem ſæpius emiſſe integro quo ægrotârat menſe, & ſumpſiſſe reſpondit: cui diabolicâ planè audaciâ veterator vocem addidit,

addidit, quæ reum faceret; nam igniarium pulverem junctis duabus vocibus appellant Sinæ, quæ ſemel ſeorſim prolata medicinam ſignificat, quam puer nominârat. Sed Apoſtata alteram adjungens, tormentarium pulverem, teſte puero, probabat emptum. Obſtabat vehementer, ſerò conſcius doli, puer, ingerebátque ardenter & ſæpiùs medicinam, quam ſignificare voluerat: Apoſtata autem jurans & pejerans, & diris ſe omnibus devovens, coràm in puerum vociferabatur, qui dicto teſtimonio non ſtaret. Judex ad ſycophantæ conteſtationes puerum innocentem, ſuique præ metu vix compotem torqueri jubet; cui dum acerbiſſimo cruciatu intra canaliculos conſerti digiti adſtringuntur, defecit cum animo linguæ conſtantia, & dolori ſuccumbens, non ſolùm coëmptum pulverem, ſed & Catanei emiſſarium Franciſcum eſſe, Macao ad comparanda arma adveniſſe, & quæcunque Judex voluit, mentitus eſt, dicturus plura & pejora, ſi ulteriùs premeretur. Quâ à timido puerulo ſævis cruciatibus expreſsâ confeſſione, ſecurus videlicet ac triumphans Judex, detectâ præſertim Clericali in vertice Franciſci coronâ, *auſus es*, inquit ad Franciſcum, *ad hæc perpetranda tantorum literis Mandarinorum ſic abuti? cras inde ſenties, quid lucri feceris.* Simul jubet ſejuncto ſingulos carcere concludi, Franciſco compedes, manicas, numellam injici, aquæ ipſi nec ſtillam præberi, quòd illum Apoſtata Necromantem finxiſſet (ut eâ fortè ratione baptiſmo inviſentium illum gentiliũ obicem poneret) qui ſe ad aquæ ſolum aſpectum, oculis omniũ invisibilẽ ſubduceret. Quod exangui verberibus, & febri exucco, ſitim creavit in plurium dierum carcere intolerabilem. Poſtridie in ſarcinis ejus duæ à Valignano ſermone Luſitano inventæ epiſtolæ, cum libris aliquot latinis, viſæ ſunt Judici indiciũ certum facere, illum Macao adveniſſe, tametſi Scioaceum datæ in margine notarentur, unde Macaum vocabatur.

Digeſtâ poſt complures dies per Judicem lite, Aitaus Archithalaſſus duci ad ſe miſeros imperat, ac ne fruſtra exterritus inaniſſimo belli à Luſitanis Chinæ inferendi metu, civium domos cum ampliſſimis ſuburbijs videretur ſolo æquâſſe, illorúmque invidiam & iras à ſe defenderet, reos ad fores Palatij per totum diem ſtare juſſit, innumerabili populo proditionem illis exprobrante, malâq; omnia imprecante. Sub noctem ad Tribunal prodiens, juſſit omnes crudeliſſimo fuſtuario excipi, duobus pueris exceptis, ac tandem ſemivivos morti addixit, & ad Judicem Progubernatorem remiſit. Franciſcus in vincula reductus, noctem ibi totam cum maximis doloribus conflictatus, & ſuo inſperſus ſanguine, magnâ tolerantiâ traduxit, in nullam ſe partem, ad doloris levamen, verſare, per manicas & compedes, idoneus. Belluâ Judex immanior damnato jam ad mortem edicit, ut de ſe, Cataneo, Luſitanis, conjuratione, aut apertè nunc omnia efferat, aut ſciat ſe exquiſitis ſupplicijs mactandum. Cui ſedatè Franciſcus, *ſe Chriſtianum eſſe, & Cœli Dominum à puero colerẽ, Patribus annis jàm 15, inſervire, ſeque unum ex ipſis eſſe: literas verò commeandi haudquaquam confictas, ſed legitimas & veras à P. Riccio in Aula notiſſimo, & Mandarinis datas*, ſanctè affirmavit. Quâ reſponſione aſperior barbarus, cùm humi ſtratum eâdem quâ pridie ſævitiâ cædi imperâſſet, ad primas plagas animo & vitâ ille linqui cœpit, præſertim quòd aliud præiviſſet tormentum longè acerbius, quo ſummos illi digitos inter commiſſuras carnis & unguium acutiſſimis arundinum cuſpidibus confixêre. Quare Judex crimini ſibi fore metuens, ſi quæſtione illum occidiſſet, ſervorum brachijs referri juſſit in carcerem, in quibus ante fores animam efflavit 31. Martij A. 1606. ætatis 33. Vir in quæſtu animarum mirè ardens & utilis, & precationi magnopere deditus: dignus qui ad tam pretioſam mortem, per iniquum Religionis & Chriſti deſertorem, ac delatorẽ perveniret. Humatus eſt extra Urbis portam ſua in veſte, ſuisque in compedibus & manicis, de ipſius Judicis mandato, fortè neſcio quid morte gravius poſt mortem in eum coquentis. Sed hæc ipſa honori Franciſci inſervierunt, quando ſub novo Archithalaſſo, Societati addictiſſimo, deprehensâ illius & Sociorum innocentiâ effoſſum cadaver, è vinculis & habitu agnitum, magno cum apparatu & ſplendore, concurſũque illius Chriſtianitatis, primùm Sciancei, ac tandem Macai contumulatum eſt. Mandarini autem duo, quorum imperio vitâ exutus fuit, muneribus, & dignitatibus omnibus in perpetuum ſpoliati, & infamiâ notati ſunt. Delator apoſtata ad fuſtuarium, quo ſimiliter ad mortem cedendus erat, damnatus, vitam ingenti numeratâ pecuniâ redemit, quã in ſempiterno exilio plenam ignominiæ, à carnifice Conſcientia lancinatus, exegit.



P. Iacobus de Mesquita ex illustri Lusitanorum Sanguine Soc. IESV. rumnis Exilij ex odio Fidei confectus in Iapone 4. Nov. A. 1614.
C. Screta del. *Wolfg. Kilian fec.*

P. JACOBUS MESQUITA.

QUantò plus ad promovendam DEI gloriam ſalutémque animarum valeat humilis ſimplicitas, quàm ſuperba ſcientia, docuit abundè P. Jacobus Meſquita ortu Luſitanus, ex Oppido Meſamfrio Diæceſis Lamecenſis; qui licèt ſplendidis & nobilibus ortus eſſet natalibus, humilitatis tamen, & zeli quantocyus in animarum lucra exercendi ſtudio, altiorum diſciplinarum ſtudia, & gradum Profeſſorum deprecatus, ſolius Theologiæ moralis curſum perſolvit, formatus Coadjutor Spiritualis. Mira tamen in Japonenſi Eccleſia per annos 38. operatus eſt, Magnatibus & Regibus plerisque, ipſi adeò Imperatori multùm acceptus, dignúsque ab omnibus judicatus, qui Legatos Japonios in Europam comitaretur. Inſtituerant eam Legationem anno 1582. præcipui Japoniæ Reges, Bungenſis & Arimenſis; ut ſuam Romanæ Sedis venerationem, quam impij in Europa hæretici contemptui habere cæperant, honorificâ Legatione toti Orbi palàm facerent. Et verò triennali peractà navigatione, ubi Romam tenuêre, lætum, & poſt hominum memoriam planè novum ſpectaculum præbuêre Romanis, ſingulare verò ſolatium SS. Patri Gregorio XIII. Qui licèt Patres noſtri ſuaderent privatum colloquium cum Japonijs ad finem Legationis obti-

obtinendum ſufficere, ex conſilio tamen Cardinalium eos ùt Legatos excipere, publicéque Senatum, eúmque in Aula Regia dare decrevit: ratus id non ſolùm muneri, quod obibant, deberi, ſed etiam quò ornatiùs fieret, eò majorem in gloriam ſedis Apoſtolicæ, in novellæ Japoniorum Eccleſiæ excitamentum, ac probrum hæreticæ contumaciæ ceſſurum. Igitur 11. Calendas Aprilis, præcedentibus compluribus turmis Equitum Romanorum in Urbem inducti ſunt, ubi paratum ijs erat domicilium in Domo Profeſſorum Soc. JESU, ibíque cum ducentis è Societate perſonis ex Collegio convocatis, Claudius Præpoſitus Generalis adventum Legatorum operiebatur: cujus in ſinum, complexúmque Japones, velut in Parentis amantiſſimi, ùt irruerunt, nemo adſtantium potuit ad tam dulcem pietatis ſenſum oculis temperare. Multò plus lacrymarum fuſum eſt, ubi exclusâ quantum potuit turbâ, ex Domo in Templum introducti, Hymnúsque Ambroſianus ſuaviter ac piè à Germanicis Alumnis decantatus eſt. Subibat animos Divina clementia, quæ ex tenebris illis Japoniæ tantam lucem feciſſet, accerſerétque ab extremo Oriente faces ad ſuccendendam in Europa refrigeſcentem multorum charitatem. Ipſis etiam Juvenibus Japonijs magna erat gaudiorum materia, quòd emenſis per triennium viginti millibus milliarium, ſalvi & incolumes, jamjam viſuri & allocuturi eſſent Chriſti in terris Vicarium.

Die poſterâ ad Villam Julij Tertij Pontificis extra portam Flaminiam, unde mos eſt Legatis in Urbem ſolenni cum apparatu invehi, in curru tecto delati ſunt; inde præeunte equeſtri cuſtodiâ, & Helvetiorum cohorte, plurimáque deinceps Romæ Nobilitate, inter feſtum tympanorum tubarúmq; ſonitum, tres Japonij Juvenes (nam Julianum, qui poſtea in perſecutione Japonica glorioſus Chriſti Martyr occubuit, morbus prohibuerat) patrio ritu veſtiti, ſuo quisque acinace ſuccincti, inſidentes equis holoſerico nigro egregiè phaleratis, incèſſere. Mancij latera, qui primus ibat, Archi-Epiſcopi duo tegebant. Michaëlem duo Epiſcopi, Martinum totidem è Nobilitate primores, medios ducebant. Sequebatur inde flos Nobilitatis Italicæ, plenæque erant ſpectantium viæ, tecta, januæ, feneſtræ domorum; & dum fauſtæ undique voces bene precantium Japonicæ Eccleſiæ initijs reſonabant, ad molem ſimul etiam Adrianam, & Vaticanum reboantia tormenta audiebantur. Interim Pontifex cum Cardinalibus ad Aulã Regiam deſcendit, ubi Præſules, & honoratior populus ità cuncta complerant, ut in ſubmovenda turba, viáque Legatis aperienda laborandum operosè fuerit. Tum demum Legati in aulam introducuntur: qui ùt primùm apparuêre, varius animos omnium pervaſit ſenſus admirationis, lætitiæ, pietatis. Addebat Legationi gratiam tum peregrinus, & planè ab noſtro abhorrens corporum cultus, tum flos ætatis & indoles, eminénsque generis, ac morum Nobilitas. Recurrebant etiam animo ærumnæ longinquæ peregrinationis, & pericula eâ ætate (nam decimum octavum annum nondum exierant) Fidei dumtaxat, & Chriſti Vicarium venerandi causâ ſuſcepta; quæ perpenſa Cardinalibus, ipſíque Pontifici lacrymas excuſsêre. Legati per confertam turbam ſui quiſque Principis literas propalam deferentes, ad Pontificiam ſedem magnâ veneratione, modeſtiáq; progreſſi, Patri Sanctiſſimo pedes exoſculati ſunt. Quos ille vultu blandiſſimo, oculis lacrymarum plenis excipiens, ſemel iterúmque dulciſſimè quaſi filios amplexatus eſt. Tum Mancius primùm, deinde Michaël adventûs ſui cauſam per P. Jacobum Meſquitam expoſuêre, Regum ſuorum ſuóque nomine, verum ac fidele obſequium, tanquam unico, ac ſummo Chriſti Vicario deferentes. Quibus cùm graviter pro re Pontifex reſpondiſſet, traditis ipſi literis, in deſtinatos ſibi gradus, extra Cardinalium conſeſſum deducuntur. Recitatæ deinde verſæ in Italicum literæ, ſummâ omniũ voluptate auditæ ſunt. Gratias agebant primùm ij Reges Deo, quòd per homines Societatis ad Fidem Chriſti perducti eſſent, deinde vel ætatem ſuam provectam, vel turbas Japoniæ excuſabant, quò minùs ipſi coràm, utì volebant, pedibus Beatiſſimi Patris adſternerentur. Poſtremò ſignificabant hos Legatos à ſe mitti, tanquam ad communem Paſtorem ac Patrem. Recitatis literis, Legatorum nomine latinè dixit, non ſinè plerorúmque lacrymis, P. Caſpar Conſalvius è Societate noſtra Luſitanus. Tum reducti rurſus ad Pontificem Legati, impreſſo ſacris pedibus oſculo, recedentem in conclave Pontificem ſequi, & pallij Pontificij ſyrma (quod Cæſarei Legati, cùm adeſt, munus eſt) ſuſtinere juſſi ſunt. Non ſatisfecerat pietati ſuæ publico illo congreſſu Gregorius; itaque ſecundùm epulas, quas apud Cardinalem S. Sixti ſumpſerat, privatim cum Meſquita revocatis, liberiùs effuſiúsque totum paterni animi ſui ſinum, & flagrantiſſimæ charitatis

tatis dulcedinem expoſuit; multáque de navigatione, de rebus Japonicis, de converſione, de Eccleſijs earum Regionum ex P. Jacobo Meſquita interrogavit; cúmque diu tenuiſſet, admonitos demum, ut Divum Petrum ſalutarent, eique de viæ ſucceſſu gratias agerent, non ſinè ſenſu dimiſit. His Sabbatho geſtis, die Lunæ, qui Annunciationi Deiparæ ſacer erat, cùm de more ad Templum B. Mariæ ſupra Minervam Pontifex iret, juſſit adeſſe in comitatu ſuo Japonios, & proximè ante ſe, qui primæ dignitatis eſt locus, collocari. Poſtmodum inviſuris Legatis ſeptem Baſilicas, ità patere adyta, eósque haberi honores voluit, ut ipſimet Pontifici vix quicquam fieri honorificentius poſſet. De Juliani autem decumbentis ſalute ſic laborabat, ut præter curam Medicis præſtantiſſimis demandatam, ſingulis diebus vellet de ejus ſtatu edoceri. Sed dum ægrum ità curat Japonem, ipſe immortalitate digniſſimus Pontifex, 10. Aprilis 1585. omnium cum dolore moritur; Japoniorum maximè, qui Patri optimo parentaturi luctum induerunt, cùm Claudius Sanctiſſimo Pontifici juſta perſolveret. Erant qui dicerent: Gregorium nimiâ lætitiâ ex Japonum adventu, & relationibus P. Meſquitæ de progreſſu Religionis in Japonia Indiáque, exanimatum fuiſſe. Succeſſor ejus Sixtus V. juſſit etiam ſæpius ad ſe Legatos accedere; & ad quaterna aureorum millia à Gregorio Japonicis Seminarijs attributa, bina & ipſe adjecit; Legatósque ipſos, Equites ab aureo calcari creavit; quos Romani etiam in numerum Patriciorum adſcripsêre. Tandem acceptâ à Pontifice benedictione, tertio nonas Junij, Japoniam rurſum, viæ comite & Angelo P. Jacobo repetiverunt. In eo reditu, præter communia vulgo omnibus incommoda, P. Jacobus febribus exagitatus eſt; ſed integratâ rurſus valetudine, dum fortè ambulans pedeſtris compendium itineris quærit, à reliquis divulſum, duo repentè barbari denſo in ſaltu, intendentibus ſe nocte tenebris, truculento vultu, atri & nudi ambo, alter ſtricto enſe armatus, alter inſtructus ſariſsâ, incautum excepêre. Pater exterritus, cùm nullam in humanis opem reliquam cerneret, brevem ad DEUM precationem fundit, & ſubitò absque ulla injuria à barbaris dimittitur.

A. demum 1590. Legatos in Japoniam incolumes reduxit, à quorum ore, res à ſe in Europa, ac potiſſimùm Romæ viſas referentium, denſis quotidie circulis auditorum omnis generis multitudo pendebat. Jucundum autem ſpectare erat Matres Legatorum in dignoſcendo ſuo partu laborare; nam qui juvenes diſceſſerant, poſt octo annorum tractum, alio jam vultu, moribúsque alijs, viri revertebantur. Porrò vix dici poteſt, quantum iſte Legatorum reditus, ad conſolandos Chriſtianos perſecutione Taicoſamæ preſſos valuerit: cùm paternam benedictionem à Pontifice ſingulis mitti, fierique pro illorum conſtantia in Europa preces Legati narrarent. Sed & ſenſim furor Tyranni remittebat ſuam atrocitatem; donec eum rurſus ſuſcitâſſet Rex Arimæ Protaſius, Chriſtianus ille quidem, & qui ad Gregorium Pontificem ſuum cum reliquis Oratorem miſerat, ſed cupiditatibus ſuis contra præſcriptum Chriſtianæ legis morem gerens. Hic, ut occupatâ Imperatoris gratiâ partem finitimi Regni adipiſceretur, proneptem Imperatoris filio ſuo Michaëli conjugij nomine pellicem induxit; uſus hac in re operâ potiſſimùm Pauli Daifachij, quem poſtea filius Michaël regnandi cupidus, malis artibus adortus impulit, ut parentem Protaſium dominatu ejiceret. Quod ipſe callidè admodum inſtituit, Regem Protaſium cum Faxegava Safioyo committens; ut demum Protaſius Regnum, fortunas, capútque ipſum perdiderit, extoris patriâ, gladióque cæſus. Prodito poſtmodum Pauli & Michaëlis facinore, Paulus quidem flammis abolitus eſt juſſu Taicoſamæ: Michaël verò ut in gratiam rediret Imperatoris, Fidem Chriſti ejuravit. Tandem duorum Fratrum parricidio fædatus, ex Arimenſi dejectus dominatu miſerè cõtabuit. Hæc impia paucorum Chriſtianorũ, & ambitioſa conſilia, in Religionis, quam præſeferebant, invidiam vertit Taicoſama, maximè poſtquam ab Hollandis, implacabili in Hiſpanos odio flagrantibus, motæ ſunt Tyranno ſuſpitiones, quaſi Hiſpani occupatis nuper Inſulis Luzonijs, brevi ad occupandam Japoniam venturi eſſent, præmiſſis Religioſis, qui Evangelij obtentu animos Japoniorum ad defectionem ſollicitarent. Sævitum proinde graviſſimè eſt in Chriſtianos Japones, tam ab Imperatore ipſo, quàm filio ejus Xoguno, qui jam tum partem aliquam Imperij gubernabat: & promiſcuè omnes, nullâ ſexûs, ætatisque habitâ ratione, flammâ, ferro, crucibus, exilio, bonorúmque publicatione exterminabantur. Toleravêre ſupplicia incredibili fortitudine quàm plurimi, quorum conſtantia noſtrum hoc currens ſæculum primæ Eccleſiæ coæquaſſe videri poſſit. Cùm autem videret

videret Tyrannus eam Japoniorum Chriſtianorum firmitatem flecti & frangi nequaquã poſſe, niſi ſublatis Fidei Magiſtris; neque tamen ferocire in advenas auderet, utpote Principum plurimorum gratiâ fultos, anno 1613. omnes Religioſos Nangaſachum convenire jubet, Faxegavæ Safioyo Gubernatori curâ demandatâ, ut navigijs ocyſſimè impoſitos, ex Imperio exportari faciat, pœnâ capitis, ſi quis redijſſet, ſi quis revexiſſet, propoſitâ. Provincialis noſter ad Safioyum mitigandum P. Jacobum Meſquitam, quòd is apud eum gratiâ plurimum valeret, Surungam difficillimo itinere ablegavit, qui tamen re infectâ Nangaſachum redire juſſus, cum nonaginta alijs è Societate 27. Octobris A. 1613. ad inculta littora exturbatus eſt; ubi inter ſumas ærumnas præſtolari omnes coacti ſunt, dum Safioyus terna navigia, quibus pars Manilam, plures Macaum veherentur, inſtrueret. Ipſe continuò Patribus exactis templa diruere, ſollicitare Neophytos, tormentis urgere ad defectionem. Ejecti interim in littora, ærumnis, faméque enecti non pauci interière. Inter quos etiam fuit P. Jacobus Meſquita, qui ex perſecutionis laboribus, & ærumnis morbo conſcito, Medicis, medicamentisque omnibus prohibitus, caſæ piſcatoriæ pædore, in communi Sociorum luctu, lætus, alacérque contabuit die 4. Novembris 1614. ætatis ſuæ 61. Societatis 41. Nangaſachenſis Collegij pluribus annis Rector.

P. ANTONIUS CRITANA.

NOnaginta, ùt dictum eſt, è Societate navigijs impoſiti, è Japonia ejecti ſunt; ſeptem tamen ſupra viginti, qui ſe potuêre inobſervati ſubducere huic cenſui, ut auxilio ſolatióque afflictiſſimis Neophytis eſſent, clàm in latebris per Japoniam ſubſtitêre, vitam morte ipsâ duriorem ducentes, ut ex fragmentis literarum ab illis datarum manifeſtè apparet. Unus ex ijs ità ſcripſit: *Habeo cellulam, cui per feneſtram duorum palmorum lumen immittitur. In hac vixi clauſus per dies 60. non ſinè ingenti dolore, propter æſtum intolerabilem.* Alius ſcripſit: *Tantas in omnibus anguſtias patior in obſcuris mapalibus, ut quarto die in ægritudinem gravem inciderim. Noctu ſolùm exire fas eſt, & ſolari Neophytos; contigit ſæpiùs, cùm eos conquirerem, per abrupta me pede labi, & vultu lacero, pedibúsque laniatis aſſurgere. Facilè conſtat, hæc carni parum grata ideo ſuſcipi, ut Eccleſia hæc ſibi conſtet, & aliquando nobis Deus reſtituat docendi libertatem.* Alius inter cætera hæc affirmat: *Veſcimur ad menſuram, ac veluti unciatim jam dudum, orizáque ferè crudâ, quæ mihi jam per foramen injicitur. Ex his tamen incommodis non ſolùm non exij æger, ſed ſolitò valentior, & morbos, quos antea patiebar, hâc veluti diætâ decoxi.* Alius ità ſcribit: *Clauſus vivo in tenebris, & Horas Canonicas recitaturus ad rimam accedo, quæ lucis aliquid admittit. Mapale meum ſtramineum eſt; in terra ſtat humida ſupra modum; unde intra paucos dies ingentes laterum dolores contraxi, qui neque ſtare me, neque jacere ſinunt.* Sanè P. Mancium Firabaiaſci quamvis virium ætatisque robuſtæ virum, ut qui annum agebat 44. ſimilium latebrarum ſqualor, rerúmque ad vitam tolerandam neceſſariarum penuria, brevì confecit Nangaſachi. Harum igitur ærumnarum, ac potiſſimùm Martyrij, quod in horas expectabant hærentes in Japonia Patres, participem ſeſe facere ſummopere deſiderabat P. Antonius Critana, ſed non potuit evitare obſervantium oculos: ab his proinde in navim compulſus, quam expectare poterat in mapalibus, in navi reperit mortem, ex ſolis ærumnis exilij accitam, nullâ aliâ ægritudine confectus; quam maximo animi gaudio delibutus, nautico ſuper ſune 28. Novemb. ejuſdem anni obivit.

Natus is erat in Hiſpania Almodovarij Toletanæ Diœceſis Oppido A. 1550. Societati dein anno 71. adſcriptus, Miniſtrum Toletanæ Profeſſorum Domûs ſeptennio magna cum laude, & eximiâ in omnes charitate egit. Donec propagandæ inter infideles Sanctæ Fidei zelo ſuccenſus, trajecit in Indiam, ac paulò poſt in Japoniam; ubi A. 1593. gradum Spiritualis Coadjutoris ſortitus eſt. Ibi eùm reliquum ætatis, magnâ probitatis laude, flagrantiſſimo animarum zelo, ſingulari item in Sacroſanctam Triadem, Virginémq; Deiparã pietate conſpicuus, exegiſſet; exiliũ ex odio Fidei paſſus, in beatam abijt Patriam.

Plures alibi ijſdem vexati exilij incommodis vitam finivêre. Mancius Taicicu Japon Coadjutor temporalis, arte pictoriâ præſtans, & ob id Eccleſiæ Japonicæ perquam utilis, ejectus ob Fidei conſtantiam è Patria, & navi æger impoſitus, morbo per navigationis ærumnas vehementer intento, vitam Macai in exilio abſolvit 20. Jan. 1615. ætatis 41.

P. Antonius Critana Hispanus. Soc: IESV. Squallore Exilij pro Fide enectus in mari Iaponico 28. Novemb. A. 1614.

C. Screta del. Melchior Küſell ſc.

Paulus Rioin natione Japon, Coadjutor temporalis quidem, ſed quòd dicendi facultate excelleret, diu Concionibus habendis adhibitus, eâdem procellâ ejectus, incommodis navigationis, & inſolentiâ Cœli à Japonico diverſi, brevi ſuccubuit Manilæ mortuus die 17. Februarij 1615. ætatis 64. Ibidem ſeptimo pòſt die extinctus eſt Matthias Sanga ætatis ſuæ anno 43. quē quarto pòſt die rurſus ſecutus eſt ibidē Andreas Saito, Japon uterq;.

Sed & Japoniæ in ſolatium relicti clandeſtinè ſocij, ante illata per carnificum manus tormenta, primitias Cœlo transmiſerunt, Mancium Mizogucci. Qui cùm peritiâ linguæ ſibi nativæ, ingenitâque facundiâ præſtaret, & Chriſtianæ doctrinæ, quantum ſatis eſt, comparâſſet, tametſi ad Coadjutorum temporalium ordinem pertineret, relictus tamen eſt in Japonia, ſolatio futurus Chriſtianis & auxilio. Sed mole rerum, atq; ærumnarum magnitudine, cùm atrocitas perſecutionis nullibi ſecurum ſubſiſtere permitteret, oppreſſus ceſſit è vita eodem anno, & menſe. Hunc ſecutus eſt P. Emmanuel Barretus, ortu Luſitanus, Epiſcopo Iaponiæ Ludovico Cerqueriæ, itidem ex Societate IESU, itineris & laborum ſocius, nullis unquam laboribus in procuranda ſalute mortalium infractus. Ac ſubinde P. Ioannes de Fonſeca Ulyſſipone natus: quos in animarū quæſtu occupatos, & ob acerbitatē perſecutionis in ſilvis plerumq, & ſubterraneis montiū ſpelæis degentes, conſcita tot incommodis mors pro Fide abſumpſit A. 1620. illum 11. Martij, hunc verò 29. Septembr.

P. IOAN-

P. Ioannes Metella Lusitanus, P. Ludovicus Pelingottus Italus, Soc: IESV, odio Christianæ Religionis lanceis confixi, et capite truncati ab Ethnicis, in Ceilano Indiæ Orientalis Insula. A. 1636. 6. Decemb: C. S. d:

P. JOANNES METELLA, & P. LUDOVICUS PELINGOTTUS.

PAter Joannes Metella Boniardini in Lusitania natus A. 1584. Societatem complexus est anno ætatis 14. In qua suave Christi jugum in adeò tenera adolescentia portare consuescens, in eam maturuit soliditatem, ut duræ etiam morti Crucis post Salvatorem ferendæ sufficeret. Et hæc quidè ità illi ab ipsis Tyrocinij primordijs in votis fuit, ut nihil magis ab infinita Dei pietate precaretur, nihil æquè apud Superiores urgeret, quàm missionem in feraces ejusmodi mortium Indiæ campos. Fortè quinto post anno manus Sociorum colligebatur ex Lusitania, in subsidium Indicis operis cum P. Camillo Constantio transmittenda; in cujus syllabum nihil non egit Joannes ut inseretur, dum denique impetraret. Itaque Philosophiæ studio necdum ad calcem perducto, pervenit in Indiam A. 1603. ubi reliquis scientijs instructus, & sacerdotio inauguratus, totum se indigenarum saluti procurandæ impendit. Ceilanum Insula Apostolicorum ejus laborum campus fuit, amplitudine & glebâ nobilis, cinnamomi omnium præstantissimi copiosè ferax, ad oram Malabaricam trans

Como-

Comorinum Promontorium ſita. Nulli ea certo Principi ſubjecta eſt, ſed in varios diſperſa dominatus, multis partim Ethnicis Regulis, partim Mahometanis Sultanis paret, ditionis partem aliquam duntaxat obtinentibus Luſitanis. Atque hinc perpetuum Chriſtianæ Fidei præconibus, ſi uſpiam alibi, capitis eſt diſcrimen, laborantibus in omnem Inſulæ ditionem proferre illam Socijs, & Neophytos jam baptiſmo renatos adverſùm injurias infidelium tueri: illis autem è contrà conatibus ſanctis non minùs pertinaciter reſiſtentibus.

Socius arduæ in paucis Miſſionis Patri Metellæ erat P. Ludovicus Pelingottus, & ipſe fidelis in vinea Domini operarius. Is Sorbolongi, in Foro Sempronij Italiæ vico, fortunâ mediocri natus A. 1578. Societati nomen dedit ætatis anno 25. tum penitus, cùm Frater illius eidem ſtudijs omnibus ad eminentiam exculto, & Romæ Nobilium quorundam Juvenum Inſtitutori, connubium lautè dotatum offerebat. Sed ille carnales amores aſpernatus, pretioſam Filio Dei in hominum animabus ſponſam, procul & de ultimis finibus quærere decrevit. Cui comparandæ ut neceſſarios ſumptus provideret, Tyrocinium Societatis ingreſſus, tanto ardore in Apoſtolicarum virtutum theſauros congerendos incubuit, ut ex ipſo Tyrocinio in Indiam transmiſſus Inſitor, Cælicæ negotiationi initium fecerit A. 1605. Ardentiſſimum Deo lucrandi Indorum animas deſiderium vel inde conijce, quòd trimeſtris ſpatio linguam eorum non tantùm perfectè condidicit ut intelligeret, ſed ut eâdem perfectè etiam ſcriberet, legeret, & loqueretur. His ſumptibus inſtructus, in animarum queſtum inſudabat in Ceilano Inſula cum P. Metella Marteigambæ, nobili ejus Regionis Urbe, quando ei deſideratæ pro Chriſto mortis obeundæ ſors obtigit. Erat Candiæ in ea Inſula Rex potens pollènsque, Luſitani, atque adeò Chriſtiani nominis hoſtis & acer infectator: è cujus Regno Idolorum ſacrificuli damna ſua dolentes, & finitimos ad rebellionem eâ causâ concientes, à Luſitanis comprehenſi, pœnas dedêre commeritas. Eâ re in furorem conciti Candienſes, & in juſto rebellium Popparum ſupplicio Dijs ſuis injuriam factam interpretati, non aliter illam, quàm Chriſtianorum ſacerdotum nece expiandam decreverant. Itaque interceptos in ipſo dilatandi Chriſti Regni fervore Patres, & ad propinquam Crucem, ut ſcirent cujus odio necarentur, raptatos, lanceis immaniter transfigunt, projectisque ad pedem Crucis corporibus, reciſa capita haſtili publico in loco ſublimè appendunt. Paſſi ſunt viri zeloſiſſimi A. 1616. & quidem P. Metella ætatis 32. Societatis 18. P. Pelingottus autem 38. Societatis 13.

P. JOANNES BAPTISTA MACCIADUS.

QUi in Baptiſmo Joannis Baptiſtæ nomen acceperat, cum eodem ad gladium damnatus eſt, P. Ioannes Macciadus, aliàs etiam Tavera agnominatus. Nec abſimiles ab ejus virtute impetus habuit, dum in ipſa infantia non quidem in deſertum abire, ſed in Iaponiam ab Inſula Tertia, Patria ſua, enavigare, ſeptennis puſio firmiter propoſuit, neque unquam revocato animi decreto, Societatem JESU Conimbricæ annorum 16. amplexus, tandèmque in Iaponiam A. 1609. delatus, populis illis *Agnum DEI, qui tollit peccata Mundi demonſtravit.* Et quia ingenitæ Nobilitatis impetu ad quævis ardua exantlanda propellebatur, graviſſima paſſus eſt ærumnoſiſſimis illis Taicoſamæ, & nihilò Parente melioris Filij Xogum Imperatoris, temporibus; quando proſcriptis Evangelij præconibus ipſe clàm in Iaponia remanens, dies totos in latibulis & ſpeluncis latitando tranſigere, ſolásque noctes in animarum procurationem impendere poterat. Atque utinam eadem cautela adhibita fuiſſet etiam ab alijs diverſarum Religionum alumnis, quibus hæc Societatis modeſtia, ſi non imprudens, certè non ſat opportuna videbatur. Illi namq; poſt Antiſtitis Japoniæ obitum, dum Sede vacante parerent nemini, Divinâque liberiùs propalam tractarent, conſtitit demum publicè, multos Chriſtiani gregis curatores in Japonia remanſiſſe. Id quod contemptum ſuum interpretatus Xogum, deprehenſos omnes non jam exilio, ſed morte mulctari præcepit. Quia verò primus ſævæ inquiſitionis impetus in Nangaſachum deſævijt, dilapſis in diverſa Socijs, P. Joannes in Inſulam Goto, & regnum Omuræ à Provinciali mittitur. Sed ab itinere Firandum, adverſâ tempeſtate rejectus, monetur ab amicis Nangaſacho, præmiſſos eſſe in Goto Inſulam exploratores ad eum perquirendum; itáque in par-

tes

P. Ioannes Baptista Macciadus, natus in Insula Tertia, Soc. IESV, fidei odio capite truncatus in Iaponia ad Omuram A°. 1617. 22. Maÿ.

M.K. f.

tes Cami, aut Nangaſachum, ubi cura indagandi remiſiſſet, ſeſe interim recipiat. Ille conſulto per orationem Deo, conſtituit non aliò, quàm quo juſſus erat abire; *duplex inde ſe ſolatium manere*, inquiens, *glorioſæ mortis alterum, alterum obedientiæ.* Itaque ſecundâ uſus navigatione, poſtridie quàm exſcenderat, in ipſo Sacramentalis Confeſſionis actu deprehenſus, ùt pœnitentem à vinculis peccatorum abſolvit, in vincula ſe ſponte lictoribus obtulit; *hæc ego vincula*, inquiens, *nequaquam defugio, quin etiam inde uſque ab Europa conſector; nemini propter illa ſuccenſeo, nihil queror, ſed bonum Deum potiùs obteſtor, ut noxam condonet omnibus, qui vincula mihi iſta quoquo modo procurârunt.* Permiſſus Magiſtratuum indulgentiâ extremùm Miſſam facere, & Sacramenta Neophytis impertiri, ardenter eoſdem exemplo ſuo ad conſtantiam hortatus eſt, *votorum ſe ſuorum metam attigiſſe* profeſſus, *quæ ſeptennis puſio in domo paternâ conceperat, cùm primùm de Japonibus famam accepit.*

Navi conſcensâ, & fruſtra rogatis cuſtodibus, ut ſe vinculis, ad exemplum Chriſti, conſtringerent, Omurenſem in carcerem deportatus eſt 29. Aprilis A. 1617. ubi ex conſortio Fratris Petri de Aſcenſione Franciſcani, eâ cuſtodiâ jam antè concluſi, ità exhilaratus eſt, ut eam ſortem cum univerſis Orbis Imperijs non mutaturum, ore & epiſtolis diceret. *Hodiernus dies eſt duodecimus*, ſcribit ad Sociorum Nangaſachi Moderatorem 3. Maij, *ex quo comprehenſus ſum. Deo gratias ago, quòd*

eam mihi quietem dederit, ut nihil magis cupiam, quàm eum vitæ ſtatum, quem in hoc ergaſtulo ſum conſecutus. Eidem gratias ingentes habeo, quòd ex ea hora, quâ me video detineri, nihil aliud occurrit, quàm quòd me in Cruce fingam, aut ſub ictu ſicæ Japonenſis. Benedictus ſit Dominus, qui ad hunc modum ſuos ſolatur, pro ſe vel exigua patientes. Vim verborum ſacræ Scripturæ, & robur ſpiritûs, quod conferunt, nunquam aliàs ſum aſſecutus, nisi ex quo me video in hoc rerum ſtatu conſtitutum, atque ità Imperiorum Orbis in unum collecta potentia, non videtur mihi unius è terra vermiculi vires æquare. Facilè intelligo me in hanc rem nihil conferre, totúmque eſſe Dei ac Domini mei beneficium, cum quo, & pro quo, in finem decertabo. Unum dolebo, ſi ejus causâ parum pati me contigerit. Jam eſt quadrageſimus dies, ex quo ingenti dolore crucior, qui ex hujus carceris, qui eſt in media palude, humiditate ità increvit, ut nullam quietem capiam. Id in magnis Dei beneficijs repono; ut quoniam mecum hactenus mitiùs agitur, hos dolores, qui ſimiles mortis doloribus, à Deo immiſſos alacriter feram, & inveniat Dominus quo me probet, cùm præter peccata mea nihil ſit, quod me afficiat; non carcer, non ipſa mortis expectatio. In alijs datis 17. Maij ſic ait: *afficior veſtrorum laborum & anguſtiarum recordatione. Dominus, qui hæc ità diſponit, fines ſuos habet, quos nondum aſſequimur; & quoniam cauſa ipſius eſt, & ipſe omnia moderatur, credi debet, eum omnia ex majori gloria ſua, & hujus Eccleſiæ, noſtróque omnium bono directurum. Hæc me cogitatio contentum facit, eíque gratias ago, quòd mei memor fuerit; cùm animum ſubminiſtret, quo labores omnes, totiúsque Mundi tormenta, pauca mihi eſſe fingo; quàm nihil ſit, quod ex me poſſum; quàm multum ejus auxilio inſtructus, quod nunc experior. Bonus JEſus eos, qui ſe ipſi tradunt, non deſerit; quæ promittit, explet ad amuſſim; nemo eum invocavit, qui non eum invenerit, non deſerit ſuos in vinculis, in tribulationibus non derelinquit, & ideo Divina ejus Lex jugum, quod ſemper eſt duorum, appellatur; licèt ſoli patiamur, & ipſe non patiatur. Id jugum etſi naturâ ſit plerumque inſuave; tamen eſt & vocatur ſuave & leve, quia ſocium habet, qui, quod eſt ponderis, in ſe ſuſcipit, & ità noſtræ infirmitati accommodat, ut non patiatur nos tentari, ſupra id quod poſſumus. Gratulor igitur ex animo Deo, ejúsque me Voluntati accommodo, tametſi velit me incommodiore ergaſtulo ad diem judicij detineri; nam ſi de me ità diſpoſuerit, vires quoque in hujus itineris longitudinem ſuppeditabit: ſi me voluerit è contrario vitam hodie reddere, quam in ejus obſequio impendendam accepi, beneficio gratus non repugnabo; ſatìs certus, quòd, utut fuerit, me tametſi peccatorem indigniſſimum non derelinquet; & ità cum Propheta dico: factus eſt Dominus Refugium pauperi, & Adjutor in tribulationibus. JEſum Chriſtum habemus pro refugio, quotquot ejus causâ omnia relinquimus; ſumus enim pauperes, habemus fidum in tribulationibus Adjutorẽ, qui tempore ſubvenit opportuno, velut amicus ſemper & ubique fideliſſimus. Captus ſum* (inquit in alia epiſtola) *in Goto, cùm ad abſolvendi formulam manum erexiſſem; eâ pronunciatâ Magiſtratibus occurri, ea dixi, quæ Dominus id temporis in os immittebat. Huc in Cori pertractus ſum, & cuſtodior diligenter; utinam etiam aliquid in ejus cauſa paterer! Benedictus ſit ille, à quo majora meritis beneficia ſuſcipio. Affirmo R. V. & ipſiſſimam ſcribo veritatem, quòd præſentem rerum mearum ſtatum cum totius orbis imperijs, vel ſæcularibus, vel Eccleſiaſticis neutiquam permutarem. Nunquam aliàs vixi meâ ſorte æquè contentus, nunquam æquè hilarem me ſenſi, nunquam æquè ſinè cura, ſinè ſollicitudine me reperi. Benedictus ſit DEUS, à quo ità copiosè compenſatur tantillum illud, quod in ejus cauſa toleramus. Nunc quòd vincula patior, ut Evangelij præco, videor mihi jam aliquod de munijs Societatis JESU aſſecutus.*

In ſuo carcere, Magiſtratu diſſimulante, potuêre Sacrificium à die Pentecoſtes offerre quotidie, ad uſque poſtridie Feſti SSS. Trinitatis, qui fuit dies Maij 22. Pridie jam uterque divinitus imminere ſibi mortem intellexit, atque alteri alter revelationem explicuit. Dynaſta mox per miniſtrum veniſſe denunciat à ſupremo Senatu necis in utrumq; ſententiam, quam eſſent illâ ipsâ nocte excepturi. Illi æſtu divino inflammati, in lachrymas gaudij teſtes reſoluti ſunt, & hymnum *Te DEUM laudamus* unà concinuerunt, ac deinceps acri ſe flagellatione exercuerunt ad certamen, & longâ de rebus Cæleſtibus contemplatione. P. Fr. Petrus dicebat, ſe per eos dies ſacrificantem vel orantem, aliud nihil à Deo poſtulâſſe; & quod exauditus eſſet, ſe Domino maximopere gratulari. P. Joannes Baptiſta reſpondit, *ſe tribus in vita ſua diebus, præ cæteris maximo gaudio delibutum; quo Societatem ingreſſus eſt; quo nuper erat comprehenſus; & nunc, cùm de ſupplicio moneretur.* Ipſe tum extemplo magnitudinem voluptatis ſuæ breviſſimè ad Superiorem in hæc verba perſcripſit: *Hâc ipsâ horâ concupitus ad me mortis nuncius advenit. Morior ſolatio plenus, quia pro bono JESU morior. Ago illi gratias, quòd me, licèt indignum, tam inſigni beneficio affecerit.*

fecerit. Inclinatâ jam die miſſi ſpiculatores, jubent Patribus cibos parari; ſed illi nullo ſe jam ad vitam retinendam alimento indigere profeſſi, iteratò alter alterum de peccatis confitentem excepit, & ſimul Litaniarum ritu ſanctos in auxilium omnes evocârunt. Cuſtodiâ educti, & uterque manum Chriſti de Cruce pendentis ſigillo armati, alter ſuccedens alteri, Neophytos ex itinere multos, qui comitabantur, ad ea quæ tempori erant idonea hortabantur: quæ tamen ob immodicum planctum haud ſatis intellecta ſunt. Cùm ventum ad locum eſt, breviter alter alterum jam tertiò à peccatis expiavit; & rurſus ultimùm amplexati, ac ſalutatis elatâ voce Chriſtianis, nonnihil divulſi ſunt, unde ſe invicem intuiti, cùm neſcio quid eſſent collocuti, quod præſentes Neophyti non perceperant, lætiſſimè arriſerunt. Jam hora cædis appetebat, cùm Damianus quidam Neophytus, qui vinctis magno amore miniſtrârat, geminam protulit ſtoream, ſuper qua procumberent obtruncandi, nè eorum capita in ſolo volutarentur. Verùm illi pari uterque ſenſu, tegetem repudiârunt, *corpus è terra factum, & rediturum in terram, nuſquam meliùs, quàm in terra volutari.* Ergo nudâ humo provolvuntur in genua, manibus in cœlum ſurrectis, atque illico fatalem ictum gladio excipiunt. P. Petrus primo truncatus ictu corruit. At P. Joannes Baptiſta, cùm primum vulnus accepiſſet, errante carnifice, nondum truncus aſſurgit, atque iterum in genua ruens, JESUM ac Mariam inclamat; tum altero petitus, ac tertio ictu, tandem obtruncatus eſt.

Mortuos Neophyti cùm ingenti deflerent ululatu, lachrymas ipſis, qui aderant, Senatoribus expreſſerunt, atque alius ſuper alium ruentes ad pignorum venerationem eruperunt. Quin & ipſe, qui Nangaſacho venerat, Senator Ethnicus, è famulis ſuis unum, quem ſciebat eſſe Chriſtianum, ut illos imitaretur admonuit; ſi qua enim Lex ſalutem æternam pariat obſervatoribus ſuis, eam certè hanc eſſe oportere dicens, quæ mortem eo hilaritatis ſenſu docet excipere, quo vix alius quiſquam acciperet vitam. Subinde capillos illorum, veſtes imbutas ſanguine, herbas, humum, lapillos Neophyti ad pium, ptivatum licèt, cultum rapuêre. Poſtridie miſſi ſunt à Dynaſta qui ſepulturæ locum, honoris, ùt ajebant, ergò clauderent circumducto pariete, ne qui fortè ſubducta clàm cadavera pro theſauro aſportarent aliò venerabundi. Verùm cùm frequenti Neophytorum acceſſu videret Religioſum locum celebrari, poſtremo die Maij exhumata corpora juſſit in mare demergi. Ex miniſtris deinde, qui ea merſerant, conſtitit, delatos eodem navigio fuiſſe deſertum in ſcopulum duos Religioſos, Fratrem Alphonſum Navarrete Dominicanum, & Fratrem Ferdinandum à S. Joſepho Auguſtinianum, ac Juvenem quendam conſtantiſſimæ ad mortem & ſupplicium voluntatis, Leonem nomine, qui noſtro Patri ſuam operam præſtare conſuêrat: quos cùm in Fidei odium quoque trucidâſſent, omnium ſimul membra ſaxis illigata depreſſerunt in fluctus. Id ubi Nangaſachii increbuit, multis navigijs, retibus & harpagonibus, tentata in caſſum res eſt; donec putrefactis tempore funibus, ad quos alligata pondera ſarcophagos deprimebant, ſacra pignora è profundo enatâſſent, quæ Neophyti Nangaſachum occultè devexerunt. Placuit autem Divinæ Bonitati cauſam, ob quam paſſi fuerant ſervi Dei, etiam prodigioſo lumine illuſtrare. Nam ſupra locum, in quo ſepultus erat P. Macciadus, duo fulgentiſſima ſydera fuêre ſæpiùs à neophytis, gentilibúsque conſpecta. Cæterùm admirari decet Divina judicia, aliter atque aliter ſtatuentis in impios, dum alios plectit pro meritis, alios in exemplum miſerationis exornat. Thomonaga Guiobioye Linus, qui P. Joannem Baptiſtam cum alijs ceperat, juſſúque Prætoris interfecerat', paulò pòſt ipſe pœnitens, ob Religionis Chriſtianæ cultum, pridie nonas Novembris anni ejuſdem Omuræ interfectus, eandem mortis gloriam adeptus eſt. At qui eundem prodidêre ut comprehenderetur, alter ſibi ventrem Japonico more diſſecuit; alter vulgi fabula, & ludibrium puerorum, vagatus eſt incertus.



Leonardus Kimura primus é Iaponibus á S. Xaverio baptizatus, primus ex Soc: IESV pro fide Christi lento igne exustus, consumitur igne funibus, caput reverenter prunis coronat Nangasacki. A. 1619. 18. Novemb:

C.S. d. *M.K. f.*

LEONARDUS KIMURA.

LEonardus Kimura, fortunatum Japoniæ nomen! Nam primitiæ Christiani spiritûs obtigêre Familiæ Kimurianæ, Heroum etiam aliàs feraciſſimæ, dum primum omnium in ijs Insulis baptizavit unum ex Kimuris, Gentis Apostolus S. Franciscus Xaverius. Hic autem Leonardus apud nostros à prima pueritia institutus, Dogicum, hoc est, Catecheseos explanatorem egit inde usque ab anno 13. ætatis. Et in studio quidem literarum processit egregiè; quando tamen animum ad Societatem capessendam annos natus 27. impulit; gradum in ea Coadjutoris temporalis voluit occupare. In ea 17. omnino consumpsit annos, magno pietatis & humilitatis exemplo: Proximis etiam pro virili opitulatus, eâ maximè tempestate, quâ nostris edicto Imperatoris universo Regno exactis, ipse à Præsidibus suis sistere Nangasachi jussus est. Ibi dum rem strenuè Christianam procurat, homicidij postulatur, & præpropere in carcerem trahitur. Sed ejus innocentiâ brevi compertâ, è carcere dimittendus erat: cùm deprehensus esse Christianus, & Societati JESU adscriptus, odio deinceps Religionis habitus in vinculis est. In ijs triennium exegit, & carcerem ipsum, quem sibi squallore pœdoréque præcipuum delegerat, bono Christi odore adeò complevit, ut

sacra

ſacra potiùs ædes, quàm ergaſtulum videretur. Nimirum vincti omnes, qui eâdem cuſtodiâ tenebantur, atque inprimis tredecim, quorum crimen Religio erat, Leonardo duce, quotidie horam manè precationi, quæ mente; alteram ei, quæ voce peragitur, tribuere; Sanctorum Litanias recitare; id temporis, quod ad prandium reliquũ erat, piæ lectioni dare. Secundùm meridiem altera precationis eos excipiebat hora, tum quaternæ deinceps lectionis, ſcriptionis, aliarúmque piarum tractationum: quibus rurſum ſuccedebat per horæ ſpatium commentatio. Ter per hebdomadam corpus jejunio, & acri verberatione exercebatur. Feriâ ſextâ in quinq; Chriſti Salvatoris vulnerum memoriam, totidem horas extra ordinem orabatur. Menſibus ſingulis ſolennes quadraginta horarum preces, pro præconibus Evangelij, próq; Japonibus Chriſtianis, celebrabantur. Poſt hæc in alium ſolitariũ carcerem Leonardus compactus eſt, tam humilem, ut vix ad ſenos dodrantes attolleretur, neque ille humi ſedere, quin verticem allideret laqueari, poſſet. Hìc ille inediâ & verberatione quotidianâ (ſi dies feſtos exemeris) Deo gratias agere; & Deus viciſſim illi omnes illas annui carceris moleſtias, incomparabili lætitiâ diluere. Inde verò mirâ diligentiâ atque ardore ſpiritûs totum juvandis mortalibus impendit triennium. Eos qui recèns ducebantur in vincula, benignè excipere, molliter tractare; tum Chriſtianis reformare myſterijs, docere pœnitentiam, capitis damnatos erigere, confirmare, ſolatio inſtruere, atque ad obeundam ex officio mortem comparare; adeſſe languentibus, famulari, eos qui ſe inviſebant, cæleſtibus recreare colloquijs, ad Chriſtianæ legis obſervationem cohortari, corrogare de aliorum benignitate egenis ſubſidium, & ſuũ illis victum adeò liberaliter impertiri, ut quotidiani ſui demenſi, ſatìs aliàs exilis, parte, octogenariam anum, quæ pro cuſtodiæ foribus ſeſſitabat, anno integro, quoad vixit, aluerit. Præter multos, quos eo tempore ad Chriſtiani hominis officium excoluit, quósq; ad firmandam per effuſum ſanguinem Chriſti Fidem animavit, 86. per Evangelium genitos ſalutaribus undis aſperſit.

Adveniens interim à Regia Imperatoris Faſcegava Gonrocuus Nangaſachi Gubernator, A. 1619. continuò conflagrationis ſententiam in Leonardum & quatuor alios dixit; propterea, quòd nonnullos ex ijs, qui prædicabant Chriſtum, domo excepiſſent. Hos cùm Leonardus in multam noctem, quã feralis, imò feriatus ac feſtus dies erat excepturus, idoneis pergeret conſilijs accendere; pro ſe magnopere ſollicitus, Deum anxiè precabatur: *Deus cordis mei, ne quæſo me tàm exoptato munere fruſtrari ſinas!* Manè ad Præfectum rerum capitalium accitus cum cæteris, vix ſui compos & gaudij potens, ubi concinuit Pſalmum: *Laudate Dominum omnes Gentes*, & Canticum Simeonis: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*, provolvitur ſupplex in genua ante Chriſti effigiem in Cruce pendentis, & illi grande hoc beneficium in acceptis referens, è cuſtodia catenis oneratus producitur. Amicorum plurimi concurrere, in ejus amplexum ruere, commendare ſeſe, & apud Superos ejus ambire deprecationem. Ipſe alacritate admirabili circumſpectare, reſalutare, denique ad conſtantem in ſuſcepta Fide perſeverantiam omnes hortari. Interrogatus à Judice: *num de Societate JESU es?* reſpondit promptè: *Et ſum enimvero, neque tu id neſcire potes; quippe miſſu meorum Superiorum ſæpius ego te in ornatu habitúque Societatis ſalutationis causâ conveni. At eccur in Japonia*, reponit Iudex, *contra leges Imperatoris reſtitiſti? ut Chriſti Evangelium*, inquit, *divulgarem, id quod & præſtiti adhuc ſedulo, & dum ſuperſtes mihi fuerit hæc anima, præſtabo. Hac igitur de cauſa*, reponit ſæpiùs barbarus, *vivus torrebere.* Ille actis ſerenâ fronte gratijs, ad circumſtantes ſeſe convertens; *Vos ego mihi teſtes*, ait, *imploro, haud aliâ me causâ, quàm promulgati Evangelij, in Fidei odiũ damnari.* Dein coram Magiſtratu ipſo Athletas cõſortes ſuos ad firmitatem, perfugas ad regreſſum, Ethnicos ad Fidem paucis invitat. Ad ſtipitem, reverenti oſculo priùs ſalutatum, alligatus, ubi rurſum amicis ac familiaribus ſuis verba noviſſima dixit, aggeſtâ inflammatáque remotiùs à ſtipite materiâ, ſublatis in Cœlum oculis uſtulari cœpit, tantâ inter ignes atque incendia mentis conſtantiâ, ut nec membra contraheret, nec ullam in partem ſe contorqueret. Negabat ſe affici ullo doloris ſenſu, quin etiam placidum videri, ac ſuave incendium. Diruptis deinde ignium vi retinaculis, candentes prunas utrâque manu collegit, & vertici venerationis ergò pro corona impoſuit, Pſalmum: *Laudate Dominum omnes Gentes*, decantans. Attoniti ſpectaculo Chriſtiani qui aderant, ſublatâ vociferatione Sanctiſſima JESU ac MARIÆ nomina invocârunt; multíque Ethnicorum ad Chriſtiana ſacra, inauditæ exemplo fortitudinis excita-

ti, ſe tranſtulêre. Exuſtorum reliquias Barbari comminutas alto mari diſperſerunt; ſed animoſa Chriſtianorum pietas, vel per ipſa pericula fragmenta oſſium haud pauca undis per urinatores erepta, inter ſe ad privatam venerationem partita eſt. Paſſus eſt Leonardus Nangaſachi, ubi natus fuerat, 18. Novembris An. 1619. ætatis 44. Societatis 17.

Ambroſius Fernandez Luſitanus Soc: IESV, carceris ſqvallore et ærumnis pro Chriſti Religione confectus Omuræ in Iaponia. 7. Iunÿ. A. 1620.

C. S. d. *M.K. f.*

AMBROSIUS FERNANDEZ.

Militiam profanam ſecutus primùm, Compagniæ JEſu nomen poſtmodū in Iaponia dedit Ambroſius Fernandez, gente Luſitanus, Patriâ Xiſto, ex Portuenſi Diæceſi. Qui in Coadjutorum temporalium humilibus officijs verſatus eſt adeò enixè, ut multis pœnè pertinax & nimius videretur. Laborabat ſummâ ſemper contentione; ex qua laſſitudine oppreſſus, quietem nocturnam veſtitus ubi ubi ſors tulerat capiebat. Mirabantur omnes Ambroſio nihil ex militia adhæſiſſe martialis ferociæ, cùm nunquam moveretur iracundiâ, neminem à ſe unquam minùs familiari & affabili reſponſione dimitteret. Ex paupertatis ſtudio per 30. & ampliùs annos, novum nihil omnino induit, cæterorum jam attritis veſtibus & calceamentis ſemper uſus; cibos pro ſe exquirebat viliſſimos, bellaria vinúmque nunquam,

quam, nisi jussus, degustavit. Remanserat ille Nangasachi, Soeijs reliquis Japoniâ expulsis; datúsque P. Carolo Spinolæ socius in laboribus Apostolicis, socius demum factus est A. 1618. carceris diuturni. Cùm enim sagaciter perquirerentur latitantes per Japoniam Patres, constituerat P. Spinola ipso vespere Festo S. Luciæ die in alias ædes clàm demigrare: Sed dilatâ certis ex causis in diem sequentem migratione, visus est sibi Pater medio noctis per somnij speciem videre latrones, perfractis parietibus domum irrumpere; quo viso excitatus, & ludicram dormientis imaginationem esse interpretatus, in somnum rursus se frustra componere laborabat. Vix lapso horæ dimidio, adsunt milites Gonroeui Gubernatoris Nangasachani; & perfractâ januâ invadunt locum, in quo noster Ambrosius degebat. Hunc itaq; crudeliter vinctum domo efferentes, etiam P. Carolum in altero conclavi deprehendunt. In eo P. Carolus genuflexus fundebat ad Deum preces, & ingrediente milite, sublatis mox in Cœlum oculis, quanto maximo potuit affectu, pro captivitatis beneficio gratias Deo reddebat. At milites protinus injecto similiter fune, collum, manus, pedésque adeò arctè constrinxerunt, ut lacerata vinculis caro perpetuas retinuerit vulnerum cicatrices, livore, dum vixit, coloratas. Sic vinctos, in Prætorio Gubernatoris sub dio, prope stabulum, noctem diémque relinquunt, gravi vexatos frigore, & doloribus nexuum; quos tandem Christiani famuli aliquantùm relaxârunt. Sabbatho proprium Societatis cultum induti, Gubernatori sistuntur; cum quo multa P. Carolus ad legis Christianæ sinceritatem explicandam differens, ipsummet ausus est ad eam invitare.

Nangasacho missi Omuram, ùt in conspectum venêre carceris, in quo jam complures è Patribus nostris tenebantur, cantu signum sui adventûs eminus dedêre captivis; qui similiter canendo è custodia hilariter responderunt. Carcer, in quo primùm egerunt, tugurium fuit stramine malignè tectum, quadraginta palmos longum, latum viginti, impositum monti, omni tempestatum injuriæ obnoxio. Sed quia ruinam minabatur, dum alium mense Julio satellites ibidem instaurarent, per dies octodecim, exiguæ casæ captivi sedecim inclusi sunt, ingenti cum incommodo, tum ob æstûs vehementiam, cui gravitas odoris, & continua nausea accedebat; tum ob victûs tenuitatem, cùm nihil inferri paterentur annonæ duri excubitores. Hinc omnium tentata valetudo per alvi profluvium. Septimo Augusti in novum reducti fuêre ergastulum, latum palmos 16. longum 24. nullo pariete, sed ex palis distantibus ab invicem intercapedine duorum digitorum contextum, tegulis tectum, stratum trabibus, quibus tabulæ crassæ pro pavimento affixæ erant. Fores serâ claudebantur, erántque adeò angustæ, ut vix transitum darent humano corpori. A latere patebat fenestella magnitudine lancis, quâ cibus quotidie inferebatur. Circuibat hunc carcerem via lata octonos palmos, atque hanc duplex obibat seps, depacta expansis arboribus, & in cuspidem acuminatis, quas spinæ supernè coronabant. In tanta loci coarctatione captivi 28. nonnunquam 33. tenebantur concluſi; ut proinde ne quidem extendere se possent ad quietem. Sed mirum in modum vexavit Christi pugiles continuus quidam fœtor, ortus ex multitudine hominum tam angusto loco clausorum; ex præsente item intra ipsum carceris septum cloaca, in quam naturam exonerabant; ex quo fiebat, ut illâ subinde ab imbribus exundante, ultra talos sordibus mergerentur: Item ex sudore corporum, quæ æstate nunquam siccabantur, cùm miles vetaret mutare recentibus linteis obsoleta, aut lavare usu inquinata; coactis per integros annos idem indusium retinere. Hinc illa quoque necessitas sequebatur, quòd nemo subterfugere conspectū sodalium posset, sed omnium actionum, quas summè etiam ingenuus animus videri exhorret, cogeretur perpetuos habere testes, quotquot unà tenebantur. Accedebat ad hæc incommoda, quòd carcer edito loco situs, solisq; palis inter se distantibus compactus, æstate quidem solis radios ardentissimos admitteret, hyeme verò asperrimos ventos, gelidúmque aërem non prohiberet; adeò ut P. Carolus de eo ità scripserit: *Asseverо, neminem esse è nobis, qui æstimato inferioris appetentiæ sensu, non mallet vivus cremari, quàm hunc carcerem ferre. Nam omnes à vestibus sumus pene nudi; neque vigiles permisêre, ut denuo ad nos referrentur, quas Nangasachi sarciendas locaveramus. Ablatâ etiam lodice, nihil passi sunt importari. Neque, quamvis in vertice collis objecti ventis deganus, vel tegetem concêssere, flatibus, imbribus, nivibúsque arcendis, planè ut immane sit frigus.*

Nihilominus omnes has carceris molestias, insigni alacritate toleravit cum reliquis socijs Ambrosius noster, donec è frigore & copia deciduarum nivium, paralysi primùm, mox etiam apoplexiâ (non sinè suspicione por-

porrecti veneni) ictus, intra duodecim horarum ſpatium, Sacramentis omnibus munitus, felicem ſpiritum in manus Dei, propè ſeptuagenarius, reddidiſſet, à quo mercedem expectabat laborum quidem in Societate exhauſtorum per annos 43. ærumnarum verò in carcere patientiſſimè toleratarum per annum unum, & dies 22. cùm aliud ferè per id tempus non ſpiraret, quàm ingens deſiderium ardendi in rogo, aut moriendi in Cruce. P. Spinola tantâ eum poſt mortem proſecutus eſt veneratione, ut decerptos ejus capillos ſuæ lipſanothecæ inſeruerit, appenderitque ad collum cum aliorum Sanctorum ſacris pignoribus. Ubi primùm beatum ſpiritum emiſit, ille qui ex condicto per hebdomadam alijs præfuit, præcinuit in gratiarum actionem DEO Pſalmum: *Laudate Dominum omnes gentes;* cæteris inter lacrymas gaudio fœtas, gratulantibus felicem **Ambroſio** exitum, ſibi in Cœlo Advocatum.



P. Ægidius de Abreu Luſitanus Soc: IESV, verberibus ad mortem ex odio Religionis contuſus à Calviniſtis, in Iava maiore Iacatræ. A. 1622.

C.S.d. M.D.F.

P. ÆGYDIUS DE ABREU.

IAva major, Inſula eſt Orientis, multis diviſa quidem Principibus, ſed in quos dominatū unus, Mataranus nomine, vel uſurpat, vel arrogat. Gens effera, inculta, moribus aſpera, & vel in ſuos levi pretio crudelis: ut proinde nulli, ne puellæ quidem ſinè ſica præſentiſſimo imbuta veneno, prodire liceat in publicum. Ut mirum ſanè ſit, cœlum alioqui mite, & perpete ventorum viciſſitudine

ſitudine (quamvis ſub zona torrida jaceat) temperatum, tam immites, & intemperatos gignere homines. Ad hæc ſolum piperis, ſacchari, & omnis Indicæ frugis abundè ferax, mala aurea, ſicubi terrarum, mole & ſapore præſtantia profert. Ferunt etiam in Java reperiri pelicanos. Et ſanè ſi non alium, certè in P. Ægydio Pelicanum vidit Java: qui dum captivos Catholicos, velut pullos congregaret ſub alas, nè ſanguis ad paſcendos deſoret, ab Acatholicis occiſus, eum profudit. Erat Pater natione Luſitanus, patriâ Campo-Majorenſis, abſolutis Philoſophicis ſtudijs miſſus in Indiam. Inde cùm in Japoniam iter per Javam haberet, à Batavis captus eſt. Occupavêre locum quendam in Java Batavi, in quo & Urbem condiderunt Arce firmatam, quam indigenæ Jacatram, ipſi à ſuo nomine Novâ appellant Bataviam. Urbs illa Orientis eſt miraculum, æmula Venetiarum; nam quamvis à Venetijs ſuperetur ædificiorum ſplendore, ſuperat tamen viciſſim aquæ potabilis rivis, & Indicarum palmarum, quaquà navigaveris, ad obumbrandum abundantiâ. Ea ſupremi per Orientem Batavici Prætoris ſedes eſt; & quidquid toto illo Regnorum Orbe contrahitur mercium, huc convehitur; indéque in Hollandiam, diſpenſandum ingenti compendio per Europam, in navibus transportatur. Quamvis ergo P. Ægydium ad fretum Sincapuræ deprehenderint, captum tamen in novam traxêre Bataviam, ut pluribus ludibrio eſſet. Toto biennio in arcta cuſtodia detentus, permiſſus tamen quandoque fuit per arcem circumire, quòd elabendi nullum ſubeſſet periculum. Quâ opportunitate, pro ſuo Sacerdotis, & è Societate quidem, inſtituto, Catholicos qui ijsdem vinculis tenebantur, ſpiritualibus auxilijs recreabat, admiſſa ſua confitentes audiebat, explicabat doctrinæ Chriſtianæ capita, hortabatur ad retinendam Fidei, tot inter adverſitates, conſtantiam. Ad hæc ſolebat aquam benedicere, excitare Oratoria, & alios Eccleſiæ, quos poterat, ritus celebrare. Et cùm nequiret Japonios, ad quos plenis deſiderijs feſtinabat, Fidei veræ imbuere Myſterijs, Catholicos ſaltem in ijſdem aut edocebat plenius, aut confirmabat. Quinimo, ùt contineri impatiens amor quævis obſtacula aut ignis inſtar conſumit, aut inſtar aquæ violentè perrumpit, nullâ periculi habitâ ratione ipſos etiam Batavos, Arcis & ſui cuſtodes, quà blando affatu, quà propoſitâ ob oculos Fidei noſtræ veritate, ad eam pertrahere laborabat. Sed, quod de ſuis cuſtodibus ſcripſit Sanctus Ignatius Martyr, ipſos nimirum beneficijs evaſiſſe pejores, id expertus eſt etiam P. Ægydius: nam Acatholici cuſtodes reddebant pro bono malum, pro verbis ſalutaribus immania verbera; neq; alio paſſim, quàm Papiſtæ, & Diaboli nomine vocitabant, contumelijs appetebant; cruciabant longâ inediâ. Quæ omnia cùm invictâ patientiâ toleraret, tandem plagis ab impijs ſectarijs confectus occubuit, & DEO victricem reddidit animam A. 1622. perſecutores in Indijs nactus Europæos.

AUGUSTINUS OTA.

Multi annos computant Religionis, ſed ſæpe parvus fructus eſt emendationis, inquit religioſiſſimus Thomas à Kempis. At Auguſtinus Ota unius diei militantis Societatis Tyro, eodem die triumphantis veteranus, Religionis fructum uberrimum carpſit in ipſo flore, poſtquam militantem Societatem ſolâ morte honorâſſet. Natus erat Auguſtinus in Japonia Ogicæ, quæ Firandenſis Provinciæ eſt civitas; à puero imbutus diſciplinâ Bonziorum. Sed cùm anno ætatis 15. cum parentibus in Inſulam Goto profectus eſſet, ejuratis Bonziorum ſuperſtitionibus, ad Patrum noſtrorum cohortationem, unà cum parentibus ſacro latice ablutus eſt. Toparcha Oræ Gotenſis, Ota appellatus (à quo nomen ſuum traxit Auguſtinus) piâ liberalitate Ædem ſacram erexerat, ſacris Miſſæ ſacrificijs, concionibus, reliquiſque Chriſtianæ pietatis exercitijs obeundis peropportunam; cui dum idoneum curatorem (quem Japones Cambo appellant) inquirit, Auguſtinum invenit muneri huic longè aptiſſimum; præterquam enim quòd S. Guidonis æmulus, aras frondibus floribúsque exornaret, ſupellectilem lineam & Templi pavimentũ mundiſſimum ſemper aſſervaret; Sacerdotis inſuper quandoque abſentis vices, quoad fas, obibat: convocatos in ſacram ædem Neophytos erudiendo, & confirmando in diſciplina ſuſcepta; præcinendo item devotos cantus, Fidei myſteria rhytmicè continentes, & certas cum illis precationes recitando; ut

Augustino Ota Iapon. Soc. IESV pro fide Christi capite truncatus in Iaponia Ixinoscimæ 10 Augusti A. 1622.

C. Screta. d. *M. Küsell. f.*

præter auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium, ad ſolatium ſuum vix aliud deſiderarent Neophyti. Verùm poſtquam exortâ perſecutione Templa Chriſtianorum dejiciebantur, eâdem procellâ involuta fuit ſacra ædes Gotenſis. Mœſtus proinde Auguſtinus Nangaſachum ad Patres noſtros recurrit, ibique conjugij onere, uxore demortuâ, ſolutus, alterius cujuspiam Eccleſiæ procurationem ſibi demandari cum lacrymis poſtulat, unicum ſuum ſolatium eſſe dictitans, Templis & animarum ſaluti pro ſuo modulo deſervire. Præfectus igitur Firandenſi Eccleſiæ rurſus Cambo, tantâ diligentia & zelo eam procurabat, ut ab omnibus pro Societatis operario haberetur. Luſtrabat ille omnes oras ſolicitus, & in lucrum animarum ſemper intentus; laborem reputans pro quiete, pro præmio periculum, quod ea tempeſtate frequens ſubire neceſſe erat. Ob quæ ſua merita A. 1621. datus P. Camillo Conſtantio ſocius, quamvis nondum in Societatem adſcriptus, cùm in Gotenſes Inſulas trajeciſſet, unà cum Patre ab apparitoribus Toni Firandenſis comprehenſus & vinculis onuſtus, in carcerem Ikinoſcimanum compactus eſt. Erat arctus ille carcer, amplus virtutis campus Auguſtino, patientiæ præſertim, cùm in ea captivitate & fames graviſſima toleranda eſſet, & fœtores enormes hauriendi. Per quæ tolerata patienter mala, dum ſe comparat ad exhibendum Chriſto ſanguinis teſtimonium, Xogum Imperator Cambacundoni filius certior factus de Patris Camilli & Sociorum comprehenſione,

henſione, Patri Camillo rogum, ſocijs ſecures decernit. Quæ ſententia ubi captivis innotuit, Auguſtinus impensè petijt in Societatem admitti; atque ut impetraret, ſupplices ad Præpoſitum Provincialem ſuper ea re literas, adhibitâ Patris Camilli commendatione, roboravit. Erat Auguſtini virtus pridem cognita, & multis probata experimentis P. Provinciali; unde haud difficulter id, quod petebatur, conceſſit, facultate P. Camillo per literas datâ, eum in Societatem legitimè, & ad vota admittendi. Admiratione dignum fuit; cùm omnes Patris Camilli literæ ad Provincialem, & hujus viciſſim ad Camillum, in manus hoſtium delapſæ intercidiſſent, has unas perlatas fuiſſe, idque pridie, quàm Auguſtinus moreretur. Ingenti ergo animi ſui ſolatio in Religioſum ſtatum admiſſus, vota fecit; & vitam, quam in Societate JEſu ſe acturum voverat, unius diei Tyro, virtute veteranus, pro Chriſto datis cervicibus prodegit. 10. Auguſti 1622.

P. CAROLUS SPINOLA.

SAnguis Martyrum non tantùm ſemen eſt Chriſtianorum, ſed etiam exhortatio Martyriorum, dum imitari non piget, quod celebrare delectat. Celebrabatur ubique ſecundis rumoribus glorioſa mors P. Rodulphi Aquaviva, Ducis Atriæ Filij, in odium Fidei à Salſettanis occiſi, eo planè tempore, quo Carolus Spinola è Comitum Taſſaroliorum Illuſtriſſima progenie, Patre Octavio, Rodulphi Cæſaris magno ſtabuli Magiſtro, Pragæ in Bohemia natus, ex aſſidua mortis & ſæcularis vanitatis meditatione, de ingredienda Societate JESU deliberabat. Qui hâc Rudolphi victoriâ ad paris mortis deſiderium ſuccenſus, ſpe potiundi in Orbe novo glorioſi Martyrij, ſinè mora admiſſionem in Societatem poſtulare ſtatuit; quam ſpem valde confirmabant dicta velut Prophetica Patris Bartholomæi Riccij, dudum antè Carolo diſertè aſſeverantia: *eum Societatis Religioſum, Japoniæ Apoſtolum, & Chriſti Martyrem aliquando futurum.* Deſiderium hoc ſuum poſtquam cum Moderatoribus pertractaſſet, juſſus eſt deſerendi ſæculi veniam petere ab Amicis; qui non leviter initio repugnarunt, periclitandi, ùt ſolent, ſtudio, an ex DEO foret vocatio. Sed perrupit difficultates omnes ingenti conſtantiâ Carolus, quam inſigniter expreſſit in literis ad patruum ſuum Cardinalem Philippum Neapolim datis. *Intellexi* (ſcribit ipſe) *proferendum eſſe bene longè adventū P. Rectoris; ſed obteſtor Dominationem Veſtram Illuſtriſſimam, ne gravetur proximo tabellario ſententiam mihi ſuam perſcribere, ut Feſto S. Thomæ ingredi in Societatem queam: neq; diutiùs obſecro me moretur, quia moras non fero. Adventu Rectoris jam mihi non eſt opus, cùm hic adſit Provincialis, qui compotem me facere poterit. Si fortè Dominatio Veſtra me ducat, donec reſponderit Dominus Octavius, affirmo ejus me approbationem ſuſque deque habere: nam ſeu venerit, ſeu manſerit, deſiderium meum tamen nunquam retardabit. Quòd verò cum Illuſtriſſima D. V. hanc rem tractaverim, id ſolius officij cauſâ feci; indecorum ratus, ſi omitterem; non quòd autoritatem veniámq; Veſtram expectarem. Nam quamvis veniam mihi recuſet, ego ultrò mihi faciam, ibóque in Collegium, neque inde diſcedam; neque expellere me valebunt, quando DEO potiùs, quàm alteri debeant obedire. Ac ſi fortè in ſuorum me numerum referre nolint, ſcribam ad eorum Præpoſitum Generalem; aut etiam efficiam, ut ipſe Pontifex Maximus intelligat, reſciſcátque. Imò ut me deficiant omnia, ſpero tamen non defuturum angulum aliquem in extremis Mundi finibus, in quo vel herbarum radicibus, vel pauxillo ſalſæ aquæ vivam: nam ſi Deus pro me, quis contra me? Si modeſtiæ modum exceſſi, Dominatio Veſtra quæſo adſcribat magnitudini deſiderij, quo feror in Religioſam vitam. Spero Illuſtriſſimam Dominationē Veſtram, utpotè Cardinalē (hoc eſt Eccleſiæ Sanctæ Cardinē, ac ſpeculum) non commiſſuram, ut tantum boni negetur uni nepoti ſuo indigno. Etenim ſi alijs eum Ordinem ingredientibus ſemper favit, mihi certè videtur etiam ampliùs adeſſe debere. Pluribus ſuperſedeo, nè moleſtus ſim.* Nolæ 7. Decembris 1584.

Ex his literis perſpectâ Caroli conſtantiâ acquievit Cardinalis, ut Carolus annum agens vigeſimum, 23. Decembris A. 1584. Societatem Nolæ ingrederetur. Ubi Tyrocinio ſub P. Bartholomæo Riccio, & in contubernio P. Bernandini Realini (quo familiariter utebatur) abſoluto, ad ſtudia Philoſophica Neapolim miſſus, in Societatem incidit B. Aloyſij Gonzagæ, cujus ſe ſanctiſſimâ conſuetudine uſum gloriari ſolebat. Sed quia initia mali phtyſici in eo apparere cœperant, ſalu-

P. Carolus Spinola ex Marchionib. Italiæ, P. Sebaſtianus Kimura primus è Ja-
ponicis Sacerdos, cum 7. alijs Soc. IESV. lento igne pro Christi fide
Nangasachi in Iaponia. 10 Septemb. A. 1622

falubrioris aëris gratiâ Mediolanum proficiſci juſſus, dum Romæ tantiſper ſubſiſtit, operam dedit P. Clavio Mathematicas diſciplinas docenti; eâ felicitate, ut eaſdem ſubinde Theologiæ diſcipulus, alijs publicè traderet Profeſſor; eâ tamen modeſtiâ, ut ſi diſcipulorum ſcriptis ſuum nomen præfixum legeret, illud mox aut eraderet, aut obliteraret. Porrò inter ſtudia adeò non elanguit fervor virtutis in Carolo, ut potiùs domeſticis omnibus exemplo eſſet, externis admirationi. Ad ſtatas meditandi horas adijciebat alias extra præſcriptum; orationis item binas, affectu plenas, & indices illius ingentis deſiderij, quo Martyrium ferventiſſimè expetebat, manè primùm, ac ſubinde per diem ſæpius recitabat: diebus recreationum, & per autumnales ferias, pagos caſtellâque concionabundus obibat; cui operi tam erat addictus, ut totam vitam conſecraturus fuiſſet docendæ Catechеſi, ſi miſſionem Japonicam non impetraſſet. Cùm Breræ Parthenio Sodalitio per quadriennium præeſſet; inter reliquos, & hunc adinvenit Beatiſſimam Virginem colendi modum, ut Sodales repetitâ novies ſalutatione Angelicâ, novem interea beneficia Virgini à Chriſto, per novem menſes in utero geſtato, conceſſa meditarentur. Dum vero ſcholas inferiores doceret Magiſter, formandis diſcipulorum moribus ità temporis intervalla diſtinxit, ut ſuâ cuique attributâ horâ, ſeorſim cum unoquoque tractaret, & nunc ſalutis negotium, nunc meditandi artem, aliàs puritatis amorem commendaret; eo fructu,

ut

ut complures è Nobiliſſimis adoleſcentibus in publica Gymnaſij area humilitatis & mortificationis exercitia obiverint, plurimi autem contemptâ ſæculi vanitate eidem valedixerint.

Sacerdotio A. 1594. initiatus, novum ad omnem virtutem concepit ardorem; preces Canonicas de genibus ſemper, quod & in Japonia pertinaciter obſervavit, perſolvebat; SS. verò Miſſæ Sacrificium Seraphicis inflammatus peragebat affectibus, in quo pellem pro pelle, ſanguinem pro ſanguine, per Martyrium fundendum offerre ſolebat Deo Euchariſtico, ut cupitam ad Japones impetraret miſſionem. Quam dum per literas abſolutis ſtudijs rurſus urget, Cremonam interim ſuo Apoſtolico fervore ità ad pietatem inflammavit, ut ſe cives ipſi alios eſſe ſtuperent. Inter hos labores, allatæ ſunt expectatiſſimæ literæ, de conceſsâ miſſione in Indias: quam ut adornaret, Mediolanum citiſſimè reverſus, valeréque juſſis Conſanguineis, fruſtra iter præpedire conantibus, Genuam contendit; ubi dum occaſionem navigandi in Hiſpaniam operitur, literas ſcripſit ad Socium olim ſuum Pompilium Lambertengum, è quibus elucet ingens deſiderium difficilia pro Chriſto patiendi. Eæ ſic habent: *Præteritis diebus ne tempus perderem, Litanias collegi Noſtrorum, qui hucuſque pro Chriſto ſanguinem fudêre. Duxi ea Reverentiæ Veſtræ perſcribenda, ut numerum haberet abſolutum, meíque ſubinde memor, eorum me precibus commendaret, ut & virtutes imitari queam. Quid me vult facere? ſi pati aſpera non poterimus, at ſaltem delectabit ſpectare quæ alij tolerârunt, eorúmque nos flammâ accendere, ac parare. Ecquando erit illud tempus? O dies! O hora! O momentum! O Pater Pompili, quanta ſuavitas vel cogitare ſecũ pœnas mortis, pro Chriſto tolerata! Ecquid ergo erit ipſùm mori? Jam Rev. V. hoc inſigne munus meum remuneretur, viſendò ſemel ad ſacratiſſimum Chriſti Clavum, eúmque deprecando, ut ille mihi cor cònfigat, affixúmque pedibus ſuis retineat in Cruce.* Et ſanè explevit aliquatenus ejus patiendi deſiderium uberrima ærumnarum meſſis per navigationem Indicam tolerata. Nam cùm eò jam provecti eſſent, ut Promontorium Bonæ ſpei ſe propediem ſuperaturos crederent, clavum navigij rupit vehementia venti. Diſcors erat inter Nautas conſilium, quid in re trepida facerent. Milites, qui Nautarum ægrotantium invaſerant officia, quæſtionem definivêre, coacto Navarcho in Bajam Braſiliæ curſum dirigere. Quo tempore P. Carolus difficilem febrim à nautis, quos obſequijs & ſpiritualibus alloquijs ſolabatur, contraxit. Idibus Julijs poſt multa pericula, portum Braſiliæ hilares tenuêre. Unde quinto poſt menſe 12. Septemb. mare rurſus ingreſſi, tam immanibus jactati ſunt procellis, ut mortis facies omnium oculis obverſaretur; quare die noctéque integrâ in excipiendis confeſſionibus occupatus erat cum P. Hieronymo de Angelis Carolus, pro maris tranquillitate patrocinium identidem invocans Noſtrorum Patrum, qui ea ipſa maria olim ſuo ſanguine pro fide ſparſo purpuraverant. Poſthæc die 25. Martij anno 1597. in portum Inſulæ Boriquenæ, quæ ad occidentalem Indiam pertinet, invecti, & ab Antiſtite Judicéque Regio perhumaniter accepti, ſuam illis viciſſim operam cum ſalute plurimorum impenderunt. Doctrinæ Chriſtianæ explicationem per ſocios in ſumma urbis æde, & in plateis inſtituit ipſe cum P. Hieronymo; dúmque naves inſtaurarentur, omnes Urbes Inſulæ circuivit, donec laboribus feſſum utrumque duplex invaſiſſet tertiana.

Quinto, poſtquam huc appulerant, menſe, mutato conſilio, relictáque navi Indicâ quâ venerant, aliam conſcenderunt, exiguam atque inermem, & die 21. Auguſti vela fecerunt æger uterque, ut neuter alteri opem ferre poſſet. Acceſſit ad ægritudinem & ille dolor, quòd dum ipſi Indiam avidè peterent, tandem 3. Januarij A. 1598. ſe Olyſſipone eſſe viderent. Dum enim Inſulas Tertias præterveherentur, in Anglicanam navim impegerunt, cui cùm reſiſtendo non eſſent, rebus omnibus præter veſtes ſpoliati, exiguo lembo, per immanes tumultuantis Oceani fluctus, longiſſimo ſpatio deportati ſunt in navim Præfecti, à quo interrogati ſunt de Patria & conditione. Carolus non ignarus, quanto in odio apud Anglos hæreticos eſſet Societas, tam inſigni patientiæ occaſione lætus, apertè profeſſus eſt, Religioſos ſe eſſe Societatis, genere Italos. Sed contrà, quàm ſperârat, res evenit; Præfectus enim humaniſſimè exceptos, in Angliam ſecum deduxit; indéque calceis, & tibialibus, atque pileo Anglicano (ut ſecuriores forent) donatos, in Luſitaniam Ulyſſiponem remiſit. Ubi intonſus crine & barbâ, in veſtitu alieno & vili, nautæ quàm Religioſo ſimilior Carolus, initiò non agnoſcebatur. Agnitus tandem eſt eò majori cum gaudio, quò diutiùs nihil de eo vel rumoris acceperant. Optabat ille quidem mox Indiam repetere, ſed Moderatoribus viſum eſt expectare Præpoſiti Generalis voluntatem. Itaque

in Luſitania eo anno manere coactus, quatuor ſolennia vota nuncupavit. Sub extremum verò Martij anni inſequentis, Indicum rurſus ingreſſus eſt iter; & A. 1602. incredibili animi ſui gaudio Nangaſachum tenuit, quod per viginti quatuor millia milliariorum jam alterâ navigatione petebat.

Annos 20. egit in Japonia Carolus, è quibus 16. Ethnicorum, Chriſtianorúmque excolendis moribus dedit, principio quidem publicè, clanculum deinde, quatuor verò non omnino integros inter incommoda maxima carceris Omurani duxit. Initiò ergo ad Arimenſe Collegiũ miſſus, Japonicæ linguæ diſcendæ causâ, adminiſtravit ſimul Annunciatæ Virginis in Seminario Sodalitatem. Inde poſt annum miſſus Ariam, apud ſe decrevit, nullum ſubterfugere laborem, quo vineæ ſibi commiſſæ vigorem tueri augeréque poſſet. Itaque non rarò jejunus laſſúsq; uno aliquo è loco reverſus, in alium ad plures ſæpe leucas diſſitum avocabatur; neq; alio cibo, ſomnóq; recreatus, atque illo, quem ſuggerit ardens ſalutis alienæ ſtudium, ſpiritúsq; fervor, promptus ſe conferebat quocunque accerſebatur. Ubi ſpiritualia egentibus ſubſidia ità impertijt, ut corporum quoque egeſtati provideret, tum pauperrimo ſuo peculio, tum collecto à Luſitanis, Japonibúsque Chriſtianis ſubſidio, quod proprijs ſemper ad eos humeris deportabat. Cui ſingularem etiam Deus gratiam conferre videbatur, adducendi ad Chriſtianam Fidem gentiles omnes, cùm quibus egiſſet; ut in tanta temporum iniquitate, quantam ipſe invenit, ad quinque tamen hominum millia ſuis manibus baptiſmo tinxerit. Accidit ut infantem alicujus barbari abjectum, atque animam agentem plebs admirabunda circumſtaret, quâ dimotâ Carolus, velut medicinam facturus, expreſſam ſtrophiolo aquam capiti jacentis aſperſit, pronunciatâ ſacrorum verborum formulâ, & paucas poſt horas luſtratus infans animam exhalavit. Tantum gaudiorum attulit Patri lucrum illud animulæ alioqui fortè perituræ, ut diſertè affirmaret, etiamſi DEUS non aliud illi reddidiſſet laborum præmium, quos exhauſerat, vel deinceps toleraturus erat, exiſtimaturum tamen ſe plus ſatis recepiſſe mercedis, vel unicâ illius animæ ſalute, abs ſe tanquam inſtrumento, procuratâ. Inter has proximi adjuvandi curas, ſui non negligens, redibat bimeſtri quolibet in Collegium, & ſpiritualibus auxilijs laſſitudinem animi recreabat; ſicque novus ſemper & vegetus ad labores redibat. Exacto ferè biennio Meacum eſt miſſus, ejúsque Collegij Miniſtrum annos 7. egit, tantâ in omnes charitate, tantâ affabilitate, morúmque comitate, planè ut exemplo proponi omnibus ſoleret ad imitandum. In ſeſe unum ſeverus erat & aſper, repetitis à ſe pœnis quotidie per flagellationem, quâ ſe per Quadrageſimæ dies adjecto unà cilicio cruentabat. Victus illi tam modicus, ut perpetua quædam abſtinentia vocari poſſet; cui frequentia tamen jejunia admiſcebat. Japonicos fructus, quos appetunt maximè Europæi, ne guſtatu quidem multis annis delibavit; tenuiſſétque id propoſitum ſui vincendi conſtantiſſimè, niſi juſſus fuiſſet rigorem remittere. Par huic ſecum pugnandi ardori erat egregia illius animæ cum DEO conjunctio: & quotannis quidem menſis ſpatium intra ſe collectus, cum DEO per Exercitia Spiritualia, ardentiſſimíque amoris affectus conſumebat; ſed & inter orandum quotidie tantâ Cœleſtium voluptatum dulcedine perfundebatur, ut eam per uberes lacrymas, maximè dum Sacris operabatur, cogeretur explicare. Ab hac intima cum DEO neceſſitudine manabat Cœleſtis illa animi fortitudo, quâ generoſiſſimè mortalem hanc vitam aſpernabatur, nec non promptitudo illa tam conſtans, quâ nullam non amplectebatur occaſionem patiendi. Erigebat ipſe cæterorum animos maximis in periculis, efficiebátque, ut prompti evaderent ad vitam vel per tormenta, ſi res ferret, abijciendam, quos alioquin ſolæ pœnarum minæ conſternârant. Per id tempus curam quoque ſuſtinuit Sodalitij Catechiſtarum dirigendi, quod non exemplo minùs, quàm verbis, ad omnem virtutem informavit. Poſt annos 7. Meaci exactos, munus Procuratoris Provinciæ ſuſcepit; per quã occaſionem cùm Nangaſachum migrare cogeretur, incredibile dictu eſt, quàm graves acciderint Chriſtianis omnibus diſceſsûs ejus nuncij, qui Patris inſtar eum & amabant, & venerabantur.

Inter hæc, graviſſimæ illius perſecutionis turbine Socijs omnibus Japoniâ proſcriptis, coactus eſt ſimul etiam obire partes Vicarii Generalis in Ximenſi tractu, pro P. Valentino Carvallio Societatis Provinciali, qui defuncto Japonenſi Epiſcopo, juſſu ſummi Pontificis, Adminiſtrator erat Epiſcopatûs. Itaque ad latendum occultiùs, novum ſibi apud exteros nomen indidit, Joſephi à Cruce; quo tamen ſimul palàm profitebatur, quid extaret in animo. Cujus temporis exantlatos pro Neophytis labores commemorat modeſtè

ipſe

ipſe in literis ad P. Pompilium datis 20. Martij 1617. *Jam duo ferè anni ſunt*, inquit, *& dimidiatus, ex quo Chriſtianis hiſce excitandis colendísque, magno cum labore incumbo. E domo in domum etiam ſuccedo, noctu confitentes audio, ſimúlque hìc ſacris operor, quia proprijs ædibus careo. Plerumque ſolus, abſque omni hominum conſortio ago, nec vel unius diei relaxationem habeo, præter eam, quâ Dominus eos impertitur, qui amore ſui ſe fatigant, adverſáſque res perpetiuntur. Graviſſima quæ me torquet acerbitas eſt, non ſolùm pampinos, florémque vineæ hujus adverſo Tyrannidis turbidine videre proſtratos, verùm etiam vuas propè jam maturas, tot tantorúmque laborum noſtrorum ſpem collapſam. Inter hæc tamen valetudinem tueor, ùt queo; neque vel tot rebus deficientibus, unicáque in diem refectione, eáque modicâ paſtus, adhuc macreſco; atque ità reipſa ſentio verum eſſe illud: Non in ſolo pane vivit homo.* Demum tamen, quia ob Provinciæ procurationem minùs occultum eum eſſe oportebat, ad quem erat omnibus perfugiendū, exploratorum inſidijs proditus, in manus incidit Imperatoris Miniſtrorum.

Multorum opinio fuit, eam captivitatem P. Carolo divinitus fuiſſe ſignificatam; nam diebus eam præcedentibus longior erat in ſacro Saciendo, inſtárque hominis à ſenſibus abſtracti; in orationibus prolixior, in familiari conſuetudine lætior & affabilior. Biduo etiam antè ab oratione ſurgens, Catechiſtam advocat, ſupellectilem illi tutò occultandam committit, pyxidémque icunculis inſtructam, quas in morte ſua dari Patribus, amicísque jubet. Duo etiam Roſaria è ſcriniolo extrahit, alterum pro fratre, pro ſorore alterum ſui Dogici. Ipſi Dogico pileolum quendam candidum donat, dicens: *Hunc in mei memoriam ſervato:* cúmque Dogicus diceret: *ſe cum eo commori paratum eſſe*; repoſuit: *Evenient omnia pro placito DEI; ſed ſcito te mali nihil eſſe perpeſſurum.* Inter hæc perſuaſus ædes mutavit; in quibus cum Ambroſio Fernandez (ùt ſupra narratum eſt) captus An. 1618. & in carcerem illum Omurenſem ærumnoſiſſimum inductus, Socios ibidem jam incluſos arctè complexus, in ea D. Clementis Martyris verba prorupit: *Non meis meritis huc me miſit Dominus, veſtris Coronis participem fieri.* Simúlque tantâ dulcedine repletus eſt, ut non in carcerem, ſed in Paradiſum Cœleſtem ſibi ingredi videretur. Certè ad quendam hæc verba ardentiſſimè ſcripſit: *Ecquando ô DEUS meus, hoc ego beneficij meritus ſum, ùt dignus efficerer pro nomine JESU contumeliam pati! O bene collocatos labores meos, quos itinere tam longo ex Italia in Japoniam tuli! O bene remuneratos dolores, præſertim illos, qui Tyrannidis hujus ſævientis temporibus tolerati ſunt! Etiamſi nunquam aſſequerer, quod præcipuè ſemper expetivi, cujúsque deſiderio in has Regiones profectus ſum.* Et tamen locus ille carceris ejusmodi fuit, ut ipſe P. Carolus de eo ſcripſerit; *neminem eſſe, qui, æſtimato inferioris appetitûs ſenſu, non mallet vivus cremari, quàm eum ferre*; utì fuſiùs in vita Ambroſij Fernandez deſcripſimus. *Anguſtè admodum habemur*, ſcribit ipſe ad quendam, *neque enim quisquam plus habet ſpatij, quàm duorum palmorum & trientis: ſinguli corporis ſenſus proprijs doloribus conflictantur. Ordinariæ epulæ ſunt lances duæ orizæ frigidæ, aquâ purâ coctæ; paropſis una Xiri (ſorbitionis id genus eſt, herbis ingratis mixtæ) tam amari, ut hauriri vix queat. Ad hæc exiguum radicis crudæ ac ſalſæ, aut par unum halecularum, aquâ calidâ, aut frigidâ ſalitarum.*

Mox è carcere ad plurimos Societatis Patres literas dedit ardore Cœleſti plenas, quibus gaudiorum ſuorum copiam explicabat, omnibus epiſtolis deinceps ſubſcribens: *Carolus incarceratus*; aut *Carolus pro Chriſto captus.* Earum literarum fruſtatim paucas delibabo, ut ipſius verbis explicem pectoris inflammati deſideria: *Tandem*, inquit ad quendam, *venit hora mea, atque ut clarè mihi innotuit voluntas Numinis, ità Divina ejus Bonitas ſperare me jubet, non egreſſurum me hoc carcere, niſi ut in Cœlum mittar. Quare conſolationibus ſuperabundo ob tam felicem conditionem, quæ mihi obtigit, expectans feliciſſimam exitûs mei horam. Utinam ità Domino placeat, ut hinc non egrediar, niſi ad moriendum, aut ad Evangelium liberè diſſeminandum! O mi Pater, quam liberaliter mihi Dominus labores meos omnes vel hâc gratiâ compenſavit, quòd amore illius captus ſim! O Pater, quàm ſuavis & delicioſa res eſt pro Chriſto pati! Id ego, ex quo in hunc carcerem veni, liquidiùs experior.* Hinc ingens eum anxietatis ſenſus urebat, quoties ei ſcribebatur fore, ut è Japonia proſcriberetur: blandéque cum eis expoſtulabat, qui eum ſimilium rerum admonebant, obteſtans tam injucundis nuncijs indicandis abſtinerent. E contrario ſi quis ſignificâſſet moriendum ei pro Chriſto fore, perpetuóque carcere jam damnatum eſſe, Sacri unius munus illi pro nuncio reddebat; tantáque interim gaudiorum ſuavitate obruebatur, ut celare non poſſet. Sic loquitur ſcribens ad Rectorem Nangaſachenſem: *Magno me ſolatio affecêre jucunda illa nova, quæ ſuis mihi literis nunciat: at longè certè meliora ſunt, quæ ex ipſo Gonrocui ore*

non-

nonnemo fide gravitatéque ſpectandus accepit, nimirum Octobri proximo vivos nos igni eſſe comburendos. Utinam veri ſint nuncij! O Pater dilectiſſime, ſi palo ſemel alligatus, igníque combuſtus pro Chriſto fuero, quanta erit illa mea felicitas! Equidem animadverto tanto me favore longè eſſe indigniſſimum; ſed immenſam quoq; DEI miſerationem eſſe non ignoro. Iterum ad eundem: *Sani*, inquit, *incolumésq; in Paſchatis ferias viximus, peractâ licèt cum parciſſimo cibo Quadrageſimâ, habitáque in dies ſingulos bene longâ corporum flagellatione. Id ſolum deeſt ad ſummam, ut nova illa adferantur, brevì nos abreptum iri in macellum. Etiamſi verò navigijs nos non imponant, ut è Regni finibus relegemur, certè in hoc carcere mori parati ſumus.* Quàm verò in tam grandi præſtantiſſimæ charitatis, Divinique amoris impulſu, de ſe demiſsè ſentiret; quàm ſe indignum, qui vitam pro Chriſto profunderet, exiſtimaret; quàm ſedulò, nè ob ſuas fortè culpas ab hac gloria reijceretur, amicorum patrocinium imploraret, ſic ad alium expreſſit. *Abhinc diebus aliquot percrebuit rúmor, vivos nos hoc anno crematum iri: unde fortè priùs exilio hoc meo abſolutus abiero, quàm hæ meæ ad Reverentiam Veſtram perferantur; quod certè quàm citiſſimè finiri cupio, ut ego quoque finem faciam illius offendendi, cui tantum debeo. Cæterùm vale mi Pater chariſſime, dum inter nos viſamus in Monte Sancto, niſi mea me peccata tam inſigni occaſione intercludant.* Alteris ad eundem ſic ait: *Ternas à Reverentia Veſtra accepi, è quibus cùm veſtrum in me amorem, tum mei in carcerem comitandi ſtudium intelligo. Sed fallitur vehementer, dum honeſtiùs de peccatore hoc miſerrimo opinatur, qui peccator tantus ſum, non quidem defectu Cæleſtis gratiæ, quam affatim mihi dari ſentio, ſed quia eâ minùs, quàm decet, proficio, neque tempore utor, quod, ut morti me parem, conceſſum mihi eſt. Nihil in me boni deprehendo, præter voluntatem multa pro DEO patiendi avidam, factámque ad omnem ejus nutum, ſeu centum annis velit me hoc carcere afflictari, ſeu in exilium extra Japonem expelli. Id unum cruciat, quòd vitam mihi ſentiam prorogari, quâ perpetuò (quæ mea calamitas eſt) Deum offendo; mortémque expecto, ut finem aliquando faciam illius exaſperandi: ſperóq; deprecationibus Reverentiæ Veſtræ, & aliorum, aut Crucem impetraturum me, aut ardentem pyram.*

Illud autem prorſus admirandum, quòd tot ac tantæ in quadriennali carcere toleratæ moleſtiæ, adeò inexhauſtam ejus patiendi ſitim non ſedaverint, ut voluntarias etiam pœnas afflictando innocenti & ſemivivo corpori identidem adderet; & cùm ſolâ orizâ in aqua decoctâ victitarent in carcere martyres, Carolus tamen afflictandi ſui ſtudio, & hoc alimento pluribus per hebdomadam diebus abſtinebat, eósque exigebat arctiori inediâ. Cilicio ferè continenter induebatur, demptísq; feſtis, quotidie ſe cum ſocijs acriter verberabat, petebátque identidem à Procuratore Japoniæ nova flagella, thoracésque ſetaceos, quia datos frequenti uſu citò atterebat; & quamvis veſtem, induſiúmque toto triennio nunquam, hæc tamen mortificationis inſtrumenta, mutavit aliquoties. Quo vitæ tenore extremum ſæpius mortis ſubijt periculum, non ſemel ad ſupremam luctam ſacro inunctus oleo; Deo tamen reddente illi virium integritatem, ſubinde ſupra ſpem omnem humanæ opis. Cumulabat omnes morborum difficultates ſævitia ſatellitum, qui nec guttam aquæ, extra prandij cænæq; tempus, importari ſinebant, ad mitigandos febrium ardores. Carolus tamen in ſumma humani ſolatij inopia, Divinis recreabatur adeò, ut ad quendam è noſtris ità ſcripſerit: *Eo ipſo ærumnarum tempore non capiebat pectoris mei anguſtia lætitiam, quantam nunquam aliàs expertum me memineram, ſic ut præ hilaritate geſtirem, videréreque Cæli limen intrare.*

Ut à febribus pauliſper convaluit, nova ſe illi obtulit patientiæ ſeges; cùm ipſe, duóque alij, adulto jam Novembre, ſeminudus, & adverſùs Cœli frigidi injurias indefenſus, vinctus catenis, & in anguſtum navis angulum compactus, Firandum itinere milliarium 90. contendere juſſus eſt. Cauſa itineris erant duo Europæi, è Philippinis Inſulis advenæ, à pyratis Hollandis Anglíſque comprehenſi, & quòd Sacerdotes ac Religioſi eſſent, per ſuſpicionem accuſati; quod cùm illi diſſimularent, viſum eſt Judicibus ex Omurenſi carcere advocare aliquot, à quibus ſcilicet recèns captos cognitum iri expectârunt. Die 25. Novembris producti noſtri, vivorum inſtar cadaverum pallidi, vinculis conſtricti, ſeminudi, ſpectaculum vel ipſis barbaris facti ad commiſerationem. Sed cùm duos illos captivos, utpote nunquam antè viſos, & recèns ab Hiſpania advenas, non noſſent, in carcerem Omurenſem revecti ſunt: ac tum demum duo illi faſſi ſunt ſe Religioſos eſſe, qui ad Chriſtianam Fidem propagandam adnavigâſſent. Quod ubi Imperatori ſignificatum fuit, iræ impotens, illos, & quotquot vincti tenebantur Religioſos, vivos cremari juſſit. Hujus edicti fama cùm ad carcerem Omuranum perlata eſſet, haud facile

creditu

creditu eſt, quantâ communiter hilaritate captivis audita ſit. Carolus ſtatim amicos ſalutare literis, quaſi brevi è vita diſceſſurus, inſtituit, quæ quia ardentes planè ſunt, ultimæque quas ſcripſit, prætereundæ non videntur. Rectori Nangaſachenſi ſcripſit 26. Auguſti 1622. *Malè admodum me habuit febris continua, à 20. Junij in Idus Julias, abſtulitque quod reliquum erat virium, planè ut moriturum me opinarer: ſed vivere me Dominus voluit, ut unà cum alijs Sodalibus in holocauſtum offerrer. Apparet eos certè jam inde ab extremo Julio anni elapſi voluiſſe, ut arctiùs conſtringeremur, ut fame incommodisque majoribus vexati, paulatim Martyrio nos appararemus. Neſcio cui felicem hunc ſucceſſum acceptum referre debeam, nisi immenſæ benignitati Domini mei, qui divitias ſuas in ſervo aliquo ſuo indigno (qualem me agnoſco) patefacere vult; ac precibus Patrum, Fratrúmque Societatis. Quia autem vereor defore qui meas impoſterum perferat ad Reverentiam Veſtram, hiſce valere eam jubeo, petóque veniam culparum mearum, obteſtórque, ut me juvet in reddendis pro tam inſigni beneficio gratijs, ſimúlque mihi impetret à DEO conſtantiam obeundæ mortis, dignam non degenere filio Societatis.* Die 28. ad Præpoſitum Provincialem ſcripſit in hæc verba, quæ carptim deſcribo: *Herì inſigni furore ſatellites in carcerem inopinatò involârunt: credebamus pro ijs, quos acceperamus nuncijs, aut trucidatum nos iri, aut Nangaſachum avehendos: ſed mox intellectum, veniſſe ut numerum inirent captivorum. Audivimus felicem obitum eorum, qui venêre Manilâ; puto nos brevi quoq; incendio conflagraturos. In omnem caſum (quæ DEI gratia eſt) parati ſumus, felicem illam horam expectantes. Attonitum certè me habet immenſa DEI bonitas ac clementia, quæ indigniſſimum mancipium tanti beneficij honore dignatur, quantum eſt, vitam pro ejus amore ac nomine fundere. Neque eâ me cogitatione expedire valeo, quin illa Apoſtoli verba uſurpem: Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis DEI! Quare exiſtimo ſacrificijs Reverentiæ Veſtræ, alioríumque Patrum, præcipuè eam gratiam exoratam eſſe: atque ita ſecundùm DEI, Virginísque, & aliorum Cælitum patrocinium ſpero, illorum ope me illud quoque corporis animíque robur impetraturum, ut ſupremum certamen obeam, pro dignitate ſinceræ ſobolis Societatis JESU. Cæterùm hiſce Reverentiam Veſtram valere jubeo, abjectúsque ad ejus pedes, noxarum mearum veniam deprecor, præcipuè quòd parum adeò profecerim tot ſanctiſſimorum præſidiorum auxilio, quot in carcere ſuppeditârunt quadriennij ſpatio, ad perfectionem aſſequendam; petóque ſuâ me cumulet benedictione. Patres, Fratréſque omnes, quos ultimùm affectu maximo complexus ſum, obſecro utì me in referendis Divinæ Majeſtati, prò tanto munere gratijs adjuvent, impetréntque conſtantiam ad uſque finem, præcipuè cùm ultimus morbus adeò vires mihi exhauſerit, ut ægrè pedibus conſiſtam, &c.* ſubſcribit autem; *Carolus morte damnatus pro nomine JEſu.* In eandem ſententiam dedit literas biduo pòſt ad P. Viſitatorem, & Nangaſachum ad Sodales Miſericordiæ, quibus eos hortabatur, ut magnis animis vim ferrent Tyrannidis ſævientis: quas deditâ operâ in itinere abjecit, cùm Nangaſachum ad incendij ſupplicium proficiſcebatur, ut nempe à Chriſtianis legendi avidis tollerentur.

Poſt paucos dies, quàm obierant ſupplicium, qui Manilâ venerant, juſſu Gonrocui Nangaſachenſis Gubernatoris, producti ſunt ex Omurano carcere 24. Religioſi, manibus vinctis, relictis in cuſtodia Sacerdotibus duobus, Dominicano uno, altero Franciſcano, aliïsque Japonibus ſex, quòd Nangaſachi capti non eſſent. Poſt amicos complexus, Pſalmos aliquot dulciſſimis lacrymis mixtos alternis modulati ſunt. His finitis, beata illa cohors ſuo tugurio exceſſit; hòc majoribus lætitijs, quòd iſtud ſupplicij ſui initium in ſextam feriam incidiſſet, quà jejuniũ præſtare conſueverant, memoriæ morientis Chriſti. Nave conſcensâ, vecti ſunt militibus undiq; ſtipantibus, & omnium ad eos alloquendos acceſſum prohibentibus. In itinere porrò, quod paucarum erat leucarum, alacritate maximâ nunc claſſiarios, nunc nautas adhortabantur, ad retinendam Chriſti Fidem, ſi quidem Chriſtiani eſſent; ad arripiendam, ſi gentiles; ad pœnitendum, ſi Religionem tormentorum metu deſeruiſſent; donec ad Caſtellũ Nangaia attingerent, tertio à Nangaſacho lapide; ubi celerrimè in equos fuêre ſublati, ne Chriſtiani cujuſpiam colloquio interpellarentur. Captivos omnes præcedebat Carolus, cæteri ſequebantur indiſcriminatim, occupabátque ſuus cujusvis latus carnifex, reſtim tenens captivi cervicibus innexam. Sic leucas itineris duas confecêre: & cùm occupâſſet euntes nox, in Uracamo quievêre. Incluſi primò fuêre ſepto ligneo ſub dio, ſed mox, cùm ingens decideret pluvia, arctiſſimè juncti, unum in mapale eâ nocte ſunt compacti. Luceſcente in Sabbatum die, multi accurrêre Chriſtiani, è quibus ſoli tres cum eis loqui ſunt permiſſi. Horum unus erat Dogicus P. Caroli, ex quo nuncium cer-

tæ per incendium mortis accepit, incredibili ſuâ lætitiâ ; viciſsímque illi memoriæ ſuæ quoddam pignus, illud ipſum flagellum dedit, quo ſe in cuſtodia conſueverat diverberare. Ut ergo nuptiali illo die prodiret feſto quaſi veſtitu ſpectabilior, amiculum Clericale candidum ſibi, Patríque Sebaſtiano Kimuræ; cæteris verò Societatis Sodalibus pileos veſtésque novas parari voluit. Ad hæc vexillo, cui JESU nomen eſſet inſcriptum, manibus prælato, mori decrevit, ut vim vigorémq; à fortiſſimo hoc Nomine inter flammas hauriret. Sed nihil ei horum permiſſum fuit. A meridie eodem, quo dictum eſt, ordine, leucæ unius iter peregêre ad ſupplicij locum, qui ſancti cognomento (à ſanguine inibi crucibus affixorum A. 1597.) eſt conſecratus. Plurimi per viam occurrêre Chriſtiani, videndo ſpectaculo exciti, qui fuſis lacrymis eorum benedictionem patrociniúmque precum expetebant. Ad hos verſi Heroes, *Filioli*, inquiebant, *nolite dubitare, è Cœlo (quò brevi Divinâ juvante gratiâ pertingere ſperamus,) opem feremus. Ad mortem uſque conſtanter eam Fidem, quam docuimus, tenete: atque illud de Divina Bonitate ſperate, quòd tanta in neciſſitate cauſam ſuam Deus deſerturus non ſit.* Reliqua confertæ Chriſtianorum Ethnicorúmque turbæ ſtrepitum cientes, longiùs exaudiri non patiebantur. Ferunt numerata fuiſſe Chriſtianorum dumtaxat, qui confluxerant, triginta millia. Cùm ad id loci venerunt ſancti Athletæ, unde parata ſupplicio tormenta licuit intueri, ſermone geſtúque, quàm potuêre jucundiſſimo, conſalutârunt. Quia verò nondum advenerant Nangaſacho reliqui ſocij 30. quibus capita erant amputanda, horâ ferè integrâ ad ſuam quiſque columnam aſtricti, eorum operiebantur adventum. Erant in ijs nonnulli, qui Patres hoſpitio texerant, cum Uxoribus, liberis, & vicinis : conjuges præterea ac filij quaternorum, qui paucos ante annos vivi, amore Chriſti fuerant combuſti. Utrumque agmen, ſuaviſſimâ invicem ſalute impertitâ, intra ſeptum ſe recepit, ſubitóq; coijt militum manus, ad tuendum adverſùs tumultus. Septi medio ſedebat alto ſublimis throno Xuquendaynus, præcipuus Gonrocui adminiſter, quē bimeſtri pòſt, cùm ſagaciſſimè in Religioſos inquireret, ut in eos furorem effunderet, ultio Divina ſecuta eſt; nam inter convivas accumbens, vix altero ſumpto bolo, exanimis concidit, & mortui cadaver, combuſti inſtar corporis nigreſcere, teterrimúmque exhalare odorem cæpit.

P. Carolus antequam vinciretur, ad columnam ſuam proſtratus, quanto potuit affectu gratias egit Divinæ Bonitati, pro tam inſigni collato in ſe beneficio, arctiſſiméque eam complexus, ſæpius pectori appreſſit. Ubi verò ſe in pedes erexit, à lictoribus leviſsimè, & ferè in ſpeciem palo eſt alligatus, ut nimirum expedire ſe facili modo, flammíſque eripere, ſi liberet, poſſet; quam in rem quoq; apertæ patebant ſeptorum fores; quippe hoc erat indicio conventum, ut Religionem ejurâſſe cenſeretur, quisquis incendio ſe eripuiſſet. Omnibus alligatis, cæterisque è regione in conſpectum, quibus capita erant reſecanda, adductis, Carolus illum Pſalmi verſum: *Laudate Dominum omnes gentes*, elatâ voce præcinuit; carmen reliquum cantu exequentibus ſocijs, alacritate magnâ vocis vultúsque, non ſinè lacrymis ſpectatorum. Quoniam verò Carolus præcipuis Judicij Adminiſtris erat vicinior, oculis ad Tribunal verſis, in quo præſidebat Xuquendaynus, conſtantiſſimâ morum licentiâ : *facilè*, inquit, *apud vos ipſos æſtimare poteſtis, visâ hac alacritate noſtrâ, in diriſſimo mortis ſupplicio obeundo, an Religioſi homines in Japoniam irrepant ſtudio occupandi Regni, an verò cupiditate aperiendæ vobis in Cælum viæ, quæ ſola patet per Religionem Chriſtianam. Non ambit opes ſceptráve Chriſtiana humilitas; quin imò calcat contemnítque amore Domini ſui. Nos animis ſolummodò ſalutíque veſtræ inhiamus, quæ poſita eſt in cognitione vivi verique Numinis (quod gens Chriſtiana vobis indicavit) legúmque ejus obſervatione. Nos denique (quæ Dei Clementia eſt) vitam feliciter abſolvimus, & poſt breves hoſce cruciatus gloriam ſperamus ſempiternam. Infelices miſerósque vos, qui viam inſiſtitis, quâ in æternam ruitur mortem! Atque ut plurimos trucidetis, non deerunt (quod putatis) Chriſtiani præcones, qui Japonibus impoſterum apportent veram Fidem, quos invitat nempe mors noſtra, non deterret. Quin imò, unius noſtrûm morientium vice, centum exurgent novi (ea eſt DEI Providentia) audaces juxta ac fortes Evangelij Propagatores, qui feliciſſimos ſeſe reputabunt, ſi vitam ſanguinémq; dare poterunt pro Chriſto; qui, quantam extremâ hac luctâ pugilibus ſuis fortitudinem impertiatur, ipſi intuemini.* Deinde ad Luſitanos vultum convertens, tantâ eos vi efficaciáque ad ſectandam Chriſtianæ vitæ perfectionem adhortatus eſt, ut vir quidam gravis ac locuples vi orationis & exemplo dicentis commotus, valedicere mortalibus, & ſe DEO in Societate dicare decreverit. Dum hæc Carolus loquebatur, gladios nudare carnifices; cæteri,

cæteri, quibus truncandæ erant cervices, in genua ſe ſubmittere, ad excipiendas ſecures. Tum verò Iſabella Fernandez, conjux Dominici Georgij Luſitani annis ſuperioribus combuſti, ob Carolum hoſpitio receptum, quæ eandem jam ob cauſam gladio erat ſubjicienda, verbis affectûs ſignificatione pleniſſimis, Patrem ultimò compellavit: ex adverſo Carolus, qui filiolum ejus præſentem non animadvertebat (quem paucis ante captivitatem menſibus ſacro fonte tinxerat, & Ignatij nomine, quòd feſto illi die natus erat, inſigniverat) veritus, nè quis fortè puerum abſcondiſſet, ut feliciſſimam illi eriperet occaſionem honorandi innocentiſſimi ſanguinis profuſione Chriſtum, Iſabellam interrogat: *ubinam eſt meus Ignatius? aut quid illo factum eſt?* Iſabella filium brachijs complexa, ſubliméq; elatum oſtentans: *Ecce*, reſpondit, *præſentem teneo, quem unà mecum adduxi; ut illi per mortem offeram, à quo & vivum accepi. Jube*, inquit ad puerum, *fili, nunc ultimùm valere Patrem tuum, qui aquâ te ſalutari iterum genuit Chriſto.* Incredibile quantum multitudinis animos commoverit egregia pueri, vix quartum egreſſi annum ætatis, religio, benedictionem Patris ſupremo illo articulo flagitantis; qui mox etiam poſtquam oculo irretorto vidit cadentem ſub ictu carnificis Matrem, ſuam gladio ceruiculam ſubjecit. Triginta fuêre, qui ſub oculis alligatorũ palis, & jamjam incendij principium expectantium, truncati ſunt, & ad terrorem augendum capita omniũ ex adverſo illorum locata. Supremo hoc tempore Carolus ſacram abſolutionem impendit Luciæ de Freites, quæ, quod ſæpius optaverat, DEI beneficio erat aſſecuta, ut vicina lateri cujuspiam Sacerdotis moreretur. Aderant expediti ſatellites, qui circumjectam materiam inflammarent; ad quos Carolus: *Nolite*, inquit, *mirari, ſi videritis à quopiam noſtrum ſignum aliquod edi debilitatis; neque enim ære, aliove metallo conflati ſumus, ſed mortales carne languidâ ſenſibilique compacti, cui à natura comparatum eſt, doloris cujuscunque vel leviſſimi ſenſum percipere, ne dicam atrociſſimorum incendij tormentorum. Spero tamen confidóque, nobis adfore divinitus vim, quâ conſtanter mortem illius amore toleremus, ad Religionis veritatem aſſerendam, quam tot annis hoc in Regno docuimus, propagavimúsq;.* In tempore profectò adhibita fuiſſe videtur admonitio: duo quippe Japones Chriſtiani, Religioſam quandam Familiam paulò antè ingreſſi, vim ignium ſuſtinere diutiùs non valentes, iterum tertiúmque elapſi vinculis, magno reliquorum Confeſſorum dolore, ex incendio ad tribunal Judicum, vitandæ mortis ſtudio evaſêre. Sed eorum juſſu in flammas rejecti, necquidquam vanum Amidæ, Japonij Idoli nomen implorantes, incendio aboliti ſunt. Tertius Japon, qui ſemel ignibus extulerat pedem, mox facti pœnitens redijt in rogum, Fidémque moriendo ſancivit. Illorum à Religione defectum juſtâ accidiſſe Numinis permiſſione declaravit quædam Caroli præmonitio, qui flens, priusquam è cuſtodia excederet, fore prædixerat: *non omnes ex eo numero* (perinde utì evenerat quadraginta Martyribus Sebaſtenis) *coronam ſuam è manibus Angelorum accepturos*; repetendo identidem per viã hæc verba: *vehementer angor animo, vereórq;, nè aliqui noſtrûm turpi caſu ſuo feſtæ lucis hujus latitiam corrumpant!* Commoverat ad hæc dicenda DEI ſervum, duorum triúmve illorum Japonum aſperitas pertinaciáque, quam in carcere monſtraverant, nolentes morem gerere in re quapiam gravi. Quâ duritie animadversâ Carolus, pro eo, quo adverſùs eorum ſalutem, Divinæque ſtudium gloriæ ferebatur ardore, adhortari eos ex compoſito cæpit, ſpiritus illos altos demitterent, ſeque ad aliorum accommodarent morem; comminatus etiam ſeveram Dei vindictam in eorum præfractam aſperitatem. Satelles unus è cuſtodibus carceris Omurani, qui præſens hæc audiêrat, ac deinde ſpectaculo triſtiſſimi caſûs intererat; *certiore*, inquit, *teſtimonio mihi opus non eſt, ut ſciam, quantus vir Divinâ æſtimatione ſit Carolus, quàm audiſſe illum ipſum dicentem, quòd eorum aliqui, qui è carcere ducebantur ut Chriſto immolarentur, feſtæ pompæ lætitiam eſſent corrupturi.*

Jam ignem materiæ fatelles intulerat, qui quinque & viginti palmorum intercapedine ab exurendis diſtabat, ut crudelior exiſteret cruciatus, acriúsq; ad deſertionem incitarentur, & paulatim per diuturniorem doloris ſenſum exſolverentur vinculis, priúsque torrerentur lentè, quàm arderent; quin ſi aliquâ parte luculentior erumperet flamma, protinus coërcebant. Interea dum languido flammarum ardore ignis in viſcera penetraret, immoto ſtabat corpore Carolus, oculis in Cœlum fixis, Deóque ſui corporis victimam in holocauſtum deſtinabat; donec ſcintillæ quædam materiæ accenſæ ad veſtem ejus circa pectus adhærentes totum flammâ ſubitò involverunt: cúmque diutiùs cum incendio luctari non valeret, in terram prolapſus, paulatim viribus deſtitutus eſt, primúsque

omnium efflavit animam, renatus Cœlo per mortem obitam, die 10. Septembris 1622. cùm ageret ætatis annum 58. ab inita Societate 38. Vir illuſtriſſimarum virtutum clarus ornamentis, quem Japones perpetuâ retro memoriâ Columnæ inſtar firmiſſimæ ſuſpecturi ſunt, quæ ultimorum temporum decurſu, per diuturnæ prædicationis moleſtiſſimos labores, dum pax permitteret: per ſanguinis ſui effuſionem, dum Tyrannis ſæviret, nutantem Chriſtianæ illius Reipublicæ ſtatum fortiſſimè ſuſtentavit. Heroum omnium cadavera, eodem loco ſitúq; triduum jacuêre, arctè cuſtodita adverſùs accurrentium vim, è quibus Chriſtiani continenter ad venerandum adventabant, nullo prætermiſſo ſtudio theſauri tam divitis potiundi. Deinde in mortuos rabie inflammati gentiles, ut eorum penitus obſcuraretur memoria, altiſſimâ foſsâ, Caroli Sociorúmque cadavera, unà cum columnis quibus fuerunt alligati, depreſsêre, ſupellectilem ſacram, quam illis abſtulerant, luculento igne combuſtam contumulavêre, raſo etiam terræ pavimento, quod cruore ſuo Chriſti milites decorârant; & procul Nangaſacho per mare diſſipato.

P. SEBASTIANUS KIMURA, & ſeptem Socij Japones Patris CAROLI SPINOLÆ.

QUemadmodum Chriſtianæ Religionis, ità & Sacerdotij primitiæ, DEO ità diſponente, Kimuris in Japonia obtigêre; avum enim Sebaſtiani primum è Japonijs, ſacris undis abluit S. Xaverius, Sebaſtianum verò primum Japonem Sacerdotio initiavit Ludovicus Cerqueria è Soc. JEſu Epiſcopus, eundémque primum è ſacerdotibus indigenis martyrio affecit Imperator Xogum, aliàs dictus Cuboſama. Sacerdotio jam inde à pueritia ſua præluſit, quando anno ætatis duodecimo, ultroneâ voluntate Eccleſiæ cujuſdam obſequijs ſeſe ſtrenuè addixit. Nonum ſupra decimum annum cùm ageret, receptus eſt in Societatem Tyro, abſolutóque cum laude Tyrocinio, Meaci & in Ximo in tradendo Catechiſmo Patrum adminiſter deſudavit; donec annos natus 30. Macaum ad ſeveriores diſciplinas ediſcendas navigâſſet. Ornaverat DEUS animam Sebaſtiani admirabili quadam ſimplicitate & candore, quo & hominibus ſemper erat acceptiſſimus, & in obſequium DEI tam ſimplici ferebatur oculo, ut cætera non reſpiceret; illuſtre quà domeſticis, quà externis exemplum contemptûs Mundi, & paupertatis, quam præcipuo ſtudio colere videbatur, reliquit, adeò, ut nihil in ſua ſupellectile haberet præter clepshydram, qua ſtata ſuarum precum tempora accuratè admetiebatur. Porrò pro Concione dicebat ardenter, videbantúrque ſermones ejus mirabili quodam fervere zelo, quo vitia perſequebatur; addebátque ſermoni efficacem actionem, ut emendatio ſequeretur uberior: hinc diebus jungebat noctes, quibus ſalutem proximorum, nullâ mortis, quamvìs ſæpe præſentis, habitâ ratione, procuraret. Unde tantus charitatis fulgor inter medias gentilitatis tenebras non potuit occultari, minùs fallere exploratorum, Præcones Evangelicos ad necem quærentium, ſagacitatem. Occultaverat Patrem Sebaſtianum domi ſuæ, quaſi lucernam ſub modio, vel cum vitæ propriæ diſcrimine, Civis Nangaſachenſis; qui idem domi ſuæ Chriſtianũ habuit mancipium mulierem Coreanam. Hæc ſervitutis longæ tædio, Chriſto ſimul Dominóque ſuo fidem fefellit, ipſúmque unà cum P. Sebaſtiano, ùt ſunt inimici hominis domeſtici, prodidit in captivitatem. Ductus eſt ad Omuranam cuſtodiam Pater feſto S. Pauli, ubi eadem cum P. Carolo paſſus incommoda, eundem ſervavit vitæ ordinem. Manè poſt horam piæ meditationi impenſam, Sacerdos quilibet Sacrum faciebat: ſingulari namque Numinis providentiâ, & acutiſſimâ Chriſtianorum circumſpectione, omnem ſacrificij apparatum eò ſecum vel intulerant, vel alio prætextu, corruptis per Neophytos multo ære cuſtodibus, à Chriſtianis transmiſſa receperant, ſic ut nunquam eis panis triticeus, & vinum in hoſtiam Miſſæ defuerit: reliquum temporis uſque ad prandium Horis Canonicis & Roſario recitandis, ſacrísque libris legendis dabatur. A prandio poſtquam Spiritualibus colloquijs nonnihil ſeſe recreâſſent, libri precésque repetebantur. Cænæ præmittebatur recitatio precum matutinarum, & Officij Mariani, adjunctis etiam, ſi feſtum fortè incidiſſet, litanijs, & hymno Salve Regina. Somnum quadrante præibat conſcientiæ examen, quod exci piebat conſueta omnibus flagellatio. Hoc vitæ tenore cùm ſe egregiè ad Martyrium cum Socijs comparâſſet, ingenti voluptate nuncium mortis excepit,

cepit, auditúsque eſt dicere: *Optare ſe, poſſe vel minimum quid demonſtrare illius immenſi gaudij, quo animus ſuus eſſet delibutus ex ea cogitatione, quòd appeteret hora, quâ ſibi eſſet pro ſuo Redemptore moriendum; & aſpectum illius feralis apparatûs, meſſem ſibi eſſe inexplicabilis voluptatis.* Et verò columnæ alligatus, igne lignis jam ſubjecto, manibus ipſe ante pectus in crucem decuſſatis, oculisque in Cœlum ſublatis, tantâ inter ignes pace potiebatur ac lætitiâ, quaſi ſenſum funditus perdidiſſet, cùm tamen tres horas vivus ſteterit in ardente rogo, vinculis incendio pridem abſumptis; donec inſtante jam mortis articulo, flammarum ardore in viſcera recepto ſuperatus, genibus humi fixis, & capite prono, quaſi more patrio venerabundus, beatam animam, Sociorum qui ſimul ardebant poſtremus, ſuo reddidiſſet Creatori, cùm annum egiſſet vitæ 57. Societatis 38. in qua gradum Spiritualis Coadjutoris obtinuerat.

Cum PP. Carolo Spinola, & Sebaſtiano Kimura, ſex Societatis Tyrones, Antonius Kiuni, Petrus Sampo, Conſalvus Fuſai, Michaël Humpo, Thomas Acafoxi, Ludovicus Cavara, eodem incendio conflagrârunt. Ante quorum conſpectũ ſeptimus, Joannes Chungocu capite priùs mulctatus eſt. Productus ille fuit ex carcere Nangaſachano, in quem ante quadriennium detruſus erat, cùm facilè liberare ſe potuiſſet. Dum enim cum P. Carolo, cui famulabatur, captus, & ad Judicem adductus interrogaretur; *num ſciviſſet P. Carolum Sacerdotẽ & Religioſum fuiſſe?* Ad quam quæſtionem, cùm ex adſtantibus aliquis, Joannem abſolvere volens, reſpondiſſet: videri eum deceptum fuiſſe habitu externo Patris Caroli, quem communem alijs gerebat: repoſuit ferventer ipſe: *nequaquam deceptus fui, ſed ſcivi Religioſum eſſe; cui etiam idcirco libentiùs famulatus ſum.* Sic actus in carcerem Nangaſachi, cùm pulcherrima virtutum exempla edidiſſet, paulò ante ſupplicium adſcitus eſt in Societatem, & cum alijs ejuſdem carceris incolis, in conſpectu Sociorum primus, forti conſtantique vultu ferrum excepit. Reliqui ſex, cùm ad Omuranum carcerem abrepti eſſent, Patrum noſtrorum conſpectis virtutum exemplis, in eorum admitti Societatem poſtulârunt, quorum priùs quàm caperentur, aut Dogici, aut rei familiaris fuerant adminiſtri. Quatuor primi, Antonius videlicet, Petrus, Conſalvus, & Michaël. biennio propè priusquam ad ſupplicium raperentur, Societatem impetrârunt. Jam enim ante captivitatem ſuam communi conſilio decrevêre, ſimul aliquod religioſioris vitæ genus inire; hinc A. 1619. in monte quodam non procul Nangaſacho diſſito, ſed ab hominum frequentia ſegregato, mapale poſuerunt, & vitam prorſus Religioſam, per continuatas preces, per crebras ſui diverberationes, per ſacram lectionem, traduxerunt. Inde ad animarum negotia ſoliti prodire, viſebant ægros, eorúmque neceſſitates ſolatio & ope levabant. Mox ad eos magni fidelium cœtus inſtitui cæpti, quos ipſi pijs ſermonibus ad Fidem firmabant. Juſſi non ſemel abſtinere, minas riſerunt; donec onuſti ferro, demum in cuſtodiam tracti ſunt. Explicuit impius Judex quidquid ipſi fuit artis & induſtriæ, ut chirographum ab illis exprimeret, quo ſponderent, ſe Chriſtianæ Religionis negotium poſthac non tractaturos. Sed in caſſum fuêre verba; eóque fortiſſimos Confeſſores in ſpecum tenebris horridam detruſit. Aderat Tonus quidam, qui ſuum ipſis præſidium patrociniúmque deferebat; verùm ipſi remiſerunt officium, negantes ſe, qui Chriſtum haberent Advocatum, quidquam penſi facere mortalium comminationes.

Sed illuſtrius ſubiêre certamen A. 1621. Nam Gonrocuus Urbis Gubernator, cùm videret illorum ſtudio Fidem Chriſti latiùs amplificari in dies, jámque illos crederet ærumnis in carcere toleratis fore perfidiæ propiores; ſi Chriſto ſtatuant abnuntiare, liberam illis facit abeundi poteſtatem; ſed repudiantibus illis libertatem, quæ cum Chriſti Fide non ſit conjuncta, eam pro liberatione conditionem dumtaxat paciſcitur, ne eam porrò Fidem ſtudeant proſeminare. Verùm illi vitam libertatémque execrati ſunt, quæ prohiberet Divinam Chriſti gloriam proferre. Tum verò indignatus Gubernator, certam mortem illis intentavit. At illi nuncio læti, DEO decantârunt gratias per hymnum, *Te DEUM laudamus.* Poſtridiè in Tribunal acciti ſunt manus revincti, primúsque examen ſubijt Antonius Kiuni, natus in Regno Japoniæ Micava, cæteris provectior annis. Interrogatus, *eſſetne de Societate JEſu?* reſpondit: *haud eſſe dignum ſe tanto favore, quem egregijs ſuis ſervis conſuevi ſſet DEUS impertiri; hominem ſe eſſe unum de multis, qui ſaluti ſuæ atque alienæ ſtuderet: nec aliter facturum ſe unquam, vel cum diſpendio vitæ.* Hìc Judicum unus, qui nuper Chriſtum ejurârat, Feizo appellatus: *Sat,* inquit, *ſuperque tibi eſto, ſi tuam rem egeris; aliorum ſi curam relinquas, ego te meo ſuffragio mortis ſententiâ abſolvo.* Cui Antonius: *tuis haudquaquam conſilijs egeo, qui,*

quid agere me oporteat, præ te habeo compertum. Cui bono ſit vitæ pretium, ſi gloriæ Chriſti non impendas? Poſt hunc accitus Conſalvus ortus è Regno Bigen, & in ejus Regiæ obſequijs diu verſatus, pari conſtantiâ rem geſſit. Petrus Sampo, ultimâ Japoniæ ad Orientem parte, quæ Oxu dicitur, oriundus, & propter egregias naturæ dotes, primoribus Imperij cumprimis charus, tertius ſucceſſit: qui Dogicum ſe Societatis profeſſus, *ſibi illud incumbere aſſeruit, ut Japoniam univerſam ſalutaris doctrinæ participem faceret, quam à Patribus acceperit; nec remunerari ſe Patriam poſſe pleniùs pro collatis in ſe muneribus, quam ſi illi viam demonſtret ad felicitatem ſempiternam. At Imperatori par eſt obſequi,* inquit Judex, *qui novitiam invehi ſectam ſuas in terras prohibuit.* Excepit Petrus: *fas mihi ſit exponere per ſimilitudinem, mentis meæ ſenſa. Si qua contagio Regnum vaſtaret, cui medicinam facere unicus nôſſet; verùm ille deſtitutis cæteris, ſoli ſibi ſuæq; familiæ auxilium adferret, quo dignum ſupplicio tam inhumanum, atque immitem Medicum cenſeretis? Ego ſanè exiſtimo, quotquot à Chriſti Fide alieni ſunt, non morbo duntaxat lethifero, ſed ipſimet jam morti ſubjectos; & quisquam mihi probro vertat, quòd per ſalutarem doctrinam meos cives vindicem ab interitu ſempiterno? Efferatior brutis ſim, niſi vel per capitis diſcrimen, tam ſalubrem hominibus, quotquot nactus fuero, fecero medicinam. Id ipſum eſt, quod Societatis Patres in Japonem ab Orbe extremo, contemptis humanæ vitæ commodis, per infamia naufragijs maria adduxit; id illos continet in ſpeluncis terræ; id exponit periculis, laboribus, & continuatis ærumnis. Crebro medicina quidem porrigitur ſana mente captis, nec aliud jam Patres præſtant, qui deliris Japonibus ſexcenta miſcent pharmaca, conciliandæ idonea vitæ; ſed ipſi, quod phreneticis ſolenne eſt, rependunt Patribus injurias, odia, perſecutiones, cædes. Utinam propitium Numen eo me honore dignetur, ut meos Magiſtros ac Patres in Chriſto ſtudeam æmulari. Rectè tu iſta quidem,* ait Judex, *ſed tempori ſervias, oportet, & verbo ſaltem ſpondeas, te poſthac prædicationis officium non obiturum.* Tum Petrus iterum: *Nihil certè mihi graviùs accidit, quàm quòd Veritatis lumen paucis aperuerim: Utinam mihi vox eſſet, quæ toto ſimul Regno poſſet audiri, profectò celſiſſimos mihi montium vertices facerem pulpita, atque inde ſummâ vocis contentione pernox & perdius, ad ſalutis ſemitam univerſos vocarem.* Petro ſucceſſit Michaël Xumpo, qui faſſus eſt, *ſe Patribus proſcriptis, in abditiſſimas ſylvas receſſiſſe, ſuis criminibus, totiúsque Japoniæ per lacrymas diluendis: conatum ſe populis, qui ſe quæſiêre, eâ receſſus opportunitate iter in Cœlum liberiùs oſtendere; promptum ſe nunc etiam paratúmq; extrema pati, pro Divina gloria propaganda.* Secundùm hanc quæſtionem ad Omurani carceris ærumnas amandati, quanto ardore anhelarint Chriſti causâ mortem tolerare, ex eorum literis, quas ad quendam de Societate ſcripſerunt, cognoſci licet. *Quia nos valde angit commiſſorum à nobis peccatorum conſcientia, venit nobis in mentem ambigere, num idonei ſimus qui pro Fide moriamur. At permittat ſaltem DEUS, ut vitam in his vinculis terminemus! Id aſſiduò oramus, ut pro ſua Divina Clementia nobis concedat. Quòd modo vincti ſimus propter Chriſtum, beneficium eſt, quod Societati ferimus acceptum; cujus meritis & precibus factum eſt, ut S. Ignatius & S. Franciſcus Xaverius, tantum nobis boni à DEO impetrarent. Immortales gratias & Sanctis illis, & Societati agimus, neque ſatis verbis explicari poteſt, quantùm nos eâ gratiâ P. Carolo, noſtro omnium amantiſſimo Patri, devinctos eſſe ſentiamus. Deniq; ſi DEO Optimo Maximo bonum factum videbitur, ut mille perpetuos annos his catenis aſtricti maneamus: enimvero beatos nos eſſe cenſebimus, adeóque omnibus in rebus ſemper erimus in ejus poteſtate. Idem P. R. tuis precibus nobis obtine.* Ad Societatem admiſſi, ſanctiſſimum mox in carcere Tyrocinium ſunt aggreſſi, cùm eos P. Carolus exemplis ſuis ad omnem perfectionem virtutis erudiret. In quem quàm intentos haberent oculos, vel ex unis Petri literis pateſcit, quibus affirmat, non noviſſe ſe hominem illuſtrioris tolerantiæ, aut acrioris in ſe ſeveritatis, adeóque continuatæ, non uno biniſque menſibus, ſed quadriennij ferè ſpatio: planè ut vehementiſſimè miraretur, quomodo alacritate tantâ dura omnia ſuperaret; fingerétque ſe tam aptè ad tot hominum ingenium, veſtitu, patriâ, ſententijs quoq; non rarò diſſidentium. Crebriùs ex devotione, ùt habet mos Societatis, etiam necdum egreſſi Tyrocinium, vota ſua devotionis renovarunt, non ſinè magna Cœleſtium deliciarum copia, & adſtantium documento, profectúque ſpirituali.

Duo reliqui, quamvis ſeriùs ad Societatem admiſſi, virtute tamen prioribus fuêre haud inferiores, ùt animi fortitudo inter cruciatus edocebat. Erat Thomas Acaſoxi vir nobilis ex Regno Tingenſi & ſtrenuus bellor; ſed cupiditate ſalutis æternæ accenſus, non dubitavit in Eccleſia noſtra miniſterium Dogici ſuſtinere, muneribus humilibus & abjectis ſe dedens, & verum præbens ſpecimen animi ſubmiſſi, cùm neminem ejus natalium

talium ſplendor lateret. Exactis poſtea noſtris ex Japonia, comes exilij ijs acceſſit, qui Manilam in Philippinas ſe receperunt. Inde reverſus in Patriam, cùm jam haberet annos ſupra quinquaginta, in hac poſtrema perſecutione magna ſua cum voluptate ſervivit P. Sebaſtiano pro Dogico, & unà cum eo ità captus eſt. Lictores, qui Patrem comprehenderunt, trahebant in vincula adoleſcentem Domûs adminiſtrum, ceu Dogicus foret, Thomâ, quid ageretur ignaro. At comperto quod erat, curriculo veſtigijs illorum inſiſtit, & Juvenem raptantes aſſecutus, impavidus & conſtans animo: *Siſtite gradum lictores*, inquit, *hæc vincula & catenæ Dogico Patris debentur, non famulo: me igitur vincite, & hunc miſſum facite.* Dictum factum. Manſit in his vinculis Thomas propè biennium; ſed eâdem ſemper animi magnitudine, ſuique ſimillimus. Paulò antè quàm educeretur ad rogum, cooptatus in Societatem eſt, quinquagenario major. In ſupplicij articulo differebat ardore maximo, omnésq; ad laudandum DEUM excitabat, qui ſuis Athletis tantum inter cruciatus cōſtantiæ & voluptatis daret.

Ludovicus Cavara natus eſt Ariæ, non procul Arimâ. Multos annos fuit inter honorarios Ephebos Joannis Arimandoni, ejus Provinciæ Dynaſtæ; ſed à Michaële Joannis filio, à Chriſto Apoſtata, quòd Fidem Chriſtianam nollet exuere, omnibus fortunis ejectus, ſolum vertere coactus eſt. Vixit exinde duos ferè annos Nangaſachi, ac deinde ſe retulit Ariam; ubi non longo intervallo liberorum illi, quos habuerat, poſtremus, & uxor, morte ſublati ſunt; ipſe ſolus, & omnium caducorum bonorum egenus, DEO gratias agere, & quidquid accidiſſet adverſi, velut ab eo profectum, inſigni patientiâ tolerare, adeóque etiam occaſionem inde ſibi facere vitæ ſanctiùs inſtituendæ. Remigravit Nangaſachum, atque extra Urbem in ſecretiore quodam loco tugurium ex ſtramentis contexuit; ibi ſe rerum Divinarum contemplationi ex integro dedens, Angelicum quoddam vitæ genus coluit. Sæpe ſunt illi manus à lictoribus injectæ, Sacerdotem Societatis ratis, qui ſub eo ſchemate rem Chriſtianam procuraret; ſemper, ubi conſtitit erràſſe, dimiſſus eſt. Ad extremum quando placuit DEO ſingularia Ludovici merita remunerari, tertiùm ab Regijs Miniſtris captus, & quòd nonnullam Europæi hominis ſpeciem vultu præferret, pro Religioſo, & de Societate quidem noſtra habitus, ad Gubernatorem deductus eſt. Ibi tametſi aliàs abſolutus erat, cùm ei Gubernator interdiceret, nè ût adhuc fecerat, Fidei Chriſtianæ præcepta pergeret explicare, magnâ libertate negavit ſe in hoc quidem ei dicto audientem futurum. Gubernator incenſus irâ, mox hominem in carceres Omuranos amandat; ubi permotus Tironum noſtrorum exemplis, ipſis accenſeri expetijt, & paulò priùs quàm necaretur, accenſus eſt, cùm annum ageret ætatis ferè quadrageſimum. Adſtabat ipſe in buſtuario proximus ijs, quos vim ignium declinaturos ex incendio ſe proripuiſſe narravi; quos ubi primùm vidit nonnulla fracti animi ſigna præbere, verbis & adhortatione conatus eſt ad conſtantiam erigere; animo ipſe vultúque infracto, pretioſam mortem in conſpectu Domini conſummans.

P. CAMILLUS CONSTANTIUS.

DUplici triumphato igne glorioſus P. Camillus Conſtantius, dum libidinis faces Neapoli adoleſcens extingueret, Corollam Virginitatis indeptus eſt *Camillus*; dúmque idem ab igne Japonio extingueretur, Corollam Martyrij aſſecutus eſt *Conſtantius*. Bovolina extremæ Calabriæ oppidum, natalis fuit Camillo Conſtantio; parentes Maſius, ſeu Thomas Conſtantius, & Violanta Montana, familiâ perhoneſtâ. Humanioribus literis & Philoſophiâ excultus, Neapoli verſabatur jam annum alterum in Juris diſcenda peritia, jam tū præter alia exquiſitæ pietatis exercitia, durus in ſe, & inediâ crebrâ, ac quotidianâ flagellatione inclemens: cibi perparcus, permiſsâ famuli arbitrio, quem ſuæ ſemper menſæ adhibuit, conditurâ & delectu. Verſabantur ibi tum adoleſcentes Camilli populares & amici, aleâ infames & Venere; quos cùm ille crebrâ hortatione ab ijs vitijs revocaret, illi contrà periclitandæ ipſius conſtantiæ facinus inſigne deſignârunt. Dies erant Bacchanaliorum, & Camillus domi ſuis intentus ſtudijs, ſub horam noctis quintam tacitus conſidebat; cùm ecce immiſſa ab illis fœmina, formâ atque omni ornatu ſpectabilis, Juvenem de nomine conſalutat. Ille perculſus inſolentiâ ſalutationis, aſſurgit; &, *quid tibi*, inquit, *hìc negotij*

P. Camillus Constantius Italus Soc. IESV. Religionis odio vivus lento igne crematus Tabiræ in Iaponia. 15 Septemb. A. 1622.

C. Screta. del. M. Kusell f.

gotij eſt? Illa reſpondet: *hanc ego tibi nóctem, Domine Camille, addixi.* Is contrà: *At ego tui nequaquam indigeo; redi porrò unde veniſti.* Reponit illa, *certum ſibi eſſe, noctem ibi ducere; intutum enim eſſe per Urbem eâ noctis horâ monilibus atque auro onuſtæ ingredi.* Ille verò expulit obnitentem, juſsitque ab ijs præſidium quærere ad reditum, à quibus fuerat eò perducta. Tum foribus obductis, apprehenſóque, quod habebat, æreo Chriſti Crucifixi ſigillo, procumbens in genua, DEO de victa tentatione gratulatus eſt, & Deiparæ invocato præſidio ſupplex oravit, ne ſe pateretur unquam inquinari. Cúmque famulus ſecundùm eas preces muſſaret, fæminam potuiſſe eâ nocte admitti; duos illi colaphos infregit; &, *túne*, ait, *qui meo pane veſceris, auſis me ſollicitare?*

Sic ductâ ſanctè atque innocenter adoleſcentiâ, annos natus 21. in Societatem die 8. Septemb. 1591. adlectus eſt: & 12. pòſt anno, qui fuit 1603. mari transmiſſo, jam tum ſacerdos pervenit in Indiam. Navigavit porrò Macaum anno ſequente, Sinicæ miſſionis deſiderio; ſed DEO melius illi quidpiam providente, deſtinatus A. 1605. in Japoniam eſt. Ibi 9. annos uberrimo fructu excoluit Domini Vineam, donec A. 1614. cum cæteris Patribus è Japonia proſcriptus, Macaum ſe recepit; ibíque 4. ſolennibus votis nuncupatis, ad cæteros labores, totum ſeptennium in librorum Sinenſium & Japoniorum ſtudium adjunxit, ut eorum errores è proprijs voluminibus confutaret. Quod & præſtitit egregiè, reverſus A. 1621. in Japoniam, cum duobus

bus alijs è Societate habitum militarem indutus. Primum & periculoſiſſimum certamen illi fuit cum eo ipſo, à quo transvehebatur, navis Præfecto: qui, tametſi Chriſtianus, veritus fortunarum capitisque diſcrimen, ſi à ſe vectum conſtaret, decreverat hominem deferre ad Gubernatorem Nangaſachienſem; ſed precibus Neophytorum exoratus, ſervante Patrem ad majora DEO, miſſum eum fecit Fundojamam in Regnum Figenſe, unde multis Chriſto aggregatis, in Caraſſu profectus, præter uberem animorum meſſem, novum Sodalitium, ad conſervandum illum Chriſti gregem inſtituit. Sed præcipuus laborum campus illi fuit Inſula Firandenſis, quam multa cum patientia, neque ſinè vitæ periculo excoluit. In carcerem namque pene prodigiosè, tot cuſtodibus obſeptum, tamen non obſervatus penetrans, confitentibus ſui copiam fecit, animavitque ad obeundam fortiter mortem. In Inſulam Ikiſuki transgreſſus, atque inde in Noximam, quæ per abſentiam Patrum jam pridem carebat uſu Sacramentorum, omnes incredibili ſolatio implevit. Hinc in proximam Uki dictam, quæ Gotenſium Inſularum caput eſt, transmittens, nullum Chriſtianorum inexpiatum præterijt. Erat Joanni, Patris hoſpiti, & viæ comiti propinquus Ethnicus homo Nobilis; hunc uxor pia fœmina, ob præſentiam Patris hortabatur impenſiùs ad Chriſti Sacra capeſſenda; ille animum ad ſuſcipiendum baptiſma ſimulans, mox certiorem omnium facit Dynaſtam; qui celeritate uſus, navigijs armatos Patrem inſequi jubet. Noximæ illo fruſtra quæſito, pergunt in Uki, ubi navim Firandenſem in ſtatione conſpicati, magno eam tumultu invadunt, atque in ea Patrem Camillum, ſocio pridie ad negotia dimiſſo, deprehendunt. Vinctis ergo Navarcho, Auguſtino Ottâ, & Gaſpare Cotendâ Patris Dogicis, cum Patri parcerent, rogavit & ipſe vinculis pariter & carcere conſtringi. Sed illi majeſtatem vultûs, ſanctimoniam ſpirantis reveriti, etiam lauti convivij honorem repudianti obtulerunt, cum Ikiſuko Firandum deportandi eſſent. Pater in digreſſu hoſpitem ſuum Joannem inter mutuas lachrymas ità eſt affatus: *En Joannes aliquando tandem digni effecti ſumus illâ beatâ ſorte, quam tot annis deſideravimus. Rogo te ego, atque per viſcera JEſu Chriſti adjuro, ut Divino ejus amori reſpondere ſtudeas, & uſque eo conſtans perſeveres, ut vitam quoq; & ſanguinem proijcias pro Redemptore noſtro.* Firandi in Ikonoximanum carcerem traditus, quæ ipſi evenerant, ità ad Rectorem Nangaſachenſem perſcripſit: *Jam cognoveris Reverende Pater me captum eſſe. Nè dolorem ex eo acceperis. Non mœrendi materia eſt, ſed agendi gratias. Quare te oro, & omnes Patres ac Fratres Societatis, ut me agendis DEO gratijs, pro tam ſingulari beneficio adjuvetis. Die 25. Aprilis cùm appulſus eſſem in Inſulam Ucogoto, ibi ab aliquot armatis navigijs captus ſum; à militibus, per iter ità tractatus ſum, ut valde me revereri viderentur. Ab ijs deductus ſum ad tribunal Firandenſe; interrogatus quis eſſem, & quorſum in Japoniam veniſſem; reſpondi me Sacerdotem eſſe Societatis JEſu, nomen mihi eſſe Camillo Conſtantio; deinde exorſus ſum multis exponere cauſam adventûs mei in Japoniam, & obtuli Apologiam, quam de hoc argumento confeceram. Deinde percunctantur, cur non paream Principi Japoniæ? ſubjeci, Religionem Chriſtianam jubere, ut obediatur Principibus in omnibus, quæ Dei præceptis non adverſantur: quare cùm edictum Principis Japoniæ, quo vetat prædicari Legem Chriſtianam, pugnet omnino cum juſſis Regis Cœleſtis, idcirco in hac quidem non poſſe me Regi terreno dicto audientem eſſe. Id cùm audijſſet unus illorum Judicum, pronunciavit me mortis reum eſſe; & confeſtim funem in collum meum injecto, amandârunt me in carceres Ikinoximenſes, ubi modò verſor cum duobus Religioſis, qui profecti Manilâ, capti ſunt à piratis Anglis. Servamus perpetuum jejunium, utpote qui modicâ duntaxat orizâ, & herbis vitam toleramus. Sæpe cuſtodes carceris doceo Chriſti Fidem, qui: ijs quidem quæ dico aſſentiuntur, ſed ne Chriſtiani fiant, edictis Xogun deterrentur. Interea expectamus reſponſum ex Aula. Dum fiat DEI voluntas, ego fretus ejus gratiâ, ad quemvis caſum paratus ſum. Nè ceſſate me DEO veſtris orationibus commendare. Saluto omnes peramanter, & quæſo ut meas mihi culpas ignoſcant. In ſingulas horas mortem operior lætus & ſinè mora.* Rurſum ad P. Petrum Paulum Navarrum, Rectorem Arimenſem, ſic ait: *Affirmabas R. P. utì recordor, poſtremis tuis ad me literis, ſperare te, me in Cœlis viſurum eſſe vel Confeſſorem, vel Martyrem. Ecce mi P. in Chriſto chariſſime, dignus factus ſum, qui Fidem Chriſti pro Tribunali Firandenſi confiterer, & hac de cauſa carcere modò teneor in hoc Mundi angulo. Quis novit, num te non ſim acceſſurus? ſed non ſum tanto favore dignus.*

Certior interea factus Imperator de comprehenſis DEI ſervis, indignatus quòd ſuo edicto poſthabito, Chriſtianam Doctrinam porrò in Japonia Religioſi prædicarent, continuò imperat P. Camillum vivum torreri, & ſocijs ejus cervicem abſcindi. Edu-

ctus ergo ex carcere, in quo ſolus ſupererat, P. Camillus, ſocijs jam alibi ſublatis, funibus & catenis adſtrictus, ſex Dynaſtæ adminiſtros in littore ſe præſtolantes invenit: quibus cum ſingularis ſignificatione benevolentiæ, utì & ijs qui ſe comprehendiſſent, & qui ad mortem ducerent, gratias agens, vidit inter reliquos Gonrocui primarium Miniſtrũ, ſupplicij ſui Præſidem futurum. Quem de more veneratus, gratias egit, quòd ſuâ causâ tantum viæ, nec ſinè incommodo confeciſſet: id quod ipſe dixit eâ oris hilaritate, morúmque venuſtate, & gratiâ, ut circumſtantes obſtupeſcerent, hominem qui mortem expectaret, tam lætum eſſe, atque imperterritum. Ad locum necis, quia inter innumeram multitudinem multi etiam Angli & Hollandi ſpectatum convenerant, Flandricè ad eos præteriens Pater verba habuit, quibus eos de Chriſtiano officio commonebat. Sic nimirum remuneratus eos, quibus authoribus ea fuerat excitata perſecutio. Ubi attigit repagula, quibus obſeptus erat incendij locus, clarâ voce dixit: *ſe Camillum Conſtantium eſſe, è Societate JEſu Sacerdotem, gente Italum*; cujus memores vellet eſſe Chriſtianos, qui adeſſent. Hoc dicto, mox funè lentis ex arundinibus contexto alligatus ad palum eſt. Tum velut è ſuggeſtu, quem optaverat dudum, concionari cœpit, poſtquam profeſſus eſt, ſe nullâ alia de cauſa morte damnari, quàm quòd Fidem Chriſtianam divulgâſſet. Et propoſitis illis Evangelij verbis: *nolite timere eos, qui occidunt corpus*; de ijs inuſitato ardore dicendi diſputavit, tandémque concluſit, corpus ſeriùs aut citiùs inevitabili fato abiturum in cinerem; proinde ſævirent in ſe ùt liberet, animum certè ſuum neque legibus mortis, neque ipſorum poteſtati eſſe obnoxium. Inter hæc circumquaque ſuccenſo rogo, inter flammas nihilominus voces audiebantur denunciantis, *Cæleſtem beatitudinem, præter eos qui ſequuntur Chriſti ſacra, atq; ex ejus præceptis vitam ſanctè exigunt, cæteris omnibus intercluſam eſſe: pro hujus defenſione Religionis ſe libenter mori, & ſummâ voluptate agitare inter flammas: cæteræ ſectæ, credite mihi*, inquiebat, *ſunt mera ſomnia, & commenta Bonziorum, fraudes & inventa Dæmoniorum, quibus homines in ſempiternum interitum agere præcipites, & ab recta ſalutis via abſtrahere conãtur.* Hìc denſus fumus exortus, totum prætexens aërem creſcente incendio, fervum Dei oculis ſpectantium eripuit. Et tamen inter ſtridores illos ardentis flammæ cùm pectus ejus alio majore igne æſtuaret, audiebantur adhuc maximâ vi concionantis voces. Paulò pòſt viſæ flammæ diſcedere, ut inter eas ipſe Camillus ſpectari poſſet, precibus piè intentus. Nec diu quievit, cùm ſublatâ voce cæpit ſuaviſſimè decantare Pſalmum: *Laudate Dominum omnes gentes*; eo finito exorſus, *Gloria Patri*, videbatur mox ſuccubiturus ſupplicio, ut æternæ gloriæ initium faceret. Verùm generoſiſſimus Athleta, quaſi novas de integro vires hauſiſſet, cæpit denuo ſermonem habere utrâque linguâ, latinâ, & Japonicâ. Et dum diſſerit, ſive ſpe erectus mox affuturi præmij, ſive ex copia Cœleſtium voluptatum, tertiùm ingeminavit Japonicè: *O quàm mihi bene eſt! O quàm mihi bene eſt!* idiotiſmus is eſt ingentis lætitiæ index apud Japonios. Interea gliſcente incendio, & horribili crepitu perſtrepente, conſumptis veſtibus, apparuit ejus corpus nivis inſtar candidum; at mox ignium vi prorſus decoloratum. Tum verò exiſtimabant circumſtantes fortunatam illam animam ad æternæ vitæ requiem migrâſſe, quando omnibus admirantibus exauditus eſt validâ & canorâ voce invictus Sacerdos, qui ſe in illis flammis Deo ſacrificium offerebat, canere quinquies hanc vocem triſagij: *Sanctus, Sanctus*; ut ſatis appareret, fortiſſimum pectus affluere Cœleſti gaudio. Atque ità finem vivendi fecit, ut idem ſanctum carmen exordiretur unà cum Angelis concinere, ſed æternum in Cœlis. Incidit ejus pretioſa mors in diem 15. Sept. A. 1622. cùm ipſe quinquageſimum eſſet ſupergreſſus ætatis. Venerandæ ejus reliquiæ, quòd ijs terra digna non eſſet, à ſceleratis lictoribus in mari ſepultæ ſunt.

Gabriel Camilli hoſpes, quòd eum domo ſuâ aliquando recepiſſet, & ipſe vitâ privatus eſt. Uxor verò ejuſdem Maria, cum tota Gabrielis familia (ſex capita erant, præter duas ancillas, & filiolum unius triennem) biennio toto ſub cuſtodia habita, tandem & ipſa pretioſam mortem ſortita eſt. Atque ex his præcipuè fervor enituit in puella 11. annos nata, Gabrielis ſorore, quæ ubi nudari enſes in ſuam omnium necem à primoribus Urbis Firandi Proceribus vidit, ad Gratiam Matrem converſa, *ô Mater*, inquit, *hi quidem Paradiſum nobis aperiunt, numquid par eſt illis gratias referre, & nos quidquid gaudiorum eſt gaudere?* Prima quæ gladio cæſa eſt, Maria fuit Gabrielis avia, ſupra 90 annos nata: quam ſecutus eſt nepos alter Linus, 21. annorum adoleſcens: Poſt hunc Maria ſoror octo decennis natu major; & mox ejuſdem nominis minor 11. annorum. Spectabat hæc ſuo-

ſuorum funera Gratia ſemper impavida, tandémque & ipſa cum nuru ſua gladio cæſa occubuit, anno ætatis 50. nurus verò 19. Reſtabant duæ ancillæ, Cæcilia & Maria, cum trienni filiolo Michaële; is cùm nondum intelligeret quid metus eſſet, eluctat⁹ è bajulantium brachijs, rectà ad Cæciliæ matris, ictum jam præſtolantis, ſinum accurrit: quæ cùm ſuaviſſimè eum eſſet complexa, & pro auxilio JESUM cum MARIA invocâſſet, primum ipſa, ſecundum ictum excepit animoſus puſio: tandémque beatum agmen ultimò cæſa complevit ancilla altera Maria. Corpora omnium, ne venerationi Chriſtianis eſſe poſſent, alligatis ſaxis in mare demerſa ſunt.

P. Petrus Nauarrus Italus, Dionyſius Fugixima, et Petrus Omuzuccha Iapones Soc: IESV, vivi pro Fide lento igne conſumti Ximabaræ in Iaponia 1 Novemb: A. 1622.

C. S. d. M. K. f.

P. PETRUS PAULUS NAVARRUS, cum duobus Socijs.

QUam Amanguccij fundavit Eccleſiam S. Franciſcus Xaverius natione Navarrus, multis annis inſigni cum fructu procuravit P. Petrus cognomento Navarrus, natus Laini oppido Calabriæ. Excurrebat ille annis ſingulis Amanguccio ad Bungenſes, aliósque finitimos Fidei myſterijs imbuendos; donec prorſus exeſſe juſſus eſt à Teramoto Dynaſta, qui ſui Regni amiſſionem, Bonzijs ſuaſoribus, ſibi accidiſſe credidit, ob toleratum in ſuis ditionibus P. Navarrum.

Abeuntem lachrymis & deſiderio proſecuti ſunt Amangucciani; at gaviſi Bungenſes, quòd Patrem jam integrè poſſeſſuri eſſent, quo hactenus velut dimidiato fruebantur. Ergo à Moderatoribus enixè ſibi dari poſtulârunt, impetrârúntque rei ſacræ curatorem; neque dimiſerunt priùs, quàm duodecimo pòſt anno à ſæviente in Eccleſiam Daiſuſama Imperatore, ingenti omnium Chriſtianorum mœrore expulſus eſſet; ſed non multò pòſt ijſdem reſtitutus, geminatis ærumnis laboribúsque, præter voluntarias pœnas exceptus eſt. Solebat enim præter jejunium in totas hebdomadas absque omni cibo protractum, quotidie flagellis ad ſanguinem in ſe deſævire. Incertâ tum veſte utendum Patri erat, & noctu ſolùm per confragoſos montes, & mille diſcrimina vitæ nudis pedibus, multóque vulnere crebriùs cruentatis inviſendi, & in Fide ſtabiliendi Neophyti; latitandum multis diebus in fovea, dum aſſumpto bajuli habitu, ſtramineo tectus pileolo inſidiantes milites eluderet. A quibus tandem noſtrorum in Tacatu quartum annum jam Rector comprehenſum ſe, ità in literis ad Rectorem Nangaſachenſem datis enarrat: *Ineunte adventu accerſitus à Rev. P. Provinciali veni Cazuſam. Ibi confeſſus generaliter, rationem illi reddidi conſcientiæ meæ. Dein trajecto mari, biduum moratus Obamæ, abij noctu verſùs Faxirao, quò me abdidi, ut ſpiritualibus Exercitijs vacarem; ſimul Chriſtianis Arimenſibus denunciavi, comparārent ſe ad ferias Chriſti Natalis piè per Sacramenta ſuſcepta celebrandas; adfore me tempori, qui adminiſtrarem. At illi veriti, nè in manus venirem exploratorum Dynaſtæ, ſibi ſatiùs videri reſcripſerunt, ſi Natalem cum Fairaënſibus celebrarem, ipſi Circumciſionis diem expectarent. Veni Arimam noctu, cum duobus viam monſtrantibus, & quia deerat navigij copia, coactus ſum viam Regiam inſiſtere. Nox erat illuſtris. Obviam nobis factus duabus ante mediam noctem horis famulus Dynaſtæ, obtutum in me defixit, & quod erat ſuſpicatus, me per veſtem infra pectus corripuit, juſſítque ſubſiſtere; cui Ego: non eſt, inquam, quòd in me retinendo labores, ego enim ſpondeo me non abiturum. Sic dimiſſum ducebat ad quendam Præſidem. Verùm cùm pòſt paulò facti eum pœnitudo ſubijſſet, noluit ultrà procedere; atque ità reliquum noctis exegi in domo hominis Ethnici. Poſtridie ubi luxit, factus certior Tonus, qui Ximabaſæ 5. leucis ab Arima ſedem habet, angi animo cæpit, tum quòd ad eam diem noſtris rebus ſtuduiſſet, tum quòd haud ità pridem Xoguno præſente jactaverat, nullum in ſua Provincia Religioſorum eſſe. Quare ut honori ſuo conſuleret, literas dat ad quendam è Gubernatoribus Japoniæ ſibi addictum, conſulens quid opus ſit facto. Interea quia rem geſtam rumor indies latiùs vulgabat, juſſit me Ximabarum deduci, valido militum præſidio cinctum, poſt dies 20. quàm Arimæ fueram in hominis Ethnici domo. In via hoc unum egi, diſſerui de Fide Chriſtiana, adeóque me libenter audierunt, ut præclarè erga noſtra Sacra animatos reliquerim. Qui militibus præerat, fuerat olim Chriſtianus, ſed in Ethnicos errores relapſus, ex eo ſermone reſipuit, decrevítque ad Chriſtum reverti. Cùm detinerer Arimæ, facta eſt poteſtas omnibus impunè audiendi me; fructum inde cœpi non modicum; & hoſpes meus cum conjuge viſi ſunt ad Fidem noſtram inclinare. Præter cæteram humanitatem, quâ me domi ſuæ complexi ſunt, Ximabaram etiam venerunt, ut me allocutione & donarijs recrearent. Oravi Tonum ut me publico in carcere collocaret, aut Omuram transmitteret, ad alios Religioſos; ſed fruſtra fui. Depoſuit me vadibus acceptis in fidem 4. Chriſtianorum Ximabarenſium, & 5. Arimenſium, qui mei habendi curam libenter ſuſceperunt, parati vel ſua diſtrahere veſtimenta, ſi ferat uſus in ſumptus meos. Diverſor apud Andream Mongoyemonem, gratiâ pollentem apud Tonum, ubi quotidie ſacrifico, multísque Sacramenta diſtribuo, libero ad me acceſſu Chriſtianis facto. Inviſerunt me Ethnicorum aliqui è Nobilioribus, qui, quæ cum ipſis diſputavi, probare viſi ſunt. Ipſis eadem referentibus, Tonus accenſus eſt deſiderio res noſtras audiendi. Salutavit me per Ephebum, & fructus dono miſit: dolere ſibi, quòd in manus inciderim; diſſimulaturum ſe fuiſſe, ſi potuiſſet, quemadmodum cum alijs Patribus faciat, quorum 10. ſi velit, poſſet comprehendere, gnarus ubi verſentur. Optare ſe ut ex Aula jubear navigare Macaum; præſtiturum ſe navium ſuarum, totiúsq; commeatûs, & militaris præſidij opportunitatem. Sed avertat omen DEUS. Ego hic aveo vitam abſolvere, & profundere ſanguinem pro eo, qui ſuum pro me prior profudit, atque ad id me comparo. Commodum accidit, ut P. Joannem Baptiſtam Zolam convenirem, cui ſemel iterúmq; confeſſus, expecto quid jam de me afferatur ex Regia Tendo.*

Interim quia Bungondonus loci Dynaſta, cupidine Patrem audiendi ad ſe accerſivit, quæ eâ occaſione invicem egerint, ità in alia epiſtola proſequitur. *Accerſivit me*, inquit, *Bungondonus in Arcem, méque excepit cum inuſitati honoris ſignificatione. Deinde poſtquam fructus, & alia xenia mihi præbuit, ſermonem de æterna ſalute ingreſſi ſumus. Oſtendebat difficilè ſe aſſequi, quare DEUS, qui omnium Creator*

tor eſt, non omnes faciat ſalvos. Reſpondi, Deum ideo condidiſſe hominem, ut per virtutem & bonas artes ad ſalutem veniret; dediſſe tamen illi arbitrij libertatem, quâ bonum amplecti poſſet, aut malum, utì libuiſſet, ſed præmium pœnámve ſempiternam propoſuiſſe pro meritis inferenda. Id ſummæ Sapientiæ conſilium fuiſſe. Nam cùm det unicuique auxilia & vires, quibus bene agere valeat, fit ut libere utenti, aut repudianti, ſua debeatur merces, aut ſupplicium; & qui ſponte abutatur, ipſe ſibi malum creet, & æternum: comperto DEUM ſolos eos arcere Cœlo, qui ſibi rebelles ſunt & contumaces. Exemplum mihi eſto abs te ipſo Domine. Tu priusquam ſervis tuis agros partiare, vel aliud congiarium des, ſingulorum promerita ſolerter expendis; præmium morigeris, rebellibus pœnam decernis. Hoc ſi te mortalem decet, quomodo non magìs oporteat Conditorem ac Dominum omnium, qui perfectiſſimus eſt, æquâ lance hominibus vel Juſtitiam exhibere, vel Miſericordiam? Ad hæc cùm quid opponeret non haberet, annuit Tonus approbavítq; : mox ſubjecit: Impensè doleo plurima tibi aſpera perpetienda eſſe, ſi in Japonia morêre diu; quidni repetis Patriam tuam, ubi tuò vivere modo poſſis? Gratijs priùs actis reſpondi, graviſſima me multa per immenſos Oceani tractus expendiſſe in eam curam; ætate confectum, optare me pro Chriſto inter Japones mori. Hæſit attonitus Dynaſta; & converſus ad Ethnicum Nobilem, qui aderat, oſtendebat vix ſe ſuam capere admirationem. Poſtea ſermone delapſo ad calumnias, quibus Ethnici Chriſtianam Religionem conſueverunt aſpergere, protuli Apologiam è ſinu, quam exordio ſævientis procellæ pro Fide conſcripſeram: eam Tonus cùm ſecretario dediſſet legendam, probabat quæ recitabantur, non ſinè laude ſcriptoris. Ubi perventum eſt ad refellendam calumniam, de Regnis ſub jugum Chriſtianorum compulſis: hoc verò eſt, inquit, quod Imperatorem angit, habétque ſollicitum. Cui ego, haud ægre Xogun deſinat metuere, & ſuſpicaces animos ponat, ſi hanc Apologiam legat. At, inquit ille, Philippinæ Inſulæ in oculis ſunt, teſtes locupletes. Dixi, de illis mihi non ſatìs liquere, quæ Juris alterius ſunt: Luſitanos autem Macai, Malacæ, Cocini, Goæ, totíſq; Indijs, paci cum finitimis Regibus inviolatè ſtudere. Adjunxi de Roma multa, de Conſtantino Magno, de Eccleſiæ ſub ejus Imperio felicitate. India ab Europa quanto diſtaret intervallo, quantis periculis, oſtendi: nam ipſe, ùt in longè poſitis conſuevimus, omnia ſibi propinqua repræſentabat. Audita ſunt omnia cum plauſu & admiratione. Tum addidit ipſe: Utinam veſter iſte Deus Xogunum traheret ad ſuam Fidem; eum mihi crede, univerſa Japonia ſequeretur. Antequam mihi faceret abeundi copiam, dixit ſe optare, ut Patribus noſtris liceret Nangaſachi ſaltem impunè degere, ut è propinquo eos convenire, & ſanctis eorum ſermonibus frui poſſet. Juſſit quàm primùm deſcribi Apologiam meam, & facilè paſſus ſum; ſpero enim brevì in Curiam Japoniæ pervaſuram. Jam ſermones ſerebantur in noctem; idcirco modeſtè facultatem abeundi poſtulavi. Aſſurrexit ille, & honoris gratiâ in atrium uſq; me proſecutus eſt, ibi manibus ac capite humum contigit.

Perrexit interim Pater ſe comparare ad mortem, continuo meditationum, verberationum, & cilicij, quod nunquam depoſuit, uſu. Tantus autem undique dicendi causâ ad eum concurſus fiebat, Ximabarâ, Nangaſacho, Tacau, imò uſque è Regnis Bugen & Bungo, ut cuſtodia videretur in Eccleſiam tranſijſſe. Omnes ille, quâ poterat benevolentiâ, excipiebat; operam dabat confitentibus, porrigebat SS. Euchariſtiam; firmabat in Fide, baptizabat complures infantes, & clàm ad ægros ſæpe viſebat. Quod ab oratione ſupererat temporis, convertendò Japonicè libro P. Petri Antonij Spinelli de laudibus B. Virginis totas noctes impendebat, dum demum abſolveret. Et jam ultra dimidium anni captivo Patri effluxerat, cùm deſiderata ab Imperatore in eum allata eſt mortis ſententia, jubens eum cum duobus ſocijs lento incendio conflagrare. Quod ſimul ùt ad aures Patris perlatum eſt, tantis inceſſit lætitijs, ut nè ſuccumberet gaudio, formidaret: idque maximè dum ſacrificaret, poſt conſecrationem ſuperinfusâ Cæleſti dulcedine, tantum lachrymarum & ſuſpiriorum profundere notatus, ut peræ grè abſolveret. Quæ ſua ſolatia ipſemet ſocijs communicans per literas. ità expreſſit. *Credo jam tibi innotuiſſe,* ſcribit ad P. Zolam, *ſententiam, quæ me flammis vivum addicit. Infinitas gratias DEO optimo ago, de beneficio tam ſingulari. Et tu R. P. pro tua in me charitate, mecum unà gratias age magno DEO, & impetra mihi tuis orationibus perſeverantiam uſq; ad ſupremum ſpiritum. Millies te amplector in Domino, & precor ut meas mihi culpas ignoſcas.* Patri Matthæo Couros ſcribit in hunc modum: *Lectis tuis literis R. P. non potui cohibere lachrymas, ſpectantibus omnibus qui convenerant, cum ſingularis amoris ſignificatione, ut ultimum mihi valedicerent. Remuneret DEUS hunc inſignem amorem, quem mihi cùm aliàs ſemper, tum hoc extremo tempore demonſtrâſti. Anni jam ſunt complures, cùm hoc tam inſigne beneficium à DEO flagito; ſed identidem verebar, nè ob mea peccata non exorarem. Nihilominus*

minus Pater miſericordiarum conjecit oculos ſuos, non in mea crimina, ſed in ſuam clementem Bonitatem, & compotem me fecit voti mei. Sit ipſe benedictus in æternum, & in ultimam uſq; horam ſuam mihi dexteram porrigat. Feliciſſimum me, ſi poſt tot annos infructuosè transactos, tandem ad me revertar; quod equidem ſpero me impetraturum, per Sacrificium quod feciſti hodie pro me, in Beatiſſimæ Virginis honorem, in qua ſita eſt ſpes mea, & quam precor, ut poſt hoc exilium, & captivitatem, oſtendat mihi peccatori benedictum fructum ventris ſui JEſum. Oſi aliquando mihi contingat precibus hujus magnæ Reginæ venire in conſpectum Sancti Filij ejus, & totius Sanctiſſimæ Trinitatis! certò tibi perſuadeas, me beneficiorum, quibus abs te ſum affectus, memorem, ſupplicaturum DEO noſtro, ut nos conjungi velit in Paradiſo, ut nunquam divellamur. Nudius tertius inviſit me P. Zola, cujus alloquio mirificè ſum recreatus, cùm uſq; ad ſeram noctem unà de DEO loqueremur. Amplector te R. P. millies, & ut SS. Sacrificijs tuis DEO me commendes, rogo. Eidem 30. Octobr. *Res ipſa* ait: *ſatis oſtendit te R. P. imitatorem eſſe illius boni Magiſtri, qui cùm dilexiſſet ſuos, in fine plusquam aliàs oſtendit, quantum eos diligeret. Deus rependat tibi hanc conſolationem, quam mihi tuis literis charitate plenis attuliſti. Si non confiderem brevi inter nos reviſuros in Cœlo, exclamarem, mihi crede, ſiccine ſeparas amara mors? ſed quia ſpero me adjutum precibus B. Virginis, & tuis, brevi diſceſſurum, ut fruar amplexibus Chriſti noſtri, idcirco taceo, & unum hoc dico, me in Cœlum proficiſci, ubi amicum præſtolabor. Heri primâ luce conveni P. Zolam. Ad hunc modum comparo me quotidie diligentiùs ad optatas Agni nuptias. Ipſe pro ſua pietate me deducat ad illas Cœleſtes delicias, ubi nunquam mihi excidet, quantum tibi debeam.* Denique pridie quàm mortem obiret, eidem ſic ſcribit: *Non eſt R. P. de diſceſſu meo quod doleas. Societas me amiſſo jacturam non facit, qui ei annos 44. tam negligenter ſervivi, cujus me valde pœnitet: proinde juva me mi P. ut veniam à DEO impetrem. Necdum reverſus eſt Nangaſacho, qui miſſus eſt ad Gourocuum, ſpero tamen hodie reverſurum; negotiumq; meum confectum iri. Utinam craſtinus dies, qui omnibus Sanctis ſacer eſt, meta ſit votorum meorum, ut multiplicatis interceſſoribus, liceat mihi fortiter mori pro bono JESU meo, qui pro me peccatore tam copiosè profudit ſanguinem ſuum. In Cœlo nos reviſemus.*

Illuxerat dies omnium Sanctorum honori ſacer, cùm Pater primâ luce, nondum conſcius pridie allatum de ſe reſponſum, Sacrum fecit tam uberibus perfuſus lachrymis, ut ſatis appareret, quanta vis ignis Divini eas exprimeret. Sacro facto, dixit ad 26. Chriſtianos tanto ardore, ut omnibus fletum cieret. Tum hoſpitibus ſuis nonnulla pietatis inſtrumenta diviſit, ſuum illis apud Deum promittens perpetuum patrocinium. Ubi verò reſcivit veniſſe de ſua morte decretum, contulit ſe ad valedicendum per literas, quibus videbatur id officij debere. Primas dedit ad P. Provincialem in hæc verba: *Magno mihi ſolatio P. R. fuerunt literæ tuæ. Gratias tibi ago ex animo. Opportuno tempore allatæ ſunt; cognovi enim adveniſſe eum, qui expectabatur, pro executione meæ necis. Itaq; hodie fretus favore omnium Sanctorum, moriar pro Chriſto Domino & Redemptore meo. Precor te ex animo, ut aliàs quoq; feci, ut quidquid erratorum admiſi in Religioſæ diſciplinæ obſervatione, mihi ignoſcas; atq; id ipſum velim ut mihi impetres à cæteris ſocijs, quorum orationibus me Deo commendari poſtulo. Ego, quæ DEI gratia eſt, latum me ſentio, promptúmq; ad moriendum pro amore & honore S. Nominis JEſu, neq; ullus metus animum meum percellit. Finio, petens ſuppliciter tuam ſanctam benedictionem, & commendans me enixè tuis ſanctiſſimis Sacrificijs, & precibus. Ximabaræ 1. Novemb. 1622. Petrus Paulus Navarrus, qui in momenta expectat mori, exuſtus pro Chriſto.* Alteras dedit ad P. Matthæum Couros: *Pater amantiſſime,* inquit, *vive felix. Quia hic ſolennis dies erit vitæ meæ poſtremus; ago immortales gratias æternæ Bonitati. Moriar animo læto & ſecuro, fretus meritis JESU Chriſti Domini mei, ad cujus conſpectum toto animi impetu anhelo. Tu mihi mea delicta ignoſce, neq; intermitte tuis ſanctis Sacrificijs & precibus mihi opitulari, quibus me commendo. Petrus Paulus Navarrus, qui paulò poſt deflagrabit pro Chriſto.* Duabus horis ante meridiem attulit Bungondoni famulus ad Patrem mortis decretum, his verbis conceptum: *Xogun Imperator Japoniæ, Patrem damnatum jubet vivum comburi, quòd remanſerit in Japonia, juſſus excedere, & contra Regis edicta, quæ prohibent Chriſti Legem vulgari, eam diſſeminavit.* Audivit ipſe ſententiam, quâ ſolebat eſſe vultûs hilaritate; dixitque, nunquam dum viveret, lætiorem ſe nuntium accepiſſe: & gaudere, quòd poſſit ſuo ſanguine doctrinam obſignare, quam 36. annis Japonibus tradidiſſet: hoc ſe fine caput objeciſſe periculis innumeris, reliquiſſe Patriam, & quæ mortalibus ſolent eſſe chariſſima. Ideo non habere ſe quod de Xoguno queratur; & ſe plurimum Bungondono debere. His dictis orſus eſt magnâ rationum vi ſuadere ei, qui mortis decretum attulerat,

tulerat, ut ſe Chriſto adjungeret. Sed hominem ſævitia perſecutionis deterrebat. Tonus reſponſo Patris accepto, lachrymas non tenuit. Proceſſit ad certamen Chriſti Athleta poſt meridiem, pallio indutus, nudis pedibus, & Roſario de collo ſuſpenſo. Ducebantur unà Dionyſius, Petrus, & Clemens, qui cum illo fuerant in via comprehenſi, duóque priores jam erant in Societatem adlecti. Vultûs ſerenitas cum inuſitata quadam modeſtia conjuncta, omnium oculos præcipuè in Patrem converterat. Ipſe litanias præcinebat, cæteris reſpondentibus, Ethnicis vehementer attonitis ad tantam euntium ad ignes tranquillitatem. Ubi ad locum reorum ſupplicijs infamem deventum eſt, palos ibi defixos Pater detracto capiti pileo veneratus eſt, cæpitque tam feſtinatò ingredi, ut ægrè poſſent alij conſequi. Ut intra repagula ſubijt, nixus ante ſuum ſtipitem genibus, DEO de beneficio, quod accipiebat, gratias egit. Paulò pòſt cùm ſurrexiſſet, à quaternis lictoribus columnæ alligatus eſt. Roſarium & cingulum à lictoribus derepta, Chriſtiani magnis donarijs redemerunt. Ubi Tonus advenit, rogo injectus eſt ignis. Spirabat validè ventus, ideóque correpto mox flammis pallio Patris, ſemiuſtulata veſtium fruſta in ſublime ferri viſa ſunt. Deinde ſerpente flammâ ſpectatus eſt Pater, qui modò ſocios ad conſtantiam hortabatur, admonebátque ut JEſum invocarent, modò lumina tollebat in Cœlum, quò aſpirabat. Denique vinculis igne conſumptis, in alterum latus prolapſus eſt, cùm identidem clarâ voce repeteret: *JESUS MARIA. JESUS MARIA.* Pari fortitudine, benedicente ipſis ſecundò P. Petro Paulo, triumphârunt de igne cæteri, & Petrus eò glorioſiùs, quò, quia longiùs aberat ab incendio, productius tormentum habuit. Incidit ea victoria in diem 1. Novemb. A. 1622. cum P. ageret annum ætatis 62. ab inita Societate 44. Dionyſius vixerat annos 38. Petrus 18. non ità pridem Societati donati; cujus jam vota nuncupaverant. Corpus P. Petri cilicio præcinctum (quod nunquam à primo captivitatis die depoſuit) unà cum reliquis redactum in cineres, in mare projectum eſt. Chriſtiani ſacris pignoribus fruſtrati, dolorem leniebant carcerem inviſendo, quem generoſus Athleta incoluit, quò non aliter ſubibant, quàm nudis poplitibus proreptantes, venerationis ergò.

P. HIERONYMUS DE ANGELIS, & SIMON JEMPO.

PRimum Apoſtolum Regni Yezo ultra Japoniam ſiti, meritò dixeris P. Hieronymum natione Siculum, ea in urbe natum, quæ Ennam majores, hodie Caſtrum Joannis vulgò vocant. Is cùm Panormum Juris diſcendi gratiâ veniſſet, ad ſpiritualia S. Patris noſtri Exercitia inductus, in illis animum concepit erga Societatem; cujus Tyrocinium Meſſanæ A. 1585. exorſus, domum illam amplâ Nobilis ſuæ Domûs hæreditate (quâ etiamnum utitur) dotavit, & egregijs virtutum exemplis illuſtravit; abſtinentiæ imprimis, quâ nè ſe conficeret, ſollicitè advigilandum Moderatoribus fuit. Impetratâ crebris apud Moderatores poſtulationibus miſſione Japonicâ, Ulyſſipone in Indiam ſolvit necdum Sacerdos, cum Carolo Spinola A. 1596. in qua navigatione, præter captivitatem Anglicam, & alia incommoda cum Carolo ſibi communia, in geſtis ejuſdem ſuprà relata, illud habuit in ſecunda ab Luſitania navigatione, Sacris jam initiatus, peculiare, quòd piratico è lembo prolapſus in mare, cùm nullam prædones impij (quâ noſtrum in nomen immanitate ſectarij ſunt) operam illi eruendo darent, à puppi unde exciderat, ad proram ſubter navim delatus, emerſerit nihilominus Divinâ protectione incolumis, quamvis impetu ventorum turgentibus velis celerrimè raperentur. In Indiam delatus A. 1599. poſt triennium tandem, in expetitam tot votis Japoniam pervenit: Ubi poſt unius anni laborem in condiſcendum gentis idioma expenſum, Fuſcimi noſtris præeſſe juſſus, eam curam aliquot annis exercuit. Multos ibi recens ad Fidem adduxit, multos jam priùs adductos, egregiè ad omnem virtutis laudem excoluit. Inde Surungam, ubi ſuam eâ tempeſtate Regiam Imperator Daifuſama collocaverat, ut ſtabilem ea in Urbe ſedem Societati primus fundaret, ſe tranſtulit. Cúmque è ſententia ea res cecidiſſet, placuit Yendi, quæ altera erat Regia, idem tentare. Verùm inde magnâ in ſe concitatâ procellâ ejectus Surungam, nec multò pòſt Socijs omnibus totâ Japoniâ proſcriptis, Meaci clandeſtinus remanens, totam eam

P. Hieronym, de Angelis, Siculus, Simon Iempo Iapon. Soc: IESV, cum Ioanne Faramondo Imperatoris Iaponiæ Conſobrino, vivi lento igne pro Chriſti fide exuſti Iendi in Iaponia 4. Decemb: A. 1623.

C. Soreta del. Melchior Küſell f.

eam vaſtiſſimam Inſulam Evangelij prædicatione ultro citróque non ſemel permenſus, tam ardua, tam multa ſuſtinuit, ut ea ſupra conditionem eſſe mortalis naturæ, ſupráque vires credi poſſint. Primus in amplas 5. Provincias, primus in tria Regna, longè in extremo Japoniæ ad Orientem ſubmota, Fidem intulit; primus extra Japoniam penetravit in regionem Yezo, quæ brevi disjuncta freto, Inſula ſit an pars aliqua Tartariæ Orientalis, nondum ſatis exploratum eſt. Primus item ſuâ viſitatione Chriſti pugiles inclytos ſolatus eſt, quos A. 1614. Tyranni furor Meaco, Ozacâ, Facoco pulſos, in extremos Japoniæ fines Tzungarum relegavit, incredibili ubiq; animarum facto proventu. In Regna Cami primùm veniens, cùm vix mille mortales Sacris imbutos Chriſtianis reperiſſet, ipſe brevi intervallo ſupra dena millia, ac deinceps longè plura ſuâ manu abluta Chriſto conciliavit. Cùm in Regno Oxo, quod ultimum eſt in Japonia ad ortum ſolis, An. 1621. populares ſuos graviùs Rex inſectaretur ob Fidem, deliberatum Patri fuit iræ Principis ſemet publicè objicere, quò vel commiſſum ſibi gregem tueretur in Fide, vel certè ad dimicandum fortiter firmaret exemplo. Sed impeditus à Chriſtianis, accurrit Xindajum, ut ibi contra vehementiùs invaleſcentem Tyrannidem Cives firmaret: quos ipſe cultu identidem mutato, modò ſingulos adibat per noctis obſcuræ ſilentia, modò deſignabat locum quò convenirent: modò obvios in compitis, ſicut confabulaturus, per exomologeſin

logeſim expiabat; donec à Moderatoribus Jendum Urbem Regiam adire juſſus, rem ibi Chriſtianam ultimo biennio adminiſtravit, tot mala perpeſſus, tam gravia expertus incommoda, ut qui robuſtus antea & ſucci plenus erat, jam macie tenuatus, vix idem ipſe eſſe agnoſceretur.

Opportunè per illud tempus A. 1623. aberat Jendo Xogunſama Imperator, quâ opportunitate liberaliùs ſe P. Hieronymus in conſpectum dare, augeréque incrementis egregijs Eccleſiam Dei cæpit. Erat è Bonzijs præcipuus unus doctrinâ inter ſuos & authoritate, qui majorem inter Chriſtianos æſtimationem, & opes conſecuturum ſe, propter ejus opinionem doctrinæ, quàm inter Gentiles ſperans, Baptiſmo ſuſcepto Chriſtianis ſe aggregavit. At ubi ſpes ea decepit expectationem, per ipſam Chriſtianorum perniciem ad cupitas opes graſſari certus, Urbis Gubernatorem admonet, multa ſe millia nôſſe Chriſtianorum, duósque illorum Paſtores, qui ipſa in Urbe Regia commorentur. Protrahat igitur in lucem indicio ſuo clancularios Patres, gratiam Imperatoris hoc facto, opes, honorésque, utrique ſibi mercaturus. Verùm ubi cunctantem Bonzius Gubernatorem, & vanitatem conſilij prætendentem advertit, Meacum feſtinus excurrit, & quanta ſit præda in manibus ipſimet Tyranno explicat. Imperator indicio lætus, donatum lautè Bonzium continuò remittit, & in Patres, ne quà elabantur, eſſe jubet intentum. Hæc neſarij proditoris ſcelerata conſilia, quamvis diſſimulatione maximâ agitata, ſubodorati Chriſtiani, omni ratione diſcrimini Patrem ſubducere ſatagebant. Sed jam res illuc evaſerat, ut nec illi tutus pateret ad fugam exitus, utpote qui toti Regiæ paſſim uſu quotidiano atque occurſu notus, obſtupeſceret ipſe, quî latere tam diu potuiſſet; neque poſſet abſque multorum excidio diuturnâ occultatione defendi; atque adeò univerſa Chriſtiana res extremâ ſtare fortunâ videbatur. Eapropter extrema quoq; experiri, conſilio ab omnibus approbato, conſtituit, ut ad multorum ſalutem ſuo unius capite redimendam (nam alioquin ſi in ædibus cujuſpiam deprehenderetur, omnes 20. domuum ſuo domicilio vicinarum incolas, cum ipſis infantibus in necem, ità jubente Imperatoriâ lege, trahebat) occuparet prior ipſe, & Gubernatori ſe ultro ſiſteret, vilem ità animam cum beata commutaturus immortalitate. Ea ubi ſententia ſtetit, ingenti delibutus gaudio, illâq; Prophetæ verba uſurpans: *ſi propter me orta eſt tempeſtas, tollite me, & mittite in mare*; Japonico cultu, ſub quo latuerat compluribus annis, abjecto, barbâ poſitâ, vertice in coronam Sacerdotalem raſo, conſuetam Societatis togam & pallium, unà cum Simone Jempo, poſt Catechiſtæ munus 20. annis laborioſiſſimè obitum, Societati demum adſcripto, induit. Sic inſtructus Gubernatori ſe animoſiſſimè cum Simone obtulit P. Hieronymus, profeſſus ſe inde usque ab Sicilia Patria ſua, per innumerabiles terrarum marisque difficultates, in Japoniam eâ causâ convolâſſe, ut eos ignorantiæ tenebris obſeſſos niteretur quaquâ poſſet ope, ad lucē Veritatis, atq; æternam ſalutem eruere. In hanc curam multis annis à ſe laboratum, multum eſſe malorum toleratum: quibus nunc ipſam etiam vitam quoque libenter ſeſe, dum Japoniæ proſit, adjicere. Conſtitit inſolentiâ tantæ fortitudinis mirabundus aliquantiſper Gubernator; & nonnulla deinde ex utroque ſciſcitatus, ambos in cuſtodiam juſſit abduci. Ibi Simon uſus eâ, quâ pollebat ad perſuadendum facundiæ vi, Divini Spiritûs aurâ aſpirante, 40. Japones qui vincti in eadem cuſtodia tenebantur, ad Sacra Chriſtiana traduxit.

Interea temporis Meaco triumphabundus, ob res bene geſtas, ubi revenit Imperator, atq; ex Gubernatore intellexit tres comprehenſos eſſe in Urbe Regia Patres proſeminatores Evangelij (nam præter duos noſtros interceperant etiam P. Fr. Franciſcū Galuez Franciſcanū) in tantum furorē & dolorem efferbuit, ut palàm dictitaret, leviùs ſanè ſe toleraturum, ſi aliquot in ſe correptis armis Regna moviſſent, quàm quòd ipſam etiam in Regiam Patres, contemptis proſcriptionibus, ſpretis minis atque ſupplicijs, inſinuare ſeſe minimè formidarent. Sed facturum ſe palàm, & ſeveritate ſupplicij, & vel ſui ſanguinis internecione, quo demum animo in Chriſtianos ſit; & ne ſibi quiſquam poſthac, aut claritudinis obtentu, aut quaquâ impunitatis aliâ ſpe blandiatur, ſuum ſe Conſobrinum Joannem Faramondum, cui odio Chriſtianæ Fidei comprehenſo juſſerat in fronte Crucis ſignum inuri, & unà cum illo Patres, ac circiter 50. alios, qui ſervabantur in carcere, flammis aboliturum. Igitur eductos ſinè mora omnes, imperat per vicos Urbis ampliſſimos ad ignominiam inſanæ plebis, & Faramondum quidem cum 2. Sacerdotibus, P. Hieronymo de Angelis, & P. F. Franciſco Galvez Franciſcano, equis impoſitos, reliquos 47. pedites circumduci, ut in ſubjecta

Regio Palatio area vivi concremarentur. In dorſo gerebant ſinguli ſuũ nomen grandibus notis deſcriptum. Concurrerat mortaliũ infinita vis ad inſolentiam ſpectaculi, & multi quoque Principes, qui ovantem erant Imperatorem ex omnibus Regnis proſecuti. Ut ad locum ſupplicij perventum eſt, ſuum omnes qui pedites inceſſerant ad ſtipitem, revincti ſunt: illi tres vetiti jumentis deſcendere, ſi fortè ſpectatis aliorũ pœnis labefactatâ conſtantiâ, poſſent ex Imperatoris libidine ad perfidiam transmoveri. Simon Jempo, qui totâ viâ omnibus Chriſti Fidem prædicabat, alligatus ad palum, longè efficaciſſimè eam ſuadere perrexit: eo maximè lætus, quòd inſcriptam magnis notis in tabula ſupplicij cauſam legeret in hæc verba: *Homines iſti tam grandi ſupplicio mactãtur, eò quia Chriſtiani ſunt.* Exprimi non poteſt, quàm invictũ animum omnes in tanta tormentorũ ſævitia geſſerint: neq; unus fuit qui ingemiſceret, qui ſe cõtraheret, aut vultu ſaltem minimũ doloris ſignũ oſtenderet. Ut vel ipſi gentiles dicerent, ſupra omnem naturam eſſe tantam fortitudinem. Chriſtiani verò ſpectatores tantùm abeſt ut ſupplicio tam immani terrerentur, ut potiùs magìs animarentur. Nam dum ignis fureret maximè, ſponte ſuâ ad Judicum aſſidentium Tribunal accurrunt Vir ac fœmina, & voce publicâ Chriſtianos ſe eſſe proclamant, ac proinde eodẽ cum illis incendio concremandos. Sed jubente Magiſtratu vincti duntaxat in præſentiarum ſunt, & cuſtodiæ traditi.

His ità crudeliter exuſtis, dum ad eosdem flammarum triumphos anhelarent tres reliqui, Faramondus loquendi copiâ poſtulatâ, dixit ex equo ad populum confertiſſimũ, *vel ex eo poſſe à quovis veritatem Chriſtianæ legis agnoſci, quando ipſe expectata, propter communem cum Imperatore ſanguinem, magnæ fortunæ gaudia, cùm adeò infami diráque morte libens ac volens commutet; idque poſt toleratum 14. annorum longum exilium, poſt truncatos ſibi manuum ac pedum articulos, poſt frontem ſibi ſtigmate Crucis inuſtam, tantùm nè eâ ejuratâ jacturam unà faciat ſempiternæ ſalutis. Quòd ſi tam dira in ſe Principis immanitas documento eſt, quanto ille hanc Legem odio proſequatur, profectò ſuam tam inteſtabilis ſævitiæ tolerantiam haud leviùs oſtendere, quantâ ipſe execratione deteſtetur ritus gentilitios, & profana ſacra. Ea ſe inde uſq; à primo ætatis diligenter accuratéq; ſcrutatum, haudquaquam fuiſſe cum Chriſtiana diſciplina commutaturum, ſi quidquam firmi in ijs ſolidíque comperiſſet. Eſſe aliquid in illa, id quod ipſorum plerique non neſciant, quod percellat animum, quod à caducis mentem avocet, atq; ad æterna transmoveat; deniq; quod pervellat prorſus atq; convincat.* Volentem plura dicere, cùm jam commoveri videretur, & lachrymis annuere peroranti multitudo, interpellârunt adminiſtri qui aderant; verentes, ne quid in populo jam concitari cæpto, fortaſſe turbarum aut tumultuationis exiſteret. Utrique deinde Patres affari concionem permiſſi, eâ quâ præſtabant ambo dicendi vi atque efficaciâ, quæ dixerat Faramondus, ſicut impreſſione factâ altiùs affirmârunt. Poſthæc depoſiti jumentis alligantur ad palos, & Hieronymus quidem medius; unde ſocios ardentiſſimè ad moriendum pro Chriſto cohortatus, ubi utrique vale ultimum dixiſſet, ſuppoſitus fomiti ignis repentè corripuit pyras, & glomerato incendio, undantéque fumo ità Dei ſervos involvit, ut eos adſtantium aſpectui ſubduxerit; niſi quòd interdum aſpirantis auræ motu ab eorum corporibus tetra nubes dimovebatur. Iis autem intervallis obſervatum eſt P. Hieronymum ſe principiò ad Urbem convertere, atq; ad Deum preces breviter pro ea fundere; mox in eam ſe partem reflectere, quâ vento agente ignis vehementiùs invaleſcebat; tum ut faceret palàm flammas ſe neutiquam reformidare, tum ut ad multitudinem, quæ frequentior eâ parte conſtiterat, ſermonem aptiùs dirigeret; ad quam ſemper uno in veſtigio rectus atque immotus, tam diu verba inflammatiſſimo ſpiritu fecit, donec obvolutus incendio, animâ interceptâ, pronus in genua concidit, & probatã ignibus auream animam Cœlo reddidit 4. Decem. A. 1623. ætatis 56. Societatis aditæ 38. laborum in Japonia 22. In Faramondo autẽ ſingulare illud fuit, quòd cùm flammarũ una vehementiùs in illum à vento impelleretur, eandem ille, tanquam rem longè ſibi chariſſimã amplecteretur. Immobilis verò ſemper ſtetit, quoad unà cũ ſtipite pronẽ cecidit, & expiravit. At verò P. Franciſcus, qui longiùs animam trahebat, etiã poſt mortem in pedes erectus, omnibus jam conſumptis vinculis, perſtitit columnæ innixus, à qua ne digitum inter ſuma tormenta receſſit. Exuſta eorum corpora, quia intentiſſimis excubijs ſervari notabant Chriſtiani, triduum quieti domi ſe continuêre: donec illis jam ſecuris, trecenti glomerati nocte concubiâ, ità omniũ exuvias uuà cum buſtis collegêre, ut tellurẽ ipſam pretioſo ſanguine coloratã araderent. Utriusq; noſtrorum capita Macai ſervantur in Collegio, donec poſſint palàm aliquando ad venerationem Apoſtolicâ authoritate proponi.

P. DIDA-

P. Didacus Carualhus Lusitan. Soc. IESV. tolerato glacialis aquæ per 12. horas frigore pro Christo enectus Scenday in Japonia 22. Febr. A. 1624

P. DIDACUS CARVALLIUS.

CUm tot incendijs, quibus in Patres furor Tyranni desævijt, magis magisque aliorum zelus inflammaretur, ut refrigesceret Charitas, glaciali aquâ sævitum est A. 1624. in P. Didacum Carvallium. Sed oleum dixisses non aquam igni affundi, ità in amorem Christi inflammatior ab aquis Didacus prodijt Conimbrica hunc Orbi dedit A. 1580. Societati 96. Indiæ 1600. hæc demum omnibus excultum disciplinis Japoniæ submisit, anno hujus sæculi nono; unde post quadriennium cum reliquis socijs è Japonia proscriptus, remetiri Oceanum, & Macaum repetere coactus est, primâ prolusione Martyrij factus extorris. Verùm clàm iterum, ductore Deo, in Japoniam irrepens, Omuræ primùm in pijs laboribus strenuè versatus; emissis ibi in Augusto A. 1617. solennibus 4. votis, in extremam Japoniam ad Regnum Osciu, cui Dates Masamunius imperabat, sese recepit. Illic fortissimos Christi Confessores, qui propter Fidei constantiam multati exilio, egeni omnium, ærumnosam vitam agebant, quo potuit solatio recreabat. Bis deinde cum P. Hieronymo de Angelis trajecit in Regnum Jèzo, ubi simul ignoto illic Deo aram posuêre, & sacram primi litavêre hostiam. Primus item in Akita, primus in Sciemboco Fidem Christi prædicavit. Inde

pervagatus ad ſolandos afflictiſſimos Chriſtianos Regnum Deua, cùm aliter in Provinciam Sungarù penetrare, confirmaturus illic pro Chriſto exules Neophytos, non poſſet, tertiò transmiſit in Regnum Jezo objectum Japoniæ; unde per averſam ab attentiſſimis excubijs partem, in Sungarù operarij metallici cultu trajecit, Chriſtiano vectus navigio. Matzumæ primùm urbe principe Jezo inſperantes Chriſtianos inviſit, cohortatúsque ad firmitatem eſt. Inde ſe unius itinere diei tranſtulit ad metalla, & ibi etiam univerſos Sacramentis impertitos incredibili complevit gaudio. Sic ſorditatus eâ foſſoris illuvie Tacaocam Provinciæ Sungaruanæ portum, ac deinceps in Akitenſem Provinciam appulit inobſervatus, & latè circumtulit operam atque induſtriam ſuam, dum Chriſti Confeſſoribus, diverſa per loca degentibus, per Sacramenta recreandis, & gentilibus baptizandis diſtringitur. Secundùm hæc Zubotam feſtinus repetijt, ut moliretur aditum uſque adhuc fruſtra tentatum, ad procurandum Chriſtianis myſterijs Regium Gynæceum. Sed quo ipſe illabi non potuit, inde, quæ fœminarum ſolertia eſt, deluſis Arcis cuſtodibus illæ eruperunt, & retro pedem poſtquam expiatæ ſunt, clandeſtinæ retulerunt. Ità quàm plurimis luſtratis oppidis, multísque, qui attrocitate pœnarum defecerant, ad Fidem revocatis, ad ejus quoque Provinciæ metalla argentaria perrexit; & opem ubique omnibus pro virili, & conſolationem adhibuit Atque his non plus trimeſtri, labore ſupra quàm cuiquam credibile ſit maximo, per enormia pericula geſtis, aditum in Provinciam Scionai, Socijs eatenus intentatam, aperire niſus eſt: ac tandem ſexcentis aditis, ſuperatísque periculis, in Sacatam Urbem Provinciæ caput furtim penetravit. Hìc re Divinâ primùm factâ, tridui ſpatio non contemnendum Chriſto manipulum animarum colligens, Zubotam ſe retulit, unde rurſus in Sungarù accerſitus, ſeptenûm dierum viam emenſus eſt, unius ut viri nobilis Chriſtiani, quem morbi vis in diſcrimen adduxerat, exomologeſim audiret. Atque in his indefatigabilis viri conatibus, unicum ſolatium erat ſpes vitæ pro Chriſto, ſive per ferrum, ſive flammam proijciendæ, eò quòd hæc pleraque in medio ſagaciſſimorum undiq; veſtigatorum moliretur; ut ipſe capere non poſſet, quonam pacto eouſq; manus impiorum evaſiſſet.

Neque diutiùs vota fidelis ſervi fruſtratus eſt Deus, ſed per ipſam P. Hieronymi de Angelis necem, aditum illi ad ſimilem exitum paravit. Aderat Jendi, dum conflagratione ſævitum eſt in P. Hieronymum, aliósq, ex omni ordine 52. Maramunius Rex Scendaij, ubi majore parte P. Carvallius degere ſolebat, Socijs toto eo Regno ad quæſtum animarum diſpenſandis Præpoſitus: per quam occaſionem unus quiſpiam è famulitio, multos in Regno ipſius Chriſti Fidem profiteri, muſſitando ſuggeſſit. Tum ille, qui quæſtui omnia, & poſt Imperatoris gratiam habere conſuêſſet, plenus curarum ac metûs, celerem continuò nuntium expedit, & in Chriſtianos inquiri univerſos exactâ diligentiâ imperat. Accepto imperio Gubernatores, ante omnia ſollicitare Joannem Goto, cui aliàs ob præclaram Viri merita, Chriſti Sacra palàm ſequi Maſamunius indulſerat, ad defectionem minis, pollicitationibus, auſi ſunt. Quibus ille fortiter & cum ſtomacho rejectis, malorum tamen quaſi præſagus, cùm ad P. Didacum retuliſſet quæ geſta fuerunt, uterq; ſe ad mortem ſubeundam inſtituit comparare. Chriſtianorum omnium confeſſiones Pater illico maturavit excipere; & ne ſuis hoſpitibus noxæ foret, alium in locum haud longè diſſitum, cui Oroſcio nomen, abſceſſit; duobus ultro Chriſtianis illi ſe comites præbentibus, qui illi etiam ad mortem uſq; fortiter adhæſère. Exceptus à Mathia Itiore probo Neophyto, propter ejus domicilium peranguſtum ſibi mapale conſtruxit. Paucis poſt diebus tentata rurſus eſt Maſamunij juſſu Joannis conſtantia, cúmque ille nihil concederet, exul atque extorris à ſolo patrio extruditur. Mox in reliquos Chriſti cultores cùm ſagaciſſimè indagaretur, 60 capita Oroſcio deſerto, in vallem tugurio P. Didaci proximam, caſis tumultuariò excitatis recepère ſeſe. Interea veſtigatores accepto indicio, Patrem, & ponè illum complures Chriſtianos Oroſcium commigrâſſe latendi causâ, illico Oroſcium contendunt. At ubi nullos ibi, quos quærebant, invenêre, fortè inter abeundum in ejus conſpectum delati vallis, ubi illi erant metati, ſciſcitatíque *quid illud caſtrorum, quid hominum eſſet?* ùt Chriſtianos eſſe, qui ſe declinandæ vexationi illuc abdiderant, renunciatum eſt, eò confeſtim evolare, miſcere omnia, vexare, Chriſtianos manu capere, trahere. Tum verò Carvallius ſua ultro è latebra prodijt, & ſe Fidei præconem profeſſus, cujus unius tam impendioſa veſtigatio ſit, apparitoribus ſe ipſemet obtulit. Illi unà vinctum cum alijs rapuerunt ad Judices; à quibus multas primùm

horas

horas ſub dio denſas inter nives, quæ Cœlo cadebant, detentus per inclementiam; tum nomen, Patriam, ſuæ Fidei rationem interrogatus; ubi ſingula per ordinem expoſuit, ad extremum eam ſe Fidem, quam prædicaverat, perlibenter ſuo ſanguine, & quorumcunque perpeſſione cruciatuum aſſerturum eſſe, magno animi ardore profeſſus eſt. Nocte illâ confeſſionibus ſuorum audiendis integrè impensâ, vix manè dies illuxerat, quando ſuis educti cuſtodijs, revincti manus, per ingentes viarum nivibus & glacie oppletarum ineptias, Midruſavam biduo diſſitam Urbem pertrahuntur. Illic ſocijs in diverſa ergaſtula incluſis, Pater apud adminiſtros Juſtitiæ diverſatus eſt, quibus perlibentibus Apoſtolorum Symbolum explicuit, ſimúlq; atrocem illam calumniam, quâ pietatis obtentu Patres ad occupandam Japoniam uti jactabantur, diſertâ oratione redarguit; quippe cùm ſe viderent Europâ, opulentiſſimâ Patriâ ſuâ poſthabitâ, longâ trium annûm, perdifficili & periculorum refertâ navigatione, nihil demum aliud nanciſci, quàm ut miſeram animam per omnes ærumnarum formas ubi aliquamdiu traxerint, poſtremò per varias pœnarum facies, atrociſſimâ morte proijciant. Vel ex eo uno ſatis conſtare profectò poſſe, non Japoniam à ſeſe, ſed Japonum ſalutem quæri; neque tot malorum gratuitam perpeſſionem Imperij ac fortunarum pretio, ſed animorum auctionari, ac venum ire. Poſtridie per æqualia incommoda Midruſavam tetendêre, vinculis arctè conſtricti, ſuo quiſque cuſtode comitatus, & humeros inſigniti titulo captivitatis: *Chriſtiani*. Verùm quia duo ex ipſis ætate & laboribus itineris fracti, cadentibus perpetuò nivibus, progredi non poterant, in valle quadam 9. Febr: capite ſunt multati, & in fruſta conciſi: maximis lætitiæ præbitis indicijs, quòd pro Fide moriebantur. Midruſavæ rurſum fuerunt reliqui interrogationibus tentati, & P. Didacus, ut auctor alijs eſſe vellet deſciſcendi à Chriſtiana Fide, impenſiùs rogatus, eam perfidiam vehementer execratus eſt. Igitur cataſtâ Japonicâ cum duobus alijs, quia ferventiùs Judicibus reſiſtebant, pedes conſtrictus eſt; ſic ut exinde pedes illi magnopere contuſi, penéque confracti eſſent. Deſperatâ eorum perverſione Judices, Scendajum vinctos abduci jubent: ubi Michaël quidã Chriſtianus illis factus obvius, per omnia ſacra rogabat ſatellites, ut & ipſé vinciretur. Sed rejectus quidem ille eſt, mœrens ac triſtis: alter autem Julianus Fyemon idem paulò pòſt ſimiliter poſtulans, exoravit, & magno omnium ſolatio numerum pro Chriſto vinctorum auxit.

Scendajum denique ut attigêre, publicam in cuſtodiam promiſcuè cum facinoroſis aliquamdiu compacti, ad flumen deinde, propter quod effoſsâ humo ſcrobs, duos alta pedes, defixis conſepta ſudibus erat, aquis è fluvio derivatis ſtagnans, adducuntur die 18. Febr. cum P. Didaco novem ſocij. Tempeſtas erat perfrigida, & ut eſt Regionis ejus ingenium, apprimè glacialis. Hìc omnes ad ſuum quiſque ligatus ſtipitem, exuti veſtibus, conſidere in aquis pectore tenus, per barbaram immanitatem, ad ipſas 3. horas coacti ſunt. Omnium lento in cruciatu miram conſtantiam, Pater inſuper nullo frigoris oſtenſo ſenſu, quà verbis appoſitis, quà tolerantiæ exemplo firmare: nonnunquam oculis ad modeſtiam ſubmiſſis, ſicut cœleſtibus meditandis intentus conticeſcere. Interea omnium eæ voces exaudiri, hilarè ingeminantium: *JESUS MARIA! Benedictum ſit Venerabile Sacramentum; DEO ſit ſemper laus & gloria.* Poſt 3. horas in glaciali frigore, inter aſſiduas ſatellitum contumelias, & ad defectionem provocationes, cùm jam propemodum obriguiſſent, ut ad pœnarum redintegrationem ſervarentur, ex aquis educti ſunt. Cæteris, quò rigorem corporum nonnihil temperarent, ad ripam fluminis ſeſe volutantibus in ſabulo & glarea, P. Didacus & frigoris & ſui victor, plicatis decuſſatim cruribus, quemadmodum aliàs conſueverat, humi conſedit, & manibus ante pectus compoſitis, capite leniter inflexo, mentem atq; animum ad Divinarum contemplationem rerum illico tranſtulit, attonitis ad tam mirabilem viri fortitudinem Ethnicis. Hìc dum iterum Patri propoſita conditio eſt ſui, & ſociorum vitæ redimendæ, ſi illis ad abijciendam Fidem author ſit; ille eâdem animi integritate, authorem ſe priùs illis ad ſubeunda tormenta omnia fore reſpondit. Eâ reſponſione Gubernator concitatus, flammas illis atq; incendia comminatus, tantiſper ad carcerem reduci omnes imperat; duobus exceptis, qui vix è fluvio egreſſi, obriguerunt mortui.

Quatriduano carcere per graviſſimas injurias tolerato, die 24. Febr. A. 1624. ſub meridiem rurſum è cuſtodia producti, cùm ſe ad ignes depoſci crederent, ad aquas & gelu rapti, eadem in foſſa nudi, ad ſingulos vincti palos compoſiti ſunt. Principiò ſtare juſſi, aquâ genuum tenus non ampliùs aſcenden-

te; deinde conſidere, ut novo tormento pectus atque præcordia pertentarentur; deniq; ut crebrâ undarum reciprocatione dolor augeſceret, alio identidem atque alio ſitu, ad primam uſque noctis horam collocati ſunt. Tum verò veſpertino frigore & vento, denſéque cadentibus nivibus, aqua ſenſim adſtringi, & congelaſcere, & jam corporibus paulatim ſenſum extinguere. Igitur ſupremam horam ſibi imminere certi, cæpêre invicem blandiſſimè conſalutare, & verba noviſſima bene precando dicere: jam accepta divinitus beneficia memorare; jam alia, quæ præſentem forent in uſum poſtulare; aliàs glorioſam DEI Genitricem Virginem, ut ſibi ab ſuo Filio vires ad ſupremum certamen depoſceret, exorare. Excitabat omnes atque erigebat P. Didacus, toto illo tempore nè contremiſcere quidem unquam notatus: cúmque Mathiam Xojanum jam extinctum (quod Pater ignorabat) bis compellâſſet, reſpondiſſe fertur erigenti ſe Patri jam mortuus, cum ingenti omnium, qui mori eum viderant, admiratione. Tandem extinctis univerſis, poſtremus ipſe ſuperſtes fuit. Quinta jam erat noctis profundæ hora, cùm dilapſis ad ſua barbaris, pauci perſtitêre Chriſtiani, donec P. Didacus haud multò ante dimidiatam noctem, poſt toleratum 10. integris horis gelu tormentum, admirabili conſtantiâ, inter eadem illa quæ docuerat alios religioſa verba, vitam ſimul & tormenta finivit, cùm annum ageret ætatis 46. Societatis 30, quorum dimidium in Japonia & Cocincina tranſegit inter Apoſtolicos labores, quos admirabili manſuetudine, affabilitate, demiſſione animi, charitate exornavit. Eorum exuviæ fruſtatim conciſæ, in profluentem abjectæ ſunt. Solùm P. Didaci, & aliorum 4. capita, jacturæ à Chriſtianis quibusdam ad venerationem religiosè ſubducta ſunt.

P. MICHAEL CARVALLIUS.

CArvalliorum alter per aquam, per ignem alter glorioſam Fidei fecêre Confeſſionem. Et Michaël quidem hunc felicem exitum inter ſcenicos ludos adhuc puer de ſe promiſerat. Etenim ut Bracharenſes cives (inter quos natus educatúsque fuit Michaël) ſimul recrearet, ſimul inſtrueret Societas JESU, hiſtoriam Abrahami, filium ſuum unigenitum Deo immolaturi in theatro exhibuerat. Michaël puerulus ad tenerum ſpectatorum ſenſum, & copioſas lachrymas, Iſaacum egit, & lignorum ſtruem (in qua re ipsâ olim in Japonia in ſuave DEO Sacrificium immolandus erat) humerulis ſuis deportabat. Igitur ob egregias animi dotes in Societatem adlectus anno ſuperioris ſæculi 97. cùm alienæ ſalutis & Martyrij flagraret amore, ad Orientales Indias quinto pòſt anno deſtinatus eſt; ubi in Goano Collegio Theologicis eruditus diſciplinis, eaſdem poſtea per annos complures ſingulari cum laude alijs explanavit; donec anno ætatis ſuæ 40. Japonicam exorâſſet miſſionem. Biremis quâ vehebatur, poſteaquam Oceani vim ægrè aliquantiſper ſuſtinuit, demum ad Malacæ oram fatiſcens, vectores in mare effudit. Michaël vix nando ſervatâ vitâ, cùm nullum eſſet in portu navigium, quo cœptum iter proſequeretur, auſu magno pedes illud ingreſſus eſt: & per ingentia viarum incommoda Macaum uſque abſolvit. Inde militari veſte irrepens in Japoniam, & Amacuſam advernaculæ linguæ ſtudium à Superioribus amandatus, morbo non uno tentatus eſt, quos homini alienioris jam ætatis, & victûs inſolentia, & aſperitas frigoris conciliavit. Ipſe interim ut futuro Martyrio, quod unicè ſuſpirabat, proluderet, corpori ſuo infeſtus eſſe, atque illud diris modis vexare, flagris diverberare quotidie, & quidem ſolemniorum dierum pervigilijs geminatâ ad ſanguinem verberatione; cilicio accingi continuè, & ſetoſo frequenter alterum adjungere ferreum. Triduo quothebdomadis, & pridie feſtorum tolerare jejunium; & diebus Veneris in pane & aqua. Victum interim ſuum omnem erogare pauperibus, & in eorundem ſubſidia ſtipem undequaque colligere. Tempus reliquum omne mentali dabat orationi, ſemper in genua provolutus: & ut Deo litaret religioſiùs (quod nunquam faciebat lachrymarum expers) comparabat ſe ad Miſſam unius horæ meditatione, & tantundem gratiarū actioni impendebat. Simul ùt gentis idioma condidicit, totus in mortalium ſalutem incubuit, vitâmque Angelicæ quàm humanæ ſimiliorem, quaſi præſagus quòd velox ſit depoſitio tabernaculi ſui, cum omnium admiratione, nunquam remiſsâ contentione agitavit. Evocatus ad excipiendas quorundam confeſſiones Omuram

A. 1623.

P. Michael Carvallius Luſit: Soc: IESV, pro fide Chriſti inter lentos ignes vivus conſumtus Omuræ in Japonia 25. Aug. A. 1624.

C. Screta d. Melchior Küſell f.

A. 1623. operâ clandeſtinè illis ex ſententia navatâ, parabat ſe in tutum recipere; cùm exploratori clancularioagnitus, ipſo S. Magdalenæ feſto, quam peculiari devotione venerabatur, reſte injecto in collum capitur, juſſúque Gonrocui Gubernatoris Nangaſachi, carceri Omurano, 16. palmos longo, octonos lato, quo jam antè 4. alij Religioſi tenebantur, concluditur. Solatio præcipuè fuit, præter copiam quotidie DEO in carcere litandi, duos ex ipſis ſuis comprehenſoribus ad Chriſtum convertiſſe, neque ſuâ comprehenſione ulli noxæ vel incommodo fuiſſe, cùm præter morem jam captus de nullo, qui aut ſe conveniſſet, aut quicum egiſſet, interrogaretur.

Tenuit ea cuſtodia Patrem 13. omnino menſes, cujus ineffabiles delicias amicis communicaturus, nunquam ſatis exprimere poſſe ſibi videbatur; ità ad Societatis in Japonia Procuratorem ſcribens. *Sumus omnes infirmi, & corpore debiles; ſed admodum robuſti & recreati ſpiritu, nam DEUS qui Pater miſericordiarum eſt, in majoribus ærumnis uberiores favores, atque ad eas tolerandas auxilium ſuggerit. Hoc de me poſſum equidem affirmare, ſingulari quodam & extraordinario me ſenſu voluptatis inter patiendum affici: neque in animum unquam induxiſſem meum, tantam ineſſe in adverſis pro DEO ſuſtinendis ſuavitatem. Ejus Majeſtati laus in æternum ſit & benedictio.* Multò maximè autem luculenter ad P. Benedictum Fernandium, qui nono poſt anno in odium Chriſti necatus eſt, in hæc verba ſua ſolatia decla-

declaravit: *Probè ſciebam me ſervum inutilem eſſe, atque ad Orbis converſionem paris in carcere atque extra carcerem, hoc eſt nullius uſûs. Atq; eò placuit DEO huc me compingere, ut purgatus pœnitentiâ criminibus, DEI ſervorum, qui mecum ſunt exemplis, tempus malè à me otioſéq; collocatum addiſcam corrigere; nèquemetipſum ad mortem obeundam comparare, quam profectò admodum impensè ad Divinæ Majeſtatis gloriam, in noxarum mearum ſatisfactionem expeto. Haud ierim equidem inficias, multùm me ac vehementer perterrefieri, quoties oculos ad illas converto. Sed ubi rurſum ad eam me reflecto Benignitatem, quæ ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, juſtos & injuſtos, non poſſum mihi non ſumma quæq; de DEO polliceri; & jam nunc mihi videor quodammodo manibus antecapere, atque complecti ſanctam ejus gratiam, & animi robur, quo vitam pro ijs inſtitutis ac lege profundam, quam tot egregij pugiles, per enormes adeò cruciatus tuentur & aſſerunt, quámque à principio datis cervicibus olim Apoſtoli propugnârunt. O Pater mi dilectiſſime, quàm fortunatus eſſem, ſi me ob DEI tam boni amorem, ingenti rogo deflagrare conſpicerem! Quàm felix, ſi honore ejus Domini minutatim conciderer, qui tot me donis ſuis prævenit, qui inſecutus me tam diu eſt, patienterque ſuſtinuit obnitentem, neque ignarus ingrati animi mei, neque adeò pertæſus! O amabilis JESU mi, ecquid unquam præſtitero miſer peccator, quo gratificer tibi? Quibus tibi ſatis laboribus fecero? Quæ ſubiiſſe tormenta, quò tibi placeam, ſat fuerit? Quot cruces paratas habes, quæ incendia conſtituta? O quid me vis facere Domine! da quod jubes, & jube quod vis. Jam demum tempus eſt Pater mi chariſſime, opitulandi mihi indigno ſervo tuo, quà fervidis orationibus, quà ſanctis Sacrificijs, ut ad ea omnia fortiter excipienda mihi DEUS vires ſuppeditet, quæ me pro meis delictis ipſe pati voluerit; concedátque ad ſuam gloriam, atq; in conteſtationem ſuæ ſanctæ Legis plurimà adverſa ſuſtineam; flammas ferrúmque, & quidquid in caput meum hoſtes Numinis ejus excogitare quiverint, ac moliri. Mundus, & quidquid ejus voluptatum eſt, quidquid opum & gloriæ, mihi jam prorſus deſpectui, & pro nihilo ſunt. Hoc mihi ſit unum poſthac gaudium, pati pro Chriſto; adeóque etiam ſi Divinæ ſic Majeſtati collibitum ſit, ut in hoc carcere malis confectus occumbam, fiat voluntas ejus. Et ſi ex adverſo voluerit, ut hoc arcto & ſolo in loco, ad uſq; ſupremum, & decretorium gentis humanæ diem doloribus & morbis oppreſſam animam traham, neutiquam obſto aut refragor. Jam verò quoniam quidem certiores Nangaſacho reddimur imminentis propediem finis noſtri, extremum idcirco per hanc ſcriptionem vale tam caro Capiti, quam eſt mihi R. V. dico. Tu pro me Deum ora Pater cariſſime; ego diligenter vices reddam.* Ad R. P. Provincialem autem: *Audio*, inquit, *multos Jendi mortem ſubiiſſe pro Chriſto. O fortunatos illos millies, felicésque athletas JESU, qui palam facere, totíque Xoguni Regiæ teſtatam legum ipſius injuſtitiam potuêre, & Legum Omnipotentis DEI æquitatem tueri, quiq; pro ejus honore atq; exiſtimatione, minimè cunctati ſunt cum ſanguine vitam profundere. O felicitatem! ô ſortem optimam! ô ſanctam invidiam! ô mortem eò beatiorem, quò mihi vita in hac valle lachrymarum ſit infelicior! ut cum Paulo Apoſtolo nonnunquam exclamare cogar: cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Miſerum me, quem, quia truncus infelix & obſitus peccatis ſum, haudquaquam ea manebant certamina, queis ſuos deſtinat electos DEUS. At R. V. quoniam mihi Pater eſt, tantúmq; gratiæ apud Deum Dominum noſtrum communem valet, eum interpellet pro me, atq; efflagitet, ub benignos ad me oculos, & pietate plenos convertat; atq; hoc largiatur, ut quando dedit hoc loco concludi, vitam quoq; liceat ipſius gloriæ, & noxarum mearum vindicationi depaciſci.*

Advenit interim felix Nangaſacho nuntius, eandem communiter in P. Michaëlem, tres PP. Franciſcanos, & unum Dominicanum, conflagrationis apportans ſententiam. Quo incredibiliter exhilarati, die 25. Aug. A. 1624. producti ſunt è cuſtodia, Crucem ſinguli manu ferentes, arctè vincti, collo in reſtim inſerto, & brevi maris trajectu in locum ſupplicio deſtinatum trajecti, ante omnia navicularijs, pro exantlato ſui causâ labore, gratias egerunt. Tum elevatis ſublimè quas geſtabant crucibus, inſtituêre Pſalmos ritu ſacro modulari; donec P. Carvallius ad confertam multitudinem converſus, Fideique Chriſtianæ gratiâ perlibenter mortem ſe omnes oppetere conteſtatus, primus omnium palo, multis oſculis & amplexibus antè delibuto, alligatus eſt; reliquis ſecundùm ipſum, omnibus in habitu ſui Ordinis, ad diverſos palos laxè, pene ad ſpeciem adſtrictis, ut caloris impatientiâ victi, commovere ſeſe & contorquere poſſent, & incompoſitis geſtibus ac motibus plebi ludibrio forent. Verùm illi fixis in Cœlum obtutibus ſtabant immoti, altâ voce Divos in auxilium vocantes, dum admotâ ſingulis exiguâ pyrâ, torreri potiùs longo lentóque æſtu, quàm ardere deflagratione videbantur. Ludovico Japoni è tertio S. Franciſci Ordine flamma propior continuò vinculorum nexus exolvit;

qui

qui jam liber ad ſocios Sacerdotes, medias inter flammas, ardoris & cruciatuum potens acceſſit, & ſacros eorum pedes venerabundè ſuaviatus, & circumſtantem multitudinem ad Fidei Chriſtianæ profeſſionem, quâ ſolâ comparari queat ſempiterna ſalus, vi magnâ cohortatus, ad ſtipitem ſe ſuum ultro retulit, & fortem animam primus in Cœlum transmiſit. Hunc proximè P. Michaël ſecutus eſt, quem flamma luculentior citiùs reliquis, poſt grandia conſtantiæ documenta extinxit, anno ætatis 47. Societatis 27. Tertius ſuccubuit victor ignium Fr. Ludovicus Saſſandra Sacerdos Japon, qui ſuperſtites adire Sacerdotes, combuſtis jam funibus ſuis conatus, cùm pedibus uſtulatis ingredi non poſſet, eos ſuo è loco profundâ corporis inflexione veneratus, exceſſit. Duo reliqui, ipſas tres horas conſtitêre, nullo doloris aut infirmitatis indicio; donec & ipſi demum incendio confecti ſunt. Corporibus penitus igne conſumptis, & cineribus in mare diſperſis, ſubduxêre tamen Neophyti oſſium ac ſtipitum fragmenta quædam, eáque ad veneratio-
nem piè religioſèque ſervârunt.

P. JOANNES BAPTISTA DE BAEZA, & P. GASPAR DE CASTRO.

EOdem die, ſeptimo nimirum Maij, A. 1626. quamvis diſtinctis in locis, vitam, quam in maximis ærumnis tempore perſecutionis Japonicæ toleraverant, feliciſſimè finivêre P. Joannes Baptiſta de Baëza, & P. Caſparus de Caſtro. Ubedæ in Hiſpania natus P. Baëza, ex Legum ſtudioſo Societatis tyro, ac deinceps emenſo Theologiæ curriculo Sacerdos factus, miram illam, quâ pollebat, dicendi facultatem ſaluti gentilium devovit, transmiſſóque ſub annum 1586. Oceano, Mozambici primùm, tum Goæ & Macai, cum ingenti animorum fructu eandem exercuit. Inde in Japoniam, qui votorum ſcopus Patri erat, miſſus An. 1590. in Regno Fingenſi per triennium plus quàm ſeptuaginta millibus hominum natu grandium Chriſti Fidem perſuaſit, eósque omnes manu propriâ ſalutaribus aquis abluit, præter innumeram infantium & puerorum multitudinem. Eâ enim frequentiâ ad Baptiſmū Patris accedebant, ut is non rarò brachium ad affundendos latices eorundem capitibus attollere ampliùs non poſſet, adeóq; differendus fuerit reliquorum Catechumenorum in diem poſterum Baptiſmus. Secundùm hanc animorum meſſem Scimabaræ aliquantiſper ſubſtitit, donec Ludovico Cerqueria Japoniæ Epiſcopo ſocius & adjutor datus, Vicarij Generalis munus cum laude eximiæ prudentiæ, & ardentiſſimæ in omnes charitatis ſuſtineret. An. 1612. pulſus cum Socijs Scimabarâ, ad Regna borealia ſe recepit; ſed inde rurſus poſt biennium revocatus Nangaſachum, quamvis juſſu Tyranni in exilium deportandus cum reliquis foret, tamen poſtulatu plurimorum, quos ipſe ſacris undis tinxerat, ibidem clàm remanſit. Non multò pòſt invitatus à ſocijs in Chinam, ut eum agrum ad copioſam meſſem jam maturum operaretur, ſolâ ſpe vinculorum in Japonia obtinendorum impetravit nè mitteretur: ubi eas toleravit annis deinceps plurimis ærumnas, & pericula tanta, quæ conflagrationis tormentum ſuâ longævitate ſuperâſſe videri poſſunt. Solos ex aſſiduis periculis, quos paſſus eſt terrores, aliquatenus juvat ex ipſiusmet literis, ad noſtrum aliquem datis cognoſcere. *Quis tibi fatis* (inquit ille) *explicare poſſit R. P. ea quæ in hac perturbata Babylone ſuperioribus hiſce menſibus geſta ſunt? cùm hi Ethnici unum id anxiè agerent, ut nos caperent, eáq; de cauſa perturbarent omnia, & incredibilem cunctis metum injicerent. Quòd ſi ex me ſciſcitere, cur igitur in eorum manus non venerim? non habeo quod reſpondeam aliud, quàm id ex DEO quari poſſe. Nam ex quo hac in ora verſor (verſor autem jam 8. ipſos annos, ſic ut nuſquam exceſſerim) neq; proditores unquam, neq; exploratores in eas ædes, ubi verſabar, pedem intulerunt. Nocte, quæ Natalem Domini jam proximè elapſum antegreſſa eſt, triceni Judæ ſocij totam in qua degebam viciniam diligentiſſimè perluſtrârunt, ut Patrum quempiam in latebris reperirent: omnes adiêre domos, præter eam unam ex omnibus, in qua ego nixus ante aram genibus opperiebar, ut mihi vincula immanes illi lictores injicerent; & à me Dogicum eâ cauſâ priùs ablegâram, ne in diſcrimen meâ cauſâ veniret. Nox ea univerſa in omnis ejus viciniæ ſumma perturbatione conſumpta eſt: concerptæ ſacræ imagines: jactata in Deum maledicta, miſeri Chriſtiani ſexcentis appetiti injurijs. Idem*

P. Ioannes de Bäeza Hiſp: et P. Caſpar de Caſtro Luſit: Soc: IESV, graviſſimis Proſcriptionis ærumnis à Xogunſama Imperatore confecti in Iaponia 7. Maÿ. A. 1626.

C. Screta del. Melchior Küſell ſc.

uſu mihi venit in pervigilio Dominicæ Circumciſionis, quando paucis horis non paucas pervagari domos coactus, cùm unâ exturbatus, aliâ non acciperer; ad extremum ſub dio, Cœlo ſereno, ſed tempeſtate, frigore, ventisq; aſperrimo, noctem ità peregi, ut ægrè poſtridie Sacrum poſſem facere. Veniebat in mentem ejus pacis tranquillitatisque, cujus per ſacros illos dies fructum Societas capere ubique gentium ſolet: ſed quæ benignitas Dei eſt, meam ego ſortem illâ feliciorem duco. Hæc & ſimilia totâ duodecim annorum ſerie tam illi fuêre crebra & vulgaria, ut ærumnarum Fidei causâ toleratarum magnitudine tandem ſolveretur totis artubus fluxâ paralyſi, nervis omnibus contractis; ut proinde membrorum impotens, lignea concluſus in ciſta domeſticatim circumgeſtaretur, id unum anhelans, ut ſuam DEO vitam daretur immolare per flammas. Verùm enimvero viſum aliter DEO fuit, qui lento morborum pœnarúmque igne conſumptum, ſiccâ voluit morte defungi, Sacramentis ritè comparatum Nangaſachi, ubi diu Rector Collegij fuerat, 7. Maij A. 1626. ætatis 68. Societatis 47. laborum in Japonia 36. Corpus vitâ functi Ethnicorùm furori, ſolertiſſimè illud ad flammas conquirentium, ſubduci fecit, & ad debitos Martyri aliquando honores recondi P. Franciſcus Paciecus Provincialis & Gubernator Epiſcopatûs, eſto jam tum carcere in odium Fidei concluſus.

Patri Caſparo Luſitaniæ urbs Brachara Patria fuit; qui ad familiaria munia adlectus in Societatem, Conimbricæ primùm

vitæ

vitæ Religioſæ poſuit Tirocinium, tantúmq; in virtutis ſtudio promovit, ut P. Sebaſtianus Morales, ex Luſitaniæ Provinciali deſignatus à Rege, & à Summo Pontifice confirmatus Japonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, cùm navigationem ſuam in Japoniam adornaret, unum ex omnibus viæ comitem, juxta ac ſalutis ſuæ Curatorem (nam medicinam nonnihil callebat) Caſparum ſibi ſegregârit. In ea navigatione perpetuâ invaletudine conflictatus Epiſcopus, & ejus ſocius Sacerdos, copioſam charitatis Caſparo præbuêre materiam; quibus tandem ante ingreſſum Goæ morte ſublatis, in India tantiſper Caſparus reſtitit, dum P. Petrus Martinez novus ex Europa devectus in Indiam Epiſcopus, unà ſecum acceptum transvexit Macaum. Ibi ob egregiam animi indolem literarum ſtudijs, ac morali Theologiæ admotum, Sacris initiavit Ordinibus, deduxítque A. 1596. ſecum in Japoniam, tam navum deinceps, támque flagrantem animorum Curatorem, ut ea in Vinea, quæ illâ tempeſtate cultores habebat ſtrenuiſſimos, primas illi paſſim deferrent. Et quoniam corporis habitudo firmitásque favebat, nihil non ille laborum ſuſcipere, nihil non exhaurire, nunquam ſive diu, ſive noctu vacare, neque itineribus, vigiliâ, inediâ, neque æſtuando, neque algendo fatigari. In univerſali illa Sacerdotum è Japonia proſcriptione, juſſus navim poſt 22. annorum Japoniæ culturam conſcendere, clàm ipſe in navigium, quod ſtabat in anchoris ſe conjecit; unde trimeſtri toto, quoad navis illic conſtitit, in Urbem ex intervallo regreſſus, multis admodum ſaluti fuit. Quâ digrediente & ipſe migrare coactus, brevi pòſt Japonicarum ærumnarum deſiderijs actus, nemine præter Navarchum in conſilij conſcientiam admiſſo, cultu habitúque variato, Nangaſachi inobſervatus excendit. Terram continuò pronus exoſculatus eſt, & ſe cum lachrymis DEO rurſum dicavit in gentis ejus ſalutem; quam in Arimenſi primùm ditione, tum in Regno Fingenſi, per præſentiſſima capitis pericula ardentiſſimè procurans, ad octona mortalium millia numerabat, quibus ſuam debebat præſtare ex officio operam. Interea tamen neque de precandi commentandíque contentione quidquam remittere, neque laxare jejunia, neque corporis cilicio & flagellis quotidie divexandi morem, nè in morbo quidem omittere. Capto inter hæc P. Franciſco Pacieco Provinciali, in vicinam ſeſe Inſulam Chriſtianis habitatam recipere vitæ tuendæ causâ coactus eſt; ſed non longo intervallo Aryam, firmandis in atrociſſima Tyrannide Chriſtianis revocatus, in latebram ſe tam arctam anguſtámq; compegit, ut laxitatis amplius ſibi defuncto fore, quàm eſſet viventi tunc ſpirantíque diceret. Et erat anni tempeſtas hiberna, unde tanta difficultatum acceſſio facta eſt, ut gravi morbo conſcito animam vix ægrè retineret. Ecce autem necdum viribus confirmatum, ſubitò coorta perſequentium rabies Tyrannorum, inſtauratáq; Chriſti Præconum inveſtigatio, Caſparum in Nacaianam villam ſeſqui milliari diſſitam ejecit. Sed inde quoque veſtigio temporis, deprehenſo P. Balthaſare de Torres, coactus excedere, declinandæ inquiſitorum improbiſſimæ diligentiæ, feretro ſicut ſandapilâ in fruticetum elatus eſt; ubi diem noctémque delituit, quoad ij, qui domeſticatim omnia perſcrutabantur, abſcederent. Ibi demum tot adverſis exercitus, tam aſpera ab inclementia aëris perpeſſus eſt, ut fugientem jam ultro non poſſet vitam remorari. Igitur è frondibus ramalibus tugurio ſibi malè conſerto, ventis ac reliquæ temporis inclementiæ pervio, à Patrum uno clàm accerſito ad cœleſte iter Divino Viatico corroboratus, vitam incommodis periculísque pro Chriſto aditis glorioſam, felici clauſulâ coronavit, die 7. Maij A. 1626. ætatis 66. Societatis 47. Japonicæ culturæ 24. Cadaver loculo impoſitum, eo in ſaltu quo latuerat, ex ejus voluntate, incredibili Neophytorum luctu & conſternatione depoſitum eſt, juſſum etiam à P. Franciſco Pacieco Provinciali è cuſtodia, honoribus futuris ſervari.

P. Franciſcus Paciecus Luſit: P. Balthaſar de Torres Hiſp: P. Ioannes Zola Ital, cum 6. Coadiutoribus Iaponijs Soc: IESV, lento igne vivi pro Chriſto exuſti Nangaſacki in Iaponia 20. Iunij, A. 1626.
C. S. d. M. K. f.

P. FRANCISUS PACIECUS, cum 8. Socijs.

DEſævijt atrociſſimè in Patres noſtros, aliósque Divinæ Legis præcones, ac eorundem receptatores, Japoniæ Monarcha, ea potiſſimùm de cauſa, ut illâ tormentorum atrocitate Viros quidem Apoſtolicos à munere prædicandi, indigenas à Sacris veræ Fidei, Patribúsque ſuſcipiendis deterreret; voluítque idcirco per populoſiſſimas Urbium plateas captivos raptari, & in maxima congregati undiq; populi frequentia extremo affici ſupplicio. At voti ſui adeò compos factus non eſt, ut jam ipſe adverteret conſtantiſſimam Martyrum tolerantiam multò maximè & Japonios ad veram Fidem, & Patres ad inſiſtendum Divinæ Legis promulgationi invitare. Ergo dum P. Franciſcus Paciecus totius Japoniæ Provincialis, & Epiſcopatûs juſſu Pontificis Maximi Adminiſtrator, cum octo è Societate captivis ad locum ſupplicij Nangaſachi duceretur, ſubveritus Urbis Gubernator, nè tanti viri fortitudo animos ſpectantium confirmaret potiùs, quàm labefactaret in ſuſcepta Religione, ſub gravi ſupplicio vetuit quemquam ad ſpectaculum Urbe egredi; portas etiam Urbis obſerari juſſit, nè quamvìs vellent, poſſent egredi ad deſtinatum ſupplicij locum Nangaſachenſes. Sed neque his artibus prohiberi potuit ſive Ethnicorum curioſitas,

riositas, sive Christianorum pietas, quin complures utrorumque (quamvis non eâ, quâ aliàs frequentiâ) adessent; cùm interim è finitimis undique Regionibus multò quàm aliàs copiosior afflueret spectator ad supplicium; quod ubi P. Francisci ac Sociorum egregiè gesta, atque captivitatem priùs retulero, fusiùs enarrabo.

Natus est P. Franciscus in Lusitania genere Nobili, Patre Garziâ Pacieco, matre Mariâ Mesquitâ, sorore Jacobi Mesquitæ, de quo paulò antè incendio in Japonia absumpto memoravimus; fratrésque habuit ternos, qui militiam secuti, & egregios in eadem gradus consecuti, in Indiam Franciscum præcessêre; quorum ipse deinceps autoritate cùm Goæ ageret, in contubernia militum crebrò se insinuabat, ut perditos illorum mores ad leges Christianas emendaret. Nondum pueritiam excesserat, jámq; in omnem pietatem adeò erat propensus, ut cùm de veterum Martyrum gloria decennis audisset, votum tantilla in ætate conceperit se Martyrem fore. Cúmque videret Ulyssiponâ (ubi humaniores condiscebat disciplinas) quotannis è Societate Patres Scholasticósq; lectissimos, Divinæ gloriæ & Martyrij studio concitatos, in Indiam Japoniámque navigare, eorundem æmulaturus gloriam, Societatem à P. Sebastiano Morales flagranter expetijt & impetravit, atque Conimbricam ad Tirocinium ablegatus est. Quantos inibi processus ad Virtutis perfectionem fecerit, uno hoc ab exemplo disce, quo multos Sanctorum si non vicit, at certè peregregiè æmulatus est. Jussus namque Tironum Societatis more experimenti causâ mendicato peregrinari, ad Pontem Limium paternum oppidum divertit. Ibi squallidus utì erat ac lacer, ad maternas ædes, atque adeò ad matrem ipsam stipem rogaturus accedit. Illa vultum mendicantis intuita, in mendicabulo quidpiam suum tacito naturæ ingenio persentiscere, commoveri, variari in vultu; denique cubiculum interius ingressa filias evocare, si fortè fratrem in peregrino agnoscerent. Quod dum mater facit, Franciscus è vestigio subducit sese, oppidóque excedit sui victor, & triumphator suorum. Philosophiâ Conimbricæ imbutus, exoratâ A. 1592. Indiâ, in Prætoria Francisci Melli Goam appulit, ubi post Theologiæ studium Sacris initiatus, cùm in Japonia primos adversùs Ecclesiam æstus cieri accepisset, eò quàm primùm evolare, & suum procellæ pectus obijcere contendit. Ergo Macaum discedens, postquam annis aliquot Moderatorum jussu pro concione illic laborâsset, in expetitam diu Japoniam permissus demum est transmittere, 4. priùs solennibus DEO votis A. 1603. obligatus. Primus tum labor eum excepit in gentis idiomate per annum unum condiscendo, quo utcunque eruditus, Meacum, urbem Japoniæ principem, duobus cum socijs est destinatus; adeò fœdam expertus tempestatem, ut permultis Japonum mari haustis, anchoralibus distractis, navi convulsâ, malo ità diffracto, ut ejus parte alterâ P. Joannes Porticus oppressus fuerit in puppi; ipse non sinè miraculi opinione diu cum mari, ventis, ac morte luctatus, sospes evaserit. Naufragus venit Ozacam; unde aliquantò pòst Sacajum progressus, stabilem Societati Residentiam ibi primus instituit. Sed medio ex cursu Macaum imperijs Majorum revocatus est, ad ejus Collegij gubernationem sustinendam; cùm eo perfunctus munere, ardentiùs ad ærumnas adspiraret Japonicas, eodem illum remitti placuit; ex quo præsertim Ludovicus Cerqueria Japonensis ex Soc. JEsu Antistes, incurarum eum suarum Adjutorem, cùm Vicarij Generalis appellatione censuit adsciscendum.

Biennium in illo munere, cum ineffabili Japoniæ emolumento posuerat, cùm A. 1614. Ludovicus Episcopus, dolore magìs vexatæ Ecclesiæ suæ, quàm suo, naturæ concessit; & ea mox insecuta tempestas est, quæ inexorabili Imperatoris sententiâ, omnes Evangelij Præcones proscriptos ejecit. Igitur etiam ipse, quem pervulgata gesti muneris dignitas, Magistratuum oculos fallere non sinebat, Macaum deportatus; cùm assidua ejus animum sollicitaret Japoniæ cogitatio, anno vertente, adscito Institoris habitu, cum plusculis Socijs, qui nautas vel milites cultu assimulabant, majores quàm unquam antea spiritus ad tolerandos pro Japoniæ salute labores, eòdem retulit. Quantum ibi per 11. annos ærumnarum exhauserit, cultu ob pericula variato, semper alieno nomine, etiam Ignatij à Cruce assumpto, facilè credet, qui cogitabit vitam illi in saltibus plerumque & montibus, vel si bene secum ageretur, in squallidis luridísque mapalibus traductam. Sacaij certè angustissimo in angulo, inter domorum tabulata nè proderetur, anno toto delituit, periculo tantò deinceps majore illi accrescente, quantò imposita Japoniæ Pro-Episcopi à Pontifice dignitas, unicum Christianis omnibus perfugium illum constituebat. Quo in gradu con-

conſtitutus, cùm in ſalutem commiſſi gregis diu noctúque curis diſtraheretur, nullius tamen ſervitium admiſit unquam: & quamvis ætate jam gravis, afflictâ valetudine, oculísque ità caligantibus eſſet, ut ijs captus propemodum videretur, nudis tamen ſemper pedibus inceſſit. Fixerat ille ſedem, ut opportunè cùm res poſceret conveniri poſſet, in oppido Cocinotzu, ea potiſſimùm de cauſa, quòd Matauntra Bungus oppidi Dominus, quamvis Ethnicus, ingenio tamen miti, ad Chriſti Sacra connivebat. Verùm is A. 1625. ad Imperatorem Jendum profectus, ubi ſæviſſimis paſſim edictis & ſupplicijs in Chriſtianos agi vidit, ut favorem ſibi Imperatoris conciliaret, jubet ipſe quoque in ditione ſua inquiſitionem fieri. Quod dum fit, Cumata quidam nomine, à Fide Chriſtiana apoſtata, Mondum Gubernatorem clàm convenit, ſpondétque ſe illi P. Franciſcum dum velit traditurum. Lætus hoc indicio Mondus, navigium ſub veſperam cum ſatellitio conſcendit, & duce Cumatâ, qui in Patris diverſorio frequens alioqui & domeſticus erat, eò rectà contendit. Pater audito militum ſtrepitu, facilè quod re ipsâ erat ſuſpicatus, adventantibus obviam proceſſit. Quorum aliquis efferatior illum baculo excipiens, Mondus autem Gubernator præcipiti rabie etiam acinacem diſtringens, in loco necaturus erat, niſi Collegarum alter manu injectâ prohibuiſſet. Comprehenſi ſunt ibidem cum P. Franciſco, Petrus Rinxei, qui Societatis impetrandæ ſtudio totos 8. annos Provinciali in obſequijs fuit; Paulus Scinſuke, qui à puero Patribus noſtris adhæſit, in cuſtodia demum uterque Societate donatus. In vicinia verò cœpêre Caſparem Sandamatſu, qui cùm ſectas Japonum & characteres egregiè calleret, pro concione dicebat, quamvis domeſticis addictus eſſet obſequijs. Excurrerat ille in viciniam Concionis habendæ gratiâ cum famulo Joanne Kiſacu, de quo dum ex Fratre Caſpare quærerent lictores: *quiſnam eſſet?* reſpondit: *famulum eſſe, liberum proinde dimittendum.* At Joannes elatâ mox voce, complures jam annos ſe Provinciali eâ ſpe famulari teſtatus eſt, ut aliquando Societatis & Martyrij conſors evaderet. Vinctus ergo unà, & ad hoſpitium Provincialis deductus, ſanctam eidem movit invidiam. Ubi enim illum cum cæteris, ſe uno excepto, vinctum conſpexit, impensè oravit milites, ut ſibi etiam vincula injcerent. Sed non impetravit: Scimabaram cum reliquis exors vinculorum adductus. Ibi modis primùm iniquiſſimis à cuſtodibus habiti, cùm ex adverſo Angelicam præ ſe modeſtiam, tranquillitatem, ſubmiſſionémq; ferrent, milites tantæ fulgore virtutis obſtupefacti, eam ſibi Legem petierunt explanari. Datus ergo ijs eſt Petrus inſtitutor, jam tum à P. Provinciali cum alijs 4. unà comprehenſis in Societatem adlectus: qui paucis diebus tam egregiè, operante in illorum animis divino Spiritu, rem egit, ut uno eorum baptiſmum conſecuto, cæteri omnes, niſi deterreret immanitas cruciatuum, initiari baptiſmo vellent, virtutis captivorum paſſim cum lacrymis facti deinceps prædicatores. Eâ re, Neophytorúmque ad Patrum carcerem concurſibus incitatus Gubernator Mondus, hominem præficit eorũ cuſtodiæ, faſtûs & importunitatis ipſis militibus intolerandæ. Sed & ille ſanctis captivorum exemplis, & unius hebdomadæ catecheſi, prorſus à ſe diſſimilis evaſit: palámque etiam Mondo, tantùm non in furorem verſo, aſſeruit, nulla eſſe tormenta & ſupplicia, nullas ſpes aut Principis favores, quibus ab expoſcendo baptiſmo poſſet deterreri.

Verſabatur hoc ipſo tempore clàm Scimabaræ P. Joannes Baptiſta Zola Brixienſis Italus, qui in Societatem anno ætatis 19. adſcriptus, novennio poſt P. Albertum Laërtium ſecutus, cum 61. Socijs in Indiã transmiſit; indéque abſolutâ Goæ Theologiâ, in concupitam jam Sacerdos trajecit Japoniam, quam etiam indefatigabili ſtudio per annos complures excoluit. Datus Arimenſi Collegio, & Socijs in ea ditione laborantibus, in locum capti P. Navarri, Rector, cùm atrociſſima in viros Apoſtolicos vigeret inquiſitio, mutatis perpetuò ſtationibus, tandem Scimabaram delatus eſt. Nec ibì quieto eſſe licuit. Capto namque Provinciali, & Scimabaram adducto, conſilio rogatúque Chriſtianorum, quamvis eſſet Martyrij ſitientiſſimus (quod etiam per literas à P. Carolo Spinola, & P. Navarro, quas in Breviario ſuo circumferebat, promiſſum ſibi habuit) tempori tamen cedens, in domum Joannis Naiſen veteris & fortis Chriſtiani, littori imminentem conceſſit, ut deinde mari conſcenſo inde ſe ſubduceret, languidus adhuc ex morbo & imbecillis. Jámque ad diſceſſum inſtructo, unà priùs horâ quàm conſcenderet, ſubmiſſi à Gubernatore accepto indicio ſatellites ſuperveniunt, & horas Canonicas, epiſtolásq; illas Martyrij vades fortè legentem, ex improviſo occupant. Erat cum illo Vincentius Caunus Sina, in Corea natus, quam Taicoſama

cosama armis occupaverat, operâ Ducis Augustini Fingendoni Christiani. Hujus aciem in suos dispositam ordines Vincentius 13. tunc annos natus, eminus ex castris Coreanis contemplatus, exarsit desiderio ejusdem cominus spectandæ. Ergo insalutatis suis, è paternis castris (Pater enim tribus equitum millibus præfectus erat) se ad hostem proripit, & in Ducis Augustini tentorium ultro se infert puer speciosissimus. Propinquus quidam Augustini liberali pueri formâ & ingenio captus, Caunum sibi vendicat, & in Japoniam abductum, Ecclesiæ Scekiensis obsequio addicit. Hìc ille salutari lavacro ablutus, linguam Japonicam brevissimè puerili facilitate condidicit, magnisque in virtute factis progressibus, in præclarum adeò concionatorem evasit, ut Coreani & Japones quàm plurimi suam illi salutem secundùm Deum acceptam referrent. Ardenter expetebat Vincentius Societatem, quam ut impetraret, acceptâ à Patribus admissionis conditione in Sinas penetravit, insigni multorum ad Fidem accessione; donec in Japoniam redux, Joanni Zola adhæsit, cum quo & comprehensus fuit.

Horum captivitatem cùm fama longè vulgâsset, Feizo apostata, qui Nangasachi pro Gonrocuo Rempublicam administrabat, quò suam Imperatori fidem probaret, in Christianos & ipse accuratissimè inquirebat. Latebat tum Nangasachi P. Balthasar de Torres, Vir tantus, ut si singula de illo proferenda forent, justum conficerent volumen. Granatæ, quæ Hispaniæ Bœticæ Urbs nobilis est, illustrissimis genere & virtute parentibus natus est 14. Decembr. A. 1563. & ubi maturuit, Ocaniam ad scholas Societatis transmissus. Cùm verò complures ex illo Collegio ad infidelium salutem procurandam in Orbem novum alacres, & gaudio quodam insolito delibutos abire videret, cæpit & ipse spe similis olim Missionis Societatem ardenter exposcere, quam etiam bonâ Parentum venià A. 1579. impetravit. Exacto Navalcarneri per omnia virtutis absolutæ documenta biennio Probationis, triennio item Philosophici studij Seguræ, cùm cum magìs magisq; ardens juvandarum animarum zelus veluti depasceretur, dimisêre tandem Superiores eâ classe, quæ Japonios Oratores cum P. Mesquita Româ revexit in Patriam. Goam ùt appulit, ità naviter Theologorum doctrinis se impendit, ut easdem deinde primùm Goæ, tum etiam Macai totos 8. annos eximiâ cum laude, & quantâ nullus antè satisfactione docuerit. Et tamen, quod mirere, publicè simul ad confertissimũ populum pro concione dicebat, pœnitentibus ità assiduus, quasi nihil præterea muneris haberet, aures dabat, simúlque calamitosis & mœstis omnibus certum erat perfugium. Ubi verò ad desideratas Japoniæ ærumnas transmittere A. 1600. Macao permissus est, ijs incessit gaudijs, quæ parere illi poterat primum in Indias transmittendi votũ tandem opere completũ; hinc tanto ad eas comparare se nisus est studio, ut eo toto in cursu divinæ commentationi, quam antea perfamiliarem habuerat, penitùs se dederet, prorsus ut jam ejus in Cœlo videretur omnis esse conversatio. Appulso prima cura linguæ vernaculæ condiscendæ fuit: dein Meacum profectus, ibì atque in circumposita vicinitate Socijs præpositus, primum Divinæ fecit sationis periculum, atque Ozacæ postea & Fuscimi egregium fecit suæ operæ pretium. Secundùm hæc in Borealia Regna transcurrit, Canga, Noto, Zu; & sex ipsos annos in ijs tractibus, nive & frigoribus asperrimis, consumpsit, maximâ frugis ubertate, cujus colligendæ copiam Fingendoni Principis in Christianos, & in Justum Ucundonum Japonensis Ecclesiæ columen, favor ac studium faciebat. Socijs post hæc omnibus Daifusamæ decreto Japoniâ exactis, habitu mentito in ejus Ecclesiæ subsidium relictus, dici non potest quanta tum demum malorum & difficultatum in illum incubuit moles! Cùm enim ob intentissimam vestigatorum sagacitatem, nihil uspiam tutum, nullus, vel periculosus esset receptus, sæpe tertium Pater derepentè quartúmque mutare cogebatur latibulum. Demum Christianis, quò sibi diutiùs servaretur, volentibus, in Regnum Sanuki, aliquantò ab communi insectationis molestia longinquius secedens, excitato è stramentis mapali, sex ipsos menses solitarius in silvis, in bestiarum contubernio consedit; donec remittente nonnihil inquirendi in Christianos ac sæviẽdi studio, repetitâ Ozacâ suis sese reddidit officijs. Ecce autem vix pedem eò retulit, cùm instauratâ insectatione, repentè deprehensus, ità à satellitibus velut indagine cinctus est, ut eorum oculis subduci nullâ humanâ arte posse videretur: cùm novum & insolens consilium capientes Neophyti, Patrem in lectum componunt, & medicamentis undique delibutum, instar valetudinarij fascijs circumligant. Ejus consilij celeritate delusi exploratores, & prædam evasisse manibus admirati, recessêre; Christiani

verò

verò Patrem illico Sacajum ad ſecuritatem tranſtulêre.

Interim grave ortum eſt bellum inter Daifuſamam, & Findeyorum Taicoſamæ nuper Imperatoris filium, quo funditus Ozaca everſa eſt. Igitur nè eo diſcrimine ope ſuâ civibus & militibus, qui plurimi Chriſtiani erant, deeſſet, Ozacam è veſtigio recurrit, retrahentibus nequidquam cum lachrymis à præſentiſſimo diſcrimine Sacaianis. Cecidit eâ obſidione in pugna Findeyorus, urbs capta, incenſa, flammis conſumpta eſt. P. Balthaſar medijs præliorum in fluctibus animo erat adeò præſente ac tranquillo, ut qui eum obſervabant, attoniti obſtupeſcerent, cùm fugâ ſalus quærenda eſſet per cadavera necatorum, pérque ignes, qui tectis injecti latè omnia depaſcebantur. Hìc illi ſocius Michaël Dogicus in oculis trucidatus; ipſe ab graſſantibus militib⁹ primò atrociter pulſatus, dein veſte omni ſpoliatus, nudus in propatulo relictus eſt. Dum ergo nuditatis ſuæ verecundiâ in obviam fortè caſam deſertam ſe abdit, mortem ibì certus opperiri, Dominus illi non finè prodigij ſpecie amictum ſubmittit. Joannes Sacurajus, qui Patri eo in itinere adhæſit, & vitam pro Chriſto poſtmodum in flammis Nangaſachi profudit, conſpicatur obſoletæ veſtis lacinias temerè abjectas, & præter eas funem, qui corpori cingendo ſufficeret: quibus Patrem utcunq; obvolutum, per medium victorem exercitum, ab omni militari licentia immunem DEO ſervante deduxit, cùm tamen nè à puerorum quidem alioqui aut fœminarum injuriâ temperarent. Conſumpto eodem impetu flammis Sacajo, cùm locum quò ſe reciperet non reperiret, gravem morbum ab incommodorum magnitudine contraxit. Simul atq; ab eo quoquo modo reſpiravit, Nangaſachium primùm, tum Cami & Sacaij vaſtiſſimas Regiones Evangelicis laboribus excoluit, ad uſque A. 1621. cùm adversâ rurſus tentatus valetudine, Nangaſachium denique repetere coactus eſt. Sæpius ibi improbâ ſatellitum elusâ diligentiâ, cùm è manibus propè tenentium tanquam prodigio evaſiſſet, tandem in caſſes nec quæſitus incidit. Latebat ille apud Cajum Virum optimum, cùm miſſi à Feizo ſatellites viciniam totam perquiſitione Religioſi cujuſpiam, habitu Sinico illic occultati, infeſtant: cujus turbationis ignarus Pater domo egreditur, ut Caij filiam civium uni nuptui datam ritu Catholico deſponſet. Eo in opere dum adhuc eſt, turba lictorum in ædes Caij tam improvisò irrupit, ut ciſtæ Sacri Apparatûs claudendæ, quam Pater apertam continuò rediturus reliquerat, otium non ſuppeteret. Igitur ex ea ſupellectile comperto ſolitos eò divertere Sacerdotes, tumultuosè perveſtigant omnia, viciniam excutiunt, tormentis proditionem Sacerdotis extorturos minantur; riſu ab ambientibus talia Neophytis excepti. Audito Pater fremitu, vacuum in parietem, eos in uſus comparatum, interim ſe recepit, diem ac noctem integram eo in antro cibi ſomnique prorſus expers, & ne prætereuntes eum perſentiſcerent, prorſus immotus perſiſtens. Et quia toto eo tempore duo excubitores Gubernatoris aderant, quos fallendi copia non erat, Pater inediæ & internecioni ſe devoverat, priùs quàm ſuis hoſpitibus noxæ foret. Poſtridie excubiæ toto vico diſpoſitæ, ne quà Pater evaderet, conclavium januæ clavis confixæ, inque ejus unius captionem intenta omnia. Verùm Inſtitoris Chriſtiani è Regnis Cami charitas, omnem eorum induſtriam deluſit. Hic morbo ſimulato, ut ab eo loco opinionem averteret, in alteram uſque noctem pro ſpecu decubuit: ut adeò fruſtra alibi veſtigia Patris ſcrutati lictores, deſperato eventu receſſerint. Quare nocte concubiâ perfoſſo extrinſecùs muro Pater ereptus, contiguas primùm in ædes, atque inde mox in alias, ruſúmque extra oppidum in alias, tandem Joannis cujuſdam agricolæ in pagum Arimenſem evaſit; tantâ feſtinatione, ut præter conſpiciliorum thecam, Breviarium & Roſarium, nihil omnino ſecum tulerit.

Jam 35. dies ibi egerat in tuto Pater, cùm Dominicâ 3. Quadrageſimæ, hoc eſt die 15. Martij A. 1626. Sacris ibi operantem gemini exploratores, fæniſecij obtentu egreſſi, ac citra ſuſpicionem in domum admiſſi, deprehendunt, & magnâ diſſimulatione digreſſi, ſatellitibus qui in propinquo ſubſtiterant, indicium faciunt. Illi celeriter irruere, domeſticos atrium obſidentes ad remorandos incurſus, diſijcere, fores perfringere; deniq; Patrem ſacro jam ſe ornatu exuentem violenter corripere. Illum, & Michaëlem Tozo Sacrorum ſocium, patrem, matrémque familias, & reliquos familiares vinculis injectis comprehendunt, & per celebres Urbis vicos, ſicut in triumphum deducunt. Id cùm pleno meridie fieret, ingens Chriſtianorum ad ſpectandos venerandósq; heroës concurſatio fuit; advolvebantur prætergredientium genibus, & offuſi lachrymis ſanctam à Patre, ducto Crucis ſigno benedictionem precabantur. Liberaliter ibi omnino à Feizo, cibis

ſem-

ſemper de propria menſa transmiſſis, habitus eſt, quòd ſperaret à Patre eâ humanitate delinito, poſſe aliquid de ejus receptatoribus, & Religioſorum latibulis, per anfractuoſas quæſtionum ambages reſcire. Sed inanis fuit improbi Apoſtatæ ſolertia: ut adeò ipſi Ethnici mirantes probarent ejus, & vulgatam Chriſtianorum taciturnitatem, tantâ circumſpectione, quæ Socijs nocumento forent, prementium. Nangaſacho Omuram devectus eſt, & carceri omnibus cœli injurijs undique aperto, octonos in quadrum palmos lato, caveæ altilium inſtar è lignis compacto, incluſus eſt, poſt toleratas trium Japoniæ Imperatorum 20. annorum ſpatio acerbiſſimas perſecutiones. Nihil ibi æquè animum Patris excruciabat, atque Divinæ menſæ penuria, quam ità luculenter in literis ad amicum de Societate teſtatus eſt. *Amantiſſime Pater, nihil æquè hac arcta in cuſtodia mihi grave eſt, ac SS. Miſſæ Sacrificio carere, neq; eâ me eſſe ſpe, ut vel in ipſo mortis articulo Sacrâ refici Communione tribuatur. Unum hoc P. Joanni Baptiſtæ Baëzæ invideo, quòd Sacramentis comparatus obierit. Ad meam ſortem quod attinet, magnas Domino gratias habeo: quòd me tot maris ac terræ periculis eripuit; atq; illo imprimis, quod in Civitate ſubij, cùm per medium hoſtilem exercitum deduxit incolumem, quia nulla poterat humana vis ſoſpiti mihi vitæq; compoti tranſitum polliceri. Sed bonus noſter JEſus, quæ ipſius eſt infinita miſericordia, hanc mihi feliciſſimam habebat ſortem ſervatam, ut pro S. Evangelij ſui promulgatione ſanguinem profundam, & lavem ſtolam meam in ſanguine Agni. Oret ipſum R. V. ut perficiat id, quod hoc in carcere exorſus eſt, neq; meis peccatis, & in ejus obſequio ſocordiâ corrumpi ſinat. Incommoda & labores carceris, præter victum, quem centurio Hieronymus Macedus abundè ſuppeditat, non deſunt; ſed exiguam ea mihi, atq; adeò nullam afferunt moleſtiam; ſimul nos inter illa ſolatur DEUS ſempiternæ quietis expectatione; & id ego quidem duntaxat unum opperior, ut in buſto propediem Nangaſachi deflagratus inteream.* Atque hæc ipſa Divini Sacrificij inopia omnium moleſtiſſima incarceratis cum P. Provinciali Scimabaræ accidebat; eâ inſuper curâ vehementer anxijs, nè dubia P. Provincialem valetudo, quem tremula paralyſis, & dolor artuum ex ærumnis ergaſtuli ſextum jam menſem toleratis, invaſerat, ante ſupremum in rogo certamen ipſo in carcere deſtitueret.

Interea temporis Mondus fruſtra minis tentatâ Patrum defectione, ſtatuit tormentis experiri. Vincentium ergo Caunum ex Sinis oriundum, tanquam ex gentis illius indole molliorem ad tormenta, aggreditur, jubétque exutum veſtibus per ingentem frigoris inclementiam humi nudum diſtendi; ſubmiſſis, qui ferreis comprehenſos forcipibus, manuum pedúmque articulos premendo contorquerent. Quem ubi nihil his moveri cruciatibus, ſed Fidei veritatem etiam adſtantibus ſuadere aſpexit, percitus furore, ſuis ipſe manibus illi brachia ac nares forcipe prehendere, diréque totis quantis valebat lacertis diſtringere non erubuit. Verum neque his de conſtantia vel tantillum remittens Vincentius, ad novum atque inſolens tormenti genus abripi jubetur. Tantam ſupino in os vim aquæ infundunt, quantam pectoris cavum admitteret; eandem mox validâ ſtomachi verberatione, & conculcatione violentè expellunt; crudelitate toties repetitâ, donec fractus viribus fatigatúsque deficeret. At Vincentius omnem illius ſævitiam perpetuâ illius Pſalmiſtæ carminis repetitione: *in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum:* ità ſuperavit, ut quamvis ingentem copiam ſanguinis in manuum brachiorúmque contorſione vomuiſſet, nihil doloris expertus præterea ſit, niſi quendam manuum veluti ſtuporem ac debilitatem. Solitus deinde dicere, *ſe probè experiri, eum qui corpus & animum DEO devovit, non ſuis ampliùs adversùs tormenta viribus depugnare, ſed gratiâ DEI invincibilem reddi.* Nudus ergo iterum, Cœlo gelidiſſimo, religatus ad arborem, iterum ad defectionem ſollicitatus; ille pari firmitate iterum de Tyranno triumphavit. Ergo ſolitarium, eúmque peranguſtum in carcerem detruſus, manibus arctiſſimè ſemper, niſi dum cibum caperet vinctis, die noctúque per duas hebdomadas ſic habitus eſt, inediæ, algoris (nam undique auræ pervius patebat) anguſtiarum, omnis denique indignitatis expertus. Accitus poſt hæc ad Judicem unà cum Socijs Paulo & Joanne, quò ſua quiſque nomina referret manibus in tabulas, quæ de captivis mittebantur in Regiam; cùm calamum Vincentius algente manu continere nequiviſſet, Judex aliquo commiſerationis ſenſu permotus, veſtes illi primùm ſuas reſtituit, tum etiam igni tantiſper admovit, dum ſtylum poſſet diſcuſſo digitis rigore complecti.

Interea temporis novas Gubernator Midzunus Cavaccius ab Jendo Nangaſachum appulit A. 1626. 12. Junij, habitáque cum Apoſtata Feizo deliberatione, Scimabarano, Omuranóq; Gubernatoribus mandat, ut 20.

Junij quos habebant vinctos ob Christi Fidem, Nangasachum mittant. Igitur die 18. Junij summo silentio per tenebras noctis Scimabarâ P. Franciscum Pacecum Provincialem, P. Joannem Baptistam Zolam, Gasparem Sandamatsu, Petrum Rinkei, Joannem Kisaku, Paulum Scinsuke, Vincentium Caunum simul educi, ad evitandum Christianorum concursum visum est: qui tamen minimè delusi, ingenti frequentiâ accurrêre, suos à se Magistros tolli acerbissimè deflentes, & supremùm sibi bene precari multis utrimque lachrymis exorantes. Sacerdotes gestatorijs sellis inclusi, reliqui jumentis impositi, Nangasachum versùs deportari cæperunt: jussi in via Phimi subsistere, dum alij Socij ab Omurano carcere adducerentur. Jamque illo extracti P. Balthasar de Torres & Michaël Tozo, die 19. Junij Nisium Uracami vicum pervenerant, apud tenuem, sed Christianum agricolam noctem illam ducere jussi; ubi ad Patrem domûs hospes nocte mediâ clam excubitoribus adrepens, ad ejus pedes se provolvit, eo gestu & corporis inclinatione (quia verbis, nè sono proderetur, non poterat) supremùm ab illo expiari deposcens: cui in digressu Pater monimentum amoris supremum dedit, Breviarium & conspicilia, solo sibi Rosario relicto, quo in certamine uteretur pro telo. Habuit ea pignora hospes, itémque ij ad quos eorum pars aliqua delata est, velut S. Martyris, in existimatione & honore præcipuo. Ubi dies Junij 20. illuxit, ab utrisque Nangasachum versùs lentè processum est; ubi cùm jam propè unius anni intercapedine nemo fuisset in monte Sancto supplicio enectus, perque eam omissionem instrumenta pœnarum dimota, septa convulsa, jussi continuò defigi pali, via, quâ eundum erat, expediri, omnia instaurari. Quæ ut lustraret, missus à Feizo Nagascendayus cum Sancio, à Fide transfugæ, ubi longè pyras à stipitibus disjunctas conspexit, inhumanum id ratus in ejusmodi homines, & in sceleroſos dumtaxat usurpandum, admoveri propiùs materiam, densiùsq; stipari jussit, approbante factum Gubernatore. Simul parata fuêre ad supplicium omnia, & inclinata in vesperum dies æstum remisit, simul Socij omnes ad supplicij locum per frequentiores urbis vias traduci cæperunt, tanto Christianorum motu, preces & benedictionem, afflictæque præsidium Ecclesiæ flagitantium, ut coërceri à lictoribus nè fustibus quidem possent: & unus aliquis ibi præsens è Societate, observatâ ex occulto Cœlesti quâdam in vultu P. Provincialis malaciâ, ità commoveri se sensit, ut nè prosiliret in medium, seque jungeret morituris, vim sibi inferre necesse habuerit. Ubi præter eum vecti sunt locum, quo nostrum nuper Tyrocinium, Ædesque Sacra steterant, P. Provincialis sibi Sociisq; poposcit aquæ pauxillū: quâ confestim à Christianis cum nonnullis fructibus allatâ refrigerati, & valētiores ad orandū redditi, ultrà perrexêre.

P. Balthasar de Torres, qui cum Michaële brevi intervallo præcesserat, ubi P. Provincialem cum suis adventare conspexit, è vestigio lecticulâ prosiliens, capite nudato suo Moderatori adversùm ire, consalutare, complecti; & attonitis eâ utriusque hilaritate, ùt si ad epulas non ad rogum irent, Ethnicis, piè festivos inter se miscere sermones. Ingens multitudo è vicinitate finitima spectandi avida accurrerat, urbana parciùs, ob proposita Gubernatoris edicto supplicia exituris, & clausas eas Urbis portas, quæ ad incendij locum ferebant. Advenêre etiam multo milite comitati Feizo, & Gubernator Midzunus Cavaccius, quem P. Balthasar detracto sibi pileo veneratus est, indignum Feizonem Apostatam eo honore præteriens: cui vicissim ille capitis inclinatione respondit. Septum jam ingressuris, P. Balthasar, qui aberat ab aditu proximus, reverentiæ studio pedem retulit, & P. Francisco Pacieco Provinciali suo primas ingrediendi, modico de via decessu, dedit. Mox cuncti proni procubuêre in terram, & illam sempiternæ suæ beatitudinis matrem, tot ante se inclytorum heroum sanguine sacratam suaviati, DEO elatâ voce istud in se singulare beneficiū gratulati sunt. Tum hilari vultu, & excelsis animis, universi ad suam quisq; columnam accedere, venerari, complexu stringere, donec ijs, nè commovere se possent, arcto nexu devincti, lignis undique densatis obsepirentur. Simul ignis omni ex parte sarmentis injectus est, simul insonuit una omnium vox modulantium Psalmos, & SS. Nomina JESU & MARIÆ invocantium. Involvit illos principiò atra fumi nubes, & eripuit oculis adstantium; sed eâ subitò flammæ fulgore dissipatâ, conspecti sunt tam immoti, tam constantes, quàm si eos nullus ignis violâsset; JESUM ac MARIAM dumtaxat identidem ingeminare auditi, modico vix semihoræ spatio deflagrati depugnârunt, triumphaturi sempiternum in Cœlis. Cineres exustorum corporum in saccos operosè collecti, in alto dispersi sunt, nè quid reliqui Christianis ad eorum monumentum & venerationem existeret: Imperante in Japonia Xicogano, die 20. Junij A. 1626. P. THO-



P. Thomas Tzygi Iapon Soc: IESV, pro fide Christi vivus lento incendio consumtus Nangasachi in Iaponia 6. Sept: A. 1627.

C. Screta d. Melchior Kusell f.

P. THOMAS TZUGI.

OMura, fertilis ille Martyrum & adeò ferax ager, ut quicunq; ex Religiosis cupiditate Martyrij arderet, Omurensem ditionem concionabundus circuiret, Martyrium (ùt communi inter se phrasi ajebant) quæsiturus, P. Thomam Tzugi in lucem protulit, producendum subinde à tenebroso Omurensi carcere etiam ad lucem, & ignem Nangasachensem. Erat ille mirè à natura comparatus ad eloquentiam, eáque prorsus incredibili in dicendo præstabat majestate, ut & gentiles ad fidem, & peccatores ad pœnitentiam, velut pro potestate induceret. Omnem illam indolem ad suorum populorum salutem summâ contentione & ardentissimo zelo conferebat; donec in turbida illa Daifusamæ dominatione, in exilium cum cæteris expulsus esset. Sed paulò pòst animarum stimulatus zelo, remensus Oceanum, in Insulam revertit, & orationis efficaciâ populares suos in Fide confirmabat, animabat ad Martyria, quæ plurima indigenis Christianis tùm irrogabantur, externi verò Sacerdotes solo mulctabantur exilio. Donec Omurensis Dynasta, Imperatoris jussu, primus in exteros sævire cæpit, & è singulis Religiosorum Familijs (quarum quatuor eâ tempestate numerabat Japonia) singulos ad gladium damnavit. Primo tum è Societate,

ùt diximus, cruenta mors in Japonia obtigit P. Joanni Baptiſtæ Macciado, ad cujus tumulum (in quo die uno, antequam mari mergeretur, ſacrum cadaver depoſitum eſt) quemadmodum in primitiva Eccleſia, gregatim accurrebant venerationis causâ Neophyti, atque inter illos Marina Dynaſtæ Omurenſis Amita, neglectis hominum de ſe ſermonibus, qui hâc excurſione dicebant violari ſuperſtitioſam illam apud Japones nobilium fœminarum ſolitudinem. Præter alios id graviter ſenſit Nepos Dynaſta, neq; ſe continuit, quin miſſo internuntio indignabundi animi ſui ſenſum Amitæ explicaret. Verùm illa nepoti ſuo reſponderi juſſit: *Si alios impoſterum Sacerdotes, maximè Societatis JESU, quos Magiſtros ſemper habuerat, comprehenderet mactaretque, ſe unà cum ijs ad mortem & Martyrium proditura.* Adeò imitari non pigebat, quos celebrare delectabat Martyres. Fuêre etiam ex Neophytis, qui velut dubium proditæ Fidei argumentum putarent, ſi de ijs ſpargeretur, quod ad Martyrum tumulum nondum excurriſſent. Imò cùm Senatores Nangaſachi Catholici concurſum ad tumulum vetarent, nè ex ea actione, quæ ſalvâ Religione omitti poterat, Dynaſtæ magìs iram proritarent, fiebant Neophytis velut de hæreſi ſuſpecti. Tantus erat Religionis ardor, quem eloquentiâ ſuâ, totâ illâ viciniâ P. Thomas identidem ſufflaminabat. Nangaſachium ſubinde transgreſſus, dum & illum agrum uberrimo proventu excolere ſtudet, repentè Gubernatori proditus, mox à Sacrificio Miſſæ peracto comprehenditur, & in Omurenſem deducitur cuſtodiam; ubi ingens à ſuis propinquis & neceſſarijs, pœnarum metu turpiter à Fide prolapſis, ſuſtinuit hortationum, pollicitationum, demum & minarum certamen, quò illum ſuo exemplo ad ejurandam Chriſti Fidem perducerent. Sed eos ipſe, quâ erat dicendi facultate, primùm exprobratâ perfidiâ caſtigatos, dein ad reditum & conſtantiam invitatos, tandem etiam, ùt fruſtra ſe in illis permovendis eniti vidit, ab ſe repulſos deſpexit, & ſibi certum eſſe per enſes vel flammas, aliâque mille pœnarum genera, ad gloriam ſempiternam, cujus ſola Chriſtiana Fides ſemen ſit, evadere, fortiter juxtà ac liberè eſt conteſtatus. Conſtantiſſimus igitur Chriſti Confeſſor, & minimè incredulus Thomas, ex carcere Omurenſi ad ſupplicium ignis Nangaſachum eductus eſt, ſimul cum duobus hoſpitibus ſuis Ludovico Maki, & Joanne ejus filio. Ubi ad palum alligatus, glorioſo incendio deflagravit die 6. Septembr. A. 1627. ætatis 56. initæ Societatis 38. Enituit ejus egregia fortitudo, cùm inter flammas & glomerata incendia de Chriſti Salvatoris cruciatibus, de ſincero veri DEI cultu, ac Chriſtiana Lege, ad circumſtantes conſuetâ dicendi majeſtate, & incredibili ardore verba faceret, attonitis rei ſpectaculo univerſis. Poſtremò Pſalmum: *Laudate Dominum omnes gentes*, occinens, ei modulationi immortuus eſt. Honoravit famulum ſuum, & ferventem Præconem DEUS oſtento mirabili; ſtatim enim à morte pectus illi ultro diffractum diſſilijt, & è pectore ſic hiante, ſtupentibus Luſitanis & Japonibus univerſis, rubens flamma promicuit: ut ſcilicet viderent omnes, quali Pater, dum viveret, flagrârit incendio, quod etiam ardentiſſimis dictionibus in alios eructabat.

P. MATTHÆUS FERNANDEZ, & P. BERNARDINUS PECCIUS.

COcinum, opulentâ Indiæ Orientalis Civitas, P. Matthæum, inſignem illis Regionibus operarium tulit, Luſitanis ſatum Parentibus, literis, ubi ijs condiſcendis maturuit, mediocriter imbutum, ſed prudentiâ & bonis artibus inſtructiſſimum. Societati in India adſcriptus, Oram Piſcariam multis annis fructu uberrimo excoluit; unde jam ſexagenarius in Regnum Jafanapataniæ evocatus, quinquennij ſpatio eo fervore in DEI cultum promovendum ſeſe expendit, ut ſupra quinque millia, in illa efferatorum hominum barbarie, ſacris undis aſperſerit, everſis Idolorum fanis tria templa Chriſto excitârit, in quibus ſummâ pietate & fervore Divinum cultum promovit, quo apud omnes Apoſtolicæ virtutis nomen obtinuit. Socius Apoſtolicorum laborum in ea cultura ipſi fuit P. Bernardinus Peccius, Senis in Italia nobilibus & opulentis parentibus natus, in Indiam A. 1602. una cum P. Laërtio, qui Indiarum nomine Procurator Romam venerat, & permultos glorioſâ pro Chriſto

P. Matthæus Fernandez Indus Cocinensis. P. Bernardinus Peccius Italus Societatis IESV. cæsi ab Idololatris in Regno Iafanapatanie 18 Septemb. A. 1628 C. S. d.

M. K. f.

Chriſto morte poſtea defunctos ſecum devexerat, unus eorum & ipſe futurus, transmiſit 23. annos natus, quarto ab ingreſſu in Societatem anno. Poſtquam ingenti plurium annorum labore earum Nationum linguas complures (ad quas genio ſuo videbatur ineptior) condidicit, maximos fructus in animarum quæſtu, Deo conatus ejus penſante, reportavit. E quorum medio repentè à Moderatoribus, poſtquam fruſtra toto ſemeſtri periculoſam eam ad Jafanapatanios miſſionem exorâſſet, evocatus, & in ipſis tumultuum in Chriſtianos à Gentilibus ibi excitatorum primordijs Jafanapataniam contendere juſſus, ſingulari præpotentis Dei manu ad eam glorioſæ mortis lauream duci videbatur. Diſcedentem profecutus Chriſtophorus Coëllius de Loureiro ultimùm valedicebat, & ex periculorum magnitudine Martyrium augurans, mortem illam ipſi gratulabatur. Cui ille, *hoc ipſum*, inquit, *Loureire illud eſt, quod tot jam annos tantopere perſequor.* Eſt autem Jafanapatania Regnum in Ceilano Inſula, primò omnium à S. Xaverio exculta, præpollens, cujus prima in Chriſtiana Religione inſtitutio, S. Franciſci Seraphici Familiæ debetur. Sed cùm tantæ Regioni percolendæ operarum paucitate non ſufficerent, Societas in partem laborum A. 1622. vocata, operam ibi ità ſtrenuam exercuit, ut ſexennio ſupra 50000. indigenarum tinxerit ſacro Baptiſmo. Inter quos PP. Matthæus, & Bernardinus, dum maximis ſudoribus in laborioſam culturam impenduntur, felicibus

eorum progreſſibus irritatus Dæmon, ne tot ſæculis poſſeſſo Regno pelleretur, felices ſucceſſus non tantùm ſiſtere, ſed & convellere adniſus eſt. Moliebatur per id tempus Ceilani pro Luſitano Rege Præfectus, ad Chriſtianorum tutelam, arcem præmunitam, indito ei Deiparæ à Rupe Francica nomine, ad quam ſecuram Neophytis, à frequentibus idololatrarum incurſibus pateret refugium. Cujus ſtructuræ molitionem ut impediret infenſiſſimus illâ Inſulâ Chriſtiano nomini Rex Candiæ, repentino exercitu ſe in Jafanapataniam infudit. Lanzarotus de Seixas Luſitanæ Arcis in eo Regno Præfectus improviſè obrutus, cùm videret ſe aperto marte hoſti reſiſtere non poſſe, ne conſternatos hoſtili impetu popularium animos ad defectionem inclinari contingeret, deditâ operâ ſpargi in vulgus jubet, collocatas jam à ſe, quâ poſſent hoſtes ingruere, opportunas excubias, nihil proinde turbarentur, tempeſtivè à ſe, ſi periculum ingruat, admonendi. Eo rumore Patres, qui refugium in arce quærere alioqui ſtatuerant, confirmati, ad Eccleſias ſuas ſecuri revolant. Et P. quidem Bernardinus, qui tribus jam noctibus in agro latuerat, veluti defunctus periculo, ad ſuam ſedem cum P. Hieronymo Frois ſe retulit; cùm inopinatò hoſtis magno impetu in ædes invadit, direptâ ſacrâ ſupellectile cetera inflammat. Hieronymus ad primos impulſus, ùt erat ætate firmus ac robore, ſaltu trans horti ſepes evadens, per noctis illius varios errores in Arcem pervenit. Bernardinus ab hoſtibus occupatus, atque in veſtigio obtruncatus eſt. Cujus ſanguine jam efferatiores facti, continuo impetu in vicum etiam P. Matthæi, leucâ diſſitum, rapiuntur, eâdémque ſævitiâ deprehenſum, lanceis confixū capite plectunt, die 15. Sept. A. 1628. ætatis 64. gloriati poſtmodum, ſe non alijs quàm Patribus, Templis, ac rei Sacræ bellum ac perniciem inferre, cùm neque in aliud præterea quidquam ferro flammâve in toto Regno graſſati ſint. Hoſte poſt dies aliquot ex voto re geſtâ digreſſo, cùm cæſorum Patrum collecta corpora Templo noſtro inferrentur, animadverſum eſt P. Bernardini oſſa inſuetum quendam, planéque Cœleſtem odorem ſpirare.

MICHAEL NACASCIMA.

NOn minima Michaëlis noſtri eſt gloria, tali genitum Matre, talique congenitum eſſe Fratri, quorum uterque Martyrij gloriam indepti ſunt. Fingus Japoniæ Regnum illis & Michaëli noſtro Patria fuit, ubi jam olim Sacrificuli inter ſe diſſentientes, in Chriſtianam Fidem propè univerſos inclinârunt. Imò & illi, quos Iconu vocant, quíque putant animam Amidæ in Sacrificuli Ozacenſis corpus, & in omnes deinde ejus ſtirpis primogenitos demigrâſſe, quos ideo non ſecùs ac Amidam vivum venerantur, cùm viderent quam Legis noſtræ Decalogus paſſim probaretur, illum ad verbum deſcriptum, in Amidæ libros inſerebant, ſuíque ſequacibus obſervandum proponebant. Ut jam non eſſet difficile ad Baptiſmum eos perducere, qui difficultatem præceptorum, quæ ferè à Baptiſmo deterrere poterant, vel Sacrificulis autoribus ſuperâſſent. Tenuit igitur proſperum curſum converſio in Fingenſi Regno, uſque ad perſecutionis tempora; quibus uſus Canzive Regni Dynaſta, odium ſuum in Chriſtianum nomen egregiè exercuit, plurimósque ad ſuperſtitionem Idolorum metu pœnarum retraxit. Qui tamen plerique dum alios generoſam pro Fide mortem intrepidè, imò cum gaudio ſubire vident, apoſtaſiæ pœnitudine affecti, palam rurſus Chriſtianos ſe vivere & mori velle dictitabant. Neque tamen continuè ad atrociſſima ſuppliciorum genera, quibus Michaël poſtea ſublatus eſt, deſcenſum, levioribus primùm in conſtantiam Chriſtianorum, certatum. Eminebat inter Fingenſes Paulus Jafudaxu, quem dum 4. Regni moderatores quà promiſſis, quà minis, multùm ad defectionem ſollicitarent, mortem demum, nî juſſa faceret, denuntiarunt. Paulus hoc nuntio lætus, *præſto ſum*, inquit, *hoc unum peto, nè ultrà mecum tempus teratis; nihil enim eſt in hac vita mortali, quod me poſſit à propoſito Fidei deterrere.* Cúmque è moderatoribus quidam ſubjungeret: *at niſi acquieveris, tormenta te manent, quibus atrociora nemo vidit in tota Japonia.* Reſpondit Paulus animo jam efferveſcente; *videbitis etiam ea tormenta ferentem eo animo, qualem nunquam vidit Japonia univerſa.* Nec mora; à miniſtris injecto in collum funè, raptatur in carcerem hilaris, quamvis nonnihil gaudium fortiſſimi Athletæ attemperârit privigni, qui ſimul vinciendus erat, turpis defectio. Qui ad doloris Paulo incremen-

Michaël Nacaſcima Iapon Soc: IESV, ferventibus aquis montis Vngen, ad mortem usq; per multos dies pro fide Christi excruciatus in Iaponia 25. Dec: A. 1628.

C. S. d. *M. K. f.*

mentum, viſus eſt cum ejuſdem Affine, alter pedes, brachia alter Paüli continere, dum medius à carnifice ferro diffinderetur: cujus tamen ità diſſecti caput, ter JEſum ac Mariam diſtinctè invocavit.

Nil mitius actum eſt cum Maria Matre, & Jacobo Fratre Michaëlis noſtri; dum ad Michaëlem demum noſtrum, adultâ jam perſecutionis ſub Sciogunſama Imperatore ſævitie, ventum eſt, quem majore virtutis & fortitudinis robore duratum in Societate graviora, longéque atrociora excepêre tormenta. Comprehenſus ille Nangaſachi quòd Chriſtianos erudiret adjuvarétque, & in vincula deductus eſt Scimabaram: ubi exquiſitis tormentorum generibus ipſius eſt tentata conſtantia. Fuſtibus octies tam crudeliter vapulavit, ut confracta in corpore oſſa omnia, & ipſam adeò excuſſam corpore animam crederent adſtantes. Poſt hæc machinæ cujuſdam artificio in ſublime elatus, in ſubjectus aquas magno impetu præcipitabatur. Tum reſupino corpore humi ſtrato, magnam aquæ copiam per vim in os fundentes, ventrem ad inſtar tympani extendebant, quam mox violentâ corporis compreſſione coactus eſt ſanguine confuſum rejicere, cum ingenti totius corporis cruciatu, viſcerúmq; convulſione. Mox ardentiſſimo ſoli torrendus expoſitus, inter omnes hos cruciatus, animo ſemper in DEUM intentus, meruit à DEO in æſtu omnia circùm torrente, umbraculum, prodigio (quod olim columna nubis & ignis, Iſraëlitis propitia, infeſta Ægyptijs,

ptijs, patraverat) repetito: obducta enim repentè nubecula illum à ſole defendit; & cùm alij æſtuarent, ipſum ſolùm lenis auræ afflatus recreabat. Ergo cùm nihil proficere ſe advertunt Satanæ miniſtri, ad nova confugiunt tormenta. Ungen editiſſimus in altitudinem mons eſt, alterâ ab Nangaſacho leucâ: is cæcis ignibus, quibus intus flagrat, aquas diversè per latera exudat, quæ in lacus & ſtagna collectæ adeò fervent, ut quà fortè corpus humanum contigerint, fœda illi ulcera, dolorésque acerbiſſimos efficiant; ſæpius autem ſuperfuſæ, pellem & carnes ad oſſa uſque depaſcantur. Adhæc adeò peſtilentem in aliquibus balneis (nam plura ex ijs medica ſunt, omnibus pellendis morborum generibus ſaluberrima) aſpirant halitum, ut eum neque animantia impunè excipiant, neque alites ipſæ citra noxam, quamvis altè pernicitérque ſupervolent. Eò demum Michaël latus ſæpenumero pluribus diebus interpolatim, ne breviore cruciatu exanimaretur, ferventibus aquis perfuſus, aliàs per bullientia ſtagna traductus, immaniſſimè toto corpore, atque omnibus artubus diſcruciatus, incredibili firmitate animi atque conſtantiâ, Chriſtianam Fidem, uſque ad efflandam in cruciatibus animam, confeſſus eſt. Quam ipſi tormentis his extorsêre tandem ſatellites Gubernatoris Nangaſachienſis, die 25. Decemb. A. 1628. Corpus in ſtagnum, cujus æſtu confectus fuerat, ab lictoribus projectum eſt.

Verſi deinde A. 1629. & 30. in Neophytos varijs modis exeruciandos, per omnes ferè Japoniæ Provincias Præfecti; cùm citati Cavachinouram primarij ejus municipij, fidē deſerere nollent, ſtatuit Daiquan Gubernatoris Amacuſani ingenioſam, quam prior iſte adhibuerat, imitari ſævitiam. Captos igitur omnium, qui accerſiti fuerant, adoleſcentes liberos, in carcerem arundineâ ſepe vallatum, tectóque carentem incluſit, ſolis ardori atque imbribus expoſitos, additâ cuſtodiâ, quæ non ſineret niſi ſemel quotidie lancem plenam farinæ, quam ipſimet afferre jubebantur parentes, in cibum accipere, & aquæ tantillum, quantum medio hauſtu poſſet epotari, cùm interea ferveret Auguſtus. Cùm filiolos hunc in modum excruciari jam 12. dies vidiſſent honeſtiſſimi parentes, Fidem tandem ejurârunt: ſed invicti conſtitêre pueri, recuſato etiam, qui ſubinde à cuſtodibus eos miſeratis offerebatur cibo, cum reſponſo: *cùm Daiquan ità jubeat, fas eſt obtemperare, & tantillum pro Chriſti amore perpeti.* Quæ res tam gentilibus, quàm Chriſtianis admirationi fuit, cùm præterea duo prodigij ſimilia, quæ ijs diebus evenerant, ſeriò expenderent. Nam cùm eſſet aër culicibus moleſtiſſimis confertus, vel in carcerem non irruperunt, vel ſi qui erant illapſi, naturæ ſuæ obliti, innocenti illi turbæ non incommodârunt. Deinde cùm imber maximus decidiſſet, ut exiſtimarent omnes carcerē omnino inundatum, præſenti captivorum diſcrimine, nè una quidem aquæ gutta in eum delapſa eſt, ut continuè pòſt accurentes omnes animadvertêre, ipſíque pueri deinde Patri Antonio Giannonio retulêre. Videns ergo Daiquan ſe nihil cum pueris efficere poſſe, ſatìs habuit (quod primariò intendebat) Parentes eorum, aut ſaltem è quavis Familia unum aliquem, ad ſua placita inclinâſſe: qui tamen ipſi paulò pòſt pœnitudine ducti, ad Chriſti Sacra plerique redierunt.

P. JULIUS CÆSAR MARGICUS.

NObilis Margicorum Familia, per utramque Parentis lineam Aquilæ in Veſtinis propagata, nobile nomen huic Servo DEI indidit, cujus appellatione, ad majorem Julio Cæſare magnanimitatem provocaretur, quâ *fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit mœnia.* Editus in hanc lucem veluti certaminum arenam A. 1586. ætatem illam primam aduſque Societatis ingreſſum ità integer decurrit, ut nihil unquam reprehenſione etiam perlevi dignum in eo notâſſe teſtarentur domeſti & æquales; ſed ex adverſo in omnem pietatem, & ſui vincendi ſtudium ab eo verbis & exemplis induci experirentur. Habebat enim jam tum familiarem cilicij, flagellorum, & jejunij uſum, cujus guſtum ſuavem ei faciebat quotidiana Paſſionis Dominicæ commentatio, cujus etiam ſpeciali quopiam cultu proſequendæ morem nullo die intermittebat. Ubi autem duodevigeſimum ætatis annum, deductâ ad finem, & cum plauſu propugnatâ Philoſophiâ, attigit, ut ſuum Martyrij, & Indicos labores obtinendi deſiderium proſequeretur, Societatem unicè exambivit, donec ſuperato multiplici



P. Julius Margicus, nobili loco in Italia Natus, Soc. IESV, uenena sublatus ab Idololatris in fructibus porrecto, Siami in India. A. 1630.

C. Screta. del. M. Küsell. f.

tiplici Parentum & Amicorum obſtaculo potiretur A. 1606. In hac edomandi hoſtis domeſtici palæſtra, omnes rebellium affectuum motus comprimere ſtudebat, eò ſemper directâ animi intentione, ut ne, dum confligendum eſſet cum Tyrannis & hoſtibus externis, haberet in ſinu domeſticos, à quibus proditoriè infeſtaretur. Obtentâ multis precibus optatiſſimâ, quia id temporis ærumnoſiſſimâ, miſſione Japonienſi, illuc enavigavit A. 1615. quam tamen non diuturnis laboribus excolere potuit, ejectus cum alijs: in eo tamen feliciſſimus, quòd beatam illam moriendi pro Chriſto ſortem, quam in Japone obtenturum tantùm ſperavit, in Siami Regno re ipsâ conſecutus eſt. Habebat in vinculis Rex Siami Hiſpanos aliquot, quos ut eximeret Philippinarum Prætor, Socios tres impetravit à Superioribus Macao, quib⁹ internuntijs & pacificatoribus, illi in libertatem aſſererentur. Et verò propitio uſi Numine, non tantùm Hiſpanos vinculis abſolutos Manilam remiſerunt, verùm etiam proniſſimo Regis favore ibidem remanere permiſſi, totos ſe in condiſcendum gentis idioma impenderunt, quò majore facultate convertendis ad Chriſtum indigenis pollerent. Philippinarum Pro-Rex ut grati animi vicem referret, P. Julium Margicum cum literis officioſiſſimis, & liberali referendæ gratiæ viciſſitudine, ſtabiliendæque amicitiæ voluntate confertis, ad Regem Siami transmittit, futurum Socijs in animarum captura adjutorem. Graves ibi omnino ærumnas & vitæ diſcrimina

non ſemel à barbaris incurrêre, cùm modò ad incendia & rogos conquirerentur, modò graviſſimorum apud Regem ſcelerum inſimulati, ad necem poſtularentur. Verùm innocentiæ Patrum Rex conſcius, ſuo eos præſidio quoad vixit tutatus eſt; quo demum A. 1629. è vivis ſublato, omnia in perniciem Sociorum inclinari cœperunt. P. Franciſcus Cardinus Miſſionis ejus Superior, imprimis Regno dimiſſus eſt; ut jam adeò totius ejus gentis pondus & ſpes ad Chriſtum convertendæ, in ſolum P. Julium incumberet, ſocio altero Romano Niſci in ſuorum Japonum ſalute procuranda, qui ob perſecutionis acerbitatem Patriâ profugi, Fidem ibi in exilio tuebantur, unicè occupato. Igitur P. Julius nondum perfectè linguæ gnarus, interpretem adſciſcit quendam nuper Chriſtianum factum: qui ùt erat perfido ac mobili ingenio, deſertâ non multò pòſt Fide, Patris etiã vitæ parabat inſidias. Literas primùm quaſi à Patre conſcriptas, quibus Regnum Luſitanis prodebatur, confingit, eásque Judicibus deferens, inſcio Patri vincula & carceres procurat. Et quia nihilominus verebatur, nè fraude detectâ innocens Pater, ùt aliàs contigit, deprehenſus, vivus dimitteretur, diſſimulato dolo, verbis compoſitis, Patrem obtentu commiſerationis ſolatur, & reficiendis nonnihil viribus fructus patrios, ſed veneno illitos muneri defert. Pater fraudis atque perfidiæ incogitans, ùt erat ingenio minimè ſuſpicioſo, ſimul cum cibo virus mortémque ſumpſit; quo brevi ſpatio inter acerbiſſimas præcordiorum convulſiones confectus, felicem animam Cœlo transmiſit A. 1630. ætatis 44. initæ Societatis 22. Corpus defuncti cùm ad ſepulturam in cymba exportaretur, juvenes ignoti vultu Angelico ſpectabiles comparuerunt, illúdq; circumſtantes, Chriſtianas Viro DEI exequias facere viſi ſunt.

P. ANTONIUS ISCIDA.

Mirabile conſecutus eſt iter, ſerviens præceptis DEI P. Antonius, *ut inveniretur illæſus in aquis validis.* Ferventiſſimis enim montis Ungeni per 30. dierum intervalla perfuſus aquis, cùm alijs Martyrij ſocijs indè caro ad uſque oſſa deflueret, ipſe præter ineffabiles cruciatus, ceteroqui membris ſemper integer remanens, lento demum igne conſumptus eſt; ut jure merito gloriari poſſit, ſe *trauſiviſſe per ignem & aquam.* Natus Scimabaræ in Japonia, atque à prima ætate in Seminario PP. Societatis JESU educatus, nomen eidem dedit A. 1589. undeviceſimo ſuo. In qua Philoſophiæ & moralis Theologiæ ſcientijs inſtructus, quia gentilium ſuorum ſectas percalluit, validè eas concionando, ſingulari innatæ ſibi eloquentiæ vi confutabat. Peragravit ultro citróque, inter graviſſimas perſecutionis ærumnas, plerasque ejus Imperij provincias, traductis ab Ethnica ſuperſtitione innumeris ad Chriſti Fidem; donec Novemb. menſe A. 1629. Nangaſachi comprehenſus eſt, proditione vicini cujusdam famuli, qui haud ità multò pòſt miſeram animam, manifeſtâ perfidiæ pœnâ, lamentabili exitu edidit. Occaſionem, quâ in hoſtium manus devenit, ipſe Pater ità in ſuis literis deſcripſit. *Vix Omuram veneram, ut P. Joannem Coſtam, quem annis compluribus non videram, convenirem; cùm literæ mihi redduntur à P. Provinciali, quibus Nangaſachum ire confeſtim me jubet, ad excipiendam infirmi cujuſdam confeſſionem. Patri Benedicto Fernandez videbatur oppidò intempeſtiva hæc itio mea; verùm me eo ipſo periculo ſolabar, quod pro animarum obſequio ſubibam. Sed enim præcepit ille mihi, ut eâ confeſſione auditâ reverterer illico, quia Omuræ tutior à veſtigatorum libidine, quàm alibi forem. Deliberatâ celeri reverſione, in Urbem profectus ſum. Verùm cùm ibi opinione plures eſſent, coactus ſum 6. ipſos dies ibi reſtiſtere. Cùm jam in procinctu ad reditum ſtarem, admoneor multos è Gubernatoris ſtipatoribus dictum locum petiſſe, quòd Religioſos ibi commorari audîerint. Hoc admonitu ſubſtiti pauliſper, & interea P. Bartholomæus Gutierrez ex Ordine S. Auguſtini comprehenſus eſt, eóq; me urgere cœpit hoſpes meus ut emigrarem. Nocte ſequenti recepi me ad Jacobum quendam Cuſiove, qui cùm me ab hoſpite domo ejectum accepiſſet, in ſuam me invitavit: cui nè gravior eſſem, Dogicum meum poſtridie dimiſi aliam in domum; & quarto die inter litandum magno animi ſenſu vitam meam Divinæ Majeſtati devovi. Eâ ipſâ die ſecundùm prandium neſcio quid inaudio ſtrepitûs, & ſubitò ante me conſpicor Gubernatoris Vnemij apparitorem, gemino præcinctum acinace, qui exime, ecquis ſim? ſciſcitatur. Subſenſi quid rei quæreret illico; atq; adeò Sacerdotem me & Religioſum reſpondi. At ego, inquit ille, veni ut comprehendam te; idq; ùt dixit, ecce irruit lictor:*

quibus

P. Antonius Iscida Iapon Soc: IESV, poſt toleratas 30. diebus ardentes montis Vngen aquas, et equulei tormenta, vivus lento igne pro Chriſto exuſtus Nangaſacki in Iaponia 3. Sept. 1632.

C. S. d. M. K. f.

quibus ego protendens manus, ut me vincirent oravi arbitrio ſuo. Unus è ſinu funē prompſit, quo quanquam ligârunt me, caterùm omni me honore proſecuti ſunt. Sic vinctum duxêre unà cum Jacobo ad domum Gubernatoris, ubi me Tonus Goroyemonus Cataſcima, certâ ſpe vitæ oſtentatâ, hortari cœpit, ut Religioni Chriſtianæ renunciarem. Cui cùm ego nil penſi me vitam, neque humana ulla ducere dixiſſem, abduci me in cuſtodiam jubet, ubi grandibus compeditos catenis reperi P. Bartholomæum Gutierrez, cum ſuo Dogico Joanne, & Michaële famulo; qualibus me quoq; cinxerunt, & ferrea præterea collo collaria indidêre. Illuc è Proceribus pluſculi me inviſum venêre; interq; alia inſimulabant, haud ſimplicis fuiſſe hominis & ingenui, ſed fallacis & malitioſi, cultu ſe fellisſe Gubernatorem; ſed parem mereri laudem, quòd percontantibus ejus miniſtris, candidè reſponderim eſſe me Religioſum. Secundùm hæc me Tonus Goroyemonus accerſivit ad ſe; cui ego ex occaſione veritatem S. Legis noſtræ prædicavi. Vnemius etiam me vocavit ad ſe, & copioſum varij generis apparatum Sacerdotalem, quem Evangelij Miniſtris in ea inſectatione eripuerat, commonſtravit. Tum ſtolæ & ſuperpellicij ecquis ſit uſus? quæſivit; cúmq; dixiſſem Concionibus, & Divinis habendis officijs adhiberi: rogavit, aliquod ſibi ut rei ſpecimen exhiberem. Igitur amiculum mihi & ſtolam injeci. Placuit autem homini ea ſpecies, & ſuorum ornatu Bonziorum dixit præſtare; cúmque ea rurſus pararem deponere, vetuit, & in capite Aulæ conſidere juſſit. Conſedi, dúmq; verbum ex verbo ducitur, veni in diſſertationem de Fidei noſtræ veri-

tate, tantáque dignitate concionatus ſum, quantâ nunquam ab ſæviſſimæ hujus perſecutionis exortu. Audivit ille ſanè me perlibenter, & dubia multa percontatus eſt; atq; ut eſt excellenti ingenio, facilè capiebat & comprobabat ea, quæ fuerant à me reſponſa. Ad extremum nihilominus, nequeátne fieri, inquit, ut iſtam tu Legem dimittas? Quì poſſim, inquam, ei nuntium Legi remittere, cujus tibi veritatem prædico, extra quam nullus ſaluti locus eſt ſuper? Reſpondes, inquit ille, *ut ſapientem virum & fortem, qualis tu es, decet. Vos enimverò clientes Fidei eſtis & integri: nos contrà univerſi caterva latronum, qui Principum obſequijs caput grandi pretio devovemus, poſt verò, ubi res maximè poſtulat, terga vertimus, & deſtituimus illos. Hoc abſoluto colloquio, conferri ingentem in rogum ſacros omnes, quos habebat apparatus, multúmque librorum imperavit, & cineres in alto diſpergi, negans æquum videri, ea quæ tantam habuerant inter mortales venerationem, eſſe debere contemptui, & indignè haberi. Poſtridie me rurſus ſub veſperam ad ſe acerſijt, ut per complures, quos eo convocârat, aut convinceret reſponſiones meas, aut conviciſſe certè videretur. Venientem omni urbanitate excepit, & hoſpitalem potionem Cia propinavit. Tum variæ proponi cœptæ quæſtiones; quibus à me diſſolutis, eò demum ab illis poſt longas ventum ambages eſt, oportere me miſſis diſputationibus parere Unemio, & unam aliquam Japonicarum Sectarum complecti. Verùm ubi ſe vidêre operam ludere, diverſi abiêre, & me cum Unemio ſolum reliquêre. Multum jam noctis proceſſerat, idcirco me à ſe dimiſit, & poſtridie, hoc eſt 10. Decembris, juſſis Omuram deportari nobis, ipſe ad Regiam profectus eſt.*

Omuræ itaque unà cum tribus Patribus ex Ordine S. Auguſtini, unum in carcerem, non ampliùs ſeſquiulnâ undequaque latum compactus eſt; ubi illi ad loci incommoda jejunium quotidianum, orizæ pauxillo manè ſumpto, adjungere, quater hebdomadâ ſe flagellare, plurimam temporis partem in preces incumbere ſolebant. Ubi autem non multò pòſt redux Gubernator deflagrationis ſententiam, quod ipſi ſperabant, ferre cunctabatur in vinctos, incredibilis eos doloris ſenſus inceſſit; quem ſuum P. Antonius datis ad quendam literis die 29. Decem. ſic expreſſit: *Perſuaſeram mihi ingenti animi mei voluptate certò fore, ut reverſo ex Regia Unemio, incendio vitam finirem; ſed quoniam ob mea peccata DEO aliter viſum eſt, nequeo ſatìs R. V. doloris mei vehementiam explicare. Cæterùm cùm ipſe ità decreverit, neceſſe eſt ejus voluntatem omni meæ cupiditati præferre; cúmque adeò jam illi pridem vitam devoverim, reliquum ſit, ipſum exorare, ut de me conſtituat ex arbitrio ſuo. Neque tamen idcirco tanti beneficij adipiſcendi ſpem deponam, quamdiu hâc cuſtodiâ detinebor, tametſi me languor meus tanti boni reddat immerentem.* Gravem hunc, & ipsâ morte acerbiorem carcerem triennio ferè ſuſtinuit, crebris pollicitationibus ac minis fruſtra ſollicitatus à Præfectis, ut deſertâ Chriſti Religione ad Japonica Sacra tranſiret. Quorum uni aliquando atrociſſima ſupplicia comminanti, *fruſtra mihi*, reſpondit, *minas & verba, qui pœnas jam dudum & cruciatus expecto, neq; tibi reor proclive fore, ſatìs huic meæ facere cupiditati. Igitur ſi me diem unum torquere decretum tibi eſt, meo rogatu ac ſententiâ in denos extende; ſi denos decretos habes, profer in centenos: proroga annum unum in denos, & ipſum porrò decennium produc in omnem ætatem. Si decem cogitatæ tibi ſunt formæ pœnarum, quibus me exerceas, amabò centenas excogita: certamen, ſi placet, utriusq; noſtrum invicem ſit, tibi ſæviendo, mihi durando, dum victus alter defatiſcat.* Ergo ad ferventes montis Ungeni aquas A. 1631. 4. Decemb. variè diſcruciatus eſt, carnificibus omnem in eum juſſu Gubernatoris immanitatem experiis. Plurimis horribile & prolixum hoc ſupplicij inventum Fidem excuſſit, qui, cùm non reformidarent pro Chriſto vitam ſemel abijcere, eam tamen ob iteratos toties cruciatus retinere minimè ſuſtinebant. Perfuſos etenim ad uſq; oſſium aduſtionem, fomentis identidem reſtaurabant, ut ubi convaluiſſent, iterum ex intervallo atq; iterum perfuſi, graviùs ex renovatis vulneribus torquerentur. Igitur arreptum P. Antonium carnifices ante aquarum tormentum, manus pedésque revinctum validè diſtendebant, omnes corporis junctiuras veluti in equuleo diſtrahebant, ficq; luxatum ſublimè demum ſuſpendebant, poſtremò ſcapulis aquam ferventiſſimam infuſuri: quæ tamen præter omnem conſuetudinem, ſtupentibus ad prodigij novitatem carnificibus, nullam ei cicatricem inurebat. Poſt 30. dierum tormentum, revocatus in cuſtodiam, ibiq; ad uſq; 3. Sept. A. 1632. omnibus incommodis ærumnosè afflictus, demum Gubernatoris edicto vivus lento incendio combuſtus eſt Nangaſachi cũ 4. alijs, Toſciogunſamâ nuper poſt Parentem ſuum Sciogunum, & Imperij & crudelitatis ejuſdem potito. 63. natus annos, actis 43. in Societate.

P. FRAN-

P. Franciscus Buldrinus Italus Soc. IESV. ærumnis persecutionis Iaponicæ pro Christo confectus in Iaponia. A. 1633.

C. Screta. d *M. Küsell f.*

P. FRANCISCUS BULDRINUS.

INter deductos in Indiam An. 1602. à P. Alberto Laërtio 60. Socios, quos in ſubſidium militantis illic Societatis conſcripſerat in Europa volones, fuit etiam P. Franciſcus Buldrinus. Is Patrum noſtrorum, qui ſub id tempus frequentes in Anglia Martyrij laureolas indipiſcebantur, exemplo ſtimulatus, ejuſdem Martyrij cupidine Oceanum transmittere, & Regnum DEI annuntiare gentibus diu expetijt. Roma illi vitam, & Societatem duodevicenario dedit, 8. Sept. 1593. India campus fuit, ubi talenta virtutésque ſuas inſigniter exercuit: Scripturam Sacram biennio interpres, Theologiam Scholaſticam quinquennio Profeſſor. magnâ ingenij doctrinæque commendatione explanans. Quoniam verò ſpes Martyrij non affulgeret ab Indis, jam utcunq; ſub jugum Chriſti ſubactis, miſſionem in Japonem impetravit. Sed inde Patrem brevi exorta Daifuſamæ tempeſtas Macaum rejecit, donec rurſus exiguo ſpatio ingentes afflictiſſimæ ejus Eccleſiæ calamitates miſeratus, mutato cultu redijt in Japoniã, ut in tuenda veræ Fidei cauſa laborantes ſub acerbiſſimis tormentis Neophytos confirmaret; cujus quàm opportuna & neceſſaria fuerit per illud tempus Japonenſibus præſentia, quantus ab ea extiterit fructus, juvat in ſpeciem ex certaminibus Neophytorum,

rum, in quibus doctrinâ & adhortatione ſuâ firmatis de Tyranno tam ipſe, quàm reliqui Socij triumphârunt, recognoſcere. Canzugendonus Rex Fingenſis, fremens edicta ſua à primarijs Regni Nobilibus contemni, Simonem quendam Virum Equitem de medio tollere decrevit, eóque amicum ejus intimum Cacuzaimonem mortis internuncium ad eum transmiſit. Verùm hic lachrymis pro verbis perorans, cùm à Fidei conſtantia eum abduci poſſe deſperaret, Matrem, ut id filio ſuadeat, aggreditur. Cui illa, ût à Patribus inſtructa erat, animosè, *in tali cauſa*, inquit, *filium meum animam ponere non laboro, æterna enim felicitas nunquam magno emi poteſt; ſi placet me quoque illi adjungere, ſummo me beneficio devinxeris.* Ergo poſt dies aliquot ſubmiſſus Amicorum alius Jecicava, qui ei moriendum eſſe denuntiaret, intempeſtâ nocte adveniens orantem invenit; tantúmque illis novis recreavit, ut vix ſua capiens ſolatia exclamârit: *ô lætiſſimum nuntium!* Mox ante omnia provolutus in genua, actis DEO pro ſupremo favore gratijs, Matrem & uxorem adit in vicino quieſcentes, lætitiæque ſuæ facit participes, & quaſi iturus ad nuptias, Japonum more tepidâ ſe abluit, feſto veſtium cultu exornat, diſtributisque in famulos munuſculis, vale omnibus lætiſſimus dicit. Tum bonâ Jecicavæ veniâ tres viros de Congregatione Miſericordiæ accerſit (Patres enim, quò prodeſſent pluribus, ſumopere latere oportebat) ut adeſſent morienti, cũ quibus recitatâ inter contritionis lachrymas confeſſione, ubi aliquamdiu ſolâ mente ad ardentiſſimos amoris actus fuiſſet conniſus, unâ manu Parentem, alterâ conjugem tenens, *hoc ego*, inquit, *amantiſſima capita ultimum vobis vale dico, præibo itineri præparando, cúmque adiero beatam illam Patriam, rogabo pro vobis, ut me modico intervallo ſequamini.* Poſita interim fuit ſuper Ara, in Aula Martyrio deſtinata, inter duos cereos imago Salvatoris, à Pilato poſt flagellationem populo oſtenſi, ad quam mox omnes ſupplicantium ritu procedunt, & iteratâ ab omnibus precatione, Simon fortiter caput obtruncandum præbet: quod reſciſſum univerſi non ſinè veneratione diſſuaviantes, felicem ſortem feſto clamore aggratulantur. Ab ejus morte mæſta cum conjuge Mater timorem ſuum, nè Martyrij amitterent occaſionem, continuis lachrymis prodebant, donec novâ primùm illius ſpe, mox certo nuntio à quopiam perfuſæ, ab eo momento dolorem poſuerunt; eâ ſolâ curâ anxiæ, nè ab earum mortis ſocietate abeſſet Magdalena, pro eadem cauſa nuper necati Joannis relicta vidua. Quod cum à Gubernatore impetrâſſent, tantâ lætitiâ invicem inviſentes perfuſæ ſunt, ut ei explicandæ omnis impar ſit oratio. Deduxerat autem Magdalena ſeptennem puerum, fratris ſui filium, à ſe maritóque adoptatum. Cui mater: *fili mi Ludovice, brevì ad Patrem tuum ibimus* (mos enim barbarus ibi inolevit, ut cum reo Parente omnes cum Patre liberi plectantur) *vide, ut nè tibi excidat ſuaviſſimum nomen JESU ac MARIÆ. Non excidet*, reponit puer, *non excidet Mater.* Cùm dies ille abijſſet in ſanctis colloquijs & admonitionibus ad eos, qui lapſi erant à Fide, obſcurâ jam nocte (id enim tempus Magiſtratus vitandæ populi frequentiæ elegerat) monentur, ut ſe ad iter & mortem parent. Illæ autem quaſi ad convivium proficiſcerentur, poſtquam inter aſſiduam comprecationem ad locum, ubi pro eis cruces fixæ erant, hilares pervenerunt, Joanna Simeonis mater prima Cruci alligata, *quando*, inquit ad carnifices, *D. meus JESUS affixus eſt Cruci, acerbiſſimos dolores tulit: quem quia imitari cupio, rogo vos ut me atrociter toto corpore Cruci alligetis.* Quod cùm facerent, & collum arctiùs ſtringerent, *laxate*, rogavit, *paululùm colli vincula, ut commodiùs orem.* Quod dum facit, unus ſatellitum haſtam defigit in latus, ſed molliùs: quâ etiamnum JESUM & MARIAM inclamante, ille vulnus tantâ vi redintegrat, ut ferrum in ſiniſtro latere impactum, à dexterâ ſcapulâ emineret. Deinceps Magdalena cùm immitiùs alligaretur, de carnificum inhumanitate, quaſi de beneficio, gratias agebat DEO. Ludovicus autem videns Matrem alligari, ad ſuam ultrò Crucem acceſſit: cúmque jam colligandus eſſet, quidam de adſtantibus, *nihílne*, inquit, *times fili mi, tam vicinâ morte? minimè*, reſpondit puer, *per DEI gratiam.* Clamavit tamen paululum cùm atrociùs conſtringeretur; ad quem innocentis pueruli gemitum illachrymans Præfectus, funes modicè laxari juſſit. Quia verò ponè Matrem Cruci affixus ſtabat, eam continuè intuens, alternis JESUM & MARIAM ingeminabant; donec prior lanceâ, incertum quo caſu, ſolâ in carne perſtrictus, neque penitus, fallente ferro, perfoſſus eſt. Ergo iteratur ictus, populóque ingemiſcente nullus pueri clamor, ac nè gemitus quidem auditus, nè lachryma quidem ulla genas madefecit. Quod idem ferrum innocenti adhuc filioli ſanguine deſtillans, in maternum pectus demerſum eſt. Simonis uxor ultima ad palmam pervenit, quæ ſeipſam Cruci componens,

ponens, cùm Deo gratias pro beneficio mortis in ligno obeundæ ardentiſſimas referret, ſtupefacti ejus, & jam necatarum firmitudine carnifices, eam alligare, licèt ab ea invitati, recuſabant. Ergo ſeipſam cruci aptantem, Ethnici quidam funibus adſtrictam attollunt, multisque confoſſam ictibus vitâ ſpoliant. 9. Decemb.

Atque hæc & ſimilia quotidie de Tyrannis reportari à Neophytis ſolita trophæa, fructus erant Sociorũ, undiq; è latebris & ſpeluncis ardorem in animos eorum & ignem ſpargentium. E quibus neſcio an quis alius P. Buldrino fuerit fortunatior, quive plures adhortationibus ſuis per omnes Japoniæ Provincias Cœlo per Martyrium peperit Candidatos. Nemo ſiquidem eo feliciùs latuit, nemo dexteriùs omnes ſatellitum & proditorum, venandis Patribus inſidiantium technas eluſit, nemo ferè ex Sacerdotibus Europæis tam diu acerbiſſimâ illâ perſecutione in Japonia ab A. 1612. ſi modicum exilij tempus excipias, uſq; ad 33. ſubſiſtere potuit, eò quòd totius vultûs lineamentis à Japonibus diverſi faciliùs deprehenderentur. Quantum autem eâ causâ difficultatum & ærumnarum tot annis illum exhaurire neceſſum fuerit, nec dici, nec credi poteſt: utpote cui nullus locus, nulla ſedes aut habitatio tuta erat, ſed perpetuò deliteſcendum in ſylvis, commorandum in petrarum cavernis, & hiantis terræ antris, conflictandum cum rerum omniũ extrema penuria, quâ ſæpius magnitudine famis, & aëris injurijs ad extrema deductus, non tam vitam, quàm longam trahebat mortem: ut adeò ſæpius profligatâ vitæ ulteriùs ſervandæ fiduciâ, ſeſe ultro veſtigatoribus in vincula daturus fuiſſet, niſi lachrymis afflictiſſimorum Neophytorum cedens, neceſſitatibus eorum ſe ſubtrahere, religioni duxiſſet. Quibus demum omni conflagratione gravioribus malis oppreſſus, alicubi in ſeptemtrionali Japonia Deo victima cecidit, A. 1633. ætatis 58. Societatis 40. *Et licèt perſecutoris gladius eum non ſuſtulit, palmam tamen Martyrij non amiſit;* computatus inter eos, qui apud Apoſtolum Hebr. 11. *circuiverunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpelunçis, & in cavernis terræ.*

P. IGNATIUS FIALHO.

IMperator Mogoris, omnium qui in India regnant potentiſſimus, Reges plures non modò ſubditos, ſed & domeſticos habet, à quibus minimùm auri millionem quothebdomadis dono accipit. In bellum 50. elephantorum millia educere poteſt. Nuper dum ſeptena elephantorum, cum trecentis equitum, nongentis peditum millibus numeraret, putabatur non multum inſtructus eſſe, & vulgarem potiùs belli tempore comitatũ, quàm juſtum exercitum habere. Cæterùm gens numeroſior eſt quàm bellicoſior, & ad res divinas valde ſegnis. Primus eam excoluit Rudolphus Aquaviva, ac deinceps alij è Societate, ſed fructu ob gentis ſegnitiem exiguo. Qui poſtremis his annis regnabat, cùm rationum momenta, quibus Religio Chriſtiana nititur, ſatis perſpexiſſet, cupiebat nocturno viſo confirmari. Demens, qui plus ſomnianti phantaſiæ, quàm judicio ſuo tribueret, & in ſomnijs, ubi nulla eſt, ibi Chriſtianam Fidem vellet reperire. At nunc demum, cùm hæres Regni poſt Parentis mortem ſævire in Chriſti cultores incipit, ſpes eſt, ut ſanguine Martyrum rigata Mogorea, in fructus germinet uberiores. Primus igitur è Societate hoc in Imperio Martyrij gloriam, quam ibidem tam anxiè quærebat olim P. Rudolphus Aquaviva, invenit Ignatius Fiallius. Rei ſeriem lubet ex literis P. Joſephi de Caſtro, Agræ, quæ Mogoris Urbs princeps eſt, & ſedes Regia, die 8. Oct. A. 1633. datis, quarum partem ſubjungo, intelligere. *Sub Regni hujus ingreſſum, anno abhinc 23. offendi R. P. Hieronymum Xaverium, filium unius è ſororibus S. P. Franciſci Xaverij, virum magnis virtutibus præditum, cui Patres alij deinceps ſuccenturiati ſunt, omnes Viri verè Apoſtolici, & DEO pleni.* Subdit fuſiuſculè, quàm ſecundos habuiſſet res Chriſtiana progreſſus, ſub primo atque altero Regibus, quorum ille Lahore, hic Agræ, primarijs Urbibus, Ædes nobis ſacras exſtruxerat. Mox ſubdit. *Ecce autem poſt Phœbum nubila. Functo Rege, ad Regni adminiſtrationem deligitur Filius natu tertius, qui pro eo, quo erga Mahometicam ſectam (quam tenet) fertur zelo, noſtræ Religioni non parum eſt infenſus; & quamvis odij hujus fomitem 4. aut 5. continuos annos doloſo cinere texerit, ſexto tamen anno retexit, & ignis in apertum erupit incendium, apertóq; marte nos, & Chriſtianos hujus*

Regni

P. Ignatius Fialho Lusitanus Soc. IESV. à Mahometanis odio Fidei Christianæ gladijs confossus in Regno Mogor. A. 1633.

C. Screta. d. M. Küsell. f

Regni omnes perſequi cœpit, atq; ob id plurimos jam Chriſto accenſos, ritu Judaico circumciſos, ad Mahometanum vomitum compulit redire. Poteſtatem nobis inſuper derogavit, quâ antè valebamus, DEI verbum pro concione exponendi; conſtitutis etiam arctis vigilijs ante portam noſtram, quæ gravi ſub pœna infideles ab aditu Templi noſtri arcerent; quæ etiam eò feritatis proceſsêre, ut nos ſedibus noſtris propellentes, unum è Patribus media in platea alapis, pugnis, fuſtibus malè mulctârint. Et ego in hac luctuoſa cataſtrophe meas partes ſuſtinui; nam unus è primarijs Mahometicæ ſectæ adminiſtris, ubi in me curârat violentas manus injici, vinculisq; ante domum noſtram conſtringi, militibus 4. id carnificinæ dedit, ut numerato 100. alapas, totidem pedum truſiones mihi impingerent, & tribus diſtinctis vicibus 40. verberibus funes bene contorti & craſſi, dorſum meum contunderent atq; proſcinderent; quo facto continuò ſanguinem mihi è venis prolicuerunt, adeò ut à cingulo uſq; ad caput (quod mirum in modum intumuerat) non fuerit cernere nisi unam plagam. Deinde omnes ad dies aliquot carceri traditi ſumus. Et omnia hæc tam crudelia in nos exercuêre, ad innatum ſuum odium in Chriſtianam Religionem declarandum. Rex inſtruxerat portum quendam maritimum, quem incolebant novem millia circiter Chriſtianorum, quorum partem mors clementer Tyranni di eripuit, partem fuga maturata, pars reliqua menſe Junio in Aulam coacta, Regni Primoribus in mancipia ceſſit, hoc addito mandato, ut circumciſioni ſubderentur. Quod executioni mandatum eſt magnis & gravibus tormentis, adeò ut eorum aliqui violen-

lentæ circumciſioni ſubjecti, animas quidem in crudeli carnificina liquerint, non tamen heroicam Martyrij palmam. Reliqui glorioſi Agoniſtæ adhuc in ſanguinea arena perſtant, pro Aris & Fide Chriſtiana egregiè decertantes. Durante hâc perſecutione res contigêre mirabiles, quæ ſuo tempore lucem videbunt. Eccleſiaſtici duo cum duobus Religioſis Auguſtinianæ familiæ, hac illos appetente ſævitiâ, ſibi conſtantes, animosè pro Fide ſua cum hoſtibus dimicârunt; nam cùm per vim illos vellent Mauris addicere, illisq; accenſere, illi negârunt ſe in illorum ituros ſententiam, & mortem millies potiùs oppetituros, quàm à Chriſtiana Fide receſſuros. Eodem in portu vitâ exceſſêre quinq; noſtrorũ Patrum; quorũ unus ad conſtantiam Chriſtianos exhortans, Chriſti Cruci affixi (ut mos eſt) effigiem manu prætendens, plures gladij ictus excepit: quod ab illis ipſis accepi, quos Pater exhortabatur. Nomen Patri Ignatius Fialho, natione Luſitanus.

Thomas Nisciforus Iapon Soc: IESV pro Christiana Religione vivus lento igne tostus Nangasachi in Iaponia. 22. Iulij. A. 1633.

C. Screta. d. M. Küsell. f.

THOMAS NISCIFORUS.

PRæluſerat jam inde ſub Japonicæ perſecutionis initia, tot Martyrum, in hunc potiſſimùm annũ incidentibus victorijs, DEUS, & ut magnam purpurati exercitûs ſecuturam proceſſionem demonſtraret, portentoſas quaſdam Cruces in arboribus, potenti ſuâ manu efformatas præmiſit. Famoſiſſima inter reliquas erat, quam Fabianus Neophytus in ficulnea ſua reperit. Biennium

jam arbor infrugifera fruſtra terram pondere premebat: eam Fabianus excindit, trunco ad domûs columnam, ramis ad focum uſurus. Truncus ad ſolem expoſitus, annum integrum areſcebat. Tandem 8. Idus Decemb. A. 1611. aſciâ truncum dedolans, advertit in uno ex decuſſis fragmentis ineſſe Crucem atri coloris, in trunco candido expreſſam. Stupet portentum, filium advocat, & *vide*, inquit, *Paule, ſit iſta Crux nec ne? Crux planè eſt*, inquit filius, *& prodigio quidem ſimilis.* Evulgato mox prodigio, venerabundi ad Crucem accurrere Neophyti, eandem ad infirmos deferre, febres eâ depellere; ut paſſim affirmarent, ſi aliud veræ Fidei non extaret argumentum, hoc unum ſatis ſibi fore ad eam mordicus defendendam. Fama interim admirandæ Crucis etiam ad nobilem Matronam Marinam Omurandoni Dynaſtæ ſororem, fœminam planè religioſam, & Eccleſiæ illius Columnam pervenerat; quæ Crucem ad ſe deferri jubet. Nocturnis horis deportanda fuit, propter accurrentium multitudinem; quamvis ne ſic quidem vitari potuit frequentia. Hanc Nobilis fœmina magno cultu excepit, & unà cum Neophytis, qui numeroſiſſimi aderant, venerata, magnificè aſſervavit. Ex ea Crucis veneratione, ipſe truncus in pretio haberi cœpit; maximè poſteaquam accepiſſent eo contrito dilutóq; plurimos infirmos, tertianas & quartanas excuſſiſſe. Unde qui fruſtulum ejus fragmenti, in quo Crux erat, obtinere non potuerunt, ad ipſum truncum, qui etiam tum humi jacebat, confugiebant; quem ità conciderunt, ut intra exiguam moram temporis, qui adveniebant, ne truncum quidem invenerint, ſed ad radices converſi eas penitus extirpârunt, uſque adeò, ut noſtri Sacerdotes duo cùm eò ex itinere divertiſſent, optâſſentque arboris illius fruſtulum, ne radicum quidem fibras reperire potuerint; tanta fuit Neophytorum pietatis aviditas. Nec mirum Neophytos ità exarſiſſe, cùm ipſi Ethnici, & falſorum Deorum ſacrificuli, plus Veritati quàm odio tribuentes, faterentur eam Crucem rem videri humanâ majorem, planéque Cœleſtem. Et ſubinde accidit res nova, quæ admirationem auxit: nam cùm Viri primarij ædes à Dæmone nocturnis ſpectris ità infeſtarentur, ut nullum in ulla re præſidium inveniret, eam Crucem ſibi concedi poſtulavit. Noctem unam Cruce potitus eſt, nec ultrà Dæmon, Crucem hanc vel maximè fugiens, eas ædes infeſtavit. Longiùs deinde ſeſe Crucis fama ſenſim diffundebat, ut jam ſuarum partium eſſe judicaverit Epiſcopus, eam rem excutere, & ritè ſtatuere, an pro miraculo haberi poſſit, utì vulgò habebatur. Itaque ex auditis juratis teſtibus totius rei ſeriem edoctus, ex præſcripto Concilij Tridentini eam pro vero miraculo haberi juſſit. Et quia Nangaſachenſes quoq; ejus viſendi deſiderio flagrabant, viſum eſt Antiſtiti externo etiam apparatu Cœleſte hoc prodigium eſſe proſequendum. Ergo ritu ſolenni Sacrum Votivum de Cruce decantatum eſt, dictum pro frequentiſſima concione de Crucis prodigio; tum circa Templi porticus ſupplicantium pompa explicata, in qua Præpoſitus Provincialis fragmentum illud Cruce inſignitum ſub conopæo, quod Primores Urbis deferebant, geſtavit. Atque ità Crucem portentoſam præluſiſſe videtur Nangaſachi, longæ Proceſſioni mox ibidem ſecuturorū Martyrum. Et quamvis alijs annis copiosè ſæviatum ſit in Chriſtianos, hic tamen annus ſæculi 33. quo eodem ætatis ſuæ in Crucem actus eſt Rex Martyrum Chriſtus, gravior Japoniæ incubuit, & 30. omninò è Societate Operarios illi ſuſtulit, agonali Cœli laude donatos.

Primus ordine fuit Thomas Niſciſorus, qui in Regno Mino natus, atque à Patribus Societatis à puero in Seminario educatus edoctúsque, eidem ſe per annos complures, laborum & itinerum in animarum cauſa conſortem adjunxit, & in Dogici munere ſocium. Relegatus cum ijſdem in exilium A. 1614. mox iterum in Japoniam, mutato habitu revertit, variâque ejus Imperij Regna, ut prodeſſet multis, peragravit. Et profectò miſerabilis per illam Tyrannidis ſævientis immanitatem Neoyhytorum ſtatus vel ferreum pectus emollijſſet, ad ferendam quà poſſet laborantibus opem; quando ingenioſa crudelitas novas indies procudebat tormentorum ſpecies, quibus tenellas ejus Eccleſiæ ſtirpes à Fide Chriſti penitus convelleret, & diſcerperet. Mitia jam illi videbantur & nimiùm lenia, quæ per violentiam inferrentur incendiorum tormenta; ſpontaneâ ultro tolerantiâ ferenda erant, & perſeverandum ſinè vinculis in rogo, niſi Fidem ejurare fortiſſimi Chriſti Athletæ cenſeri vellent. Ità Simon Xeyzajemon natus annos 72. juſſus à Tyranno A. 1627. vel negare Chriſtum, vel in circùm accenſa pyra undique ambitum ſe immergere, ſingulari Divini Spiritûs impetu actus, continuò veſtibus ſibi detractis, nudus penit9 in ignes inſilijt, quos inter medius conſtitit immobilis, ac ſi alienum, non ſuum

corpus

corpus torreri videret: ſepties præterea vel octies ſe circumegit, ut meliùs ureretur, in hoc vel illud latus, prout crudelis Tyrannus imperabat. Quo eodem tempore Nobilem familiam cum filiolo Petro annorum 13. unáque illius ephebum annorum 11. arbori alligatos, facibus crudeliter adurebant; ſed cùm ſævitiam ſuperaret puerorum conſtantia, vaſculum aheneum ab igne candens manibus Petri indidêre ſuſtentandum, hoc pacto, quòd ſi abijceret, aut aliter manibus delabi ſineret, hoc ipſo Fidem Chriſti ejurare cenſeretur. Accepit illud majore Spiritûs S. flammâ incenſus puſio, & nudis ſuſtinuit manibus, donec penitus extincto calore frigeſieret. Neq; aliud interim ex ore ipſius, dum pellis & caro uſque ad oſſa defluereț, audire fuit, quàm SS. JESU & MARIÆ nomina, quibus identidem oculis in Cœlum ſublatis, ceterà immotus, hoc de ſe incenſi Sacrificium offerebat. Eadem conditio pluribus alijs inter lenta incendia, aliquot paſſus igne diſtante toſtis, data fuit, quemlibet corporis motum ſignum fore ejurati Chriſti. At illi immoti perdurârunt ipſas duas horas; donec ad majora ſervandi ſupplicia, flammis exire juberentur. Hæc autem erant totius corporis, ſolo extante capite, in terram defoſſio, quod diebus ſingulis (dum interim defoſſum corpus à violentis terræ qualitatibus vivens putreſcebat) ligneæ ſerræ tractibus aliquot à corporis trunco findebatur, donec tum à vulnerum incurata ſanie, tum ab urente Solis æſtu progeneratis vermibus, alij decimo, alij etiam vigeſimo torturæ die expirarent. Atq; hæc digniſſimorum Cœli Candidatorum certamina provocabant nimirum ardentiſſimũ in Socijs zelum, ut per quantumlibet atroces ærumnas & ſupplicia conſtantiam eorum firmatum irent, ut quibus ad Fidem præluxerant verbo, ad eandem ſervandam præirent exemplo. Itáque in ſolatium & auxilium eorundem clandeſtinè in Japoniam irrepens, quantumvis adhuc Religionis & Sacerdotij expers Thomas, ut quoquo modo poſſet, in tanta Operariorum inopia illis prodeſſet, ingentes plurium annorum latibulis toleravit ærumnas: donec in Scimonoſceki deprehenſus, & poſt pulcherrima virtutum, Patientiæ præſertim & Pietatis, in diuturno carcere edita ſpecimina, Societati adſcriptus eſt, & Nangaſachi, imperante Toſciogunſamâ, vivus lento incendio conflagravit 22. Julij A. 1633.

NICOLAUS KEYAN Fucunanga.

GEntilem quempiam dirè vexabat Dæmon in Japonia, cui obvius fortè Neophytus, & energumenum miſeratus, benignè interrogabat: *unde, & quorſum veniret?* reſpondit ex energumeno Dæmon, ſe ex Anglia venire, ubi multos annos Catholicis torquendis præfuerat, eo conſilio, ut Japones modum & artem Chriſtianos torquendi edoceat. Et verò edocuit hic mille artifex novum & inauditum tormenti genus hoc anno Japonios, quod furiali Tyrannorum rabie confectum primus ſubijt Nicolaus Keyan. Scrobem Japonij effodiunt pedes aliquot altam, ſuperinducunt furcam, è qua corpus undique funibus ceu faſcijs arctè obligatum, (ne ſanguis in caput defluens citò hominem præfocet) pedibus ſurſum erectis, manibus revinctis, nunc cingulo, aut umbilico, nunc genuũ, aut crurium tenus depreſſum in ſcrobem ſuſpendunt: ſcrobi geminam inducunt tabulam, ità exciſam in medio utramque, ut commiſſæ, & corpus medium complexæ, omnem auræ lucisque uſuram ſuſpenſo excludant. Sic tenent hominem inverſum pendentem, impaſtum, vitæ ac mortis incertum, inter utriusque divortia dubium, donec eum vel delabentis paulatim in caput ſanguinis oppreſſio ſuffocet, vel tabeſcentem conficiat inedia, vel laborioſa medios inter homines ſolitudo & deſtitutio ità fatiget, ut victus demum priusquam animam edat, Fidem abiuret. Triduum in ſcrobe ejuſmodi è patibulo pependit Nicolaus, à veſpera ſcilicet diei Jovis ad uſque imminentem meridiem diei Dominici, quo eodem die S.P. N. Ignatij celebratur natalis. Sed qui primus tormentum illud experiebatur, ad illud fortiter conſtantérque tolerandum à DEIpara Virgine, egregio planè beneficio animatus fuit. Non ſemel pendentem inviſit Beatiſſima Mater, & de nocte ſolutum detigillo, ad interquieſcendum depoſuit, & aquâ recenti ſuppeditatâ (cujus poſtmodum plenus adhuc cyathus in fovea inventus eſt) fovit; attonitis, & inſolentiâ rei ſtupidis excubitoribus. Qui etiã cùm ſubinde ex pendente ſciſcitarentur, *nunquid ægre haberet?* reſpondebat: *id ſolum ægrè fero, quòd Imperatorem, & univerſam cum illo Japoniam ad Chriſti Fidem perducere nequeam.*

Nicolaus Keyan Fucunanga Iapon Soc: IESV, primus in Scrobe cingulo tenus ſuſpenſus, et in eo quatei duano tormento Deiparæ hau, ſtu refocillatus, Nangaſachi in Iaponia 31. Iulÿ. A. 1633.

C. Screta del. *Melch: Küſell f.*

Hæc eum ſcilicet ſola cura mordebat, ſolus hic dolor angebat Apoſtolici ſpiritûs hominem. Quarto igitur ſuſpendij, & Natalis S. Ignatij die, ipſa in foſſa Nangaſachi fortiſſimus Chriſti athleta glorioſam animam Cœlo tranſcripſit An. 1633. ætatis 63. Societatis 45. Omium Japoniæ oppidum illi natale fuit, qui à pueritia inſtitutus à Patribus Societatis Jesu in Seminario, nomen illis ſuum adjunxit A. 1588. natus annos 19. Triennio latinas literas didicit, & quâ erat à natura facundiâ, atque Japonicarum ſectarum peritiâ, perlongam multis in Provincijs, ac perutilem rei Chriſtianæ navavit operam, habendis promiſcuè concionibus, rudibúsque Fidei elementis & Catechiſmo inſtituendis. A. 1614. cum cæteris Patribus à Daiſuſama Fidei causâ proſcriptus, ſed pòſt paulò remiſſus, ſimulatâ perſonâ multa aſpera perpeſſus eſt, dum rem Chriſtianam egregiè promovet: donec in Regno Figen captus, primus horribile ſcrobis tormentum, cujus novitate univerſa Chriſtianitas ibi conſternata fuit, victor toleravit, docuítque Divino adjutorio ſuperari poſſe.

P. ANTO.



P. Antonius Vasconcellus illustrissimâ familiâ Lusitanus Soc. IESV. odio Religionis veneno sublatus in India Goæ. 16. Augusti. A. 1633.

C. S. d. M. K. f

P. ANTONIUS VASCONCELLUS.

GEnus, munus, & funus, omnia illustria habuit Vasconcellus. Parentes illi fuêre Franciscus de Feria, summus Palmellæ Præfectus, & Petri Menesij Viseensis Præfecti Filia. Eboræ, Deputati Sacræ Inquisitionis munus, ætate nondum ad id maturâ, sed adultâ jam sapientiâ, & bonis artibus excultus, ità prudenter gessit, ut nihil eo tota in Urbe gravius, neque modestius, nihil religiosius videretur. Multus erat in orando, & in omni actione pietatis, multus in seipso castigando macerandóque; in quem finem ducem vitæ Religiosum Virum apprimè experientem delegit; & cùm familiam optimis institutis & exemplis temperatam haberet, nullam Officij partem non optimè, integerrimèque explebat. Nulla illi ambitio, nulla parandarum opum, aut dignitatis altioris cogitatio, nulla imperij adipiscendi cura. Cùm autem Fidei tuendæ amplificandæque studio, etiam sanguine suo si posset asserendæ, flagraret (ad quod etiam conaturum se voto obstrinxerat, perlibenter delatum ab Inquisitore Generali munus Inquisitoris per Indiam admisit. Ut verò certam absolutæ virtutis, ad quam conniteretur, haberet normam, oculos atque animum in S. Franciscum Xave-

Xaverium Indiarum Apoſtolum conjecit, conatúsque eſt illius in ſe decora ſummo ſtudio referre. Indico in itinere paſſus eſt cibos exquiſitiùs ſibi, quàm conſueverat, apparari, quos omnes in ægrorum militum, nauticorúmque uſus expendebat, non ſuorum dumtaxat famulorum, ſed ſuapte ſæpe operâ manúque diſpertiendo, nullâ ſui, nullâ dignitatis habitâ ratione, quam non neſciebat illâ Chriſtianæ humilitatis & caritatis ſpecie plurimùm exornari. Simul ùt Goam appulſa navis eſt, prodijt ad illum officij causâ Comes de Linares id temporis Pro-Rex, qui Conſobrinam Antonij in matrimonio habebat. Verùm ne quid ille videretur honoris admittere, quod titulo ſanguinis deferri poterat, eum conſtanter occurſum deprecatus eſt. Munus Sanctæ Inquiſitionis adminiſtravit in India integritate ſummâ, diligentiâ incredibili, illúdque perfectiſſimæ virtutis exemplis egregiè decoravit. Quæ ipſa in obeundo munere adeò exacta impigráque accuratio, eidem accerſendæ oppetendæque pro Chriſtianæ Fidei ſanctitate mortis, exoptata votis omnibus occaſio fuit. Quippe enim in nonnullos quæſtionem inſtituit, quos oportebat ob ſua facinora omnium bonorum, adhoc & vitæ quoque & exiſtimationis adire diſcrimen. Hi cùm experientiâ didiciſſent, nullum ad integritatem ipſius corrumpendam aut labefactandam aditum patere, quod unum ſibi reliquum eſſe crediderunt, hominem optimum, ac de Repub. Chriſtiana meritiſſimum, de medio, malis artibus temperato illi veneno, ſuſtulerunt. Cupiverat ille diu antè, atque impensè flagitaverat Societati adſcribi, eò quia ſe crederet ibi pleniùs animarum ſervandarum zelo, quo flagrabat, reſponſurum, & S. Franciſci Xaverij virtutibus ac veſtigijs inſtiturum. Sed Superioribus viſum fuerat illum uſque & uſque differre, ut Divinæ gloriæ impenſiùs, per munus quod gerebat, ſerviret. Jam verò ubi in morbum, operâ nefariorum hominum incidit, in Societatem priùs à P. Alvaro de Tavares, Goanæ Provinciæ Præpoſito, legitimè adſcriptus eſt, quàm extremum vitæ diem morte pro Fide obitâ conficeret; quod demum Goæ, editis in morbo illuſtriſſimis magnarum virtutum documentis, expiato generali Confeſſione animo, perceptísque Sacramentis reliquis, poſt nuncupata in Sociorum corona Religionis vota, inter ſuaviſſima cum DEO colloquia, præſtitit die 16. Auguſti A. 1633.

Et ut de virtutibus ejus pauca in exemplum delibemus, duas ille minimùm horas quotidie Divinarum rerum meditationi tribuebat: Sacrum quotidie per ternos horæ quadrantes faciebat, poſtquam duobus noſtris ſacrificantibus in Indica navigatione quotidie priùs miniſtrâſſet: Canonicum officium, & Deiparæ Roſarium, ſemper nixus genibus quotidie decurrebat. Et quamvis nihil ferè expiabilis materiæ ad Confeſſionem afferret, nihilò tamen ſeciùs quotidianâ conſcientiam exomologeſi levabat. Reliquum temporis, ſummâ deſidiæ fugâ, vel explendo muneri publico, vel regendæ familiæ, vel literarum ſtudio impendebat, neq; animi causâ vacuus unquam operis, nedum temerè otioſus. Delicias in victu cultúque omnes aſpernatus, cibos nonnisi communes, plebejos admittebat: veſtitum eundem cum ſuis famulis, neque neceſſario ampliorem. Jam verò ſagum cilicinum nunquam deponebat, bis hebdomade ſe acriter flagellabat: ad hæc crebra illi jejunia, longæ vigiliæ, quamvis ultra quaternas quinásve horas vix unquam ſomno indulgeret, ſolitus etiam famulos expergefacere primo diluculo ad ſtudium precationis. Nullius unquam ſervitio ad ponendas veſtes ſumendásq; utebatur, nè minùs integrè ac decorè veſtitus unquam ab ullo conſpiceretur. Tantus erat caſtimoniæ amor! quam etiam voti Sacramento pridem ante ſuſceptos Sacros Ordines ſanxerat. Domum primo ſtatim veſpere non occluſiſſe, & famulis hac in re deliquiſſe, aut domi repertos non fuiſſe, idem erat quod loco & ejus famulatu excidiſſe. In pupillos, viduas, atq; omnino in quoslibet egenos & calamitoſos, propenſiſſimæ fuit liberalitatis: hinc nunquam prodire in publicum ſinè nummis, quos ſuâ in pauperes manu erogaret. Et aliquando ſuâ ſe veſte exuit, ut cadaver hominis repentè occiſi involui poſſet ad ſepulturam. In navi quidquid ipſe pharmacorum intulit, in ægrorum curationem exhauſit: cúmq; jam nihil ſuppeteret, etiam mutuabatur ab alijs, nè cũ morbo luctantibus fortè deeſſet; tantáq; illis contentione, non per ſuos duntaxat famulos, ſed ſuâ quoque manu ſerviebat, ut etiam callos ſibi & ulcera, miſerationis expers, ſervilibus munijs induceret. Morituris ipſe miniſtrabat Sacramenta; mortuis ad tumulum ſtragula de ſuo lecto ſuppeditabat; ſacrâ deinde litatione ipſorum animas expiabat. Quibus & id genus alijs bonis moribus DEO gloriam, ſibi mortem in conſpectu Domini pretioſam comparavit.

P. EMMA-

P. Emmanuel Borges Lusit. Iosephus Reomuy, et Ignatius Kindo Iaponès Societa. IESV. triduano suspensionis in scrobem tormento pro Fide necati. in Iaponia Nangasachi. 16. Aug. A. 1633.

C. S. d. M. K. f

P. EMMANUEL BORGES, cum duobus Socijs.

SOlitarius nuper è patibulo in ſubjectam ſcrobem pendebat Nicolaus. At P. Emmanuel, Emmanuelem DEI Filium imitatus, medius inter duos pependit Socios Nangaſachi, quos in carcere authoritate Præpoſiti Provincialis Societati adjunxit; Joſephum videlicet Reomuy, & Ignatium Kindo, qui ambo fuêre Japones, hic Ariyenſis, Figenſis ille, ambo in Seminario inſtituti, ambo Patrum annis compluribus comites & adjutores, ambo cum illis Patriâ extorres; ut proinde in morte ſeparari, eodem illi die in ſcrobe commortui, non debuerint, qui ſtudijs in vita ſua tam conjuncti fuêre. Illud tamen peculiare habuit Ignatius decus, quòd & Parens ejus Adrianus in odiũ Fidei olim necatus, jus quoddam hæreditarium filio reliquerit Martyrij. Cæterùm Patri Emmanueli Ebora Luſitaniæ Urbs inclyta primam lucis uſuram dedit, ubi jam vicenarius Societati A. 1616. auctoratus eſt, & octavo pòſt transmiſit in Indiam, atque inde pòſt quarto in Japoniam; unde cum cæteris poſt biennium, edicto Daiſuſamæ Macaum ejectus, aliquantiſper ibi Procuratorem Japoniæ egit, donec A. 1621. eodèm peregrino habitu reverſus, reliquum tempus omne in illa excolenda Domini Vinea ſtrenuè, eximióque cum fructu collocavit. Periculorum

quæ

quæ plurima ſubijt, præſertim per officij peculiaris rationem (erat enim Sociorum Nangaſachi Procurator) unum hoc eſto ſpecimen, exceptum è literis, quas ipſe A. 1626. ad quendam dedit in hæc verba. *Poſteaquam Aprili naves ſolverunt, gubernationem geſſit Feizo tantùm trimeſtrem. Sed tantâ pertinaciâ Chriſtianos, atq; inprimis Religioſos inſectatus eſt, ut domum ubi diverſabar, ter unâ die invaſerit: neq; ullum fuerit Chriſtianorum habitaculum, quod tertiò minimùm, quothebdomadis non fuerit ex improviſo luſtratum. Invaſerunt me primùm ſeptem homines armis inſtructi diluculo, priuſquam ſurrexiſſem ex lecto: Iterum ſunt aggreſſi ſeptemdecim, cùm ad Sacrum faciendum ſacros paratus induerem; tertiò demum irrupêre viceni ſub horam prandij, tanto tumultu, ut permiſcere omnia velle viderentur. Sed latebræ beneficio, quam Japones Anam vocant, nunc etiam, ùt aliàs crebrò feceram, vim eorum eluſi.*

Ex qua efferata inquiſitorum rabie cùm neceſſitas emergeret Patri quotidie hoſpitia mutandi, & nè incolis noxius foret, ſi in eorum domibus deprehenderetur, majorem partem in ſylvis & ſolitudinibus degendi, facilè cogitari poteſt, quanta eum perpeti neceſſe fuerit. Quotquot enim Patrum aliquem domo excepiſſe convincerentur, omnes unà cum prolibus & Conjugibus, totáque decem contiguarum ejuſmodi hoſpitio domuum familia, etiamſi Ethnici forent, crudeliter necabantur. Sanè poſt ſublatum incendio P. Hieronymum de Angelis, paulò pòſt 37. partim Viri & fœminæ, partim pueri & infantes illorum, quos inter 13. erant Ethnici, morte mulctati ſunt, Iendi, quia Patres & Chriſtianos domibus recepiſſent, aut pro ijs fidejuſſiſſent. Octodecim pueruli Chriſtiani, præter duos omnes, cùm ridentes & exultabundi ad ſupplicium proceſſiſſent, alij capite truncati, vertice alij ad umbilicum diviſi, alij modo transverſo diſſecti, alij deniq; cùm pede uno in altum raperentur, mebratim omnes in conſpectu Parentum conciſi. Ex viris autem & fœminis undecim in crucem acti, quos inter ſoli duo erant Chriſtiani, ex quorum manibus cæſorum puerorum capita ſuſpendebantur: octo vivi lentis ignibus cremati, & quidem duo gentiles, quòd Faramondum hoſpitio accepiſſent; reliqui 19. capite truncati. Nec multò pòſt iterum lendi lentis ignibus abſumpti ſunt eâdem causâ 10. Viri, 6. fœminæ, & chariſſimus aliàs Imperatori honorarius Ephœbus, quantumvis gentilis, capite plexus, quòd Chriſtianis domum elocâſſet. Atque hæc inaudita omnibus retro ſæculis feritas, cogebat omnino Patres, nè ſuis in Spiritu Filijs, quos in viſceribus charitatis longè teneriùs, quàm Matres ſuas carnales proles, diligebant, noxæ forent, antra quærere & ſpelæa, ex una in aliam perpetuò migrare Regionem; neque niſi extremis Neophytorum, quâ viciſſim incredibili in Patres ſuos erant dilectione, precibus violentè adacti, in tecta eorum ſuccedebant. Sic igitur de loco in locum perpetuâ viciſſitudine commigrans Emmanuel, demum Bungenſi in Provincia captus, Nangaſachum pertrahitur, ibique die 13. Aug. pedibus ſublimis, revinctis à tergo manibus, depreſſo in foveam capite ſuſpenditur: quo cruciatu triduum fortiter tolerato vivere deſijt, die 16. Aug. A. 1633. ætatis ſuæ 53. ab inita Societate 33.

P. JACOBUS ANTONIUS GIANNONIUS, & JOANNES KIDERA.

NAtus eſt Bitonti Urbe in Apulia nobili, Parentibus illuſtri & pervetuſto genere, opúmque inter ſuos gloriâ claris, die 7. Decem. A. 1577. Ex ſenis illius germanis, quinque itidem ſe Dei mancipavêre ſervitio, in Familijs Dominicana, Carmelitana, Theatina ſinguli; duo alij in Eccleſiaſticis dignitatibus ſublimes vixêre. Simul atque per ætatem literarum rudimentis idoneus fuit, ad publicas Scholas Bitonti transmiſſus, ſedulitati & ingenio eam conjunxit modeſtiam morúmque compoſitionem, quâ Civitatis univerſæ oculos & amores in ſe converteret: Magiſter autem affirmaret, nihil unquam in illo ſe, quod vitio dari poſſet, obſervare potuiſſe. Et jam annum ætatis 15. ingrediabatur, cùm Bitontina Nobilitas theatralem neſcio quam actionem datura ad publicam lætitiam, ſuas etiam Jacobo Antonio partes detulit: per quam occaſionem, dum ad periclitandum quiſque ſuam actionem conveniunt, unus quiſpiam ſeu per jocum, ſive ſeriò Antonium præſidenter ſollicitavit ad oſculum. Ipſe hominis inverecundam audaciam execratus, procul eum à ſe depulit,

P. Iacobus Giannonius pervetusto genere Italus, et Ioannes Kidera Iapon. Soc. IESV. hic qvatriduano, ille triduano è pedibus in fossam suspendio pro Christo necatus, Scimabaræ in Iaponia. 28. Aug. A. 1633.

C. Screta. d. M. Küsell. f

depulit, & Actioni remiſſis illico ſuis partibus, obfirmatiſſimo animo renuntiavit; neq; ullis adduci momentis ultrà potuit, ut inter quos integritati ſuæ, quam ad uſq; mortem illibatè ſervavit, periculum creari ſibi perſuaſerat, cum ijs haberet ſocietatem actionis. Miſſus exinde cum fratre natu majore Neapolim, ut bonarum diſciplinarum ſtudia in Collegio Societatis proſequeretur, ejuſdem virtutis inſigne dedit ſpecimen. Diverterat fortè ad eorum hoſpitium Bitontinus quidam Canonicus, cujus procacior famulus animadverſâ Jacobi verecundiâ, principiò ſubturpes jocos, & ſcurrilia in illum dicta jacere, riſúmque captare; pòſt verò cùm ejus vitandæ petulantiæ in ſuum ſe cubiculum, atque adeò cubitum recepiſſet, nudus ad illum procax ille ſuccedere. Perculſus obſcænitate caſtiſſimus adoleſcens, proſilijt illico, atq; ùt erat profugit in induſio ad patentem aream, maluitque partem noctis frigidus ſub dio agere, quàm cùm pudicitiæ probro, donec ille abigeretur, ad quietem redire. Per idem tempus excurrens Neapolim Theſeus Parens ipſius, puellam Jacobo paris claritudinis & opum deſponderat, ut quia frater natu major Eccleſiaſtico ſeſe Ordini dicârat, ipſe natu proximus Familiæ nomen ad poſteros derivaret. Id verò ubi ille ſenſit, Patrem adortus, adeò cauſam fortiter ac vehementer egit, ut eum à conſilio dimoverit. Jam tum enim perlatis in Europam de Sociorum in Japonia contra Tyrannum triumphis vehementer accenſus, cùm nullum nisi Religioſum

gioſum eò transmitti advertiſſet, incredibili Martyrij, Japoniæ, & Societatis deſiderio flagrare cæpit, nec antè deſijt, donec exorato, cœptísq; bene precante Patre, aditum ad Societatis Tyrocinium impetraret, A. 1596. 18. Octob.

A Tyrocinio abſoluto, nunquam deinde Miſſionem ſollicitare apud Claudium Aquavivam deſtitit, donec is ſanctâ Juvenis importunitate victus ſponderet, ſe illum ubi aliquantò maturuerit, voti compotem facturum. Et proſperè omnino evenit, ut Jacobo Philoſophiæ operam Neapoli navante, Claudius Generalis Præpoſitus, ſive valetudinis, ſive aliâ causâ illuc excurrerit. Mox enim ibì petitores Indiarum plurimi eum circumſiſtere, urgere, ſollicitare. Ille ſuorum ardore mirificè recreatus, cùm Provinciam tantâ non poſſet orbare ſobole, id conceſſit, ut invocato precibus, aliísque pietatis & pœnitentiæ officijs Numine, ſeptem ex omni eorum numero ſortito legerentur. Tertia Jacobo ſors obvenit; cujus ille compos effectus, nullum ſibi faciebat, neque Deo gratulandi finem. Igitur expedivit ſe confeſtim ad iter, & continuatâ trimeſtris ſpatio Romæ Logicâ, reſiduáque Philoſophiâ compendio per ſemeſtre Eboræ auditâ, conſcendit Ulyſſipone verno anni 1604. & tam difficilem ſortitus eſt curſum, ut bis fractâ navi ante Mozambicum, priùs quidem corpora, & fortunas omnes ſervârint incolumes; at poſteriùs præter corpora omnium jacturam adierint, ne Breviario quidem uno reliquo, ex quo penſum perſolvi Canonicum poſſet. Goæ Theologiæ tantiſper dedit operam, dum opportunâ Malacam navigatione extremo ferè A. 1606. oblatâ, tempeſtivè Malacam appulit, ut Decembri menſe inaugurari Sacerdotio poſſet. Ibì nocte Natali Domini primam litavit hoſtiam, & deinceps Malacenſium obſequijs uſque ad inſequentis anni Majum, primas Sacerdotij ſui functiones impendit. Macaum appulſus, ibì toto biennio ſubſtitit, & unum annum Theologiæ proſequendæ, alterum Miniſtri Officio, ſimúlque Japonicæ linguæ condiſcendæ impendit. Unde Majo A. 1609. digreſſus, in optatam demum Japoniam procellis iterum jactatus & malis, die 29. Junij, Apoſtolorum Principibus ſacro, ſoſpes ac lætus pervenit. Nangaſacho ubi primùm exſcendit, Arimam haud multò pòſt deſtinatus, gemino illic ſpectaculo, ſuprà quàm dici queat, recreatus eſt; tum quòd adeò bene Chriſtianis inſtitutam elementis pueritiam cerneret, ut ea certatim alterni expeditè, haud ſegniùs quàm in Europa recitarent; tum quòd aliquorum pro Fide nuper necatorum corpora tractare, deoſculari, venerari datum eſſet, quorum aſpectu liqueſcebat in lachrymas, orabátque ſanctas eorum animas, ut ſuâ apud Deum ſuffragatione ejuſdem ſeſe certaminis conſortem & gloriæ redderent.

Nec multò pòſt novum Imperatoris edictum ab Regia perlatum eſt, quo Cruci ſuffigi jubebantur ij, qui Fidem Chriſti promulgarent univerſi, quíq; fuerant eam complexi ſuorum popularium. Tum verò P. Jacobus adeptæ ſpe felicitatis lætiſſimus, cùm ad oppetendam eam mortem ſe compararet, revocato quaqua de cauſa ab Daifuſama decreto, ſedatáque tempeſtate, adjuncto ſibi Dogico Joanne Kiderâ, Firandi nato (qui deinde in Societatem receptus, cum Patre in vincula datus, & eodem ſupplicio affectus fuit) Arimenſem percurſavit ditionem, & manipulos in horreum Domini cum exultatione portavit. Sed recruduit per Annum 1612. priſtinæ tempeſtatis cicatrix, novísque promulgatis interdictis, ut Chriſtianos Pater ſolaretur, nocte potiſſimùm & alieno cultu tectus, raſo more gentis ſincipite, & reliquâ in nodum ad occiput cæſarie collectâ, omnes concurſábat. Verùm exeunte A. 1614. cum reliquis proſcriptus, & Macaum remenſo Oceano repetere coactus, antiquam ibì induſtriam ſuâ in procuranda omni ſtudio indigenarum ſalute renovavit; donec A. 1617. mutatâ veſte atque oris figurâ, per ingentia maris & piratarum diſcrimina Nangaſachum revectus, Arimam è veſtigio ad ſuos ſe retulit. Hìc ille nonnullorum exemplo, quos odio Chriſtianæ Fidei turbo tempeſtatis involverat necaverátque, quanto ejuſdem ſortis deſiderio exarſerit, nemo meliùs, quàm ejus literæ teſtari poterit. *Vadimus propagatum Sanctam Fidem Catholicam*, ſcribit ipſe ad Fratrem natu majorem in Italiam, *& utinam faxit Deus, ut pro ejus amore in illius confirmationem differar mille in fruſta; quippe quæ foret unica gloria mea; idq; vehementer à DEO efflagito, cupioque & te, & omnes neceſſarios noſtros idipſum mihi obnixè flagitare.* Et iterum ad eundem: *deſidero à te*, inquit, *dici, vel certè curari terna aut quaterna Sacra pro anima mea, qua pro veteris cujuſdam deſiderij mei adeptione profore confido, ut nempe pro Dei, ejúsq; Sanctæ Legis ſtudio, non inquam in Crucem agar (nimia id enim dignitatis & honoris ſit) ſed ut mille in partes dilacerer. Hoc illud eſt quod expeto, quod deſidero, & ſpero me compotem à DEO factum iri.* Et ad P. Fran-

P. Franciſcum Pavonium Arimâ: *Fateor R. V. duo me dum vivo vehementer ac ſæpius expetiviſſe, ut de Societatis ineundæ deſiderio ſileam; alterum venire in Japoniam ad harum gentium converſionem, & hujus jam compos effectus ſum; alterum, emori (ô utinam!) in Cruce pro eo, qui amore mei pependit in Cruce; quo quanquam indignus, confido me tamen conſecuturum, quoniam ibi quidem gentium ſum, ubi irrogantur indies Martyria. Interea loci hoc ſatis habeo, ſi DEO deſiderium hoc meum obtulero; ſed R. V. vehementer oro, ut hanc mihi gratiam à DEO exoret pro ſua gloria, & gentis hujus converſione.*

Quis autem enarret infinitas calamitates, acerbiſſimas ærumnas, quas 20. annorum ſpatio in difficillima illa Japoniæ cultura exhaurire neceſſe fuit? in quibus trium in Japonia Imperatorum perſecutiones expertus eſt, Daifuſamæ, Sciogunſamæ, & Toſciogunſamæ; ab iſthoc demum, quam diu perſequebatur, gloriam adeptus. Inter luſtrandam Arimenſem ditionem, haud ipsâ Arimâ procul, in apparitorum inſidias unà cum ſocio Joanne Kidera incidit, à quibus comprehenſus, inque cuſtodiam abductus, diuturnâ calamitate maceratus eſt. Poſtea manicis compedibúsque innexus, præcône præeunte producitur, pérque vicos & oppida Arimenſia contumeliosè circumductus, ſannis ab inſolente plebecula & probris appetitur. Demum Scimabaræ ferali foveæ die 25. Aug. prono capite inſertus, pendens è pedibus die 28. ejuſdem menſis (Kidera autem 29. tormento mirâ conſtantiâ tolerato) laureatam animam expiravit, ætatis ſuæ A. 56. à ſuſcepta Societate 37.

JOANNES YAMA.

SUſpendium ſimile elegit anima Joannis Yamâ, priuſquam datam fidem Deo ejuraret. Quo tempore ità plerique etiam ſæculares Neophyti ardebant Martyrium, ut unus ijs dolor eſſet, doloribus in cauſa Fidei non emori. Sanè æternâ dignum memoriâ eſt facinus cujuſdam Arimenſis Neophyti. Hunc amicus Ethnicus eripere ſententiæ conabatur, ſed cùm nihil ſuadendo profeciſſet, chirographum, quàm proximè potuit, imitatus, velut Neophyti manu conſcriptum ad Judices detulit, quo ille Fidem Chriſti ejurabat. Senſit hoc Neophytus, & mox quatuor alijs Neophytis teſtibus comitatus ſe ad Judices confert, & multis ferventer de injuria impoſturáque amici queſtus, non Fidem, ſed amicum illum, ejúſque chirographum ejurare ſe dixit: teſtatus eum ſibi amicum eſſe non poſſe, qui ſe malis artibus à Chriſti Cruce & Martyrio avertere conaretur. Amplius aliquid præſtitum eſt Nangaſachi ab imbelli ſexu: nam cùm adverterent mulieres, ſolos Viros à Regijs Miniſtris in cenſum Fidei cauſâ referri, nè idcirco à laurea Martyrij excluderentur, virilem complures veſtitum induerunt, ut in Candidatorum mortis numerum & ipſæ hâc arte venire poſſent. Nec inferiora iſtis fuêre puerorum Martyrij deſideria. Sanè in Regno Devano Joannes Catauneme, ſanguine inter ſuos illuſtriſſimus, cùm poſt varias oppugnationes victor, de inferenda ſibi in Fidei odium nece nihil jam ambigeret, pridie quàm comprehenderetur Filiolum ſuum ſeptennem his verbis aggreſſus eſt: *quid facies fili, ſi te ſatellites rapiant? patiere te comburi vivum, vel potiùs Fidem relinques? Et tu*, reponit Filiolus, *quid facies Pater? Ego comburi meſinam*, inquit Parens. *Ergo ego multò magis*, ſubjungit filiolus. *Age ergo*, inquit anxius de conſtantia puſionis Pater, *periclitemur an vera dicas*: & ad ignem adiens, *hìc*, ait, *prunas cape, & priùs è manibus non abijce, quàm juſſero.* Aperuit mox palmulas palmaris puer, & impoſitas prunas, ambuſtâ licèt ad carnem pelliculâ, immotus ſuſtinuit; donec Pater abjici juberet. Quo rogante, *an ignis ureret?* reſpondit parvulus: *puſilli animi fore illum, qui paratus pro Fide comburi vivus, tantillo ſpatio tractare prunas manibus non poſſet.*

Atque hæc & ſimilia ex Patrum Societatis diſciplina, quotidiana penè fortitudinis prodigia, incredibiliter eorundem animos, atque inprimis Joannis Yama eorundem popularis, ne tot annos in Societatis diſciplina educatus, minùs ſæcularibus pro Deo poſſe & audere videretur, accendebant. Natus ille fuit Tzunocuni in Japonia, & Societ. A. 1586. auctoratus, 47. annis ſub vexillo Chriſti ſtipendia meruit: quo toto tempore gentilium ſuorum ſaluti ſtrenuam navavit operam, totum paſſim illud Imperium, quàm vaſtum eſt, pervagatus, ubique Chriſti Legem egregiâ, quâ pollebat eloquentiâ, aſſerens, nihil incommoda, nihil moratus crebra & propè quotidiana vitæ pericula. Interim extorris Patriâ propter Fidem cum cæteris Macaî ſub-



Ioannes Iama Iapon. Soc. IESV. pedibus in scrobem pro Fide Christi suspensus, et necatus in Iaponia Iendi in Septemb. A. 1633.

C. Screta. d. *M. Küsell. f.*

ſubſtitit aliquantiſper: unde reverſus ad ſuos, ſalutarem illis, ſibi ſanè quàm laborioſam inſtauravit operam, uſq; ad A. 1629. quo comprehenſus eſt in extrema ad Orientem Japonia, dum Regnum Voſciu, vexatam ibi confirmaturùs Eccleſiam, peragraret. Jendum Urbem Regiam in vinculis deductus eſt, atq; in ijs quadriennio detentus. Cùm verò producerentur ad decretum Imperatoris ſententiâ ſupplicium, poſtulato inſtrumento ſcriptorio, elegantiſſimâ formâ verborum exaravit ſententiam, quâ Japoniam aſſerebat altis offuſam tenebris reſidere, Japones ceu luce orbatos, peſſumire præcipites in exitium ſempiternum, dum ab Evangelij ſole oculos avertunt. Perlata continuò ad Urbis Gubernatores ea ſcriptura, prorogandi aliquantiſper ſupplicij, quòd eum ad Idolorum cultum magnopere averent reductum, cauſam dedit. Igitur in cuſtodiam revocatus, admirabili Numinis in ſuos electos providentiâ, compluribus ibi ſaluti fuit, quos Fidei doctrinâ jam antè ſatis imbutos, ſacro latice, quod non potuerat antea, tinxit: multos Procerum ejus cognoſcendi alloquendiq; ſtudio venientes ad carcerem, ſuâ prædicatione ſubegit agnoſcere, nulli ad ſalutem, niſi in Chriſti Fide viam patere. Sed demum Toſciogunſamæ Principis Imperio morte damnatus Jendi, ſupinis pedibus dependēs umbilico tenus tenebroſo in ſpecu, exeunte Septembri A. 1633. triumphavit de Tyranno, annū agens ætatis 67. in Societate 47. Gradum ſortitus Coadjutoris temporalis.

P. MICHAEL

P. Michaël Pineda Iapon Soc: IESV exclusus odio Fidei Christianæ omni hospitio, calamitatibus, et aëris intemperie triduo extinctus, Nangasachi in Iaponia. A. 1633. extremo Septembri.

C. S. d. *M. y f.*

P. MICHAEL PINEDA.

AMacusa Regni Fingensis Insula P. Michaëlem Mundo dedit in vico Sciki, Virum magnis ornatum virtutibus, sed humilitate maximè, obedientiâ, Charitate in Deum & proximos, ardentique eorum juvandorum studio spectatum; quo in opere totam ferè exegit ætatem. Quo tempore Daifusama fatigavit Ecclesiam, ipse in Philippinas deportatus; inde post aliquantum exilium redux, otij & desidiæ impatiens, ad Apostolicos labores se retulit. Quas calamitates & ærumnas longo annorum tractu, temporibus acerbissimis, inter oculatissimos undiq; exploratores fortiter toleraverit, non attinet dicere: cùm ea facilè queant ex sævitia Principis insectantis æstimari. Porrò tam ingeniosa tum evaserat ad miserellos Neophytos à Fide deturbandos Tyrannis, ut vix ulla tormentorum, vel crudelium fraudium facies excogitari posse videatur, quæ in usum non veniisset; quos ut fortiter superarent illi, necessaria penitus erat verbo & exemplo excitantium Patrum præsentia. Inter alios Titus in Regno Bungensi vir nobilis, cum Marina conjuge duos habebat filios, Matthæum novennem, & Simonem annorum 16. & Martinam annorum 14. Hic evocatus à Rege, cùm nec precibus, nec minis à Fide posset dejici, domum remissus, mox jubetur postridie

per ſubmiſſum nuntium, ſi nolit Chriſtum ejurare, filium minorem ad Tyrannum mittere, vitâ vel Fide ſpoliandum. Mittit illum Parens intrepidus, fortiter antè, pro ætatis capacitate animatum. Biduo pòſt redux nuntius, Matthæo extincto, Filiam ut mittat jubet. Quâ ſimiliter dimiſsâ; poſt aliud biduum petitur & Simon: cui valedicens Pater, *Fili mi Simon*, inquit, *vade, & ſi quæ ſanguinis in Palatio aſpexeris veſtigia, intellige eas eſſe notas conſtantiæ germanorum tuorum: ac vide nè degener ſis, quem ætas ipſa debet reddere fortiorem.* Aliquot lapſis diebus nunciat Tyrannus & Simonem peremptum, uxorem ergo, nî reſipiſcat, necandam mittat. Acquieſcit uxor & maritus, certus tandem illam cum liberis in tuto jam poſitis, & ipſe ſequi. Igitur evocatus ad Regiam, cùm infractum penitus animum etiam ad ſua ſupplicia, omnium ſtupore, præferret, reſtituuntur ei tum quidem cum conjuge liberi omnes: quos ubi domum reduxit, narrant ſinguli quid ipſis in Palatio ad frangendam conſtantiam eveniſſet. Referebat Matthæolus, præter truces carnificum aſpectus, ignem & gladios intentantium, præter virgarum dirè incuſſa verbera, frigidiſſimo Cœlo gelantem aquam corpuſculo eſſe affuſam. Idem tulerat conjunx Marina, adjectâ probroſâ, quæ morte durior Japonijs accidere ſolet, membrorum omnium denûdatione. Martina inſuper trium dierum fame macerata eſt. Simoni utrumque brachium ità in cataſta retro diſtorſerant, ut ſuis ſedibus crudeliter luxarentur. Quæ tamen omnia incredibili nimirum omnibus erant ſolatio, quia in Chriſti gratiam tolerata. Inter hæc in dies Tyranni augeſcebat rabies, in Patres potiſſimùm, à quibus omnem hanc in Neophytos derivari firmitatem non ignorabat, penitus exterminandos, quibus percuſſis, non dubitabat diſpergendas à ſe facilè oves gregis. Itaque cùm exquiſitiſſimâ ſagacitate Michaëlem inveſtigarent, & quolibet demigrantis veſtigijs penè inhærerent explorato-res, hoſpes, ad quem ultimò Pater ægro corpore diverterat, deſperans, inde quidem eum apud ſe occultari poſſe, inde autem pœnarum quæ in receptores Sacerdotum tulerat acerbiſſimus Imperator, atrocitatem reveritus, nocte tempeſtatibus ac procellis horridâ eum ab ſe ſilentio dimiſit. Pater cùm quò ſe reciperet non haberet, omnem illam imbrium & auræ inclementiam invalido infirmóq; corpore ſuſtinere compulſus, ad extremum inde agonem, póſtque triduum ad ipſam mortem deductus eſt Nangaſachi, extremo Septem. 1633. ætatis 56. Societatis 26.

THOMAS RIOCAN, LUDOVICUS CAFUCU, DIONYSIUS YAMAMOTO.

PLurima equidem miracula evenêre hactenus in propagatione Sanctæ Fidei; at ego miraculum aliud illuſtrius haud eſſe puto, quàm quòd externi aliquot & pannoſi Sacerdotes, balbutiente adhuc ad Japonicum idioma linguâ, potuerint apud gentem ſagaciſſimam juxtà ac ſuperbiſſimam efficere, ut ſua rejicerent dogmata, externa probarent; idque tantâ firmitate, nihil ut dubitaverint ad ea tuenda fortunas, Principum favorem, carnis illecebras, vitam denique ipſam prodigere, eâ alacritate, quantâ in horum oppoſita à natura ferimur. Teſtis eſt cum tot exulibus Juſtus Ucondonus Princeps, uti olim fortunis omnibus, ità in ſuo exilio virtutum ditiſſimus: qui etiam dum ærumnis exilij confectus, lætiſſimus in corona Patrum noſtrorum moreretur, inter reliqua & iſtud edixit: *Ad uxorem, filias, nepotes-que quod attinet, omni curâ liber morior. Exules Chriſti ſunt, hoc unum ſatis eſt.* Teſtis etiam ille eximius Arimenſium Chriſtianorum fervor; qui dum Sacerdotes noſtri in exilium agerentur, ut ſuum ſibi retinere liceret, Legatos ad Dynaſtam misêre, qui hoc ipſum peterent. Quod ſi concedere nollet, certum ſibi eſſe ſciret, fortunas, uxores, liberos, Patriam, vitámque ipſam in hac cauſa prodigere. Evocati poſtmodum Arimam, cùm ſe morituros in odium Fidei ſperarent, nemo fuit, qui non veſtem ſibi, uxori, liberisque etiam tenerrimis ad Crucem ſubeundam comparârit. Fuit quin aliquis, qui Crucem Japonicam ſibi dudum fabricârat, ut ſi fortè in eam agi juberetur, domi paratam carnifices invenirent, nec in ea fabricanda ſua vota differrent. Neque id animi robur (quod mirere) teneriori deerat ætati. Puero cuipiam, cùm neſcio quis è Prætoris ſatellitio Corollam precatoriam è collo ſuſpenſam criminaretur, eam à puero exigit magis terrendi

Thomas Riocan, Ludovicus Cafucu, Dionysius Iamamoto Iapones, Soc. IESV. vivi lentis ignibus pro Christo cremati, Cocura in Iaponia A. 1633. in Septem

C. Screta. d. *M. Küsell. f.*

rendi causâ, quàm quòd id in mandatis haberet. Quo negante Christianum posse Fide integrâ res sacras Ethnico tradere; *At, mactabo te,* inquit satelles, *nisi dederis: macta,* reponit generosus puer, & in genua mox provolutus cervices aptat, junctis ante pectus manibus ictum præstolatur. Satelles constantiam pueri admiratus, puerúmque suaviter complexus, illæsum dimittit, mirandam Christianorum Fidem ubique dictitans, quæ vel in pueris tanta operaretur.

Nec minùs mirabile & illud est. Ad futurum Martyrium, quod unicè desiderabat, Thomas quidam Nobilis unà cum uxore & 7. prolibus se comparabat, jámque dudum vestes sibi consuerant ad Crucem modestè subeundam. E prolibus vivebat una in vicino pago, conjugio jam illigata; quæ cùm audîsset in Parentum ædes venturos milites, Parentem captivaturos, cum tribus filiolis suis ad ædes paternas accurrit, dictitans se ideo venire, ut de se & filiolis Sacrificium DEO offerret in odorem suavitatis. Interim satellites trecenti in eum vicum cum Judice irruunt, & ad defectionem Christianos quà blanditijs, quà minis sollicitant. Filiolus Thomæ nondum sexennis milites adesse jam videns, crepundia sua inter æquales distribuit, asserens ea sibi imposterum nulli usui fore, cùm pro Domino JESU mactandus esset, & in Cœlo meliora habiturus. Tandem cùm Judex videret in Fide obfirmatos, neque in omnes sævire vellet, jubet recedere satellites. Ex ijs quidam nè nihil omnino egisse vide-

viderentur, è Thomæ filijs unum terræ allidunt, eique per vim ſacram Agni thecam eripiunt. Et ibant jactabundi, quaſi huic ſuam Fidem rapuiſſent: verùm ille cùm aſſurrexiſſet, abeuntes inſequitur: *Et cavete*, inquit, *thecam per vim ereptam velut ſignum proditæ à me Fidei oſtentetis; quod ſi feceritis, Dynaſtam ipſe ego accedam, & calumniam refutaturus proteſtabor, nos omnes in Fide perſiſtere, vos verò imbelles in nos ſævire auſos non fuiſſe.* Quo audito ità affecti ſunt, ut vel metu, vel potiùs virtutis admiratione permoti, ſuam mox adoleſcenti thecam reſtituerint. Et hæc quidem agebat ætas tenerior. Quanta verò ex amore agnitæ ſemel Fidei perpeſſa ſit ætas provectior, longum foret ſingula recenſere. Complures jam vel ex Societate ſola recenſui Japones varijs tormentorum generibus in odium Fidei enectos; nunc rurſus memorandi veniunt terni, qui lentos ignes fortiſſimè toleravêre. Omnes tres nati Japones; Thomas Riocan Amucaſâ Fingenſis Regni Inſulâ; Ludovicus Cafucu Arimâ; Dionyſius Yamamoto Firoſcimâ oriundus. Omnes primùm in Seminarijs Patrum Societatis in virtute ac literis inſtituti, diuturni poſtea eorundem in Apoſtolicis laboribus, in munere Catechiſtarum comites, laborum & ærumnarum, in Patria & exilio, denique periculorum etiam & triumphorum conſortes. Ad extremum comprehenſi ſunt cum Patribus, quos comitabantur. Dionyſius cum P. Acoſta, Ludovicus cum P. Benedicto Fernandio, Thomas cum P. Juliano Nacaura, & in cuſtodiam Nangaſachenſem compacti. Ibi legitimè in Societatem cooptati, & Cocuram abducti, lentis ibidem ignibus, in odium prædicatæ defenſæque Fidei triumphabundi occubuêre, menſe Septembri.

A. 1633.

JACOBUS TACUSCIMA.

EOdem menſe & anno, ſimili prorſus mortis gloriâ dignatus eſt DEUS Jacobum Tacuſcima, qui Sciki Japoniæ oppido in manus adverſariorum delapſus, ibidem vivus incendio deflagravit, priùs in carcere Societati legitimè aggregatus. Et verò merebatur ille jam dudum, quam flagitabat Societatem, egregijs ſuis in rem Chriſtianam promovendam laboribus: nam in Seminario noſtro à puero eductus, ſemper deinceps Patribus adhæſit, quàm eloquentiâ diſertus, tam vitæ exemplis potens: quibus artibus multos Eccleſiæ conciliavit, multos in Fide nutantes confirmavit, plurimos ad fortiter tolerandum animavit Martyrium. Quoniam verò ultimus ille ignis ſupplicium in Japonia è Socijs ſuſtinuit (deinceps enim in omnes ſævitum eſt horribili illo in ſubjectam ſcrobem ſuſpendio) dignum hìc & pergratum lectori facturum arbitror, ſi pro auctario retulero, quâ magnanimitate illud perpeſſi, quâ ſolennitate reliqui proſecuti ſint eos, qui primi illud ex Japonibus toleravêre.

Primus ignibus in Chriſtianos ſævijt Arimenſis Dynaſta, & octonas ad incendium damnavit victimas A. 1613. Adrianum cum Joanna conjuge, Leonem cum Martha, & Jacobo ac Magdalena prolibus; Leonem item alterum cum Paulo Filio. Ubi de pronunciata in eos ſententia conſtitit, Præfecti Sodalitiorum, juſſu Sacerdotis noſtri, Neophytos omnes de futuro intra dies paucos Arimæ novo ſpectaculo monuerunt. Viginti Chriſtianorum millia tantâ feſtinatione concurrêre, ut nemo de commeatu adferendo cogitârit, vel oblivione corporis in Divina rapti, vel quòd morituros ſe omnes ſperarent. Arimenſes tamen Neophyti hoſpites hos modeſtis excipiebant epulis in latiſſimo agro Arci ſubjecto, unde Dynaſta ipſe oculis ſpectare poſſet multitudinem. Quæ cùm ejus offenderet oculos, edici juſſit, nisi ſecederent, ſe directis in eos præſidij tormentis, immiſſiſque ſclopetarijs omnes confecturum. Sed illi tum demum exultare ſpe Martyrij, condenſarêque ſe in globum, nè glans ulla temerè periret. Metuebat Dynaſta Chriſtianos conveniſſe ut igni deſtinatos eriperent; ſed cùm inermes illos ardere malle, quàm deſtinatas victimas aris eripere demum videret, ad executionem latæ ſententiæ proceſſit. Ergo intra primum ab oppido lapidem, in latiſſima planitie lignea domus, templum diceres ad exurendas victimas, extruitur, columnis octo incumbens, cujus tectum ſtramine, arundine, ligniſque ad concipiendum ignem accommodatis inſternitur. Circum ædem ipſam craſſiora repagula arcendæ multitudini altè defiguntur; ſpatium quod eſt à repagulis ad columnas, ignium pabulo completur, ut inde ſenſim adrepens ignis, ad columnas alligatos lentè torreret, donec

Iacobus Tacuſcima Iapon Soc: IESV, vivus pro Fide lento igne exuſtus, Sciki in Iaponia 30. Septem: A. 1633.

C. Screta d. *M. K. f.*

donec in tectum evadens, flammis omnia ſimul involveret. Interim monentur victimæ, aram Sacrificio futuro (dies erat 7. Octobris) inſtrui: ad quam vocem omnes exultabundi in genua provolvuntur, DEO ſibique proximam ſortem gratulantes. Non defuit illis in hoc agone noſtrorum Sacerdotum auxilium, quorum operâ cum peccata expiâſſent, ſeque Sacro ad hoc iter Viatico, paulò antè quàm in ultimam clauderentur cuſtodiam, confirmâſſent, admirabiliter exarſerunt. Comitari tamen illos à Chriſtianis prohibiti ſunt, nè ſi pronuper Regno ejecti, publicè nunc comparerent, irritatus Tyrannus acriùs in eorundem ejectionem, cum jactura in perpetuum talis ſubſidij, incumberet. Itáque per Sodalitiorum Præfectos totâ re à PP, noſtris deſignatâ, multitudo in ſua Sodalitia dividitur. Seni incedebant, incenſos cereos vel Roſaria manu geſtantes, ſupra viginti Chriſtianorum millia, octo victimis in medium agmen, inter duos Sodalitiorum Præfectos receptis, & qui viri inter eos erant, candidam Sodalitij veſtem ſuperindutis, mulieribus autem exquiſitiſſimè ad diem ſummæ ſolennitatis adornatis. Manus omnes habebant revinctas, puero Jacobo annorũ 11. excepto, qui ut vinciretur impetrare non potuit, negantibus miniſtris ſe prò puero vincula habere. Volebat è Neophytis quispiam eundem in humeros tollere, ad quem ille, *permitte*, inquit, *me peditem certare; Ducem noſtrum ſequimur, ille non equo, non ſellâ montem conſcendit, ſed Cruce ſuâ onuſtus. Satis tibi ſit quòd Cruce*

careo: labori nunc indulgendum, æternitas nobis longam & ſecuram quietem parat. Nemo fuit cui non lachrymas ea vox civerit; nec tamen Jacobus bajulum ſuum, quin violenter eum in humeros ſuos attolleret, exoravit. Interim univerſa multitudo alternis invicem Litanias omnium Sanctorum decantabant, plerisq; lachrymas copiosè fundentibus, donec ad locum ſupplicij ventum eſt: ubi columnam quisque ſuam multis oſculis & amplexibus tenerrimè conſalutantes, ultro vincula, quibus adſtringerentur, induebant, circumfusâ multitudine lætis aggratulationibus eos proſequente. Sed Leo Cayemon priusquam colligaretur, in tectum evadens, maguâ vi omnes conteſtari cæpit ad perſeverandum in Chriſti Fide, pro qua alacres ipſi morerentur. Gaſpar autem, ſupremum Sodalitiorum Arimenſium caput, ùt erat à Patribus inſtructus, Chriſti ad columnam flagellati imaginem explicans, in haſtili ſuſtulit, in hæc verba exclamans: *Ecce, quem aptiſſimè nunc ad columnam alligati refertis! ille, ille, cujus causâ mortem expectatis, vivit & regnat in Cœlo, ille vos certantes intuetur, Fidem in ſe veſtram coronaturus: ille vos ad gloriæ januam præſtolatur.* Quæ ubi dixiſſet, ſimul ex omni parte incendium excitatur: cujus vim ſanctiſſimæ victimæ, dum ad ſe pertingeret, votis ſuis prævenientes provocabant. Eorum vota circumſtans multitudo ſuis proſecuta, in genua provolvitur, plerique Symbolum Apoſtolorum pro Fide certantibus præcinebant; alij cum propiùs jam urgeret incendium, pectora tundentes, magnis vocibus lamentabili ejulatu permixtis, DEI miſericordiam inclamabant. Victimæ interim noſtræ ſuos ignes intrepidæ, ſocios gratulabundæ, Neophytos circumſtantes modeſtæ ſpectabant: donec ignis, qui jam diu ſuâ propinquitate lentè torrebat, eas penitus involvit & incendit. Leo ille Orator ex quo columnæ alligatus fuit, oculos cœlo utì ſemel fixit, ità nunquam revocavit. Alter Leo Suqueyemon tanto impetu flammis urgentibus animam emiſit, ut inclamans Sacra JESU & MARIÆ nomina, ſupra omnem naturæ vim, rugijſſe potiùs, quàm locutus videatur. Siquidem non obſtante flammarum crepitantium fragore, neq; circumclamantis multitudinis murmure, nemo unus fuit Ethnicus aut Chriſtianus, quem non vox illa diſtinctè perculerit, & ultra ſpectatorum coronam procul ſeſe in campos intulerit. Magdalena verò non ætate ſolùm, ſed & voto annis antè aliquot concepto, Virgo, cùm ignis funes adhuc ſpiranti ſolviſſet, non refugit incendia, horrente naturâ, ſed ardentes prunas utrâque manu colligens, capiti ſuo venerabunda pro ſerto impoſuit, & pacatiſſimè ſuccumbens, in Domino obdormivit. Quid Jacobus Magdalenæ fraterculus? cùm idem ignis ſua vincula dirupiſſet, per medias flammas & incendia ad Matrem accurrit, ejúsque complexus genua, cùm ab ea hæc verba audîſſet: *fili mi! Cœlum intuere, fili mi!* JESUM & MARIAM ter invocans, & in parentis ſinum corpuſculum reclinans, ſuaviſſimè exſpiravit. Quid inter hæc ſpectatores Neophyti? cùm advertiſſent hoſtias jam omnes in odorem ſuavitatis exhalâſſe, ultrà ſe non continuerunt, quin repugnantibus fruſtra miniſtris in medios ignes involarent, ſacras exuvias erepturi. Et licèt ambuſtis veſtibus corporibúsque, igniũ veſtigia ſecum retulerint, nullum tamen doloris ſenſum fuiſſe referebant, cùm intrepidè prunas & ſtillantia cadavera extraherent. Sacra eorum corpora Nangaſachum ad Patres noſtros delata ſunt, reliqua verò quæ incendio ſuperfuerant, ligna, columnæ, prunæ, cinis ipſe collectus, in hodiernum diem à Neophytis religiosè aſſervantur,

P. BENEDICTUS FERNANDEZ, & P. PAULUS SAITO.

NOn diſtraham narratione hoſce heroës, quos & triumphus junxit, & occulta quædam ſympathia, ut nec mori alter ſinè altero potuerit; mortuorum verò cadavera dum ad rogum comportarentur, ad mutuum contactum, ſtupendo miraculo ſeſe conſalutârunt, & felicitatem ſuam Luſitano Japonióque ſermone, audientibus ſatellitibus, ſibi invicem gratulata ſunt. P. Paulus Tambæ in Japonia natus, educatus fuit à PP. Societatis in Seminario; multo deinde ſudore, laboribus, ærumnísque in prædicatione Fidei per annos 26. quos in Societate exegerat, toleratis glorioſus. P. Benedicto Borba Tranſtaganæ Regionis in Luſitania oppidum



P. Benedictus Fernandez Lusitang. et P. Paulus Saito Iapon. Soc. IESV, suspendio ex pedibus in scrobem, et posterior quidem totos septem dies tolerato, pro Christo necati Nangasachi in Iaponia. 2. Octob. A. 1633.

C. S. d. M. K. f

pidum patria, & genus Nobile fuit. Præbuit hoc olim adoleſcẽs Chriſtianæ modeſtiæ pulcherrimum documentum, cùm hortante quopiam, ut abrogato nomine, quòd vulgare eſſet, clarum aliquod & illuſtre adſciſceret; conſtanter renuit, cùm diceret: ſe DEI gratiam, quam in baptiſmo cum illo nomine ſuſceperat, cum eodem nomine tueri, atque augere pro virili velle. Huic accepimus P. Vaſcum Pirez claræ virtutis Virum, pulſatis leniter humeris, aliquando futurum dixiſſe, ut Martyrij compos evaderet: & eventu comprobatum eſt, non fefelliſſe vaticinium. Societati ſe pene puer, annos 16. natus in Luſitania addixit; & ſeptimo pòſt anno, qui fuit hujus ſæculi alter, in Indiam ductore P. Alberto Laërtio transmiſit. Indè quarto pòſt anno, & ſexto ſæculi perrexit in Japoniam, ubi eum eventus Pirezianæ vaticinationis manebat. Egregiam ibi operam eximio cum fructu, tum Indigenarum, tum externorum, totos 27. annos navavit, in Regnis ejus Imperij compluribus. Celebris in paucis ea fuit excurſio, quâ per annum 1620. cùm eſſent obſita periculis omnia, pervagatus eſt Regna Omi, Mino, Iſci, Micava, Totomi, Surunga, Quanto, Sangami, Muſaſci, Ovari, cujus Urbem principem Jendum, Toſcioguni Regiam, eâ quoque occaſione luſtravit. In ea expeditione vix cuiquam credibile ſit, quantam perpeſſus ſit famem, noctibus ſolis itinera, & diebus latibula in ſylvis proſequens: quantum adierit diſcrimiuum, quot ſuſtinuerit hominum efferatorum incurſus. Ipſe verò

verò indefeſſus ad omnem laborem, adminiſtrare Sacramenta, Fidem ubique prædicare, ſæpe alias induere atque alias formas, ùt neceſſitas cujusque præſens poſtulabat, aut ſuggerebat caritas. Inopem elephantiâ laborantem ut ſolatij causâ conveniret, Medicum aſſimulavit, eáque ſpecie fefellit Ethnicos familiares. Sæpe eum Gubernatores acri indagatione perquiſivêre ad pœnas, quòd, cùm ê veterrimis eſſet, præcipuisque Præconibus Chriſtianæ Fidei, toto latè Regno celebraretur. At Benedictus è medio opportunè digrediens, in cava rupium, atque abdita nemorum tantiſper ſe abdebat, dum eorum veſanus ardor deferveret, ſæpe ibì cum fame, ſiti, nuditate luctatus, dum armato circùm ſatellitio tanquam indagine cingitur. Nonnunquam cum ipſis miſcuit quæſitoribus ſermones ignotus, & eorum ſagacitatem dubiâ formâ diſtractam, animi præſentis auſu delusit.

Demum Nangaſachi 30. Julij, & P. Paulus haud multò pòſt Sciki comprehenſus, & Nangaſachum itidem ad cuſtodiam deductus eſt. Benedictus inter armatas peditum acies equo ſublimis, ſicuti triumpharet invectus, & ad Præſides introductus, ità eos ſuâ comitate demeruit, ut dicerent, ejus liberale tum genus, tum ingenium, abundè ijs in moribus eluceſcere. Quâ vili laudatiunculâ ac ſi viri fortiſſimi animum debilitâſſent, ut à Veritate ad ſuas partes deſciſceret, ſollicitare cæpêre: quibus ille contracto ad ſeveritatem vultu, *mirari ſe*, inquit, *Viros cæteroqui claros, tam indigna & indecora ſibi, quem crederent ingenuum, auſos ſuadere.* Tum illis libellum Fidei ſuæ teſſeram exhibet, cui ſuo ſanguine atque animâ vindicandæ & aſſerendæ, ſuum illis corpus ad omnem pœnarum atrocitatem ex ſua libidine irrogandam, promptè ac perliberaliter permitteret. Illi videri commiſereſcere; ſed quia verebantur Imperatoris iram indulgentiâ provocare, Benedictum pœnâ ſpecûs damnârunt, & ejuſdem conſortem ſententiæ P. Paulum fecerunt. Igitur die 26. Septembris ambo è cuſtodia producti, ſuſpenduntur inverſis corporibus è trabe, mediâ ſui parte humo depreſſi, lucis atque auræ exortes, arctè circumligati, ut lento ſanguinis & viſcerum in caput defluxu, tam diu fatigentur, donec inediâ contabeſcant. Poſtquam pependêre ſimul horas viginti ſex, P. Benedictus animo viſus deficere, de tigillo deponitur, ne brevem mortem miles tam generoſus occumbat; & in cuſtodia fomentis recreatur, ut cùm inſtauraverit vires, ſulphuratis exercrucietur aquis montis Ungeni. At P. Paulus 7. ipſos dies, omni veſcendi copiâ deſtitutus, in ſuſpendio perſtitit, tantâ mentis viriúmq; præſentiâ, ut attonitos ejus fortitudinis admiratione cuſtodes, cùm ad ſe propiùs accederent exploraturi, quid ageret, elatâ juberet voce abs ſe longiùs faceſſere, ne ſuæ gloriæ ſcilicet intercederent; ajebatque non antè ſe quàm P. Benedictum hinc exceſſurum, cui cupiebat ùt vitæ, ità mortis etiam conſortione ſociari. Ergo ſeptimus ubi dies advenit, is fuit 2. menſis Octobris, P. Benedictus in carcere ſciſcitatus, *ecquid ageretur cum P. Paulo? an num etiam ſuperaret, ac viveret?* ùt intellexit eum animam agere, & è veſtigio editurum: *Hoc unum*, inquit, *præſtolabar*: & ſublatis in Cœlum manibus, eodem propè momento ſimul uterque, alter in ſpecu, alter in carcere, felices animas edidêre.

P. JOANNES DE ACOSTA, cum duobus Socijs.

AZeytanum nobile in Luſitania oppidum, Ducum Averenſium ſedes, P. Joannem de Acoſta tulit, quem India menſe Julio A. 1591. acceptũ, & 16. ætatis anno Societati adſcriptum, Japoniæ A. 1604. transdedit. Ibì vir inclytâ virtute, & inprimis ſui deſpicientiâ, parendi ſtudio, precationis aſſiduitate, caſtigandi ſui contentione, ſed multò maximè flagrantiâ caritatis inſignis, inter ærumnas & pericula, decennio ſtrenuam Chriſtianis fovendis, Ethnicis erudiendis, operam indefeſſus attulit; donec ab Daifuſama Macaum ejectus, ibì nautæ ſpeciem continuò, quâ deliteſceret, induit, & celeriter in Japoniam pro Navarcho renavigavit. Quantum reliquo ibì tempore calamitatum hauſerit, quantum exantlârit laborum, evaſerit periculorum, quis unquam adumbrare, nedum exæquare, dicendo queat? Dum Regna illa percurſaret, ubi eum dies defecerat, in agro, in ſilva, in ſolitudine, ſub dio, ſub arbore, ſub antro pernoctabat: promiſcuas in ſaltibus baccas, herbas, radices vellebat ad victum. Novem diebus in profundo delituit, quo perfunem illi cibatus fuit dimittendus. A. 1629. tres ipſos menſes, ob exploratorum, qui in ipſum intendebant, numerum & ſagacitatem,

P. Ioannes de Acosta Lusitanus, P. Sixtus Tocuum, et Damianus Fucaye Iapones Soc. IESV. post toleratum, primus 4. posteriores verò 5. diebus fossæ tormentum, pro Christo mortui Nangasachi in Iaponia 8 et 9. Octob. A. 1633.

C. S. d *M. K f.*

citatem, coactus est in subterraneo specu inter dumeta, procul habitata loca delitescere, nunquam indè elato pede, solâ eâ veste frigus asperrimum defendens, quâ consueverat uti in sole; orizæ & frigidæ pauxillo vitam retinens, quæ clàm illi suppeditabat ex intervallo pius quispiam è Christianis; unde tandem semimortuus, ubi paululùm conferenavit, eductus est. Postremò in Regno Suvo die 24. Aug. A. 1633. comprehensus, Nangasachum trahitur, atque in custodia vinculis attinetur; donec die 5. Octob. sub meridiem productus ad supplicium foveæ, obvium habuit Christianum Japonem, qui studio pietatis seu vero, seu obtento, aliquod ab eo sui monumentum poposcit. Sed acceptâ repulsâ, ferro petijt ejus auriculam, abscisámque Lupo Sarmento Carvallio Equiti Lusitano, Japonicæ navigationis Præfecto, cruentam adhuc manantem sanguine, religiosi pignoris loco dedit. Pependit medius in specu Pater duos inter Socios, & quarto à suspensione die 8. Octob. ex ijs foveæ tenebris in lucem sempiternam excessit, natus annos 58. à susceptâ Societate 42.

Socij suspendij fuere P. Sixtus Tocuum, & Damianus Fucaye, Japon uterque: Ille veteranus in Societate miles, natus in Regno Jyo; qui ab ineunte ætate in Seminario eductus, A. 1589. in Societatem adlectus est, Vir spectatâ demissione animi, obsequendi celeritate, paupertatis ambitione, caritatis ardore. Multum suis popularibus quà Catechismis, quà Concionibus annos complures,

varijs in Provincijs ad ſalutem conduxit. A. 1615. exilio cum cæteris damnatus, per eam occaſionem Sacerdotio initiatus eſt, unde A. 1616. revertens in Japoniam, multos exinde animarum causâ labores adijt, multas ærumnas perpeſſus eſt, cum luculento lucri ſpiritualis proventu. Scrobi cum P. Joanne de Acoſta inſertus, quinto demum die ſub veſperam 9. Octob. feliciſſimè expiravit, annos natus 63. in Societate 43.

Damianus Fucaye Arimenſis fuit, qui educatus in Seminario, Catechiſmi traditione imprimis excelluit; virtute, & ſuorum juvandorum ſtudio inclytus, pluribúsque annis P. Provinciali comes additus. Demum ut cætera vitæ anteactæ ornamenta gloriosè coronaret, Nangaſachi in vinculis ad Societatem admiſſus, ibíque in ſpelunca ex pedibus ſuſpenſus, die quinto ſuſpendij è vita diſceſſit.

P. JULIANUS NACAURA, cum quatuor Socijs.

TUſo tot heroum ſanguine, veluti efferata Tyranni rabies, rurſus 18. die ejusdem menſis & anni aliquot è Societate diverſis locis & tẽporibus comprehenſos, Nangaſachi produxit ad ſcrobis ſupplicium. Agmen eorum duxit P. Julianus, qui Auguſto Regum ſanguine in Japonia natus, Nacauram, unde & cognomen traxit, locum habuit natalem. Admodum puer Sacris Chriſtianis imbutus, Romam (ùt in vita P. Meſquitæ dictum eſt) cum tribus alijs Illuſtriſſimis adoleſcentibus, Mancio, Michaële, & Martino, ad ſummum Pontificem à Regibus Bungenſi, Arimenſi, & Omurenſi, quos ſanguine attingebant, legatus eſt. Qui omnes ubi in Patriam ſoſpites redière, humanis rebus abdicatis, Societati noſtræ ſe mancipârunt 25. Julij A. 1591. quo tempore Julianus annum ætatis 22. attigerat. Sed erat in ea jam tum ætate tanta mentis excelſitas & fortitudo, ut dejici de ſententia ingrediendæ Societatis nequierit, omnia Neceſſariorum invitamenta generosè deſpiciens, nec procellam reverens, quæ jam tum in Chriſtianos à Cambacundono excitata gliſcebat. Poſt operam latinis literis, quanta ſat erat, & Morali Theologiæ triennio impenſam, inauguratus Sacerdotio ad animarum lucra ſe totum convertit. Quo in opere plurima perpeſſu aſpera toleravit, longiſſima ſuſcipiens itinera, inſequentium ſtudia latebris & fugâ eludens. Nonnunquam gerulorum brachijs deportabatur ad confirmandos Neophytos, & ad Martyrium fortiter ſubeundum cohortandos, dum jejunijs & ærumnis victus pedibus ingredi non poſſet. Quanto verò fuerit emolumento puſillo gregi, reliquis noſtrûm in exiliũ actis, ſatìs conſtat ex fortitudine Neophytorum ad mortes, velut ad epulas præparantium ſeſe.

Quis enim non ſtupeat glorioſum Martyrium Nobilis illius apud Arimenſes familiæ, cujus non minima pars ad P. Julianum pertinet, qui per id tempus ditiones illas excolebat, facundus ad ejusmodi laureolas capeſſendas cohortator? Thomam primæ Nobilitatis & magni nominis Ducem, ad defectionem Dynaſta ipſe, P. Juliani conſanguineus, ſed à Fide apoſtata, ſollicitaverat; at P. Julianus Fidem DEO datam ſervandam eſſe impensè ſuadebat. Unde Thomas ſollicitanti rurſus Dynaſtæ, ità reſpondit: *Quàm grave ſit militem à vexillo ſui Ducis deficere, ex me ipſo didici, cùm Ducis perfunctus officio, transfugas ſemper ſum execratus. Ego ſub Crucis vexillo Ducem Chriſtum ſequor, in ejus militiam ritu ſacro Sacramento adſcriptus: ab eo transfugere gravius puto, quàm vitam ipſam, quáq; infra vitam ſolent æſtimari, prodigere. Hoc animo meo jam diu ſedet ac ſedebit: velimque ut tandem hoc ità de me ſciatur, ut nulla ſpes mutationis ultrà me ſollicitet ac laceſſat. Hoc à me poſtremum habe, nec aliud ultrà ſpera.* Quæ cùm dixiſſet, ſalutato Dynaſtâ ſeceſſit. Satìs hoc unum Japonenſibus Regulis eſſe ſolet ad certiſſimam mortem evocandam. Sed tamen ea erat Viri virtus, non Chriſtiana minùs quàm militaris, ut ad eum graviùs plectendum Reguli animus, non niſi pellicis, incentorisque ſui Saſſioye machinis, potuerit permoveri. Thomas interim continuis orationibus, ac voluntarijs corporis afflictationibus ad majora præludebat, ſe ipſum ſæpius expiatus, Cœleſti pane confirmabat. Pridie illius diei, quam tot votis evocabat, ſub noctem amicus ad eum adit, monet quid in ſe, quid in ſuos machinari Dynaſtæ aſſeclas ſpargatur, iráque ſeipſum ſuósq; nocturnis tenebris in tutum recipiat. Thomas domi ſuæ filios duos, filiolam, uxorem, fratrem Matthiam, & utri-

ulque

P. Iulianus Nacaura è Regum Iaponiæ sanguine, P. Ioannes Adamus illustri prosapiâ Siculus, P. Antonius de Sousa nobilissimo Lusitaniæ stemmate, cum duobus alijs Iaponibus Soc. IESV. serobis supplicio in odium Fidei enecti, Nangasachi in Iaponia, 21. 22. et 26. Octob. A. 1633.
C. S. d.

M. K. f

usque parentem Martham numerabat. *Erras*, inquit Thomas, *toto Cœlo, ab quo nos abducis, erras!* *Nusquam me ac meos tutiores, quàm sub ictu ſicæ Japonenſis inflexos puto. Utinam ego omnium truncas cervices palpitarè ad pedes meos viderem priùs, quàm meas inclinarem!* Manè ſub horam 9. ante merdiem ab uno è Moderatoribus Arimenſis oppidi evocatur, cauſante neſcio quid ædificij, ad cujus deſignationem opus illius præſentiâ eſſe ſimulabat. Senſit Thomas ſe ad Urbem illam, *quæ conſtruitur in Cœlis vivis ex lapidibus*, evocari. *Lætatus* igitur *in his quæ illi dicta* erant, ad ſuos exclamat: *in domum Domini ibimus*, jam diu enim *ſtantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem.* Itáque ſuorum gaudiorum parte domeſticos impertitus, omnibus illi, illo omnibus fauſta comprecantibus, poſt mutuos amplexus, extremúmque vale diſcedit. Gubernator Thomam mentitâ vultûs hilaritate excipit perurbanè: & poſtquam de fictis ædificijs perfunctoriè tractâſſet, domeſtico prandio excipiendum detinet. Et interim dum famuli triclinium parant, jubet afferri ſibi ſicam, quam glorioſo militi Thomæ omnia ſubodorato, laudandam, aut veriùs probandam oſtentaret. Acceptit eam Thomas, & militari manu ſæpius quatiens admirabatur, & ex animo gloriæ ſuæ inſtrumentum collaudabat. *Quid tibi videtur Thoma*, ſubridens inquit Gubernator, *probè fungetur officio ſuo ſica mea, nec ictum fallens molliter amputabit? Planè*, inquit Thomas, *hoſpitem potiſſimùm, illius ictum cupidè præſtolantem.* Quæ cùm dice-

ret,

ret, ſicam ſicario reſtituebat: qui nihil moratus, primo ictu altè in ejus corpus adacto, victorem interimit; ipſe verò ferale convivium innoxio ſanguine polluens, carnificis munere functus, Martyri meliores epulas, ſibi famem æternam præparavit.

Vix bene domo abierat Thomas, cùm ab alio Gubernatore Mathias ejus Frater accerſitur; qui ſimiliter nihil dubius quò vocaretur, ſuper ſe eandem ſortem cecidiſſe gaudebat. Geminata iterum domi oſcula & amplexus, fauſtæ quoque utrinque comprecationes. Excipitur à Moderatore pari vultu Mathias, & ſciſcitans, quid eſſet in quo illi obſecuturus vocaretur? *In hoc*, reponit Gubernator, *adveniſti*; eductâque ſicâ, dum manus ille in Cœlum erigeret, eum obtruncavit. Mox à Gubernatoribus miſſi ad Matrem occiſorum Martham ſatellites, *duo*, inquiunt, *filij tui pertinaciæ ſuæ pœnas, Dynaſtæ juſſu, morte exolverunt. Tibi cum duobus nepotulis Jacobo & Juſto, eâdem ex cauſa extemplo moriendum eſt. Juſtam conjugem, ac filiolam, Dynaſtæ clementia ſinit intactas.* Martha gratulata ſibi genuiſſe Martyres, quorum conſortium cum nepotulis mox ſperabat: accerſitis Jacobo & Juſto, Parentis ac Patrui mortem, mortiſq; cauſam exponit, quibus ipſi futuri mox eſſent comites. *Exultate*, inquiebat illa, *filioli, Deóque ipſi, vobis, ac mihi ſortem veſtram gratulamini. Præceſſit ille, nos ſequimur: quid eſt quod nos in hac mortalitate detineat?* At illi omnis moræ impatientes, hoc unum ſcire urgebant, quàm citò id futurum eſſet, atque Aviæ pueriliter blandientes, Matri ſuaviter gratulantes, domeſticis cæteris arridentes, nihil omittebant eorum, quibus exuberare ſolent animorum ſenſus. Nutricibus ſuis munuſcula dividebant, ſuásque reculas inter æquales partiebantur. Tum Martha poſitis viduitatis veſtibus, jucunditatis ſuæ candido induitur apparatu, eóque ipſo innocentiæ teſte pueri ornantur. Poſt gratias deinde impensè DEO redditas, Juſtam nurum ſuam ſolari aggreditur: quæ lachrymis ac ſingultibus pro verbis reſpondens, cùm denique filiolos à ſatellitibus correptos ultimo ſtringeret amplexu: *Ite filij*, inquit, *fortes occumbite, nullus metus irrepat, carnifici cervices præbete, aptate veſtem, ictum provocate, neque vos à Parentis fortitudine tenerior ætas excuſet.* Illi verò ſicca parenti figentes oſcula, niſi quantum maternis lachrymis irrigabantur, his ultimis verbis pene illam affectuum variorum tumultu oppreſſerunt: *Imus ad Parentem noſtrum, & ſi præcedimus, ſequere; ibi te præſtolabimur.* Accurrerat ad necis locum tota Arima, quo pueruli etiam ſaltibus exilientes properabant. Carnificem ergo ſuum ibi cognoſcere cupientes, dum undique circumſpectant, ecce in circumfuſa multitudine ſuo ſe ſplendore ſica prodidit. Ad eam mox accurrunt; & alter alterum hilariter attentiùs intuiti, ultimóque oſculo in amplexu ſalutantes, corde magis quàm ore valedicunt. Tum in genua ruentes, ſpectatores ſuos horrore complebant, alieno periculo trementes, cùm ipſi non timerent ſuo. Jacobus, ùt erat edoctus à Parente & Avia, Juſto fratre biennio junior, annos natus non ampliùs novem, fratrem prævenit, aptatáque ſibi veſte cervicem exporrigens, SS. JESU ac Mariæ nomina cùm repeteret, nondum eâ invocatione, tertiò prolatâ, obtruncatur. Truncum caput, horribile ſpectaculum! fratri accidit ad genua; in quo tamen Juſtus æquè ſibi conſtitit, ac ſi nihil præſenti morte moveretur. Igitur eodem vultu, eodem ritu ſe comparans agnus alter in genua procumbit, dum fratris exemplo inter primam SS. Nominum invocationem vox ictu intercluſa deficeret. Spectabat hæc hilari vultu, ficciſq; oculis Martha, quæ jam nepotulorum curâ libera, ſibi uni attendebat. Primùm ſacras reliquiarum thecas collo duas exemit, alteram filiæ ſuæ Nangaſachum, alteram Franciſco, Joannis Arimæ Regis Filio, ipſius Tyranni Fratri transmiſit, eò quòd nutriciam infantulo curam exhibuerat, velut eum ad proximum illi quoque funus imminens (quod paulò pòſt pro Chriſto necatus ſubijt) invitaret. Et cùm unius horæ ſpatium ad eam orationem, quæ ſolâ mente decurritur, impetraſſet; eâ expletâ Cœlum intuens, Deum ad quem properabat, inclyta veneratur. Sed mox genibus nixæ, veſteq; compoſitâ cervicem fortiter præbenti, unico ſicæ ictu caput excutitur, quod à terra bis reſiliens exultavit.

Horum ad Martyrium exhortator P. Julianus, & ipſe demum Cocuræ delapſus in manus carnificum, Nangaſachum in carcerem pertractus eſt. Ibi conſtantiam ejus varijs machinis labefactare conantibus Præfectis, negabat ille magno ſpiritûs fervore tam immane ſcelus, quæcunque demum ſupplicia irrogarent, abſe, id ævi & ſanguinis homine, id Fidei & priſcæ profeſſionis Viro, poſſe concipi, nedum perpetrari. Ergo ſpe convellendæ conſtantiæ abjectâ, eum 18. Octobris educunt ad foveam cum quatuor alijs; quorum cùm medius ipſe graderetur, ad obvios firmâ ac elatâ voce dicebat, ſe illum

Julia-

Julianum eſſe, quem olim Japonia mitior Romam profitendæ Fidei gratiâ Legatum, nunc furens in foſſam mitteret; libenter ſe Fidei illius ſanctitatem, quam fuerat Romæ coram Chriſti Vicario profeſſus, hìc interitu ſuo ſtatuere, atque affirmare. Tum capite depreſſus in foveam, quarto ſuſpendij die, hoc eſt 21. Octobris anni 1633. honeſtiſſimâ morte vitam præclarè actam terminavit, natus annos 66. in Societate 43. gradum in ea ſortitus Coadjutoris ſpiritualis, quem Religioſæ diſciplinæ, modeſtiæ, obedientiæ, & charitatis ſtudio magìs, quàm Regio ſanguine nobilitavit. E quatuor Socijs duo, eodem quo P. Julianus die, in fovea expiravêre, Petrus, & Matthæus Japones, in Seminario educati, & Patrum deinceps in itineribus comites, & operis Evangelici catechizando, & concionando ſtrenui adjutores; tandem in ipſa cuſtodia ad Societatem admiſſi.

Quinto ſuſpendij die felicem emiſit ſpiritum P. Joannes Matthæus Adamus, Mazzaræ Urbe Siciliæ natus, ductâ à Majoribus Nobilitate generis per utrumque Parentem, Franciſcum Adamum, & Smiraldam Bandinam. Romam à Coſmo Adamo patruo ſuo duodennis deductus eſt, ut comparandæ doctrinarum bonarum ſcientiæ intenderet animum. Patruo non diu pòſt è vivis ſublato, in Societatem JESU nomen dedit; cúmque Divinæ gloriæ amplificandæ ſtudio exarſiſſet, anno 1602. jam tum Sacerdos transmiſit in Indiam, ac porrò inde anno 1604. in Japoniam. Multis animarum juvandarum causâ laboribus ærumnísque exercitus, multas ardore magno Provincias decennio pervagatus, Daifuſamâ ſæviente Macaum, unà cum reliquis A. 1614. ejectus eſt. Sed aliquantiſper ibì commoratus, impatientiâ moræ Japonibus ſalubris, mutatâ perſonâ reverſus, novos exantlavit labores, eóq; graviores, quò majoribus undique periculis obvallantibus intendebantur. Anno 1622. bis unà cum P. Hieronymo de Angelis, per ingentia vitæ diſcrimina, & pares ærumnas, in Regnum Jeeingo Septentrioni obverſum, & Sando Inſulam eidem oppoſitam profectus eſt; ubi magna tum temporis animarum ad Eccleſiam facta eſt acceſſio, & ingens Evangelio porta patefacta. Triennio pòſt in Regno Oſciu ab exploratore deprehenſus in latebra, ab Judice ipſo, cui factum indicium, ſilentio profugere juſſus, nè in Toni notitiam veniret; obſcurâ nocte, per ignotas montium ac vallium ſalebras, nivibus atque algore horrentes, ſolus, locorum, quibus erraret, incertus, ut ab ſuis hoſpitibus malum averteret, vagatus eſt. Nec leviora mari pericula, quàm terrâ perpeſſus eſt; quippe qui Meacum curſu cum P. Franciſco Paccieco inito, fractâ navi vix ægre ſoſpes enavit. Mors illi demum obvenit Nangaſachi; ubi revolutus in caput, foveæ dimidiatus immerſus eſt, trabi affixus per pedes; donec ijs in tenebris per inediam & diros cruciatus à vita diſceſſit die 22. Octobris, natus annos 59. in Societate 38.

Poſtremus occubuit P. Antonius de Souſa, qui Cavillanij in Luſitania illuſtri genere natus, nondum confectis doctrinarum ſpatijs, in Orientem anno 1609. transmiſit. Ea ùt Macai primùm abſolvit, ad ſacros ſuſcipiendos Ordines Malacam regreſſus, inde clàm anno 1616. in Japoniam ſive irrepſit ipſe, ſive ejectus per tempeſtatem eſt. Verùm anno inſequente obortâ Magiſtratibus ſuſpicione eum è Societate eſſe, in exilium eorum juſſu migravit. Egit deinceps per annos aliquot apud Malacenſes Procuratorem Japoniæ, donec habitu peregrino nactus opportunitatem, iterum in Japoniam ſe inſinuavit. Ibi mirâ charitatis induſtriâ totos quinque annos ornatu thalaſſico cymbâ circumvectus, multum laborum atque incommodorum toleravit, ingenti compendio animorum. Poſtremò cùm ad ſimilem prædam Ozacæ deſcendiſſet in terram, occupatus, vinctus, immaniter aquæ in os infuſæ violento rejectu tortus, Nangaſachum, longo 150. leucarum intervallo, ferro manus & pedes innexus deducitur; ubi à die 18. Octobris tenebricoſo pendens in ſpecu, totos 9. dies immane tormentum, attonitis excubitoribus toleravit, & die demum 28. Octobris, actis vitæ annis 45. in Societate 30.

mortem gloriâ cumulatam
occubuit.



P. Matthæus de Couros, illùstri sanguine Lusitanus Soc. IESV, grauissimis trium Imperatorum persecutionibus pro Christo enectus in leprosi tuguriolo, in Iaponia ad Fuscinum 29. Octobris A. 1633.

C. S. d.

M. K. f.

P. MATTHÆUS DE COUROS.

QUàm non ſit volentis, neque currentis, ſed ſolius DEI miſerentis, ſanguinis pro Chriſto fundendi gratia, expertus eſt P. Matthæus de Couros. Conſtituerat ille, deſperans poſſe ulteriùs exploratorum undique in ſe unum intentorum manus effugere, ultro ſe ex Martyrij deſiderio, Magiſtratui die quapiam coràm ſiſtere; ſed ecce inopinatò rogatur ab homine elephantiaco, quem ab hominum conſuetudine lepra procul arcebat, ut ad ſe inviſat, fortè confitentis errata excepturus. Quod dum Pater facit, in anguſto hominis leproſi tugurio, tot perſecutionum in ultima ſenectute ærumnis attritus, placidiſſimè moritur; die 29. Octobris A. 1633. ætatis 95. Societatis 50. hoc ſolum mærens, quod ſanguineæ mortis expers (ſi tamen expers dici poteſt) decederet. Ulyſſiponem Luſitaniæ Urbem principem ſortitus erat patriam, & in ea genus nobile, ibique vixdum egreſſus pueritiam, ſed valido ad virtutem ingenio, Societati JESU ſuum nomen inſcripſit A. 1583. Quia verò ingentibus ad ſalutem Japonum agebatur deſiderijs, exoratâ multis lacrymis in eam miſſione, Anno 1586. eâ ipsâ quæ Japonenſes ab Urbe Oratores illò revehebat, claſſe trajecit. Macai tantiſper in Theologiæ ſtudio moratus, Japonicam ſimul linguam egregiè condidicit.

didicit. Quâ ad elegantiam uſque perpolitus, acerbiſſimis illis in Japonia temporibus biennio noſtros rexit in Inſulis Sciki, & Amacuſa, quinquennio in Arimenſi Domicilio; bis præfuit novennio toti Japoniæ, ejuſdem ſimul ex ſummi Pontificis decreto Pro-Epiſcopus: donec ultimâ ætate ſenectam incredibilibus ærumnis pro Chriſto exercitam, ereptámque Divinâ ope ſexcentis periculis, in leproſi tugurio, haud procul Urbem Fuſcimum, beatâ morte terminavit.

Ut verò aliquam laborum ejus & diſcriminum partem attingam; poſt reditum ab exilio, quo à Daifuſama cum Socijs omnibus aliquamdiu Macai ſubſtiterat, A. 1610. jam tum Præpoſitus & Pro-Epiſcopus Japoniæ, cùm Gonrocuus Nangaſachi Gubernator ſagaciſſimè in Evangelij præcones intenderet, mirabili modo manus ejus effugit. Nam cùm Sacras ſibi veſtes ad Sacrificandum induëret, repentè nuncius advolat, qui eum à famula domeſtica proditum, ut ornatum detrahat, & capeſſat fugam, anxius monet. Vix dies una apud vicinum Neophytum commorationis exorari potuit, reveritis paſſim omnibus minas, & pœnarum gravitatem. Sed enimvero ut domo prodeat, atque aliò ſe latitaturus conferat, quæ ratio ineunda, qui modus? Sumptum ex deſperatione conſilium, è ſententia cecidit. Mos obtinet in Japonia, ut ſellis geſtatorijs & oppanſis velis, ſolæ per Urbem circumvectentur mulieres, viris id probro ſit. In unam illico ſe Pater injecit, & bajulis ſuccollantibus, ſed quem ferrent ignaris, elatus eſt, ſequente ponè, ſicut heram deduceret, pediſſequâ. Sed geruli neque quò irent, neque via quænam eſſet gnari, paſſim ſtare; ſciſcitari promiſcuè Neophyti domum, quæ fuerat deſignata; & prætergradientium quiſque, ùt libido erat, adire propiùs, velum reducere, ecquæ portaretur explorare. Sic incerti viarum ſortè ſubſiſtunt ante anûs viduæ fores. Illa è veſtigio prodire, exclamare, vociferari, indè actutum ſe auferant, aberraſſe à domo, nolle ſe eos pro ſua ſubſiſtere. Famula item ſuperveniens quò corrigat errorem, vocem intendere, objurgare, ſe præeuntem jubere ſequi. Sic demùm quò ibatur perventum eſt. Sed illico novum diſcrimen. Is qui tecto Patrem accepit, intempeſtâ nocte in vincula abreptus eſt; & cùm nullum Patris indicium faceret, extemplo qui invigilarent excubitores diſpoſiti ſunt, nè quâ Pater poſſet elabi. Sed Deo tegente & latuit ille tunc, & poſt ejus diei diem ſeptimum clàm ſoſpes eorum manus evaſit.

A. 1625. cùm Scimabaræ delapſus eſſet in adverſariorum manus P. Franciſcus Paciecus, qui P. Matthæo ſucceſſerat in Provinciæ & Epiſcopatûs cura, quantum rurſus diſcrimen adierit, Gubernatoribus in eum potiſſimum incumbentibus, ipſe quibuſdam in literis ſic refert: *Eâ die, quâ captus eſt I. Joannes Baptiſta Zola; ecce inopinato certior fio, milites ſclopis inſtructos domum, in qua tum eram, circumgredi; & brevi intervallo admoneor à ſocio, equites nonnullos eminus conſpici, qui ad nos verſùs iter intendant. Igitur ego me raptim veſtibus induo, Roſarium collo injicio, jámque exire in vicum feſtino, quò ſic hoſpiti meo caveam nè ſcilicet illi, qua in domo diverterim, reſciſcant. Sed hoſpes ipſe apprehenſum brachio me remoratus eſt, ajens, equites illos nequaquam ad me venire. Haud facilè certè explicavero, quàm ea mihi denunciatio diſplicuerit; quippe qui incredibili animi mei lætitiâ, nixus genibus, me jam Domino devoviſſem, propemodum certus fore, ut in vinctorum pro Chriſto numerum propediem adſciſcerer. Prætergreſſis equitibus, in ſylvam ab Chriſtianis deductus ſum, ibique Matutinum orſus recitare, illud me tum poſtremò facere arbitratus ſum. Stabulum ibi erat ſtramento leviter tectum, promiſcui juris, cui, quoniam quidem pluebat, ſucceſſi, & humi fœno ſubſtrato procubui. Enimvero animum meum humaniſſimâ tunc voluptate perfudit ea cogitatio, quod pervigilio Natalis Domini (nam ille tum dies erat) adeò conſimili hoſpitio exceptus eſſem. In eodem illo hoſpitio adhuc perſiſto, cum hodie dies 10. Februarij ſit, tantis affectus calamitatibus, ut eas affectæ valetudini atq; ætati meæ noxæ fore, mihiq; gravem quempiam conciliaturas eſſe morbum non dubitem. Una ea me ſpes ſolatur & fovet, futurum ut aliquando id DEum exorem, quod multis dudum votis efflagito, ut unâ cum alijs ejus ſtudio atque amore, à vita deflagratione decedam.* Cùm verò A. 1626. adminiſtrandam rurſus Provinciam & Epiſcopatum ſuſcepiſſet, atque vel idcirco omnis in eum cura veſtigatorum intenderet, quomodo ſagacitatem illorum eluſerit, ità alibi ediſſerit: *Per id temporis Gubernatores Tacacuenſes militarem ſubmiſerunt manum, juſſerúntq; diverſos perdiligenter indagare omnia. Nihil ab illis, quod non ſcrutarentur, prætermiſſum eſt, non caſa, neq; ſpelunca, non ſtabulum, aut ullum gurguſtium, ipſis etiam tegetibus è domo detractis, nè quid occulerent. Fortè fortunâ factum eſt, ut qui redactum in fiſcum jerant impedimenta P. Balthaſaris de Torres nuper concremati, latibulum eadem ipſa in domo deprehenderent; hinc rati paſſim alibi haberi ſimilia, nihil uſpiam intentatum relinquere,*

quere, cava omnia pervestigare, omnes angulos. Ergo animis consternati, qui mei curam adhuc egerant Christiani, ut me inde conscenso navigio celerrimè proriperem, omnino impellebant. Ego verò, quò lenirem eorum impetus, ut me eâ ipsâ nocte subducerem, daturum operam spopondi. Paraverat ignaris omnibus hospes meus specum sub terra, longam duodenos, latam quaternos palmos, Solis expertè ac luminis: in eam primis tenebris ego, Dogicus, famulus, nullo, prater hospitem, arbitro, successimus. Dies noctésq; agebantur in tenebris, nisi quòd advescendum, ad Horas Canonicas recitandas, ad conscribendas ex officij ratione epistolas, aliquid maligni luminis accendebatur. Cibaria porrigebantur occulto foramine, quanta scutellæ moles est, quod reducto propinqui tugurij, ubi senecio quidam operabatur, stramento, tantisper aperiebatur, dum illa inferrentur. Tertiâ quaque die ad regerenda purgamenta foveæ aditus patefiebat. Victus contemptissimus; quòd hospes, nè quod uspiam vestigium nostri linqueret, neq; pisces, neq; melioris obsonij quidquam aliud auderet coëmere. Triginta quinq; dies in illa caligine commoratus sum: nisi si Paschatis pervigilium, Festum, & Octavam dempseris, quibus diebus ad faciendum Sacrum exivi. Post eos dies in alteram demigravi scrobem, magnitudine priori illi æqualem, quam ingeniosâ charitate idem ille meus hospes effodit: in eáq; dego hactenus jam exeunte Septembri. Sacrum Missæ instrumentum apud me habeo. Imminet fossæ tugurium, quod asservandis artis suæ instrumentis operarius ille fabricatus est. In eo mihi ostiolum est, cujus suspicione stramenta, & rudes storeæ temerè confusèq; jacentes, spectantibus adimunt. Prodeo noctis silentio, & Altari raptim composito Sacrum facio: tum priùs aram, omnémq; apparatum mecum in fossam infero, quàm luxerit. Ibi diem transigo malignam ad lucem, quæ ad lectionem scriptionémque permodicâ fenestrâ illabitur. Evenit die quadam, Dogicum & famulum, cùm in hospitis culina consedissent, adeò repentinò ab exploratore occupari, ut vix in silvam evadendi copia fuerit; vix mihi meum in antrum subeundi, cujus foribus id hominum genus insistêre plus unâ vice. Omnes hujus ditionis exploratores suis quiq; locis subsident, in illum me unum, quem studiosissimè venantur, intenti. Et quia Gubernatoribus satis exploratum est quanta me spatij intercapedo contineat, omnes domorum intergerinos parietes, quotquot duabus circum leucis existunt, jussêre dirui, ut quidquid universa in domo est, ingredienti protinus in conspectu sit. Famulus, qui literas aut epistolia quot hebdomadis à me Nangasachum perfert, ut oculos vicinitatis evitet, tacitâ nocte proficiscitur. Is qui mittitur indè ad nos, mandata quæ fert, apud hominem fidum hinc semileucâ deponit; is eum in locum secreto refert, quem hospes constituit. Nec tuta nobis aliter constat commercij ratio. Post P. Gasparis de Castro occubitum, post tot rerum vicissitudines, & temporum acerbitates, reliquus in his oris ego solus sum, qui scriptionibus foveo Christianos atque erigo, qui finitima quapiam in Insula rentur me delitescere, & in responsionibus suis, dum ad me rescribunt, fortes animas verbis præportant; utinam & summa tempora fortes ostendant.

Ex quibus videas illum totos 8. menses habitâsse sub terra, post quos, utrùm fas illi fuerit ad auram exire, exploratum non est. Porrò A. 1629. adauctis priorum temporum in Tacacu difficultatibus, vestigatorum è manibus arcta in latebra, ùt olim S. Felix Nolanus opere araneo repentè prætextâ, elapsus est. Sed quoniam eas ædes crebrò lustrabant quæsitores, nè quando in eam latebram impingerent, alias in domos, atque identidem in alias, nunc temerè, nunc consultò transferebatur: fuitque subinde delitescendum illi horrido & tenebroso in loco, ex quo morbum contraxit adeò gravem & acerbum, ut in proximo vitæ discrimine omnium egenus medicamentorum, versaretur. Anno 1630. gliscebat Aryiæ Bungondoni furor in universam Christianorum nationem; novas pœnarum facies in omnem ætatem ac sexum excogitantis. Præstò tanta in necessitate adfuit P. Matthæus Provincialis, tum per se ipse, tum per interpretes; certus, si res tulisset, in conspectum sese dare Tyrannorum. Sed enimvero hoc ejus consilium disturbavêre Christiani, nè simul universo, quod ab illo capiebant, subsidio frustrarentur. Igitur conscenso navigio nocturnis tectus tenebris indè abscessit. Vix autem bene à littore solverat, cùm ecce duo advolant è famulitio Gubernatoris, eos à fuga vi retracturi. Ergo cymbæ aliquantulùm provectæ manu ex littore annuere, ut regrediatur; isti contrà nihil respondere, & se vidisse dissimulare: tum alter duorum in aquas insilijt, ut abeuntes natando consequeretur: sed tenebricosa nox opportunitatem fugæ dedit. Illi posteræ diei diluculo ad proximum inde portum abiêre, cùm viderent navigium superato difficili freto, legere littus Insulæ Amacusæ. Evasit tamen omnem illorum diligentiam, & ab homine Christiano in populo Saquinatu exceptus est. Postridie expiatâ per Confessionem ejus familiâ, Oyen perrexit leucâ distantem, & apud ejusdem Christiani Socerum tutò divertit.

Bun-

Bungondonus Arimæ Dynaſta totius ſeriem itineris à duobus adoleſcentibus conſcijs cognôrat, quos uni de ſuis Aulicis adjunctos celeriter die 24. Junij ad ejus loci Gubernatorem ſubmittit, ut Patrem fugitivum ſuo nomine repetant. Sed ille vacuis his remiſſis, ſibi Patris comprehenſionem cordi fore reſpondit. Quod profectò conſilij à DEO fuit: nam ſi adoleſcentum opera fuiſſet adhibita, elabi Pater haudquaquam potuiſſet. Biduo poſtquam ijs exceſſerat ædibus, Scimadoni ſatellites advenêre: jamque in alteris, quibus ſucceſſerat, intellexit, eas omnino à ſedecim obſideri. Ipſe annis & morbo gravis, quid ageret demum, quid iniret conſilij, ſi nollet vota Chriſtianorum latebram aut fugam ſuadentium aſpernari? Efferri ſe paſſus eſt, corbe ex cannis contexto, quaternis bajulis ſuccollantibus, in arduum montem denſis impeditum vepretis. Sed vix bene progreſſi fuerant quantum patet equi curſus, cùm rurſus eum craſſa ſubſtrata ſtorea humi deponunt, alterâ item porrectâ, quâ pluviam defendat. Duabus elapſis horis curriculo reverſi, iterum atque iterum, quin & quarto etiam & quinto ſedem illi eâ die mutârunt, nè fortè, cùm in ædibus ab Ethnicis non fuiſſet deprehenſus, eum inter dumeta proxima, ùt ſunt oppidò ſuſpicaces, quæritarent. Modicum orizæ ad veſcendum datum; & ſic dies illa ſub tegetibus, & nox dimidia, nunquam relaxante pluviâ, tranſacta eſt. Intempeſtâ nocte duodeni venêre juvenes robore validi, quibus erat propoſitum, prærupti montis difficillimum jugum tranſcendere, & Patrem in alieno territorio ſtatuere. Igitur arundineo rurſus corbe exceptum, ingenti cum difficultate per calles præcipites, tandem ſuperato ſupercilio, ad maris littus deponunt, impenetrabili dumeto, & arbore craſsâ obſcuratum. Ibi conſedit ſeptenos dies exiguo inſtructus orizæ demenſo, expoſitus pluvijs, quæ nullum toto eo tempore propemodum intervallum dedêre. Poſtea repetitis periculis & laboribus, Chriſtiani cujuſdam navigio in aliud Regnum transgreſſus eſt. Donec tot laboribus ac ærumnis fractus, in leproſi hominis, ùt dictum eſt, tuguriolo, purgatiſſimum Spiritum placidiſſimè exhalâſſet, prope Urbem Fuſcima.

P. ANTONIUS DE ANDRADE.

OLeiros, oppidum Luſitaniæ, non parum ortu ſuo A. 1580. nobilitavit P. Antonius de Andrade, Vir utì Natalium ſplendore, ità & abundantiâ ingenij, acie mentis, & limato judicio, & ad gubernandum prudentiâ, & ad dicendum facundiâ non mediocriter à Natura inſtructus; adhæc doctrinis Philoſophicis & Theologicis egregiè perpolitus; &, quod caput eſt, omnibus bonis moribus, laudibúsque religioſarum virtutum exaggeratè cumulatus. Societatem Jesu complexus eſt A. 1596. ætatis 16. atque in Indiam magnis precibus exoratam trajecit A. 1600. Illic primos annos partim in neceſſarijs doctrinis comparandis, partim in ſalute mortalium procuranda cùm fructuoſiſſimè contriviſſet, miſſus eſt in Regnum Mogor, ut illic Socijs præeſſet. Sed cùm improviſè occaſio ſe dediſſet Catayum, tot votis expetitam, tot encomijs deprædicatam Provinciam inveſtigandi, commendatâ P. Franciſco Corſo ejus Miſſionis curâ, uno cum ſocio ac duobus famulis, cultu corporis itineri per barbaras habendo gentes congruo, profectus eſt Delio, & ad uſque Mogoris fines per Indoſtanum Regnum ad montes Siranagar ſopes evaſit. Ibi à limitum cuſtodibus, quòd neque Ethnicum eſſe, neque Inſtitorem, quales erant è caterva cæteri, ſatis conſtaret, ſuſpicantibus nè profugus è Mogore quiſpiam ob ſcelus, aut clancularius foret explorator, parum abfuit quin detineretur. Sed Divino adjutorio, cujus ſerviebat gloriæ, ſuſpicione dilutâ, primos illos montes incredibilis ad ſuperandum difficultatis, ingreſſus eſt. Sunt autem illi editiſſimis faſtigijs, támque præcipiti & anguſto aſcenſu, ut ſi uno pede aberraveris, in Gangem rapidiſſimè ſubter fluentem, expes vitæ, altiſſimè prolabare. Deſcenſus etiam multò periculoſior, cùm ſæpe cogaris aversâ facie, ſicut qui ſcalis mobilibus deſcendunt, niti manibus, & apprehenſo, quidquid ſe obtulerit, adhæreſcere, dum tutum averſus pedem firmâris. Sic ad Urbem Siranagaris primam perventum eſt, ubi à Præſidib⁹ exquiſitè interrogatus, unde, quis, quò, quáque de cauſa iter haberet? ubi Luſitanum eſſe, fratrem in Tibeto quærere, quem ibi degere audierit: nigras veſtes, quas in ſarcinis mirabundi deprehenderant, ad luctum more ſuæ gentis, ſi fortaſſis obijſſet, teſtandum ſecum ferre, reſpondit, continuò ſinè noxa dimiſſus eſt. Succeſsêre montes iterum ad dies

P. Antonius de Andrade Lusitanus Soc. IESV, propinato à nefarijs in odium Religionis veneno Sublatus, et in morte aspectu Deiparæ recreatus. Goæ in India 19. Martij A. 1634.

C. Screta del. M. K. f.

quindecim; hos excepêre nivosi alij, quos interlabens in profundo Ganges, qui nivibus ex alto montium jugo deciduis & mole stipatis ità consternitur, ut tanquam ponte super eas transeatur; haud leviore periculo liquandarum nivium, faciendìque lapsûs, quàm formidolosiore subter frementium horrore undarum, superandus fuit. Extremo Regionis hujus, quæ Siranagari tota paret, vico Mana nomen est; eum solitudo consequitur, quæ Tibetum disterminat, nivibus, præter duos anni Menses, quibus illæ solvuntur, penitus intractabilis. Viginti dierum trajectus est ferè per excelsos, sed incultu squallidos, & vastis rupibus horrendos montes. Nullus toto eo tractu vicus, cultor nullus, frigus propemodum æternum; nix durata, & magni crebrò ponderis patiens, exhalatio è solo gravis, & usque adeò noxia, ut quem afflârit hominem, ferè nec opinantem extinguat. Nulla lignationis copia, sive ad fovenda corpora, sive ad cibi coctionem. Eò viatores tostam hordei farinam secum asportant, quæ aquæ injectu diluta simul pro cibatu, próque potione est. Ut primùm cœpêre nives diffluere, continuò ad Tibeti Regem Orator cum donis ablegatur, qui catervæ negotiatorum illuc subeundi potestatem petat. Interea dum eo in vico P. Antonius trajectionis ejus tempestivitatem præstolatur, ecce rumor adfertur, jubere Siranagarem vinctos ad se remitti Lusitanos. Eo accepto Pater, tanti pretium laboris occupare certus, decernit quamvis alieniore tempore, relicto cum sarcinis eo in

Oppido

Oppido Socio fratre, iter ultrà tentare. Ductorem mercede adſciſcit expertum hominem indigenam, & ambos ſecum famulos craſſis in algorem ſtragulis inſtructos accipit, confertáque cibarijs perâ, clàm ante lucem profectus eſt. Duos dies impatibili labore per nives proceſſit. Tertiâ die ecce tres ejus oppidi, unde abierat, incolæ, ad eum retrahendum ab Gubernatore ſubmiſſi, reditum urgere, nî faciat, extrema minari; jam actos eſſe in vincula ductoris liberos & conjugem, publicatas fortunas; Fratris ibì relicti nec vitam in tuto fore, nedum facultates; denique confectum ærumnis iri omnes in via, ſi procedant longiùs; itaque regrediantur, ſi ſibi conſultum, ſi ſuis velint. Ductor minis conterritus, retroceſſit. Patri cum famulis rationem itineris jam ſatìs, ùt ſibi videbatur, edocto, cùm non auderent vim adferre emiſſarij illi, ultrà pergere cordi fuit. Sed pergentem excepêre continuò cœca nivibus altis itinera, quibus cum genuum tenus ſemper, ſæpe umbilico, ſæpe pectore, & ſcapulis tenus infunderentur, liberare ſe indè, nisì ſumma contentione, & gelido perfuſi ſudore non poterant. Itaque quò minùs demergerentur, interdum pronis pectoribus ſuper nives incumbere, ſéque natantium more ſenſim conniti promovere. Laborioſum diem laborioſior occupabat nox, quæ ad quietem, & fomentum corporum nihil adferebat ſubſidij. Una penularum ſternebatur ſuper nives, duabus reliquis omnium trium illi incumbentium corpora tegebantur. Interim ab hora quarta poſtmeridiana uſque ad poſteram auroram, minuta nix acta vento perfrigido tam densè cadebat de cœlo, ut ſæpius nocte, nè obruti conſepelirentur, ſurgendum eſſet in pedes, excutienda nix, & ſtragula denuo proſternenda. Jam manus, pedes, vultus, algore ſtupuerant, ſenſus defecerat; & Patri, dum neſcio quid apprehendit, expers jam algore doloris pars digiti decidit, non antè damni ſui, quàm ſanguinis per manum defluentis admonitu, conſcio. Intumuêre pedes, & adeò obriguêre, ut velut orbati vitâ, cum ferro candente poſtea uſtularentur, nullum doloris ſenſum hauirent. Acceſsêre præterea duo mala prægrandia, cibi faſtidium, & ſitis ex labore & defatigatione peracris; quam non nisì ſuctu nivis licebat extinguere. Sic demum uſque ad faſtigia montium evasêre, ubi amplo è lacu Ganges oritur, & alter amnis, qui Tibetum perlabitur. Et jam tum acies oculorum adeò candore nivium obtuſa hebetabat, ut totos deinceps 25. dies Pater nihil propemodum cerneret, neque valeret ad recitandum breviarium diſtinguere characteres. Atque aliud ex illo gravius incommodum naſcebatur, quòd nimirum cùm ſolis quinis abeſſent leucis ab Urbe Regia Tibeti Ciaparangua, quia tamen neque proſpicere poterant longiùs, & ponè montes illos explicabatur ampla & æquabilis undequaque planities obducta nivibus, ſinè veſtigio, ſinè viæ nota, prorſus jam de progreſſu deſperare cogebantur. Adhæc victus etiam cœpit longinquitate deficere, & famulos ità calamitas affligere, ut propter animi corporísque impotentiam, & foveri eos à Patre, & componi ad quietem, & indui, & cibari oporteret. Igitur deliberato conſilio ſtatuit ut famuli redirent ad pagum, utì facilè paucis diebus prono itinere poterant, ipſe eodem illo in loco ſolus, eorum cum ſocio reditum præſtolaretur. At famuli negare ſibi vires & animum eſſe, quoquo ſinè ipſo eundi; ſi regredi nolit ipſe, ſibi quoque certum eſſe penes ipſum reſtare. Ubi obfirmatos Pater in ſententia vidit, ipſe ſibi quoq; regrediendum cum illis cenſuit, præſertim de nonnullo ſocij infortunio ſollicitus.

Tertiâ regreſſûs die, vaſta in ſolitudine vocem hominis calamitantis exaudit; ad illam continuò flectit gradum. Erat ruſticanus homo, quem cum cibarijs, & veſte Socius, & Gubernator ſubmiſerant, ut Patrem perquireret, atque ea ſupplementa conferret. Recreatus mirificè Pater fuit & allato ſolatio, & læto incolumitatis Socij nuncio, quem ſcilicet Gubernator, ut Patrem ſequeretur urgebat, veritus, nè id ſibi ab Rege Tibetano, ſi quid adverſi Patri eveniſſet, vitio verteretur & calamitati. Uſus eo ruſtico ad viam duce Pater, triduo nactus eſt vaſta ſub rupe locum aliquantò cæteris magìs à nive liberum: ibì conſedit, opperturus dum inſtitorum caterva, quam Gubernator ipſius gratiâ ſolitò celeriùs juſſerat adornari, perveniret. Ea ubi advenit, & ſalvus cum ea Socius, magno utrq; gaudio mutuo in amplexu perfuſi ſunt. Reſtitêre ibi dum paulò ampliùs nives diffugerent, univerſi ſeſqui menſem; fuítque longè deinceps, quàm antea, iter levius atque expeditius. Hoc interim ſpatio nuncius ad Tibeti Regem allabitur, venire ad illum hominem exterum remotiſſimis ex oris: cujus deſiderio videndi cùm eſſet incenſus, ad catervæ principem dat illico literas, ut ejus hominis peculiarem curam, tanquam ſui agat. Idem triduo, quàm ad Urbem appellerent, præmiſit obviam tres equos, qui Patrem & Socios veherent; ſanè per opportunè, ut con-

concurrentem ad eos ſpectandos turbam populi poſſent ſinè noxa pervadere. Ab Rege, Regina, Regióque Principe,& horum exemplo à Palatinis univerſim benevolè acceptus,ſecundùm primas ſalutationes, mercaturæ, atque omnis ab ſe quæſtus opinionem amolitus, Chriſtianam illis Legem conatus eſt per interpretem explicare, quâ re omniũ ſibi tantopere devinxit animos, ut Rex ipſe liberum ad ſe acceſſum quoquo tempore,etiam tum permitteret, dum nemini pateret aliorum. Submittebat quotidie aliquid annonæ vernaculæ,& pronas Evangelio præſtabat aures. Ubi redeundi tempus fuit, ut Regi Mogoris Pater ex officio adeſſet, priusquam nives iter obvallarent, abeundi veniam ab Rege poſtulavit. Ille principiò videri velle ſilentio & diſſimulatione protrahere, tergiverſari: tum ubi negari non poſſe vidit,ità demum ſe eam dare paratum dixit, ſi jurejurando ſponderet, ſe anno vertente rediturum. Spopondit reditum Pater, dum ſui tamen Moderatores, quod facturos non ambigeret, ſiviſſent, in haſce leges. Primò, ut ſibi Rex poteſtatem faceret Chriſti legem toto paſſim Regno, arbitratu ſuo, ſinè impedimento ac noxa vulgandi. Tum, ut locum Templo, ac domui precationis fabricandæ gratuitò concedat. Præterea nè illis negotiationibus, etiam Luſitanorum hominum, ſi qui fortaſſis iſthuc deinceps advenerint, miſceri ſe ſinat,nedum cogat. Ad extremum nè garrientibus adverſùm ſe Mahometanis impoſtoribus,qui Kecimurenſi è Regno commeant,aures faciles,neu fidem adhibeat. Has illi conditiones perbenevolè Rex dato diplomate ſanxit; & publicas adjecit literas ad Inſtitores Mogorenſes, quibus in Tibeto fortunæ vel commercia ſunt, ut Patribus morem gererent, & eorum curarent ſarcinas atque impedimenta; neque indiligentiùs quàm ſua ipſius Regia, tutò & immunia vectigalium ad ſe perferri facerent. In digreſſu cùm Regi Regiisque, Conjugi, Filio, propinquis alijs, pia munuſcula diſpertijſſet, optima reliquit à ſe poſita rei Chriſtianæ bene gerendæ proferendæque fundamenta. Rex illi è ſuis addidit aliquos,qui deducerent trans Regni fines, & ad curanda corpora neceſſaria ſubminiſtrarent.

Eſt autem Tibeti Regnum, quod & Potentis dicitur,omnino vaſtitatis ampliſſimæ, atque uno eo nomine complectitur Regna complura; Coque, ubi Urbs princeps & Regis ſedes; Regnum Ciaparangua, Ladue, Mariul, Rudoc, Utſana, & ad ortum ſolis ignari nominis alia duo Regna, quæ cum Imperio Sopo conjuncta, creduntur eum totum occupare tractum terrarum,qui ab Moſcovia ad Sinas uſque porrectus, uno Tartariæ vocabulo nobis uſurpatur. Iſte, quo de nobis eſt ſermo, à 32. elati Poli Arctici gradu, ad longa in Septentrionem ſpatia dominatum exercet. Igitur P. Antonius reditu maturato, Agram Urbem Regiam Mogoris tenuit, unde ante 7. menſes abiverat; datisque de toto expeditionis negotio ad Præpoſitum Goanæ Provinciæ literis, ut datæ Regi fidei reſponderet, ineunte poſt anni ſpatium Junio, cum altero Sacerdote rurſus in Tibetum profectus eſt; certiùs exploraturus, quanti ſpes fructûs animarum olim inde capiendi exiſteret. Auguſto menſe per non multò inferiora incommoda ad Tibeti fines perventum eſt: quod ſimul atque Regi nunciatum fuit, incredibilem animo ſe voluptatem capere præſetulit, & jumenta ac famulos toto quatriduo præmiſit adverſùs,qui exciperent, qui gratularentur, & gratuita reliquo itinere hoſpitia præberent. Ipſe venientes lætiſſimè complexus, ædes inſtructas regio Principi vicinas, & quotidianum regio è penu demenſum dedit. Paucos poſt dies ad conficiendum neſcio quod bellum profecturus, ad Patris ſe pedes advolvit, & ſibi bene illum precari ad fortunandam expeditionem popoſcit. Reginam alternis minimùm diebus ſe abſente conveniat, & Chriſtianæ cupidiſſimam diſciplinæ, ſi nequeat plenè imbuere, certè primis interim elementis erudiat. Bello ſeſqui menſe confecto, redijt Rex,ſéque integre ad Chriſtianæ Religionis adita cognoſcenda convertit. Multa hìc anni ſpatio ad DEI gloriam perfecta,multa inpoſterum inchoata ſunt; ſæpe cum profanis Sacrificulis, quos Lamas appellant, decertatum. Calendis Aprilibus anni ſequentis ab Rege liberaliter attributa templo, & domui ædificandæ area, & poſt diem undecimum primus ab eo lapis ritu ſolenni in fundamentis conſtitutus eſt; opus paucis menſibus incredibili omnium ordinum ſtudio perfectum, convectantibus etiam Proceribus materiam, & nobiles manus operi admoventibus: templum à B. Virgine DEIpara à ſpe, nuncupatum, ſimúlq; ejus patrocinium adſcitum eſt. Plura de gentis ingenio, moribus. indole; de ſoli, ac cœli natura, qui volet, extat P. Antonij epiſtola ad Præpoſitum Societatis Generalem ex Urbe Regia Ciaparangua,data die 15. Auguſti A. 1626.

Jam verò cùm in Tibeto videretur adoleſcere

leſcere Chriſtiana res, & ſuis quodammodo jam niti ſtirpibus, acturáque, ſi coloni, qui continuarent operam, non defuiſſent, altas radices; P. Antonius, ipſo etiam autore Rege, remeavit in Indiam, ut ſtatu rerum Moderatoribus coràm expoſito, plures operas eodem vel ipſe deduceret, vel certè, ſi quid eum reditu prohiberet, ſubmitti curaret. Verùm ità res tulit, ut haudquaquam neceſſe fuerit ad auxiliares copias aut obſecrare, aut quenquam alium fatigare; nam ipſi commodè Goana decreta Provincia eſt, ubi ipſe ſuâ authoritate delectum habuit Sociorum, quos ad bene cœpta urgenda identidem in Tibetum ſubmittebat. Suſceptâ Provinciâ, ſimul ab Antonio Vaſconcello S. Inquiſitionis Præſide (quo de nobis paulò antè dictum eſt) ejuſdem S. Officij Deputatus renunciatus eſt, & ad inſtituendam viſitationem à Secretis adſcitus. Quo in munere ità verſatus eſt, ut ejus integritatem ac ſolertiam, nullâ largitione vel aſtu corrumpi facilem experti ij, qui erant obnoxij, quavis demum ratione è medio illum tollere conati ſint. Interea ipſe Provincialatu primùm, & mox item Goani Collegij Rectoratu perfunctus, cùm alterâ vice Rectorem ejuſdem Collegij gereret, ſic inſperato appetitus eſt. Suſceperat munus, Antonio Vaſconcello morte ſublato, Antonius de Faria Macciado. Inter alios quos ſacrâ cenſurâ, & publicâ ignominiâ perſtrinxit, fuêre Joannes Rodriquez Ulyſſiponenſis, & ejus aliquot propinqui; Antonius autem potiſſimus indagator ejus perfidiæ, ferali hoc in actu habiturus erat probroſam in perfidioſos orationem. Illi doloris atque odij impatientiâ, deliberavêre hominem de medio tollere, & novo ſcelere flagitij prioris infamiam obſcurare. Erat Joanni Rodriquez filius adoleſcens, qui neſcio quomodo inter Collegij ſervitia aſſumptus, in omnem occaſionem Patris veneno tollendi, & ſuorum ignominiam prævertendi intentus fuit. Verùm cibus illi cum Socijs omnibus erat promiſcuus, urceus autem ad potum, licèt tanquam Rectori certo ſemper & eodem accumbenti loco, proprius & peculiaris, tamen in eo nè miſceri virus imprudenti fortaſſe poſſet (jam tum enim moliri hoc adverſarios percrebuerat) P. Chriſtophorus Atougia Collegij Miniſter aquam accubituro quotidie recentem ipſe infundebat. Id cùm unâ quadam die, incuriâ an oblivione prætermiſiſſet, perniciem imprudens, ab adoleſcente conſcitam hauſit in aqua Rector Antonius Fuit autem tam atrox & violenta medicatio, ut continuò virus in viſceribus perſenſerit; & è menſa confeſtim aſſurgens, aliquanto epoto oleo aliiſque remedijs, conatus ſit illud fruſtra vel egerere, vel opprimere. Itaque poſt diros cruciatus die 19. Martij A. 1634. ætatis 54. Societatis 38. biduo triduóve ante funeſtam illam Actionem, in qua fuerat conciona-turus, abijt è vita Goæ.

Contigêre quædam in morte & poſt mortem P. Antonij, quæ admirationem merentur. Morienti enim ſpectabilis adfuit DEIpara, & ſuo moribundum recreavit alloquio. Demortui verò corpus ſeorſim ab aliorum Sociorum corporibus humatum, miro prodigio in impoſito marmore ſuam effigiem, tanquam coloribus expreſſam reliquit: quæ cùm aſpiranti veneno, quod Pater ſumpſerat, à nonnullis attribueretur; ubi conſtitit nullis inſtrumentis eradi, aut aboleri poſſe, opus humano majus creditum fuit. Ad hæc Patri Alberto Meſcinski, glorioſo poſtea pro Fide in Japonia agone perfuncto, febris ſemeſtris, invocato P. Antonio, momento temporis depulſa eſt. Sed & mulier transverſam in utero prolem gerens, Patris implorati beneficio, brevi & felici nixu partu ſoluta eſt. Alij cuidam tumor, quo genu vexabatur, reſedit, ſimul atque Patris ſepulchro ſupplex ſeſe advolvit. Ità nimirum voluit DEUS famulum ſuum, ejúsque ſepulchrum eſſe glorioſum.

P. SEBASTIANUS VIEIRA & quinque Socij.

NUllum inveſtigârunt ſagaciores, cœperúntq; lætiores Gubernatores Nangaſachij: ſed, quod mirere, nullum tam invitus morti adjudicavit Sciogunus Imperator. Natus eſt P. Sebaſtianus, Vir animi excelſi, & robuſtæ virtutis, in Luſitaniæ oppido, cui Caſtro de Airo nomen fecêre. Societatem adoleſcens complexus, & doctrinis omnibus ab ea imbutus, in Indiam A. 1602. P. Albertum Laërtium Procuratorem, jam tum ipſe Sacerdos ſecutus, anno vertente Macaum transmiſit, & Novitiorum ibi primùm Magiſtrum, ac deinceps triennio Procuratorem Provinciæ geſſit. Mox ubi trajecto mari pervenit in Japoniam, omnes Operarij egregiè

P. Sebastianus Vieira Lusitanus, cum quinq; Socijs Iaponibus Soc. IESV, triduano Scrobis tormento, et Subiecto igne pro Fide Christi neca, tus, in Iaponia Iendi. 6 Iunij A. 1634.

C. Screta d. *Melch: Küsell f.*

giè ſtrenui numeros abunde implevit; donec à Daiſuſama cum reliquis Regno depulſus eſt. Deportatus exilio in Philippinas, ùt erat non laborum minùs & periculorum appetens, quàm ſalutis Japonum ſuorum cupientiſſimus, quàm celerrimè potuit, alieno cultu in Japoniam revolavit, ibique maximo Chriſtianæ rei emolumento fuit, donec Moderatorum accitu ad triennalem rurſus Provinciæ Procurationem Macaum evocatus eſt.

Anno 1623. in Comitijs Provinciæ Macai deſignatus eſt Romam Procurator, qui Provinciæ negotia Præpoſito Generali explicaret, & nova ſecum auxilia Sociorum ab Europa afferret. Eum ultimo ex Orbe terrarum miris annorum 4. ambagibus ad Urbem appulſum A. 1627. non ſolùm Præpoſitus Generalis, ſed Curia univerſa, ipſéque Pontifex Urbanus VIII. gratulabundus accepit, & de Japonum Chriſtianorum cruentis differentem victorijs cupidiſſimè nec ſiccis oculis auſcultavit. In digreſſu donatum ſpiritualibus è theſauro Eccleſiæ muneribus, & Apoſtolicâ benedictione ad futuras pugnas confirmatum, ità ab ſeſe lætum, & ſpei plenum remiſit in Japoniam, ut eidem ſpoponderit, ſe illum Sanctis Martyribus Sacroſanctâ authoritate adſcripturum, ſi fortè ſanguinem redux pro Fide Chriſti aſſerenda profunderet: quam ipſe tanquam ab oraculo vaticinationem lætus accepit. Indè bono Sociorum numero collecto rurſus Oceanum longo flexu remenſus, Macaum incolumis demum obtinuit; unde regreſſus Manilam, indè mutato ſæpius

ad

ad fallendos exploratores corporis habitu, demum in Japoniam ſe iterum per ingens vitæ diſcrimen, ſub nautici Sinenſis ſpecie penetravit. In quâ ùt primùm pedem A. 1632. poſuit, pronus humi procumbens, & tellurem complexus, deveneratus eſt, ex qua ſibi aditum ad beatam fore immortalitatem augurabatur. Ad qualeslibet deinde cruciatus perferendos DEO ſeſe, cum ejus gratia, offerens, addidit: *hæc requies mea in ſeculum ſeculi; hìc habitabo, quoniam elegi eam, hæc eſt domus DEI & porta Cœli.* Vix autem ſui rationem itineris, actorúmque in Urbe, latentibus ibì Moderatoribus cautiſſimâ circumſpectione reddiderat, cùm ſubitò rumor totâ latè Japoniâ diſſipatur, redijſſe Sacerdotem Romanum (hoc enim vocabulo poſthac notabatur) ex Europa. Unemius Nangaſachi Gubernator, & Nangatus Arimæ Regulus, tum ſuæ crudelitatis ſponte, tum quòd Imperatoris excidere gratiâ vererentur, plurimos quaquà verſùm exploratores dimittere, qui ejus imaginem tum lineamentis in ære, tum coloribus in charta expreſſam circumferrent, ut ex ea faciliùs agnitū comprehenderent, propoſitâ 1500. nummûm aureorum mercede, quisquis eum ſtitiſſet: cujus adiſpiſcendi pretij cupidine, & aucupandæ Magiſtratuum gratiæ ſtudio, in obvios quosque: ſi fortè quoquo indicio ab indigenis diſſidere viderentur, irruere confeſtim exploratores, & illos ad imaginem experiri. Ipſe inter hæc per Japoniam Provincialis, unàque Pontificis auctoritate Pro-Epiſcopi munus gerere juſſus, dum per totam neceſſariò peregrinari ex officio cogitur, multò præſentiſſimis ſemper obnoxius periculis, agitabat. Quæ ipſe, quò diligentiùs evitaret, cùm jam illi tellus eſſet infida, in cymbam ſeſe conjecit, quâ item crebrò mutatâ, quocunque vocaret, uſus circumveheretur.

Dum ſic per humilia obſcuriorum Chriſtianorum gurguſtia, pérque ignota littora latebris quæritandis, identidémque mutandis vagatur; neque illi quiſquam audet, tormentorum reformidatione, quæ ſunt ad victum neceſſaria liberè ſuppeditare, ad extremam propè rerum omnium indigentiam redactus eſt; ut vix ad cibatum orizæ frigidæ pauxillum, atq; ad delicias conditā ſale mænam aut ſardam interdum nanciſceretur. Unum illi permagnum interea, & ſolidiſſimæ voluptatis ſolatium à quotidiano Sacrificio accedebat, cujus illi ſemper copia, quamvìs ſub vili ſæpè ſtorea, faciendi fuit. Sed nimirum cùm ſagaciſſimis terrâ mariq; excubitoribus omnia tenerentur, non admodum diu potuit eorum diligentiam eludere. Igitur propter Ozacæ littus cymbulâ vectum adeò celeriter improviſóque occupavêre, ut nullâ remorum contentione ſubducere ſe poſſet. Itaque remigibus inhibere juſſis, hominem ex imagine agnitum, feſtâ gratulatione comprehendunt, ſuam geſtientis animi lætitiam de Romano capto, vibratis militariter haſtis teſtati. Confeſtim eum vinculis impeditū Nangaſachi Gubernatori ſtatuunt: ille etiam prædâ immoderatè exultans, citum hominem ad Imperatorem expedit, qui Romanum in plagas incidiſſe tandem ſignificet. Et verò paucis antè diebus præmoneri divinitus ſecuturæ captivitatis & mortis viſus eſt, quando Divinum Sacrificium in Pauli hominis Chriſtiani domo peragenti, Sacer in calice cruor à conſecratione vehementer ſpumare apparuit. Interim Nangaſachenſem primùm in cuſtodiam, pòſt in Omurenſem, cum quinq; unà comprehenſis Eccleſiæ Miniſtris conjectus eſt, quos ille in opus Evangelij ſecum circumducebat, & Societatis cupientiſſimos in eam ipſa in cuſtodia adſcripſit, habuítque poſtea ejuſdem ſupplicij conſortes & gloriæ.

Imperator avidus ex Romano nonnulla curioſiùs de Europa cognoſcere, jubet eum ad ſe continuò Jendum mitti. Id cùm divinitus innotuiſſet Sebaſtiano, pridie quàm nuncius reveniret, in carcere ſuas inſtituit ſub veſperum ſarcinulas, ſicut ad iter faciendum, componere. Cuſtodes mirabundi, quid moliretur, ſciſcitati; ille, *ad Regiam profecturus*, inquit, *propediem, maturè meâ convaſo.* Illi hominem inſanire rati, deridere, miſerari, tum hortari ut labori parcat; vana ea eſſe conſilia. At ubi poſtridie juſſa Imperatoris perlata ſunt, tum verò illi ſeſe invicem aſpectare ſtupidi; quémque pridie ludibrio, nunc venerationi habere, tanquam DEO familiarem, & præſcium futurorum. Jendi P. Sebaſtianus talarem continuò Societatis veſtem & pallium induit, & in eo quoties ad Prætorium, alióve in publicum productus eſt, proceſſit, ut ſuæ Fidei coram Tyrannis, & omni populo, vel ipſo indumento teſtimonium daret. Imperatoris affandi copia data non eſt; eò ſcilicet, nè Regio conſpectu (ùt gentis ibì lex obtinet) noxæ omnis & vinculorum immunis evaderet. Itaque per Tonos quoſdam ad eum allegatos, nonnulla de rebus Europæis Imperator percontatus eſt. Quæ verò interim in cuſtodia ab eo geſta ſint, juvat ex ejus epiſtolis repræſentare. Una quæ eſt ad D.

Gonzalum Silveria ità habet: *Non poteſt gens iſta ignorationem cauſari Divinæ Legis, cùm nos eam clarè diſertéq; prædicemus. Ego in toga & pallio pròdivi coram Judicibus, qui ex habitu ſtatim dixêre me Patrem eſſe. Veritatem Legis bene intelligunt, quanquam id præſe non ferant, cùm ſecundùm eam operari nolint. In hoc carcere quatuor & viginti degimus: Octo, qui venimus, quòd Chriſtiani ſimus; reliqui ob ſuas noxas. Omnibus prædicamus, ſatagimúsque nec doctrinâ ijs deeſſe, neq; exemplo. Scioguno nobis annonam tanquam captivis ob Fidem præbet, modicam menſuram orizæ atræ in diem, perpauculum ſalis, & calidam aquam. Sed cum hiſce & cæteris quotidianis laboribus & conſternationibus, adeò bonam ac firmam mihi valetudinem largitur DEUS, ut nunquam commodiore ſim uſus. Talesq; ac tanti ſunt favores, quibus nos afficit quotidie, ut ſatìs pro eorum minimo facturus Divinæ Majeſtati nunquam ſim, ſi vel omnia tormenta pertulerim, quæ mortales univerſi inſtituêre, tum qui fuerunt ante nos, tum qui poſt nos futuri ſunt: atq; adeò ſi unus ego univerſa, quæ illi omnes, perpetiar, nihil id erit præ eo, quo me plurimùm DEO obſtrictum agnoſco. Illi centies millies gratiæ ſint pro tanta egeſtate & penuria: ſed ego hunc ſtatum minimè commutavero cum totius Orbis excellentiſſimo.*

Altera ad Vincentium Tavares ſic habet: *Duo Judices hujus Regiæ ad alterius ipſorum domum me accerſiverunt. Ibi in toga & pallio, ſed vinctis funepollicibus, & ad Zonam, quâ cingebar, alligato. Ubi ad illos acceſſi, juſſerunt me ſolvi; & in interius conclave duxerunt, ubi longo ſpatio manſi, familiaribus ipſorum concurrentibus ad contuendum Romanum. Illud temporis opportunitatem dedit reſpondendi ipſorum dubijs, & Divina ijsdem myſteria prædicandi. Applicabant mentem ad omnia, & cogebat illos evidentia veritatis ad eam agnoſcendam & intelligendam, fatendúmq;, niſi Tencæ (id eſt Imperatoris) reſpectus foret, illico ſe baptizatum iri. Hæc totius Japoniæ vox eſt, quacunque veni, prædicans & pertractans res noſtræ Sanctæ Fidei. Venerunt duo Judices ad conclave, ubi ego reſtiteram, & ad aliud conclave magìs etiam ſecretum duxerunt; & allato atramento & chartâ, interrogaverunt me: cur in Japoniam veniſſem contra leges Scioguni? ánne ad Regnum occupandum? & quænam illa Lex eſſet, quam prædicarem? Ad omnia reſpondi; & ſcripto exceperunt omnia. Reſponſionibus omnibus ceſſerunt, faſſi ſunt Legem eſſe bonam, & rectè eos vivere, qui eam ducem ſequantur. Sed Sciogunum eos execrari plus quàm latrones, incendiarios, & homicidas. Et ſic datus eſt huic actioni finis. Poſt tres dies alij duo Judices venerunt ad aream carceris; mícque juſſum vinciri funibus ad collum, ad brachia, & à tergo manus, eduxerunt in aream, & ſedentem in ſtorea ad conſpectum tracti in fidiculas ſontis Japonis, & aliorum apparatuum ad tormentum, monuerunt Scioguni nomine, ut quam prædicabam Legem deſererem. Allata ſunt calamus, charta, atramentum ad excipiendam reſponſionem. Ea iſtiusmodi fuit. Eſſe me jam annos 63. natum; ijs innumera accepiſſe me beneficia à Domino Cœli & terræ: at à Scioguno compedes, tormenta, carceres, cùm ſit homo morti obnoxius perinde atq; ego. Ageret porrò, & propter Fidem, quam prædicarem, quibus collibitum me tormentis excruciaret, vitámque adeò ipſam eriperet: eam me perquam libenter daturum pro veritate Fidei, quam Chriſtianâ conſtantiâ ſemper eſſem confeſſurus, ſive omne mihi ſuum Imperium donaret, ſive omnibus quæ in illo ſunt tormentis afficeret. Et ſi cuperet hujus argumentum reſponſionis audire, ſcribendi mihi apparatum præberet, id illis me ſcripto daturum. Ipſi interpoſito ad plerasq; reſponſo, deſcripsêre omnia, dictitantes meâ reſponſionem convincere, neque quidquam eſſe cauſæ, cur me tormento ſubjicerent, citra novum Scioguni mandatum, ad quem meam referrent reſponſionem. Duobus diebus elapſis atramentum mihi, calamum, chartámq; attulêre; ut illico ea breviter conſcriberem, quæ haberem dicenda. Horis minùs quàm quatuordecim, confeci compendium myſteriorum noſtræ Sanctæ Fidei, à Mundi orſus conditione ad ejus uſque finem, & judicium extremum; idq; characteribus & linguâ Japonicis; & quoniam juſſerunt idem noſtratibus ſcribi characteribus, id etiam præſtiti, & totum ipſis quàm primùm miſi, traditúmq; Scioguno eſt; qui aliquem præſetulit noſtri timorem, ſi nos juſſiſſet occidi, ac ſi nos eum ulturi eſſemus. Quis autem magnificentior eſſe Fidei noſtræ triumphus poteſt, quàm ſi Tyranni pauperculos metuant, qui eam inculcant, & prædicant? In hac Regia Fides noſtra Sancta magna in exiſtimatione, notitia, & auctoritate eſt, intelligúntq; Legem hanc bonam eſſe, & in ea duntaxat una ſalutem obtineri.* Tertia ac poſtrema epiſtola his verbis concepta eſt: *Omnes vincti magno ſunt animo ad perferenda omnia mundi tormenta pro ſanctiſſima Fide; & reor brevi nobiſcum actum fore. Ego equidem neſcio quandonam ea hora affutura ſit: ad illam aſſervo meliorem ex apparatibus albis, quos Dominatio Veſtra ſubmiſit, quia ille mearum erit lætitiarum dies, cùm vitam pro eo dedero, qui ſuam dedit pro me, tanto diſparem intervallo meæ: ſed aliud nullum quod faciam, ſuppeditat majus Sacrificium mei; poſtquam tantâ libertate & integritate, verbo, ſcriptóque eam prædicaverim in*

hac Regia, Scioguno, ipſiúsq; Judicibus, quod idem nimirum eſt atq; omnibus, qui in illa ſunt; nam eam vel ipſi jam pueri ſciunt. Neq; eam ipſi occultè abſconditéque prædicavi; ſed in toga & pallio vicos Regiæ Jendi obivi, agnitus omnibus Religioſus Societatis JEſu, pari modo, quo quietis temporibus agnoſcebamur, & eramus venerationi. Neq; parum ad exiſtimationem noſtræ Sanctæ Fidei pertinuit, adſciviſſe Dominum vile hoc inſtrumentum, ad liberam iſtam præfidentiam prædicandi Evangelij in compitis Monarchiarum Genticarum, & in conſpectu atq; auribus ferocium Tyrannorum, utì primæva in Eccleſia robuſti illi Heroës factitabant, qui nobis ſuâ doctrinâ atque exemplo præiverunt. Et quanquam mihi magnæ gloriæ eſt Apoſtolicum hoc tueri munus eâ formâ, quâ nullus omnium hac in perſecutione fecerit; certè pro eo quanti hoc beneficium facio, non poſſum unicâ hâc vitâ DEO reſpondere; perpauca forent centena, perpauca millena corporum, ut tam eximiæ gratiæ redderemur. Die 7. Aprilis 1634.

Imperator ubi admirabilem illum P. Sebaſtiani de Chriſtianæ Fidei myſterijs commentariolum, paucis conceptum atque abſolutum horis, coram Purpuratis cœpit evolvere, inſiſtere interdum, & anceps pendere conſilij, hærere, addubitare; demum ut ad eam diſputationem, quâ animæ immortalitas aſſerebatur, legendo pervenit: *Enimvero*, exclamat, *Europæus hic Bonzius probus eſt, qui ſua fidenter inſtituta proponit; & profectò ſi ea veritati congruunt, quæ de animorum immortalitate pronunciat, ùt videntur congruere, miſeris nobis demum quid fiet?* Et videbatur animus Imperatoris ità ſenſim legendo pervelli, ut ambigere poſſet credi, quo ſeſe inflecteret, gaudentibus Tonis, qui aderant, tacitéque gratulantibus, qui ſcilicet Fidei Chriſtianæ veritatem pridem ipſi quidem agnoverant, ſed pœnarum reformidatione diſſimulârant. Sed huic æſtui cogitationum Oindonus intervenit Imperatoris avunculus, cujus apud adoleſcentem autoritas, ætate & conſilio fulta pollebat. Is poſteaquam Sciogunum vultu contracto dubijs jactari motibus ſenſit, & cauſam ambiguitatis percontatus, intellexit; mirari ſe dixit imbecillitatem conſilij; Sebaſtianum illum mentis impotẽ eſſe; dæmoniorum eſſe doctrinam, quam prædicaret: inconſultum, atque adeò indignum fore inſtituta Majorum, & avitam legem cum hominis barbari advenæ deliramentis, nullâ cauſâ, nullo momento commutare. Imò ſenem illum exterum videri ideo noxæ dedendum, nè publicæ rei atque Imperio præpoſtera indulgentia calamitati ſit. Ad hæc Imperator, ùt eſt mobili ingenio, neque ſatis authoritate, neque ſapientiâ validus, dejectis oculis, abripi Sebaſtianum jubet, & lege cum eo agi. Igitur à Judicibus morte multandus, jumento imponitur, & inſcriptam vexillo papyraceo ſupplicij cauſam, *Fidem Chriſtianam contra Imperatoris edicta prædicatam*, ponè ſe trahens, ad foveam evehitur; ibì revinctis à tergo manibus, ſupinis pedibus, pronus in caput genuum tenus in ſcrobem demerſus ſuſpenditur, unà cum quinque Socijs, quos illum pronuper adſciviſſe in Societatem dixi. Ipſe cùm ſuſpenderetur, negavit ſe quidem tormento foſſæ confectum iri, ſed flammis atque incendio; & cùm triduo pependiſſet immotus, & ſocijs omnibus morte defunctis etiamnum ſuperſtes, ſuppoſito à lictoribus igne deflagravit, ipſa in Urbe Regia Jendi die 6. Junij A. 1634. ætatis 63. Societatis initæ 45. Corpus in cineres redactum eſt, nè quid eſſet ex eo reliqui Chriſtianis ad venerationem.

P. JOANNES DEL CARPIO.

IN Oceano Orientali Inſulæ ſunt numero propè infinitæ, amplitudine quàm maximè diſpares, multis ſubjectæ Principib⁹. Primæ à nobis Molucæ ſunt: extremæ Japonicæ; inter has mediæ Luzoniæ, quas Hiſpani, quòd eas Philippi II. Regis Catholici auſpicijs occupaviſſent, Philippinas dixêre. Earum Princeps ipſa Luzonia, ſeu Manila eſt, univerſæ Hiſpaniæ magnitudine par; ſecundùm illam Mindanaus & Calamianes, & omnium latiſſima Borneus. Inter minores, quæ tamen ſingulæ ad 100. leucas patent, potiſſimæ ferè recenſentur Mindorus, Ibabaus, Bohel, Sebu, Leire. Mindanaus à Mahometanis propemodum univerſa tenetur, in cujus una parte dominabatur his annis Caciles Coralatus, homo ferox ingenio, & manu ſtrenuus; & cui potiſſimum in Societatis homines odium, quos Mahometanæ adverſari perfidiæ, quantâ poſſent ope, ſciebat. Igitur cùm aliquando oppreſſus morbo vereretur quorſum is evaderet, Mahometo, ſi recepiſſet valetudinem, Patrum quotquot cepiſſet,

P. Ioannes del Carpio Nobili ortu Hiſpanus Soc. IESV. à Mahometanis odio Religionis interfectus in Inſulis Philippinis Ogmuci. 3 Decem. A. 1634.

C.S.d. M.K.f

capita devovit. Et ecce DEI permiſſu brevi conſanuit: cúmque pòſt paulò claſſem ad prædam emitteret, in mandatis Præfecto dedit, nè vivum ad ſe Patrum quemquam, ſi deprehenderit, traheret, ſed è veſtigio Mahometo mactaret. Ex his Philippinarum Inſulis ad delectus habendos Sociorum, ſub A. 1612 in Hiſpaniam Procurator venerat P. Alphonſus Hummanes, is ipſe, cujus hodie ſepulchrum ijs in Inſulis crebris à DEO prodigijs honeſtatur. Eo tempore Joannes del Carpio, ortus Riofrio in Hiſpania, cùm Juvenis paterno degens in prædio, Divinis motibus incitatus Sacramento ſe obligâſſet, ad intendendos in ſalutem animarum omnes animi ſui nervos, eâ gratiâ Oropeſæ in Collegio Societatis Grammaticæ præceptiones condiſcebat. Opportunè in P. Alphonſum incidit, cujus conſilio animum ad expeditiones Indicas adjecit, & cum eo ipſo in novam Hiſpaniam trajecit. Hic eum Societati adſcriptum in Tepozotlano tantiſper Tyrocinio collocavit, dum navigandi in Philippinas tempus appeteret. Mox facto in Philippinas trajectu, Manilæ Sacerdotio initiatus, & ad Leire Inſulas deſtinatus, diu ſtrenuè eaſdem, inter quotidianæ vitæ pericula percoluit. Sed inter eos tantâ morum innocentiâ, tantâ ſui cuſtodiâ, attentionêque agitavit, ut nullam Societatis regulam conſultò ſe unquam deliberatéque violâſſe, ipſe non dubitârit, homo cæteroqui modeſtiſſimè de ſe loquens ac ſentiens, aſſerere.

Demum Ogmuenſe ibidem Oppidum cùm

cum Chriſtianis ſuſcepiſſet præceptionibus informandum, eodem Coralatus hoſtis validam claſſem improviſus applicuit. Conati ſunt eum principiò quidem propulſare magno animo incolæ; ſed ubi ſe conſpexêre numero vinci, nec poſſe tanto pares hoſti reſiſtere, in arcem, abducto ſecum P. Joanne, confugerunt. Coralatus inſolentiâ elatus, admoveri materiam undequaque circùm Arcem, & inflammari imperat; cujus Præſidiarij fumo & flammâ ſubacti, ſe hoſti permisêre. Primus in conſpectum P. Joannes proceſſit; quem ſimul atque Præfectus claſſis conſpicatus eſt, impellente vehementer eo, qui aderat Mahometano Cacicio, genti Catholicæ infenſiſſimo, elatâ voce trucidari jubet. Pater in genua confeſtim procumbere; ille in procumbentem altè demergere acinacem, & honeſtæ mortis jam diu cupientiſſimum obtruncare. Id quod factum eſt die 3. Decembris A. 1634. ætatis 51. Societatis 20. Poſtridie, Barbari, quò ſuos in perempto periclitarentur acinaces, truncatum capite, vulneribus fœdum in morem concidunt, & in partes divulſis membris diſtrahunt. Interrogatus à primario quopiam Præfectus hoſtilis, quidni Patrem ſervârit necis immunem, cujus potuerat libertatem mille minimum argenti ponderibus, cujus ipſi cupidiſſimi ſunt, vindicare? Nihil ille ſe dixit penſare pecunias, præ concepto in Fidei Chriſtianæ Præcones odio; cùm præſertim Rex ſuus eos omnes Mahometo, voti reus, juſſiſſet interfici.

P. DIDACUS YUKI.

OZacàm multis jam antè illuſtrârunt conſtantiæ triumphis Neophyti; tantus enim erat eorundem ardor, dum Camidonus in Chriſtianos inquireret, ut ad eam famam multi, quos negotia alibi diſtinebant, ea abrumpentes redirent, profeſſuri ſinguli domi ſuæ ſe Chriſtianos eſſe, unde Martyrum gloriam expectabant. Et verò incidit inter duos Neophytos ſub id tempus lis in forenſibus judicijs inaudita. Sodalitij præfectus lethali ægritudine correptus occumbebat, in cujus vicem Sacerdos noſter antequam ad alios abiret, alium ſubrogârat. Ad ægrum pervenit neſcio quis de craſtina Chriſtianorum carnificina rumor; & quoniam Præfecti Sodalitiorum primi petendi erant, ſuffectum ſibi accerſiri jubet, & coram Neophytis æger ſano piam litem indicit. *Cùm adhuc vivam*, inquit, *oportet me in hoc Fidei theatro perſonam Præfecti ſuſtinere: non fuit ea mens Patris noſtri, ut me Martyrio privaret. Et quoniam ægritudo me brevi exſtinguet, alia nulla poſthac occaſio ſe mihi offeret pro Chriſto moriendi; tibi adhuc valenti deeſſe non poterit.* Hæc ille aliáque ità ferventer, quàm ſi de grandis cujuspiam hæreditatis poſſeſſione adeunda avariſſimus quispiam litigaret. Sed dies poſtera litem diremit; nam cùm Judices ingentem conſpexiſſent multitudinem Martyrium unicè exoptantium, pœnituit irritâſſe crabrones. E toto nihilominus numero, octo ſupra quinquaginta, rejectis alijs, in ſaccos compegerunt, & arctiſſimè conſtrictos ad publicam ignominiam ſecundùm celeberrimos pontes expoſuerunt. In hoc Chriſtiani frumenti acervo, per ſaccos dimenſo, grana erant ſelectæ Nobilitatis germina; Joannes præſertim Regio ſanguine genitus, Regis Ava nepos, ejusdémque conjunx Magdalena, quam à cupiditate Martyrij imminens partûs abortúsq; periculum nequaquam deterruit. Diem totum frigidiſſimâ anni tempeſtate, ſolo Fidei Zelo fervidi, in hoc tormento exegerunt; tum in carceres detruſi, & arundinum ardentium manipulis lentè ambuſti, atrociter torrebantur. Subducti tamen ſupplicio ac morti, exutíque bonis omnibus exulare ſunt coacti.

Tandem primus Ozacæ, authoritate publicâ glorioſam mortem ſubijt P. Didacus Yuki, quem Japonia produxit in lucem, productum excepit ab ipſis propemodum incunabulis Seminarium, eduxitque in Virum Societate dignum, cui A. 1594. aggregatus, Religioſarum commendatione virtutum eandem illuſtravit. Philoſophicis diſciplinis, & ſubinde triennio moralis Theologiæ præceptionibus inſtitutus, humaniores Scholas quinquennio Japones docuit. Potiſſimus tamen ab ejus prædicatione fructus extitit, præſertim ex quo Daifuſamæ proſcriptione pleriſq; Patrum aliò deportatis, ipſe inter paucos unus eo in Regno clàm, diſſimulatâ perſonâ permanſit, & longinquos Japoniæ tractus, ſolandis firmandisque Catholicis peregrinatus eſt. Atque ut nemini mortalium noxæ aut calamitati foret, totos annos viginti nullo uſus eſt hoſpitio, nunquam ad quenquam divertit, vagatus in ſilvis atq; per avia; her-



P. Didacus Iuxi Iapon. Soc. IESV. triduo in scrobem ex pedibus suspensus, vitam pro Christo finivit in Iaponia Ozacæ, mense Februa. A. 1636. ætatis 62

C. Screta. d. M. Küsell. f.

herbis, quas promiſcuè tellus ultro profunderet, & agreſtibus arborū brutarum pomis vitā trahens potiùs, quàm ſuſtentans. Ad extremum Ozacæ comprehenſus, Gubernatoris Nangaſachenſis juſſu ibidem capite prono in ſcrobē ſuſpenſus, aſſertà conſtāter toto triduo ad uſq; extremum Catholicâ Fide, labente Februario ex illius tormenti tenebris, in ſempiternam lucem exceſſit. A. 1636. ætatis 62. Societatis 42.

Sublatis ad hunc modum propè omnibus Fidei Magiſtris, quantâ feritate in deſtitutos paſtoribus greges per hos annos ſævitum ſit, juvat obiter inſinuare: Aryiæ 280. Chriſtiani partim viri & mulieres, partim pueri & infantes comprehenſi, adeò cruentum inivêre certamen, ut nullus fuerit à graviſſimis tormentis immunis. Inter reliqua vacuas cannas, ſulphure, abſynthio, aliáque fœtenti ac famosâ materiâ opplebant: quarum uno foramine naribus ejus, quem cruciabant, inſerto, alteri ignem admovebant, ore interea vi obturato. Adeò grave id erat tormentum, ut non modò exanimaret eum cui admovebatur, ſed totam faciem adureret, vapore cum fumo igneo erumpente ex canna, qui halitu attrahebatur. Fodicabant præterea acutis quibuſdam cannis, velut terebris, carnem aduſque oſſa, ſæpe etiam ipſa oſſa penetrando: uſtulabant facibus nuda corpora: manibus ac pedibus revinctis ſublimes appendebant, nodoſis fuſtibus immaniter cædebant. Si quos liquerat animus, varijs remedijs ad graviora tormenta fovebant.

bant. Alios alibi ſuccisis poplitibus enervabant, Crucis ſtigma candente ferro fronti inurebant: interceptas duabus trabibus tibias comprimebant, easque, toto corpore ſuper trabes ſaliendo carnifices, multis penitus comminuebant. Adorti inter ceteros varijs promiſſis ac blanditijs ſunt matronam, cui filia aderat 13. annos nata, ac nurus infantulum brachijs complexa. Sed cùm Idola averſarentur, acutis cannis corpora earum fodicant, ingentibus aquæ ſcyphis violentè ori infuſis, & violentiùs regerere coactis eas affligunt, donec velut exanimes jacuêre. Redeunte poſtliminio animo, cùm neque ſic Fidem ejurare vellent, prolem tenellam arripiunt carnifices, ejúsque facie faciem matris converberant: & quantò puella flebiliùs vociferabatur, tantò ferociùs eam torquebant, cùm Mater veluti ſenſûs expers, egregiè ſibi conſtaret. Puellam deinde tredecennem adorti, ubi eam infusâ aquâ, cannisque acutis cruciâſſent, acuto fuſte totum ei corpus terebravêre: quod illa ità tulit, ac ſi omnino non ſentiret. Mox viridem cannam igni injiciunt, cúmque ferri inſtar caderet, eâ totam adurunt, tædisque accenſis undique uſtulant. Cujus conſtantiâ minimè his concuſsâ efferati, fumum adhibent illum naribus peſtilentem, acutas inſuper cannas auribus naribúsq; immittunt, & comâ arreptam bacchico furore per ſolum raptant.

Excruciabant ijdem puerulos 10. aut 12. annorum, non tam ut à Fide ipſi deficerent, quàm ut Parentes illorum commiſeratione proſternerentur. Convulnerabant ijs manus, easque ut ardentibus prunis imponerent, cogebant, quas ſi retraherent, indicium fore negatæ Fidei. Multi intrepidè tenuêre immotas; alij eſtò retrahebant, exclamabant ſimul tamen, non ideo à ſe Chriſtum negari. Eorum unus quinque vel ſex annorum cùm integrâ nocte fuiſſet tortus, quidam adſtantium pietate motus, ficum aridam illi comedendam tradit. Non comedet, ait unus ex carnificibus, nisi priùs Fidem mutet. Tacuit puer: ſed ficum in faciem ejus conjecit, nolens omnino eam ori admovere. Igitur efferati carnifices, inter ceteros cruciatus, carnem illi forcipibus in fruſta diſcerpsêre, inciſo etiam labio. Neque tamen exprimere unquam ab innocenti illo ore quidquam indignum potuêre. Magnus fuit puerorum his tormentis divexatorum numerus, & pauci omnino vi cruciatuum ſuperati ſunt, plures longè peſſimum Parentum exemplum emollijt, ità ut 50. duntaxat ſuperfuerint Bungodoni ſævitiâ ſuperiores, juſſi ab illo Ximabaram deduci, ut novum à furiali ejus immanitate excogitatum ſupplicij genus, primò quidem in alijs exercitum ſpectarent, mox autem & ipſi, nisi à Chriſto deficerent, experirentur. Septem ex præcipuis Chriſtianorum anteſignanis illo mactandos delegit, quòd Sacerdotes noſtros hoſpitio excepiſſent, ſuisque monitis plurimos ex lapſis ad gremium S. Eccleſiæ reduxiſſent. Septem pro ijs in lato prope maris littus campo viſebantur paratæ foſſæ, altæ tres palmos, ſex latæ: ex quibus lignum ſurſum eminebat, cum tigno transverſim affixo, in figuram ferè crucis. His duobus lignis, nè ſe commovere ullo modo poſſent, corpus ac brachia alligata Chriſtianorum quinque virorum, & duarum mulierum, qui antè conſidere in illis foſſis juſſi: eorúmq; colla intra duos aſſeres, in ſemicirculum interiùs excavatos, concluſa, ut capita ſupernè immota furori carnificum proſtarent. Ubi adfuit Bungodonus, mox Leonardo Sacuzaiemon, uni è primoribus Aryenſibus ferrâ reſecari brachium juſſit, quia uni è Præfectis ſuis dixerit, mentiri ipſum, aſſerentem confictam ab ipſo in Fidei quæſtione ſubſcriptionem, ſuam eſſe. Omnium deinde cervices cæperunt ferrâ ferreâ paululùm convulnerare, viam alteri ligneæ ferræ facturi, quâ paulatim ſingulis diebus eos excarnificari oportebat. Tribus vicibus primâ die, duabus reliquis ſex diebus repetita laniena, cùm neque diebus neque noctibus è foſſa & repagulis ſuis educerentur: imò quotidie ſale aſperſo confricari vulnera, iterum paulò pòſt ferrâ exaſperanda, juſſit Tyrannus: & ſi quem linqueret in cruciatu animus, mox medicamenta applicabantur, quò ad majora tormenta durarent.

Adſtantibus 50. Chriſtianis nil aliud primo & ſecundo die factum, quàm ut immaniſſimi ſpectaculi terrore animis concuterentur, à cujus intuitu ipſimet gentiles oculos horrore avertebant. At tertio & quarto die manibus pedibúsque vincti, ſuper acutum lignum conſidere ſinguli ad horrendæ tragœdiæ ſpectaculum coacti ſunt; inſerto in os fune, & retro validè adſtricto, quòd JESUM & MARIAM invocâſſent. Mox eoſdem fumo, aquæ ingeſtione, acutis cannis, ardentibus tædis, utì nuper excruciabant; vix uno genere tormenti expleto, aliud aliúdque admoventes: adeò ut tandem, præter unum adoleſcentem Congâ oriundum, univerſi dederint manus. Sed & illi, qui foſſis impoſiti ferrabantur, fracti tandem ceſſere,

5. quidem ac 6. die quinque, ſeptimâ autem nocte Paulus Nagata 83. annos natus. Solus Thomas Chibioius magnâ vultûs ſerenitate perpeſſus eſt omnia: quem accedens nonnemò cùm ſciſcitaretur, *an eos cruciatus ſentiret, cùm nec leviter vultu, nedum animo mutaretur? ſentio*, ait Thomas, *ſentio; ſed cauſa ob quam patior, & merces æterna, quæ brevi hoc ſupplicio exantlato me manet, ſufficit ad cuncta perferenda animos.* Jam ad occaſum vergebat dies 31. Maij, cùm Thomæ ſeptimo tormentorum die tandem ferrâ caput præcidêre carnifices, quod in terram delapſum, eandem vultûs quam in vivente alacritatem retinuit. Tres nihilominus viros, qui ſublati è ſcrobibus defecerant à Fide, capite plecti juſſit Bungodonus, quòd hoſpitio excepiſſent Patres; tanta rabies animis hos è Japonia extirpandi inſederat! qui inter magna pœnitentis animi & contritionis indicia, aſſerentes ſe Chriſtianos mori, reſecandas cervices fortiter præbuerunt. Eodem ferræ ligneæ tormento per quatriduum ter in ſingulis dies repetito, Michaëli Xozaburi, Congæ caput reſciſſum eſt: cujus conſtanti fortitudine animati Gonſalvus Pater ejus, & Joannes Magoſuquius, priùs coram Præfecto teſtati ſe Chriſtum, quem paulò antè in eodem ſupplicio negaverant, confiteri, fortiſſimè idem toleravere ſupplicium: utì & quinque alij partim Aryiæ, partim Facayæ, ab apoſtaſia ferventiſſimè reſipiſcentes.

Sed minimè his ſatiatus Bungodonus, unicè cupiebat quempiam ex Sacerdotibus noſtris occupare, quem poſſet vi tormentorum ad Fidem ejurandam cogere, ac deinde nihilominus ipſorumet Chriſtianorum manibus necare. Parúmque aberat quin Provincialem P. Matthæum de Couros comprehenderet (utì paulò antè in geſtis ejus memoravimus) nisì Divina eum Bonitas mirabiliter ſervâſſet. Igitur obteſtatus eſt Unemem, ut quempiam è Patribus, quos in carcere detinebat, ſibi excruciandum donaret. Verùm non eſt id paſſus Deus, brevì meritam tantæ crudelitati mercedem rependens. Nam cùm Unemem inviſiſſet, morbo correptus puerum inclamat, vociferans, ut è conſpectu ſuo multitudinem capitum ſubmoveret, quæ non poſſet ſinè maximo cruciatu intueri. *Heus*, ſubindè exclamans, *ecquid videtis unum ex Aryienſibus mihi tormenta comminari? pellite eum hinc, & capita iſta amolimini.* Cucinotzum in ſumma morbi violentia delatus, *non me*, inquiebat, *tam morbus affligit, quàm quòd dicturi ſunt Chriſtiani, me cœlitus puniri ob pœnas ipſis irrogatas; at nè dubitent, ubi convaluero, acriùs eos quàm antehac excruciabo.* Ximabaram ad Aram ſuam delatus, admotis morbo remedijs ità ille è contrà ingraveſcere cœpit, ut videretur ſibi penitus conflagrare. Exaudiebantur interim in Arce ululatus, ac clamores formidabiles, ingentium ſaxorum colliſiones, nec quo hæc autore fierent cernebatur: tantúsque eum & famulos pavor invaſit, ut quò ſe horribilibus ſpectris liberaret, ſtatuerit ad balnea montis Ungen, quibus crudeliſſimè Chriſtianos excruciaverat, ſe deferri. Eſt illic aqua ità plerumq; fervens, ut temperari ad ſalubria balnea debeat multâ frigidâ: verùm ità tunc tepidam illam invenit, ut ipſe ſimul atque advenit inſilierit in thermas. Sed vix ſe immerſerat, cùm ità horribiliter aqua efferbuit, ut toto corpore amburi ſe clamans, foras extrahi ſe præceperit. Tandem paulò pòſt tumultibus & ululatibus horrificis ibidem, cum intolerabili omnium conſternatione, infeſtatus, miſerabili exitu ſceleratam animam efflavit.

P. ANTONIUS SOCIRO.

TRiginta jam annis nullo irrigata ſanguine India, fructus tamen dabat uberrimos, quales tot Martyrum effuſus antehac ſanguis non vanè pollicebatur. Hoc demum anno 1637. glorioſo rurſus purpurata eſt cruore P. Antonij Sociro. Hic natus in Luſitaniæ oppido Borba, anno 25. ætatis Societati ſe adjunxit: quóq; erat mortalium juvandorum ſtudio; nondum Tyrocinio perfunctus, A. 1602 P. Albertum Laërtium in Indias ſecutus eſt: & quò maturiùs ſe illi operæ, quam potiſſimùm expetebat, impenderet, auditâ Morali Theologiâ in Ceilanum Inſulam ſe tranſtulit. Cúmq; in adducendis ad Fidem ejus Inſulæ populis ſupra 40. annos laboriosiſſimè impendiſſet, magnam ejus partem in ſumma operarum paucitate, ſuâ unius curâ complexus, viſitans ſolánsq; Neophytos, Sacramenta diſpertiebat; & quia ſparſim longo intervallo degebant, incomoda magna ſuſcipiens, quippe cùm pedes unâ die non rarò vicena, tricenáque paſſuum millia conficeret, incredibile eſt, quantâ apud omnes Sanctitatis

P. Antonius Socira Lusitanus Soc. IESV. pro Fide Christi ab Idololatris Indis occisus in Ceilano. A. 1637. ætatis 61.

C. S. d. M. X.

ctitatis existimatione floreret. Et sanè sustentabant præclarè eam opinionem ejus excelsæ virtutes; nam & horas diei complures precando agitabat, & Religiosas paupertatis & mortificationis artes tantopere studio habebat, ut jungens utramque, neque præter modicum oryzæ coctæ quidquam vesceretur, neque aliter ipsam, quàm ficulneâ fronde exciperet, nè qua in discum, quantulacumque demum illa, impensa fieret. Nunquam Lusitanus exercitus in hostem, nisi P. Antonio comitatus, movere signa; cujus unius gratiâ sibi DEUM largiri victorias asserebant. Et revocavit ille Mosaicum illud prodigium aliquando, cùm per ardua & siticulosa montium gradiens exercitus aquæ penuriâ vehementer afflictus est. Pater enim DEum precatus, rupem eduram scipione pulsavit, & confestim aqua tam abunde scaturivit, ut reficiendo exercitui satis esset. Signis subinde cum hoste collatis cæsi Lusitani sunt, & captus Pater. Sed cùm suos Dux hostium acriter increpuisset, quòd incolumem servâssent, neque in vestigio animâ exuissent eum, qui suorum esset idolorum osor, insectatórque multò infestissimus; illi convitio incitati, hastas ejus pectori admovêre, & continuò prolapsum in genua, confossum penitus vitâ spoliavêre A. 1637. ætatis 61. Societatis 36.

P. Marcellus Franciscus Mastrillus è Marchionibus Italiæ Soc. IESV post crudelissima infusionis aquæ, et quatriduanæ in scrobe è pedibus suspensionis supplicia, capite demum tertio ictu truncatus, in Japonia Nangasachi. A. 1637. 17 Octob.

C.S.d. Mast

P. MARCELLUS FRANCISCUS MASTRILLUS.

EXtremi Naturæ niſus dum ultimas vires exerunt, ſemper inſuetos, & ipsâ naturâ majores effectus exhibere videntur. Idem accidit in ordine Gratiæ. Omnibus in Japonia Operarijs Evangelij per acerbiſſima ſupplicia extinctis, & uno eorum, qui Caput omnium fuerat, Chriſtophoro Ferreirâ, per tormentorum intolerantiam in Idololatricam apoſtaſiam lapſo, ſupremum in P. Maſtrillo illi Eccleſiæ Cœlum parabat ſubſidium; itáque totum illius vitæ curſum, merum eſſe voluit miraculum, merum prodigium. Natus in Italia A. 1603. Patre Hieronymo Maſtrillo Marchione, & matre Beatrice Caracciolâ è prima Regni Neapolitani Nobilitate, nunquam aliò, quàm Cœlum verſùs oculos intentos habere infans voluit. Beneficio Deiparæ in lucem editus, primam quam loquax edidit vocē, in Mariæ appellationem reſolvit, cujus deinde Officium cum fratribus puer recitans, nunquā ſinè lachrymis abſolvere potuit. Ejus invocatione à ferociente tauro puer in cornua ſublatus, cùm omnes agitatione enectum crederent, indemnis à beſtia depoſitus eſt. Et cùm jam tum in miſeros vivos, & vitâ functos tenerrimæ eſſet miſericordiæ, ſemel quidem in forma pauperis Angelo eleemoſynam elargitus eſt; in ſubſidium autem animæ necati ſui in rixa famuli

famuli procurato Miſſæ Sacrificio miniſtrans, vidit illud ipſi in flammis infernalibus ardenti, nihil profuturum. Ab ipſo rationis uſu vitam cœpit ducere etiam Viro auſteram, noctibus totis per hyemem nudâ humo cubando, cilicijs, jejunijs, flagris durè corpus accipiendo: quibus promeritus eſt 14. ætatis anno, ab Angelo ſpecie elegantiſſimi Juvenis comparente moneri, ut ſæculo relicto Societatem JESU amplecteretur. In qua expetenda cùm Parentis artibus, à Religione filium remorantis, ſenſim intepuiſſet, eâdem Numinis violentiâ, quâ ejus Fundator, ad eam inductus eſt, altero illi crure confracto. Cujus ictu ſapiens ùt primùm conſanuit, fugâ ſe paterna è domo, rectà ad Tyrocinium Neapolim proripuit; quatuor tenebriones, quaſi malè ſibi ab eo quondam futurum metuentes, atro ac ſquallido vultu obvios habens; qui ubi fruſtra terroribus ac minis à propoſito juvenem avertere conati ſunt, momento ab oculis evanuerunt, & atra nubium tempeſtas ab ijs conſcita, ſubitò in ſerenum tranſijt.

Igitur A. 1618. ætatis 15. Tyrocinium auſpicatus, in primis ſtatim Exercitijs cœleſtibus viſis à DEO recreari cœpit, quibus in omnia aſperrima ejus gratiâ ſubeunda firmatus, continuò miſſionem Japonicam apud Præpoſitum Generalem urgere cœpit, neq; ab eo tempore deinceps, dum obtinuiſſet, flagitare deſtitit. Et revera ab ipſo Matris utero in eam Miſſionem à DEO ſegregatus videtur. Vix enim infantiam egreſſus, cùm juberetur à Pædagogo preces quotidie cum fratribus in commune recitare, lachrymis plerumque infuſus eas perturbabat: quarum cauſas interrogatus, ingenuè edixit, videri ſibi inter orandum circumgredientes ſe Ethnicos, qui ſibi vitam ereptum eant: neq; præ animi gaudio poſſe idcirco lachrymis temperare. Quas cogitationes in Tyrocinio Societatis continuans, credebatur paſſim prænotionem ſecuturæ ſuæ felicitatis divinitus habere. Nam ingrediens aliquando per Neapolim, cùm fortuitò in artificem incurriſſet, qui aciem gladio inducebat, *ejuſcemodi*, ait ad comitem, *futurus eſt gladius, qui mihi caput ob Chriſti Fidem apud barbaros amputabit.* Cui ſuſtinendo ut in tempore ſeſe aptaret, jam tum flagellare ſe quotidie, crucem ferreis aſperatam cuſpidibus ad pectus geſtare: & nè unquam Martyrij à DEO inter preces poſtulandi memoria excideret, eas dicere in Roſario conſerto globulis è palo tornatis, ad quem Martyrum unus in Japonia alligatus pro Chriſto conflagravit. Miſſus experimenti causâ, pro Societatis more, cum duobus Tyrocinij ſocijs mendicatô peregrinatum ad Montem Virginis, cùm amiſsâ in ſylvis viâ, nocturnis tenebris obrueretur, repentè Juvenis formæ liberalis comparuit, qui demonſtratâ ſemitâ, & fructuum quorundam eſu ſupra omnem cibi mortalis virtutem confortatis, momento evanuit. Omnibus deinde annis, quibus in Europa, inter præclara omnigenarum virtutum Socijs præbita ſpecimina, vixit, inſtantiſſimè votum ſuum, Japoniam petendi, apud Præpoſitum Generalem urſit, & ſupra mille epiſtolarum in ea cauſa conſcripſit; ità ejus deſiderijs abſorptus, ut nullo die domi, in Scholis, in Convictorum Nobilium, quos regebat, contubernio, coram ſocijs, diſcipulis, hac de materia mentionem in colloquijs omiſiſſe ſit notatus. Quibus tot tantisque arduarum Miſſionum ſtudijs, obtinuit ille quidem, ut decreta illi fuerit ſemel Anglia, ſemel India, tum & Japonia, quam unà cum P. Sebaſtiano Vieira illuc revertente erat petiturus. Verùm cùm importunâ Neceſſariorum interceſſione ſemper ea conſilia diſcuterentur, egit ille rem ſuam tantò inſtantiùs apud DEUM. Quod dum aliquando Miſſæ Sacrificio inſerviens, per merita S. Euſtachij, cum lacrymis ardentiſſimè facit, vidit ab imagine ejus Sancti fulgentiſſimum in ſe radium lucis derivari; ſenſitq; ab eo diſertè ſe commoneri, optatâ gratiâ certò potiturum.

Inter hæc Marchione Patre demortuo, & Philiberto Fratre in Marchionatu ſucceſſore plures annos in conjugio ſterili, Amici propagationi Familiæ metuentes, Marcello ſemel iterúmque negotium faceſſebant, exitum è Religione ſuadentes: ille quo ſemel ijs omnem avocandi ſui cogitationem detraheret, coram P. Provinciali repentè prolapſus in genua, voto ſanxit, nullo ſe unquam quoquo ſuæ Familiæ eventu, Societate abiturum. Et, ut pateat, quàm diverſa ſint hominum in vita, & poſt fata ſenſa & judicia, ipſe ille Philibertus paulò poſt vitâ functus, non ſemel candido veſtitu Marcello adſtare viſus, illum amabili geſtu ad iter, Japonicum ſcilicet, invitabat. Jamque annus 1633. in exitu erat, cùm iter illud adeò Marcello obſeptum, inauditum prodigium aperuit. Ornaverat ille in ipſa Neapolis Regia ſolennitati Deiparæ ſinè macula Conceptæ, ſplendore prorſus Regio à Pro-Rege inſtitutæ, unam ex Aris quatuor; cujus ſolennijs, & ſupplicatione exquiſitiſſimo cultu & magnificentiâ peractâ (cu-

jus tamen nè quidquam aſpiceret Marcellus, ſeveriſſimâ oculorum cuſtodiâ caverat) aulæa de ſcalis refigentem artificem neſcio quid monebat; & ecce malleus ex manibus fabro elapſus, ità Marcellum in dextri temporis muſculo percuſſit, ut penè exanimem in loco relinqueret. Continuò domum devehitur; vulnus in extimo ſatìs exiguum, at quantum eſſet inteſtinum malum, indicio fuêre aliquot pòſt diebus ſecuta febris, oculorum torpor, capitis acerbæ punctiones, mentis aberrationes, rigor & ſtupor corporis tam pertinax, ut nullis fomentis, ac nè igne quidem admoto depelli potuerit. Die autem 21. ab ictu, jam nec veſci poſſe, imò nè os quidem ad excipiendum cibum recludere, quod ei vi maximâ Chyrurgus geminis inter ſe obverſis cochlearibus vix ſenſim aperuit, ut vel perpaucas liquidi ſtillas infunderet. Sed cùm nè id quidem efficere ullo conatu poſſet, Medici pleno Collegio convocati, apertè profiteri (quod & jurejurando poſtea teſtati ſunt) Marcellum humanâ arte ſanari non poſſe, ſed mortem illi in horas opperiendam. Per ipſos hujuſce morbi dies ſæpius ſe illi viſendum objecit Vir albâ veſte, & Sacrâ Cruce in pectore inſignitus (quem poſtliminio S. Xaverium fuiſſe intellexit) jam noctu, jam interdiu, ſæpe veſcenti, oranti, agenti etiam cum alijs, modò aſſidere lecto, modò vicino in abaco, ſolari, bono animo eſſe jubere, ac ſemper animum Cœleſti quadam jucunditate complere. Semel iterúmque ſciſcitatus ex Marcello eſt: *mori mallet, an vivere? cuperétne mortualem cereum an ſcipionem* (utrumque enim manibus ſuſtinens offerebat) *viatorium?* cui pari ſemper integritate cùm reponeret æger, utrumque ſibi æquè cordi eſſe, ſi DEO collibitum foret: tandem viciſſim alio die ex Sancto ſciſcitatus eſt: *utra ſibi tandem in Cœlo, mortísne? an itineris decreta eſſet conditio?* negavit Sanctus adhuc ſibi fas eſſe ea arcana retegere. Spopondit nihilominus conſulturum ſe Numen. Paucis diebus idem revenit ad ægrum, ſed pluribus alijs ſtipatus: quos ægro interrogante: *quinã eſſent? num fortè Martyres Japonij?* nîl aliud reſpondit Sanctus, quàm *amicos ipſius eſſe, qui impensè illum DEO commendarent.* Ijſdem cereos ardentes manu geſtantibus comitatus poſtremùm hâc formâ illi adfuit, triduo antequam prodigiosè curatus eſt: percontantique: *num fortè animæ de Purgatorio eſſent, auxilium poſtulaturæ?* Sanctus idem quod antè reſpondit. Cæterùm *etiam animabus in luſtratorio igne gravem ipſius eſſe morbum, quòd ejus interim ope ac ſuffragijs deſtituerentur.* *Ergo*, ſubinfert æger, *æquum eſt aliena adjuvandis illis ſacra, ac precationes à me procurari.* Probavit ille, collaudavítq; conſilium, atq; diſparuit. Viſus etiam aliàs ipſi eſt Vir ornatu cum viridi Cruce militiæ Alcantarenſis, qui ſe ipſi magno futurum aliquando auxilio ſpopondit. Et æger ex ijs, quæ poſtea in Inſulis Philippinis ſibi ab earum Pro-Rege, hujus militiæ Heroë contigêre, didicit fuiſſe aut ejus loco ſponſorem Genium Tutelarem, aut Ordinis Patronum.

His aliìsq; Cœli favoribus ità replebatur Marcellus, ut deinde ſibi reſtitutus ſcriberet ad amicum Sacerdotem; *fuerunt mihi dies illi perennis paradiſus, viſitationes continuæ, nuncia feliciſſima, viciſſitudines admirandæ, conſolationes Cœleſtes, ſpes Divinæ. Multa percepi, multa mihi adhuc obſcura ſunt.* Et jam cuncta ſpectabant occubitum, cùm S. Xaverius monuit Matronam Nobilem ſibi devotiſſimam, Marcellum eo morbo non exceſſurum, ſed magnis adhuc gerendis eum ſervari: juſsítque hæc ipſa Confeſſario mox referri, ut fides poſtea, re peractâ eſſet vaticinio. Marcellus interim, ut pietati duntaxat ſuæ obſequeretur (nam vitæ ſpes nulla vel cupido erat ſuper) coram Præpoſito Provinciæ votum Indicæ profectionis 2. Januarij nuncupavit. Sacro deinde oleo extremùm unctus, quia ob pertinacem fauçium comprehenſionem Divino Viatico muniri non poterat, S. Xaverium interventorem adhibere conſtituit. Effigiem itaque ejus aliquam lateri cubilis affigi petijt, quæ continuè vicino è cubiculo, peregrinantis habitu Divum referens, admota eſt. Illi ſupplicabat æger aſſiduè, admotis identidem gutturi ſacris ejuſdem reliquijs, nè ſe pateretur obire Diviniſſimæ Euchariſtiæ expertem. Manè velut exorati beneficij certus, ſacram popoſcit Hoſtiam, eámque, facto priùs in altera non conſecrata periculo, facilis ac lætus transmiſit. Quin eâ ipsâ nocte duobus Patribus affirmavit, ſe Sacrum poſtero die facturum. *Fortaſſe in Paradiſo*, illis reponentibus, quia mente alienâ eum loqui credebant: *id verò neſcio*, ſubjecit ille, *nam facturum me Sacrum dixit, at ubi, non dixit*, inſinuans, id à S. Xaverio ſibi datum in promiſſis. Et certè eâdem nocte cum P. Vincentio Caraffa Rectore Collegij, qui poſtea toti præfuit Societati, multis de ſuo in Indiam itinere, tanquam illius certus, tractavit. Die Januarij tertio inter vitæ mortísque confinia traducto, inſtabat jam hora ab ſolis occaſu quarta, & vix horæ quadrantem vitæ reliquum eſſe omnes rebantur, erántque

jam

jam funeri curando parata omnia. Socij pars orando, pars pias aſpirationes ſuggerendo, agonizanti opitulari. Aſſidebat illi dextrâ propter lectum P. Julius Recupitus; ad quem exili voce, *videri ſe in quadam quaſi valle conſiſtere*, inquit Marcellus, *& tenuem è longinquo lucem radiare*. Mox: *videre ſe globum è Cœlo promicantem, & in illo clariſſimâ luce coruſcantem S. Xaverium, ſpecie uſq; eò blandâ & amabili, ut momento mœrorem ſibi omnem abſterſerit*; eámque animo ſuavitatem, quod poſtea teſtatus eſt, in perpetuum infuderit, ut etiam deinde cùm maximè vellet aliquem mœſtitiæ ſenſum conſcifcere, non poſſet. Tum verò nomine ſuo cieri ſe, *Marcelle, Marcelle*, audiens; mirabundus, *Hei mihi, minùs clarè audio*, inquit: & manu ſilentium Socijs adgeniculantibus faciens, oculis, auribus, totóque animo tantiſper arrectus repetitâ vocatione, *hinc hinc vocor*, ait: momentóque qui ſe nullam in partem movere nunc poterat, in alteram lecti partem, ubi parieti affixa icon pendebat, ſe convertit. Socijs rei novitate attonitis, cùm identidem muſſitantem, & veluti cuipiam loquenti, quem tamen nemo percipiebat, reſpondentem audirent, P. Marius Fontanarosa ægrientium curæ tum præfectus, & Apoſtolicus poſtmodum inter barbaros operarius, ut Marcellus quid ageret, quídque loqueretur perciperet, inter lectum parietémque ſe injecit. Idem præſtare volens Frater ægrorum curator, per ſtantem ibi S. Xaverium, invisâ quâdam vi prohibitus, penetrare permiſſus non eſt; prærogativam hanc (ùt conjici poteſt) ſoli illi indulgente Indiarum Apoſtolo, qui ad Indorum ſalutem tantis impenſis à ſe quæſitam, anhelaret. Marcellus igitur, ùt ſe ad Divi imaginem convertit, à Socijs, & rebus creatis omnibus per extaſim raptus, eundem propter lectum ad ſtare in ſua virili ſtatura, cultu imagini ipſi perſimilem videt, coruſco vultu, & longè ſupra humanum ſereniore. Ad quem Xaverius hilari ore: *Et quid agitur Marcelle*? inquit, *moríne mavis, an Indiam petere*? ille id ſibi unum cordi maximè eſſe reſpondet, quod DEI placito congruat maximè. *Tenésne memoriâ, herì te*, inquit, *coram Provinciali voviſſe profectionem Indicam, ſi vita ſuppeteret*? *Teneo*, inquit Marcellus. *Ejà age igitur*, ait Xaverius, *in concepta à me verba te devove*; præivitq; ſtatim verba; quæ cùm à Marcello repeterentur, exaudita ſunt; quin adeò cùm aliqua bis térue minùs clarè excepiſſet, ſubridens Sanctus eadem iteravit. Verba autem quæ præivit hæc ſunt, ex formula votorũ noſtrorum. *Omnipotens ſempiterne DEVS, Ego* Marcellus Maſtrillus, *licèt undecunque Divino tuo conſpectu indigniſſimus, fretus tamen pietate, ac miſericordiâ tuâ infinitâ, & impulſus tibi ſerviendi deſiderio, voveo coram Sacratiſſima Virgine Maria, & te Sancto Patre Franciſco Xaverio, & Curia Cœleſti univerſa, Divinæ Majeſtati tuæ, paupertatem, caſtitatem, & obedientiam perpetuam in Societate JESV; & præcipuè Apoſtolicam miſſionem Indicam, quam herì pariter vovi coram meo P. Provinciali: & promitto eandem Societatem me ingreſſurum, ut vitam in ea perpetuò degam; omnia intelligendo juxta ipſius Societatis conſtitutiones, & decreta Sancti Patris Franciſci Xaverij de Indica expeditione edita. A Tua ergo immenſa bonitate & clementia, per JEſu Chriſti ſanguinem, & merita Sancti Patris Franciſci Xaverij, peto ſuppliciter, ut hoc holocauſtum, & votum à me indigniſſimo nuncupatum, in odorem ſuavitatis admittere digneris, & ut largius ex ad hoc deſiderandum, offerendum, & vovendum; ſic etiam ad explendum, & ſanguinem pro tuo amore fundendum, gratiam uberem largiaris.* His abſolutis S. Pater redditam ei dixit incolumitatem: quóq; de accepta vita gratias ageret, juſſit eum Chriſti Crucifixi, quem præ manibus habebat, vulnera deoſculari. Eo ſuaviſſimè præſtito: *ſuntne tibi*, inquit Sanctus, *reliquiæ meæ*? annuente Marcello, & eas de pulvino, ſub quo jacebant, promente: *habe eas animo tuo caras*, inquit, *Númne & S. Crucis reliquiæ*? fatenti rurſus: *age*, inquit, *eas admove parti ægrotæ*: admovit confeſtim ille tempori ſaucio. Sed abnuens capite ſanctus, & rejecto è ſua dextera in lævam baculo viatorio, atque extremo ægrientis occipiti admotâ manu, ibi vim morbi deliteſcere, & lipſanothecam applicandam, admonuit. Paruit æger, ſtatimq; Xaverius: *ſequere dicentem*, ait, atque ità ſubjunxit: *Ave lignum Crutis, Ave Crux pretioſiſſima, me totum tibi dedico in perpetuum; & oro ſuppliciter, ut gratiam fundendi pro te ſanguinem, quam Indiarum Apoſtolus Franciſcus Xaverius poſt tot exantlatos labores conſequi non meruit, mihi licèt indigniſſimo largiaris.* Et paulò pòſt: *Abrenuntio parentibus, propriæ domui, amicis, Italiæ, & omnibus, quæ mihi retardare poſſent Indicam Miſſionem; & me totum in animarum ſalutem apud Indos dico, coram S. Patre Franciſco Xaverio, meo, meo Patre*; quæ duo verba extrema de ſuo Marcellus adjecit: iiſq; blandè ſanctus arriſit, & placidè ſubdidit: *bono, ac lato, impoſterum animo eſto, atq; hos actus quotidie repete*: ſimúlque ex oculis evanuit; evaneſcente pariter & morbo, & vitâ, jam penè dimiſſâ, momento revocatâ. Abſoluto

quippe

quippe colloquio ſanùs, integer, omni ex parte incolumitati reſtitutus apparuit, ſinè febri, ſinè paralyſi, ſinè defluxionibus, ſinè vulnere; ſinè languore, imbecillitate, pallore, macie, ſoſpes, firmus, validus. Tum exporrectâ fronte ad valetudinarij Præfectum; *mi Pater*, inquit, *eſurio: præbe quippiam quod edam.* Dum cibus adfertur, jubet adſtantes primùm ſolennem S. Franciſci Xaverij precatiunculam clarè pronuntiare; voluitque ter illum verſiculum repeti: *ora pro nobis S. Franciſce Xaveri*, & ipſe ſubjecit: *ut digni efficiar promiſſionibus tuis.* Id poſtquam factum eſt, & allatus cibus, trepidare adſtantes principiò; & quò faciliùs demitteret, minutim concidere. At ille erecto vultu ridere illorum formidinem, lecto citra fulcrum rectus inſidere, atq; ultrò periculum in ſolidiore cibo facere: deniq; S. Franciſci Xaverij ope valentem ſe omnino ac firmum prædicare; tantisque ſe viribus jam tum pollere, ut conſurgere poſſit è ſtrato, & poſtridie, cùm primùm per tempus licuerit, Sacrâ Hoſtiâ litare. Igitur ij, qui præſentes aderant, jam certi valetudinis confirmatæ, inclamare portentum, prodigium, miraculum! Confluxêre omnes continuò, & celerrimè fama toto Collegio percrebuit, reſtitutam Marcello vitam, eò magìs æſtimandam, quò minùs à morte abfuerat. Itaq; coram S. Franciſci Soſpitatoris imagine in abaco collocata, *Te DEum laudamus*, provoluti in genua recitavêre.

Interea Marcellus ubi acciſas quatuor ferè dierum inediâ vires cibo ac potione refecit, ſurgit è ſtrato, veſtes induit, & aliquantiſper ingreſſus, ad Sancti tabulam venerabundus advolvitur, gratias ſuo vindici reddit, faſcias & emplaſtra deponit; arbitriſque dimiſſis, totam rei geſtæ ſeriem P. Rectori denarrat, eámq; ſuâ ipſe manu ſat fusè deſcribit. Poſtero die, atq; ejus anni 1634. die 4. in Templo ad Aram S. Franciſci Xaverij religiosè celebravit, plurimis undequaq; ad celeberrimi prodigij famam excitis. Deniq; ex eo die communia Sociorum munia etiam continuò Marcellus obire, domo prodire, & perpetuis ſeſe laboribus jam valens ac robuſtus atterere: ac paulò pòſt Matri graviter ægrotanti totos octo dies, veſte nunquam depoſitâ, diurnus ac nocturnus aſſedit, donec eam placidâ morte compoſuit, expeditior ad Indos evolaturus. Atq; hìc vide mihi incredibilem in S. Xaverio erga Japoniam, & Religionem ſuam zelum. Nam cùm hoc ipſo 1633. anno, Octobri menſe, Caput ibi Sociorum, Chriſtophorus Ferreira, turpi à Fide defectione triumphũ corrupiſſet, Xaverius eidem Japoniæ ante lapſum trimeſtre, Athletam alium in Europa tantis prodigijs ſuccenturiavit: cúmq; per omnes Provincias, ad quas infamiæ rumor devenerat, velut clariſſimum pugilem circumduxit, ut in ipſius perfugæ obtutu, idem quod ipſe exhorruerat, foſſæ tormentum fortiter perferendo, Japoniæ ſimul, & toti Orbi palàm faceret, uno degenere ramo avulſo, nunquam aureum alterum defuturum. Marcellus in grati animi erga Divum ſignificationem, ex ipſo curationis ſuæ die nomen Franciſci aſſumpſit, neque aliâ deinceps, quàm *Sancti ſui* appellatione eum nuncupavit: neq; aliquid, quod ejus interpoſito nomine à ſe flagitaretur, dum tamen à ſe præſtari poſſet, refragaturum voto ſanxit. Litanias de eodem altiſſimis encomijs à ſe confectas dixit quotidie: ſingulisq; diei & noctis horis, queis ſomno ſolvebatur, Angelum ſuum Cuſtodem ad Divum ablegabat (quod etiam alijs faciendi magnopere author erat) ſalutationis ac venerationis officio vicem ſuam obiturum. Sed & S. Apoſtolus viciſſim tantis eum gaudijs perfundebat, ut ipſemet fateretur, ſe quaſi continuè Cæleſtibus viſis perfrui. Illud præterea lumen animo ejus indidit, ut nullo manifeſtante continuè ſentiret & diſcerneret, ſicubi reliquiæ ſui Sancti præſentes adforent, ad quarum conſpectum totus accendi, lachrymis ubertim perfundi, & animo quaſi abripi ſolebat.

Priusquam in Indiam ſolveret, Nolam excurrit, ſuorum domeſticorum res quasdam ſupremùm compoſiturus. Ibi inopinatò accitus in Templum, ut ab energumena malum genium depelleret, cùm conſuetis Eccleſiæ exorciſmis nihil proficeret, elàm illi Sacrum Xaverij Lipſanum admovit. Tum ille cum fremitu ſubitò exeedens, *equidem abeo nunc ego hinc*, inquit, *neque tibi poſſum, ut pervellem noxæ eſſe, at paulò pòſt Indico in itinere te operiar, ibi manus conſerturi.* Quia verò omnium maximè Marcellus reſcire cupiebat, utrúmne transmiſſo mari Martyrij compos futurus eſſet; id ei Sanctus oranti adpromiſit ſe manifeſtaturum, priusquam Neapoli digrederetur. Vocatur poſt hæc repentè in Templum ab ignota ſibi Matrona nominatim ad ſuam confeſſionem excipiendam, quæ ſui accuſationem indè exorſa, quod Sancti Xaverij imperiũ hactenus ad ipſùm exequi neglexiſſet: nunc autem novis ejus imperijs (qui in Templo noſtro Sacerdotali ornatu comparens, Sacrum ſibi Epulum porrexerat) adactam eidem nunciare, ſanguinem in

India

India pro Fide Chriſti profuſurum. Et nè fidem ſibi derogare poſſit, teſtem ſe ſuum citare Confeſſarium, cui pridem antè Divi ejuſdem nomine, reſtituendam prodigiosè Marcello ſanitatem, iter in Indiam, & alia pòſt ſecutura, prædixerit. Ergo plenus optatiſſimo nuncio Neapoli digreditur 28. Aprilis, A. 1634. ſalutatisque Romæ Martyrum ſepulchris, & Vicarij Chriſti benedictione donatus, per Umbriam deinceps & Picenum, indéque Florentiam, Mediolanum, & Genuam progreditur, ingentibus ubiq; honoribus, ob tam omnibus certum Martyrij præſagium exceptus. Paſſim enim illi, quæ potuêre, ſublata ſunt à viris devotis, qui ſanctitatis ejus opinione, certâque Martyrij expectatione erant imbuti; ſic, ut ſola in Urbe Parmenſi duodecim minimùm ſuppoſitæ illi fuerint calanticæ, ſubductis in reliquias ijs, quas aliquantiſper habuerat in uſu. Quantis verò ipſe tunc ardoribus viam legeret, eâ, quam ad P. Gabrielem Maſtrillum Parmâ dedit, epiſtolâ luculenter ità expreſſit: *Vado plenus dulcedinis & conſolationum ſpiritualium, vacuus omnibus cogitationibus & curis terrenis; DEum meum quærens, & illi ſoli ſerviens, tanto Paradiſo vicinior, quanto me longiùs abire Neapoli video; & ſi conſolationes eâdem proportione incrementum ceperint, cogar in agros excurrere, & Divini amoris admiranda proclamare. Hæc teum Pater non ad oſtentationem. Abſit, ſed ut innoteſcant tibi Divinæ miſericordiæ, & laudes authorem Sanctiſſimum, qui verè infirmum elegit, ut fortia confundat apud Indos. Infirmiſſimus ego: omnia tamen potero in Sancto meo Peregrino. Ut clariùs loquar, quæ me confortat, cujus in me, & in Socios meos ſingularis protectio, mirum eſt quantum in dies, & in momenta ſingula augeatur.* Genuæ mari conſcenſo, feliciter Barcinonem, ac deinde Mantuam Carpetanorum, Regum Hiſpaniæ ſedem attigit. Ubi quibus honoribus exceptus ſit, ità in Epiſtola 12. Decembris indè ſcripta Ulyſſiponem, enarrat. *Ego jam vivere non poſſum amplius, quia nullum mihi reſpirandi tempus conceditur. Majeſtati ſuæ Regiæ placuit audire miraculum. Audientiam mihi ſecretam fecit ità favorabilem, ut Curiam univerſam in admirationem rapuerit; tot interrogationibus, tanto ſenſu, ut propemodum lachrymaretur, adeò jam teneris ac mollibus oculis erat. De Regina nîl dicam, cui uſq; adhuc bis me affari placuit, & prolixè quidem differendo, præter miraculum, de tot Indiæ rebus particulatim, dèq; varijs & crudelibus tormentis Japoniæ, ut in vultu atq; oculis ſatis internum animi affectum monſtraret. In ſumma, ego meam S. Franciſci are pictam icunculam amiſi, & magnæ contentioni quâ eam flagitavit, cùm eam me penes eſſe crederet, ejuſq; ſtatim habendæ cupiditati, quam præferebat priusquam expingeretur, non potui ullo pacto reſiſtere. Imò ampliùs ùt vidit quatuor me in ſinu gerere ejuſdem ſancti imagines è charta, omnes cupivit, & acceptas manu ſingulas, hanc Regi confeſtim, inquit, datura ſum, dein converſa ad Comitiſſam Olivariam ibi præſentem, harum trium una tibi cedat, ait, altera Principello, poſtremam naſcituro adverte, ut diligenter aſſervues. Voluit deinde, ut Principellum viſerem, tot benevolentiæ & confidentiæ indicijs, ut incredibile ſit. Accepit extraordinariâ voluptate icunculam, dicens eam ſe velle ſemper geſtare pro pectore, continuòq; ſe curaturam expingi pro me alteram. Jámq; omnes Matronæ & domicellæ hujus Curiæ ſuas ſingulæ icunculas requirunt: ut in omnium adeò pectoribus S. Franciſcus meus futurus ſit. Comes Dux prolixè mecum collocutus ipſo Sancti die, qualis remanſerit, indè colligite, quòd in Reginæ præſentia mihi dixerit Comitiſſa Conjux ipſius: Comes amore captus eſt S. Franciſci Xaverij, & tuæ Paternitatis. Et ſic etiam magnam imaginem perdidi. Enimvero dignus non eram, qui ſimiles penes me theſauros haberem. Protonotarius, hoc eſt, Caput omnium Secretariorum, præcipuâ nobilitate, quíq; moderatur omnia, eò quòd gratiâ præ omnibus apud Comitem Ducem valeat, cùm coram eodem Comite miraculum audiret, nonnullâ in me voluntatis inclinatione propendere cœpit. Poſt hoc permiſit Sanctus, ut decem ab ſuo feſto diebus periculoſiſſima tentaretur affectione: accerſiri me juſſit continuò; commendavit ſe Sancto, & die tertiâ febri exſtitit vacuus, & jam lecto liber eſt.* In digreſſu Rex pijſſimus, Marcellum *Reverentiæ* titulo, exemplo nunquam antea uſitato, dignatus eſt, longiuſculum cum eo ſermonem ità concludens: *Videat Reverentia Veſtra num quid à me velit, perlibenter enim quidlibet præſtabo. Commendet nos DEO, noſtrámq; Domum, populos, & Regna noſtra.* Cujus inſolentis ei exhibitæ dignationis rationem poſtea Magnatibus attonitis reddens: *Vidi in Patre,* inquit, *neſcio quem ſanctimoniæ fulgorem, qui me ad ipſius reverentiam adegit.* Quadraginta deinde Socios ex Hiſpania legendi copiam Patri fecit, qui Regijs impenſis veherentur, ad fundandum Nangaſachi in Japonia Collegium. Et Regina pretioſiſſimam veſtem, & alia complura addidit, ad exornandum Goæ S. Xaverij monumentum.

Lapſus inter hæc illi eſt totus annus 1635. agente potiſſimùm Comite Duce Olivario, qui eum ad exigendos è Braſilia Bata-

vos habere in comitatu, tanquam certum victoriæ obſidem cupiebat: verùm ille diſcuſſis remoris, Olyſſiponem tandem appulit 30. Martij, A. 1636. ubi cùm feliciter Regios Miniſtros munificentiam Regiam prætextu inopiæ ærarij arctiſſimè adſtringentes, inflexiſſet, unâ illâ curâ fatigabatur, quòd duplici effigie ſui ſancti Reginæ in Hiſpanijs donatâ, nullam in Indias ſecum devehendam haberet ſuper. In re deſperata extremum tentaturus, totâ unâ nocte cum quodam ex Novitijs in arte pictoria Tyrone ſe includit, ubi alter expingendo, alter verbis Xaverij vultum, lineamenta, colores, majeſtatem è memoria deſcribendo, tam feliciter laboravit, ut imago extiterit quâ nulla Sancto unquam ſimilior. Hæc unicum Marcello deinceps delicium, hæc theſaurus fuit, quam à ſe divelli, niſi morte, paſſus non eſt. Die 7. April. eâdem ſcilicet, quâ Xaverius olim indè ſolverat ad Indos, Prætoriâ ingreſſus eſt A. 1636. cum novē Socijs, nam reliqui 23. in alias naves diſperſi ſunt. Patronus navigationis à tota claſſe proclamatus S. Xaverius, cujus prodigioſæ iconi in puppi, præter unam honori DEIparæ, altera exſtructa Ara eſt. Explicatis in curſum velis, Marcellus & ſocij ante Altare Divi in genua provoluti, vota inſtauravêre, eâ formulâ, quam Neapoli Xaverius illi præiverat. Ex hinc eâ religioſitate tota illa navigatio peracta eſt, ut navis in Religioſam Domum converſa videri poſſet. Inſtituta Sodalitas ſub Rectore, qui unà proficiſcebatur, Indiarum Pro-Rege, conventúsq; ter per hebdomadam coactus. Supplicationes hebdomatim ductæ, quotidie Chriſtiana doctrina tradita, & ſub veſperam publicè ab omnibus dictæ Litaniæ. Adhæc menſtruæ communiones publicè ab omnibus obitæ, & eâ occaſione pleræq; generales ex tota vita, aut ab annis plurimis confeſſiones repetitæ; ad quas plurimùm permovebat Marcellus, quovis veſpere tintinnabulo per navigium obiens, & ſuffragia pro defunctis, atq; in peccato lethali conſtitutis, enarratâ ſimul terrificâ aliquâ in exemplum hiſtoriâ, exorans. Quoties porrò ingruente tempeſtate, malaciâ, periculis, aut in ſcopulos aberrationibus periclitabatur navis, epiſtolarum Xaverianarum liber pro acu erat magnetica. Cujus invocato patrocinio fortuitò recluſus liber, ſemper eâ faciè, quæ prima legenti occurrebat, locum quo venturi eſſent, & felicem de periculis emerſionem docebat. Quòd ſi gravius ingrueret diſcrimen, novendialem indicebat Marcellus toti navigio in honorem Sancti devotionem, multiplicabat ſeſe flageſlantium ſupplicationes, in quibus præibat ipſe nudis pedibus, caput cinere conſperſus, & ſune in collum injecto Crucem præferens, támq; vehementi eo temporis dictione utebatur, ut ſæpius eam interrumpere, quò lachrymanti populo ſpatium daretur, neceſſum fuerit. Cùm verò aliquando totos 13. dies inſolita eos moraretur malacia, nec ullis poſſet ſupplicationibus & publicis corporum diverberationibus aura faventior exorari, ſuſpicatus Marcellus eam calamitatem operâ Dæmonis, qui Nolæ hoc ſibi minatus erat, concitam, ſumptâ ſtolâ ex Libro Sacrorum carminum dæmonem increpare, atq; ut abſcedat, navímq; miſſam faciat, adjurare cæpit. Ad inſolitum exorciſmum cùm incredibilis omnes pavor inceſſiſſet, operarius nauticus, qui hæc ex aliquo carcheſij rudente audiebat, tantâ repentè ſuorum criminum pœnitudine perculſus eſt, ut velut impotens animi per confertam multitudinem ad pedes Patris acciderit, confeſſionis copiam, quâ toto jam quinquennio omiſerat, cum lachrymis poſtulans. Atq; ex ea ſtatim hora frendens tot animarum lucris dæmon, apertè ſe omnium hactenus incommodorum auctorem prodere cæpit. Nam cùm Laurentius Soſa pius adoleſcens, ſceleroſum quendam ex nautis Marcello prodere (quod ipſe omni concione flagitabat) ut emendaretur, ſtatuiſſet, de media nocte atrociter illum dæmon, velut omnia ejus oſſa comminuturus opprimere cæpit, inſuper graviora minatus, ſi hominem illum detexiſſet. Verùm accurrens Marcellus ubi ſacra Xaverij lipſana admovit, momento malum omne, fugiente per feneſtram, ſpecie atræ umbræ, dæmone abſterſit; ſimúlq; facinoroſum illum patefactum ad exomologeſim, & Sacram Synaxim adduxit. Poſtridie cùm pro more navis populus omnis in ſe flagris deſæviret, miris ſtrepitibus conatus dæmon pietatem fruſtra interturbare, tandem Laurentium illum Soſam ſolo affictum præfocare conatus, velut exanimatum reliquit. Eum Pater per eaſdem Sancti reliquias ſibi reſtituit, dæmonémq; immanis inſtar umbræ in mare abegit, tam gravi poſt ſe odore relicto, ut nihil unquam tetrius expertum ſe adoleſcens aſſereret.

In rabiem ergo his actus eſt Marcelli hoſtis, ſtuduítq; pluries vitam ei, ſibi adeò pernicioſam, abrumpere. Nam cubantem ſuper lectulo quatuor de funibus contortis, & cuivis ferendo ponderi paribus ſuſpenſo, primâ ſtatim nocte omnibus reſectis, vehementer adeò

adeò ſolo alliſit, ut crure violato, atq; in noxium tumorem inflato, miſſo ſæpius ſanguine curari debuerit. Quibus diebus autem Confeſſio & Communio generalis habenda fuit, quatuor dierum continuam primùm febrim, aliàs ſæviſſimos per triduum colicæ dolores, nè confeſſuris vacare poſſet, ei concitavit. Cùm verò aliquando à conciliata inter duos Nobiles amicitia ad ſuum conclave reveniret, invadens eum dæmon, tibiam comminuere ſemel adniſus eſt, & ubi ſæpius aliàs pronum in tabulata periculosè alliſit, ſibilis deinceps horrificis, tremendis & inconditis fragoribus eum turbare perrexit. Sed nihil hæc moratus Pater, ut è contrà quantum poſſet malè faceret dæmoni, poſt triduum 80. primæ ætatis adoleſcentulos, multùm priùs & operosè à ſe inſtructos, primâ vice Sacræ menſæ admovit. Sed & dæmon toto deinde triduo malaciam, & poſt impatibiles æſtus, contrarios navi ventos, quibus in altum rejiciebantur, excitavit, ut ex tot viciſſitudinibus in ſumma aquæ penuria, graviſſimis contractis morbis, de tenenda hoc anno India deſperarent. Jámq; Pro Rex, niſi biduo ſecundior aura ſpiraret, vela in Socotoram Africæ Inſulã verti juſſerat ad hybernandum: quando Marcellus tam ancipiti periculo avertendo ſupplicationem ex ſolo innocentis ætatis agmine inſtructam, ad Sancti ſui Aram per navim deducere inſtituit, eundem in thaumaturga icone ità palàm affatus, ut ejus nunc agi honorem, aliàs in diſcrimen venturum, ni opitularetur, diceret: reſpiceret innocentium preces & ſanguinẽ, per quos olim miracula patrare conſueviſſet. Ad hæc pauxillum ejus reliquiarum ubi religiosè demiſit in mare, tam placidi poſtridie aſpiravere venti, ut ijs perpetuatis poſt 27. dies Cocinum (ubi ſe illos expectare, in epiſtola ſua fortuitò conſulta, Xaverius prædixerat) incolumes invecti, Goam denique poſt alios 11. navigationis dies læti ſubiverint 8. Decembris. Adventum ejus incredibili celebritate, tanquam Viri palàm Sancti, univerſa Civitas & Inſula excepit, veſtes omnes, quas eum Indicis de more permutavit, in venerationem direptæ, ut pedum ejus penè veſtigia, flectentibus ad ejus occurſum incolis, lamberentur. Cœlum etiam magnis prodigijs gratulationem ejus adventûs celebravit. Nunquam enim omnibus anteactis temporibus tot ac tã ſtupenda è tumulo ſuo Xaverius patravit miracula, quot brevi eò appulſi Marcelli intervallo. Sed & primus Indiarum Apoſtol⁹ S. Thomas Meliaporæ in Choromandelis Indiæ tractu applaudere viſus eſt. Viſitur illic quadrato lapidi inſculpta Crux, ſanguineis Apoſtoli ibidem cæſi guttis aſperſa, quæ die illius Natali annis ſingulis, ſimul atq; ab Sacerdote Evangelium in Sacro legi cœptum eſt, modicis primò ſtillis, largo deinde ſudore manare ſolet. Color etiam Crucis è candido ſenſim in pallidum, indè in atrum, mox in cæruleum cedere, Sacrificio autem peracto nativus redire. Id prodigium ſi quando abſit, dirum aliquid portendi, præſagio eſt. Poſtquam infeſtis claſſibus cœpêre Batavi graſſari per Indiam, defierat fieri. Sed 10. ab adventu Marcelli Goam die, hoc eſt 18. Decembris A. 1635. tantum ſanguinei ſudoris totas 24. horas, ſpectante frequenti populo ſtillavit, ut multa lintea imbuta ſint. Auxit miraculum ſudandi modus, non à ſummo deorſum, quod ominoſum longâ experientia habetur, ſed ab imo ſurſum, quod lætum eſt. Per eoſdem dies Goæ duobus in Templis ſingula Chriſti Cruci affixi ſimulacra à frequentiſſimo populo viſa ſæpius aperire oculos, &, quod accitus ipſe Marcellus obſervavit, & in Europam perſcripſit, Japoniam versùs illos convertere: perinde quaſi gratulatus ſuorum militum adventum Imperator, quò tendere porrò illos vellet, ut idem Marcellus interpretatur intuitu deſignaret.

Subſtitit Goæ ad finem uſq; Aprilis anni inſequentis 1636. Marcellus, perpetuò die noctéque Sancti ſui tumulo ità affixus, ut tamen in Japoniam deſiderijs anhelaret. *Mi Pater*, ſcribit ipſe ad quendam, *quàm bono Domino ſervimus! cum ea quæ dixi, quàm veriſſima ſint.* (egerat de ſuis miſerijs, & peccatis) *pergit tamen uſq; Divina Majeſtas ſua, ad confuſionem meam, novas adjungere novásq; flammas, deſideria magìs ardentia, cogitationes magìs accenſas, ferventiora conſilia. Denìq; ego ubi verſer neſcio, Sanctum ſepulchrum amati mei Patris rapuit mihi cor; ſed Japonia repetit illud, & obtinet. In Japonia nulla tormenta ſunt, ad quæ non currat, ínq; ijs quieſcat. Non eſt carnifex, cui vitam non offerat; non eſt ſecuris, cui collum non porrigat; non catenæ, compedes, carceres, labores, perpeſſiones, quæ illud obſaturent. In ſumma, corpus Goæ, cor tot in partes diſtributum. Vide, quid de me agi queat.* Præverterat is jam in Hiſpania impenetrabilem alioquin difficultatem intrandi monumentum, & luſtrandi cominus palpandiq; ſacrum Xaverij corpus: eóq; mandatum à Rege, quò hujus rei copia ſibi fieret, obtinuerat, tuleratq; à Regina Matre amictũ incomparabilis pretij, quem

ipſa ſuis literis jubebat à Marcello ſacro corpori imponi, & veterem ab eodem exemptum ad ſe remitti. Quod cùm intempeſtæ cujusdam noctis ſilentio in comitatu P. Provincialis, Præpoſiti Domûs Profeſſæ, & duorum inſuper Patrum fieret, quis exprimat queis animum ejus ſolatijs & affectibus S. Apoſtolus perfuderit. Indumentis veteribus Reginæ transmiſſis, linteum, quod collo Divi circumligatum, cruore ipſius etiamnum rubebat, ſibi tulit. Et viciſſim devotionis ſuæ ſyngrapham, ſanguine ſuo de pectore elicito conſcriptam, & in modum ſchediaſmatis plicatam, ſigillóq; Societatis munitam, in manu Sancti reliquit. Extimè ità erat inſcripta: *Sancto Apoſtolo Indiarum, ſcriptura & juramentum perpetuum M. Fr. M.* Intrinſecùs autem ſic: *Sancte mi Peregrine, care Pater, Magiſter amate, & omne bonum meum. In Italia reliqui mundum totum, ut venirem adoratum has tuas ſanctas reliquias. Tibi linquo in pignus cor. Abeo, ut ſequar tua ſancta veſtigia in Japonia. Me tibi dedico totum in holocauſtum, in Filium, ſervum, & mancipium. Linquo tibi hanc ſignatam meo ſanguine, in pignus affectûs, & velut ſcripturam perpetuam, quam ſis mihi monſtraturus & exprobaturus in die Judicij, quâ me obligo ad obſervandam, quàm maximè potero, & imitandam tuam ſanctam vitam in omnibus, & per omnia, & ſic id tibi juro. Solùm te precor, ut me juves ad executionem tuâ benigniſſimâ gratiâ, & des mihi eam mortem quam tantopere deſiderâſti in Japonia. Tibi committo meos ſocios, amicos, propinquos, & devotos, inimicos, & mundum totum. Pater mi care, care, care; habe tibi cor & ſcripturam, da mihi gratiam ad exequenda omnia. In Domo Profeſſa Goana, hoc veſpere nonâ noctis, 11. Martij 1636. Care Pater vale; Linquo te pro te.* Tentavit ſæpius deinde perſcribere in Europam datum, & moderna lineamenta corporis Xaveriani, ſed lachrymis & ſingultibus ſemper oppreſſus, nullâ vi perficere potuit. Scripsêre alij, qui cum eo luſtraverant, corpus etiamnum perſtare ſuccidum, divinum quendam afflans odorem: jacere ſupinum, brachio pectori admoto (nam alterum pridem Romæ eſt) in habitu Sacerdotali, gemmis illuſo: vultu oblongiore, colore in fuſcum vergente: comâ & barbâ aliquantò promiſſioribus, & aliquâ canitie diſtinctis, apertis oculis, totum blandiſſimâ majeſtate venerabile, cujus deniq; unicum intuitum omnibus navigationis Indicæ laboribus, ſcripſit Marcellus, nimis vili emi. Quia verò adverterat Marcellus jacere illud, & quodammodo premi arctiori loculo, quantumvis argenteo incluſum, non antè Goâ diſceſſit, quàm plurium millium corrogatâ ſummâ, laxius ei itidem ex argento curaret conditorium.

Dedit etiam Goâ complures ad diverſos literas, eas, quia fervoris & ſanctitatis neſcio quid exuberans ſpirant, placet hìc reddere. Primæ Neapolim ad P. Gabrielem Maſtrillū, inter reliqua hæc habent: *Age gradum faciamus ad gaudia, voluptates, & jubilum cordis mei. Mi P. Gabriel, confiteor R. V. neſcire hìc memet ipſum ubi verſer, utrùm in terra tantopere exoptata Indica, an in veſtibulo Paradiſi, quem ob peccata mea tam parum promeritus ſum. In itinere tanta lætitia fuit, ut mihi ea cum omnium miratione legeretur in fronte; non poteram eam continere, nec poſſe majorem dari credebam; ea Goam appulſo ad ſepulchrum mei glorioſiſſimi Sancti tantopere accrevit, ut eò propemodum pervenerit, ut non queamus amplius. Et hoc uno jam ego diſtineor eo tempore, quod mihi reliquum à confeſſionibus eſt, ad fontem illum perennem Divinæ dulcedinis perſtare, immerſum in illum Oceanum conſolationum Cæleſtium, quas explicare nequeo, quantæ qualesq; ſint. Satìs dixiſſe ſit, videri mihi profluere etiamnum de Cœlo in illud Sacrum cor, fluvium illum Divinarum voluptatum, quo exclamare cogebatur: ſat eſt Domine! & peculiari quadam indulgentiâ in adſtantes quoq; refunditur. Hìc jam redardeſcunt fervores, acuuntur deſideria, inflammatur cor, in feliciſſimam expeditionem Japonicam, cui jam proximamus.* Alteræ ad P. Nunnium Acuniam Ulyſſiponem ſic ſonant. *Quid petis, mi Pater, à paupere peccatore ob ſuas culpas ex Europa relegato, & in alterum, remotiſſimúmq; Orbis angulum miſſo, ad concipiendum fervoris aliquid à tanto Divini amoris igne tot glorioſiſſimorum Martyrum, diſcendúmq; vel ab ipſis Japonibus, Deo, ſicut oportet, famulari? ſic planè res ſeſe habet. Quod ſi Deo deinde collibitum eſt ſua dona ſpargere, & ea etiam in immeritos partiri, ea exuberantia Divinarum miſerationum eſt. Eâdem ratione, mi Pater, egiſſe mihi viſus eſt glorioſiſſimus meus Pater, & Protector S. Franciſcus Xaverius. Placuit illi hominem nullius usûs aſſumere, quò ejus opera clariùs eluceſcerent; conſtaréteq; res eas, quæ geruntur, ipſius eſſe. Quæ cùm ità ſint, R. V. nixis genibus oro, pro eo ſtudio, quo gratificari Sancto cupit, ut magnis illis favoribus, quibus Ulyſſipone me proſecuta eſt, hoc ſigillum apponat, ut à Deo mihi ſuis precibus veram cognitionem ejus, in quo nunc verſor, ſtatûs exoret; quantum ſit illud, quod illi debeo, quantillum id quod poſſum, ut ſaltèm dum me penitus novero, quippiam inveniam, & ſciam DEI miſericordiam implorare. O quam*

bono

bono famulamur Domino, mi Pater! In tertijs ad P. Evangeliſtam de Gottis (à quo principium ſanctimoniæ Marcelli extitit, ùt ipſemet his literis inſinuat) ità ſcribit Neapolim. *Plurimæ mihi rationes erant, nunquam obliviſcendi mei cari P. Evangeliſtæ, ùt ſæpius ſignificavi R. V. tum per literas ad P. Gabrielem datas, tum per proprias ad ipſam; at nunc hìc ad ſepulchrum glorioſiſſimi mei Sancti, dum animum pauliſper reflecto ad vitam meam peccatis refertiſſimam, & ad exigua mea merita pro tanta Divinarum gratiarum exuberantia, illuminata mihi mens eſt, & propè evidenter intellexi, omnia mihi conferri ob merita R. V. & ſubitò excitatæ mihi ſunt vividiſſimæ ſpecies unius Miſſæ, cujus mihi applicandæ gratiam pro ſua caritate fecit, quodam die R. V. in Domo Profeſſa, cui ego miniſtrare volui, eámq; dixit in S. Caroli ſacello. Videat omnium particulatim mihi memoriam incidiſſe. Jam ſi principium meæ felicitatis, mearum lætitiarum, meorum gaudiorum ſpiritualium obtinere per unam R. V. Miſſam dignus fui, conſequitur utrumq; noſtrùm grandi obligatione teneri, me quidem offerendi pro R. V. bonam meorum laborum & ſudorum partem, utpote auroræ tanti boni mei; R. V. verò perſequendi mei ad DEUM commendationem in ſuis ſanctiſſimis Sacrificijs & orationibus, quando illa tantæ efficacitatis ſunt. Et cùm effectus ab una ſola cauſa dependeat, ſcilitet ab inſigni caritate R. V. idcirco nihil ampliùs dicam, niſi me hilariſſimè, ſuprà quam unquam concipere potuiſſem, præſtolari Eteſias, hoc eſt generalium ventorum tempus ad navigandum in Japoniam versùs, quod hoc Aprili fiet. Et fiducia mihi in DEO benedicto, & protectione mei Beatiſſimi Sancti eſt, fore, ut cùm has receperit R. V. aut citiùs etiam, in campum deſcendero ad decertandum, eróq; jam intrà confinia Paradiſi. Accipiet nova omnia R. V. ex P. Gabriele, cui ea largè perſcribo; & ora pro Marcello, &c.* Ultimæ ad Dominum Antonium Tellez de Sylva ità loquuntur. *Domine Antoni Tellez de Sylva, fili dilecte animæ meæ, comes expeditionis, atque amice ex animo, mandat mihi DEus, ut te linquam; S. Franciſcus Xaverius in Japoniam me vocat, obtemperandum nunc tantummodo eſt, eóq; promptiùs, quoad magnificentiſſimum Sacrificium accedimus propiùs, ad expiandum proprio ſanguine animum, prædicandúmq; vulneribus, quando verbis id non permittitur. Ego te gero in pectore, inſinuatum in corde, & in memet converſum, & me in te; ut quod in me eſt, una videamur anima in gemino corpore, ego te comitabor obſequijs Ulyſſiponem, & tu venies ad fruendas lætitias meas. Ego te proſequar in Patriam inter neceſſarios; tu mecum eris in carceribus inter carnifices. Tu primus in die triumphi mei particeps eris ſolatij, & potiorem ſanguinis partem, quã jam nunc tibi offero, vendicabis. Dignare tributum admittere ab iſthoc paupere, & tibi obſtrictiſſimo ſervo. Memento Marcelli tui apud te tanpere gratioſi, tantopere tibi aliquando dilecti, & in amplitudine tua, ubi reſciveris à me obitã per tormenta in Japonia mortem, dignare ſemel* Ave Maria *ad Sanctum recitare, & beneficium amico collatum gratulari. Dabo operam, ut particulatim ante alios omnes reſcias, nunc enim tempus non eſt. Sed fidem tibi meam obligo, eum tibi me ſemper fore, qui eſſe debeo; & altero in* Regno *penſaturum, quod in iſto nequivi; & ubicunque fuero, ſatìs erit tua mihi vota ſignificâſſe; admiſſo tamen te etiam interea in partem eorum, quæ pauca vivens præſtitero in obſequium Domini noſtri, & dilecti mei P. S. Franciſci Xaverij, qui te etiam inviſat in veſte candida, cruce in pectore, cereo, & viatorio baculo in manibus, Regio ſuo comitatu ſtipatus, ùt ſolet. Sanctus hic glorioſus tibi adſit, te viſat, & protegat per omnem vitam, in rebus tuis omnibus; eiq; ſupplica, ut quinq; annì pœnarum, vulnera in capite & cruribus &c. non differantur ob peccata mea, ſed omnia quæ poſſunt tormenta; omnia jungantur; ut demum ſuccedat verum bonum, ſi tamen ſupereſt aliquid fruendum amplius, quàm quod modò impertitur. O Deus Bone, quæ deliria ſcripſi! hæc tecum uſq; dum nos reviſamus. Vale millies; vale & ſalve, & perge hilaris: res enim tuæ valde bonum ſortientur exitum. Marcellus Franciſcus Maſtrillus Indus feliciſſimus, ſervus tuus ex animo.*

Inſtitutâ deinde Goæ Sodalitate Nobilium ſub S. Franciſci Xaverij nomine, Marcellus Macaum quidem verſùs cum quatuor Patribus ſolvit, in Philippinas tamen nec cogitans, omnibus invitis, pervenit, agente illum occultâ vi ſuo Sancto, ut ibì monſtratum ſibi per viſum Neapoli transmiſſionis ſuæ in Japoniam Patronum inveniret. Malacam ſecundo curſu perveniens, plurimos ex vulneribus in cruenta adverſùm Batavos victoria ægrotos milites deprehendit, quibus tum omnibus ingenti caritate aſſiduus in Noſocomio adfuit, tum unum potiſſimè, à quo teterrimus odor arcebat omnes, impenſiùs fovit, ſuis ulnis & complexu, quoties curaretur, ſuſtinens, quamvis tertiò fuerit ex tetra illa illuvie animo deficiente alienatus à ſenſibus. Indè Sincapuræ & Campojæ fretum prætervectis, repentè Hollandorum myoparones tres adverſi occurrunt, quibus licèt velis remisque omnibus laboraret in altum effugere oneraria, piratici tamen myoparones ad curſum expeditiſſimi jam ictu tormenti dedi-

tionem imperare, minari cominus, ut jam exaudiri poſſent, pœnas, cruciatus, nî ſiſtant fugam, ſéq; ſubmittant. Tum verò Marcellus, qui ſub tabulato diſcriminis inſcius precabatur, evocatus, effigiem ſui Sancti hoſti opponere, opémq; ejus omnibus indubitatò polliceri. Mira res! non aliter quàm ſi injectâ manu retinerentur Myoparones, ulteriùs non poſſe progredi, biremi, jam penè manu prehenſæ, locum effugij dare, dum penitus ex oculis abijſſent. Præcipiti eâ fugâ oneraria in errores à ſuo curſu delapſa, incertum erat quò porrò dirigenda eſſet. Macaum petere diſſuadebat periculi ab Hollandis piratis metus; in Philippinas flectere non ſinebant maria, illuc vaſta & ignota, Inſulæ circùm hoſtiles & infeſtæ, commeatûs & aquæ ingens jam penuria, navis fatiſcens & plurimum maris hauriens, cui exhauriendo eſſent impares. Re nihilominus ad Marcellum delatâ, ille conſulto per Hoſtiam Deo, duas in calicem ſchedulas injicit, quarum uni Macaum, alteri Manila inſcripta fuerat, certis ſequi omnibus eam, quæ ſortitione prima eveniſſet. Educta Manila, Philippinarum Urbs princeps eſt, eóq; ſtatim navis obverſa. Ecce autem continuò, velut refectâ carinâ, ſiſtere ſentina; biremis celeriùs aſpirantibus auris provehi, commeatus quaſi ſuccreſcere, & deniq; rectà Manilam, quamvìs viarum & locorum ignari, poſt undecimum diem invehi, ipſo S. P. Ignatij die. Sed & ibì nova prodigia. Dederat in Hiſpanijs commendatitias Marcello ad Gubernatorem Philippinarum Præfectus Aulæ Reginæ, quantumlibet neganti illac ſe iter habiturum, quas idcirco nullo in pretio neq; memoriâ retinebat. At dum Manilæ impedimenta ſua excutit, ecce eæ literæ incogitanti veniunt ad manus; quas redditurus Gubernatori Sebaſtiano Hurtado Corcuera, Militiæ Alcantarenſis Equiti, ùt hominem conſpexit, agnovit os habitúmq; prorſus illum, quo in morbo Neapoli ſibi comparens hujus Ordinis Eques cum viridi Cruce, magno futurum aliquando auxilio ſpoponderat: quod & confeſtim experiri cæpit. Nam licèt ſeveriſſimam ipſe Corcuera legem capitis tuliſſet, nè ullus quemcunque Religioſum in Japoniam deportaret, multúmq; tota Manila, ac præſertim Inſtitores adverſùm ejus conſilium reclamarent, ſanctè nihilominus Marcello ſpopondit, ſe eum unà cum quatuor ſocijs Sacerdotibus in littus Japoniæ expoſiturum.

Manilæ duos & medium menſes ſubſiſtens, quantò vicinior Japoniæ fiebat & Martyrio, tantò ſanctiùs inſtitutâ vitâ ad illud ſe comparare ſtudebat. Multas diu noctúq; horas continuatâ vigiliâ Orationi tribuere, nudâ ſemper humo cubare, ſacris eâ flagrantiâ operari, ut alij ſui inflammandi cupidine eum tunc ſpectare perquirerent. Omnis ejus ſermo Divinitatem ſpirare, eo fervore incenſus, quo oculis ſcintillare, flammásq; modeſtiſſimo vultu vibrare videretur. Totus eſſe in orando pro defunctis, quibus jam pridem omnes actiones ſuas, utì & ſuffragia à morte pro ſe ab univerſa Societate de more dicenda, conſecrârat. Frequens illi cum S. Xaverio in thaumaturga ejus effigie conſuetudo, ex cujus vultûs colore geſtúq; variante, rerum orſus atq; eventus varios legebat. Quo die tertius evolutus eſt annus à prodigioſa ſui Neapoli curatione, Manilæ coram ſocijs ſuper menſa noxas ſuas vice lectionis prolixè objurgavit: viliſſima Domûs & culinæ officia inſtar mediaſtini totis illis menſibus obivit, & cùm nihil novi veſtitûs admitteret unquam etiam aliàs ſuſtineret, ſuis veſtibus, calceamentisq; ſarciendis ſuam ipſe operam adhibebat. Flagris ſeſe quot noctibus cruentabat, idq; tam diutinâ verberatione, ut miſeratus Superior illum mitiùs ſævire in ſe juſſerit. Id quod tamen nulla carnis in ſpiritum rebellio exigebat, ſiquidem caſtimoniam nullis impuris unquam imaginibus, aut incompoſitis corporis motibus infeſtatam, ad uſq; mortem illibatè Angelicam conſervâſſe certò ſcitur. Interea cùm vulgatum eſſet Gubernatoris conſilium Marcelli in Japoniam transportandi, atq; illi univerſâ obluctante Manilâ turbarum aliquid metueretur, coactus eſt Gubernator ad ſpeciem Marcellum cum ſuis ſocijs Macaum dimittere, quem tamen illico de via Manilam retraxit. Ergo dum ſocijs valedicens, exoſculatus omnium pedes cum lachrymis, Sanctum ſuum pro ijſdem conſulit, advertit eum in ſua icone vultu in pallorem & mœſtitiam verſo, grandem illis tempeſtatem portendere, per quam portum Macaënſem non eſſent obtenturi. Itaq; ad eos converſus: *Solvite porrò*, ait, *quando tempus fuerit; ſed certi nos Manilæ propediem reviſuros.* Stetitq; ſuus vaticinio eventus, quando fracto navigio, multísq; demerſis, vix ægre Socij ad idem littus enatavêre. Brevi tamē refectâ biremi iterum ſolventes, paucis diebus Macaum tenuêre, literas ſecum ad Provincialem Japoniæ à Marcello deferentes, quibus eos ſecum in Japoniam à Gubernatore transportandos, remitti Manilam efflagitabat.

Mar-

Marcellus interim Manilæ totum ſe condiſcendo Japonico idiomati ſtudiosè impendebat; cùm repentè Gubernatori divinitus mens injicitur, movendi in Mindanaum unam ex Philippinarum Inſulis belli. Imperabat illic etiamnum Catciles Coralatus, de quo ſuprà in P. Joanne Carpio ſermo fuit, homo ſævus, & nomini Chriſtiano infenſiſſimus, continuus terrâ marique latrocinijs eò jam potentiæ provectus, ut ſi porrò impunè graſſari fineretur, in periculum amittendi omne ijs Inſulis imperium Hiſpani inducerentur. Sed re ad militare conſilium deductâ, plenum temeritatis plerisq; Ducum cenſebatur futurum bellum, ubi in hoſtem viribus & numero validiſſimum, uni Hiſpano contra ſexcentos & ampliùs hoſtes depugnandum eſſet. Quia tamen in propoſito conſtans Gubernator mentem illam prorſus divinitus ſibi injectam, Marcellúmq; veluti certum ejus victoriæ vadem, improviſè id temporis à Deo illuc directum interpretabatur, placuit omnibus rem ad Marcellum deferre. Ille conſulto pluribus Sacrificijs, & maximis ſui afflictationibus & precibus ſuo Sancto, edicit, bellum cum certo victoriæ obtentu ſuſcipi poſſe, ſi S. Xaverium in ejus ducem adſciſcant: eo pacto certam ſe illis victoriam, dum fidant, nomine Sancti polliceri. Ergo conclamato bello, ut certiùs deinde conſtaret illud divinis, non humanis confici viribus, vix capita colligi ſub ſignis potuêre ſexcenta, ità res ibi Hiſpana acciſa tum erat. Ante omnia die Purificatæ Virgini ſacro A. 1637. omnes Sacris myſterijs expiati, undecim navigijs ſolvêre. Marcellum Gubernator, veluti claſſis Genium Tutelarem ſecum Prætoriâ vehi voluit: à quo dæmon, cui bellum illud magìs quàm hominibus movebatur, ſibi malè metuens, auditus eſt non ſemel eâ viâ per aërem vociferari: *quid quæris? ad quid huc veniſti? quis, malum! te huc advexit? ego te vitâ expellam!* Sed & claſſem miris infeſtabat terroribus, expeditioni moras injiciebat, indè maximè irritatus, quòd Marcellus omnia illa pietatis exercitia, velificante illi in omnibus religioſiſſimo Gubernatore, quócum Preces Canonicas aliásq; pietates plerumq; perſolvebat, in totam claſſem induxit, quibus eum in oneraria, quâ ex Europa vectus fuit, uſum fuiſſe vidimus; ut revera non milites, ſed totidem Religioſi navigare jure cenſeri poſſent. Ad diem 22. Februarij Samboangam Mindanai arcem appulſi ſunt, leucis 60. ab hoſte, & poſtridie generalis omnibus Communio, propoſito Jubilæo, uno Marcello omnes expiante, in proximam Dominicam, quæ erat prima Quadrageſimæ, indicta. Eâ per incredibilem pietatem religioſiſſimè expoſito in totam diem Vener. Sacramento celebratâ, Marcellus, ut militem pro concione quàm ardentiſſimè ad ulciſcendas Dei injurias inflammaret, Chriſti Crucifixi ſignum produxit, cui hoſtes brachium dextrũ, & pedem utrumq; truncantes, ſagulum vetus ignominioſè induerant. Ejus conſpectu omnes lachrymis perfuſi cùm incredibiliter in hoſtem exarſiſſent, Gubernator non expectatis ſubſidiarijs Indorum, quæ intrà triduum expectabantur, copijs, in hoſtem movere decrevit. Voluêre quidem Duces, ipſo adeò inclinante primùm Marcello, ad eam moram inducere Gubernatorem; ſed ubi is Sacrificio D E U M per Sanctum ſuum conſuluit, patuit Gubernatorem impulſu Numinis agi. Poſtquam enim vaticinium illum Epiſtolarum Xaverij librum fortuitò aperuit, & hæc in eo verba ſortitus eſt; *Sæpe credimus noſtram ſententiam potiorem eſſe; verùm permittendæ ſunt res ijs, qui eas adminiſtrant, ſi errare nolumus:* nunquam deinde induci potuit, ut obniteretur inceptis. Itaque feſtinatâ profectione in Silinganum ſinum provectis, gravem à dæmone commotam tempeſtatem, reliquijs Sancti Marcellus, & ſacris exorciſmis compoſuit. Ad Promontorium Sagittarum (ſic dictum, quia reduces à prædatione barbari ſagittis ſolebant illud configere, eóque ritu Mahometi conſecrare) allapſis, Marcellus totâ illâ ſagittarum ſilvâ, quæ in crepidine fixa hærebat, flammis conſumptâ, nomen illi à S. Sebaſtiano deinceps impoſuit. Indè provectos iterum cacodæmon ter objectis ventis & fluctibus, & quartò tandem etiam nullo reflante vento, adverſùs omnem remigij vim claſſem remoratus, infeſtavit; donec injectis in undas reliquijs iterum præſtigias amolitus eſt Marcellus. Appulſæ ad littus hoſtile copiæ (id eſt, quod mirere, vix milites univerſim 70. nam cæteri nondum advenerant) ad oppidum Coralati, foſsâ & vallo munitum admoveri cœptæ ſunt, in quo ſupra bis mille propugnatores, tormenta erant compluria, & telorum omnis generis abunde. Marcellus ea in aggreſſione primos ordines ducebat, unâ manu celebrem S. Xaverij imaginem haſtili appenſam, alterâ ſagulum illud Chriſti Crucifixi præferens. Impreſſione factâ, & aliquot ex propugnatoribus primarijs neci datis (nam Coralatus tempeſtivè in arcem refugerat) vix horæ intervallo, oppido potiuntur. Prædâ mi-

dâ militi conceſsâ, fanum Mahometi, Deiparæ Marcellus conſecrat. Advenêre interim copiæ reliquæ, quibus iterum per Sacramenta expiatis, decernitur in diem 17. Martij Arcis expugnatio.

Erat ea jugo prærupti montis inædificata, opere, ſitu, & naturâ firmata, via undiq; propemodum inacceſſa. Neq; dubitabat Coralatus tam multis indè in tam paucos pugnantibus, de Hiſpanis triumphaturum. Facto Sacro, inflammatisq; concione militibus, præmiſſa pars una militum eſt, quæ in ſupercilium montis à tergo inobſervata evaderet, indéque clangentibus tubis ad oppugnandam arcem deſcendens, ſigno eſſet Gubernatori, eodem tempore altera ex parte illam invadendi. Quo ſtratagemate è ſententia cedente, dum illi nec opinantem hoſtem tumultuosè invadunt & conſternant, Gubernator ex adverſo per incredibiles viarum ineptias in altum egreſſus, ſimul in arcem ſigna admovet. Prima in aggreſſione Marcellus globo tormenti majoris ictus in pectore, noxæ prorſus nihil accepit, pilâ, poſt laceratam leviter togam, ad ejus pedes prolapsâ. Sed & in Gubernatorem, dum Marcellus pluribus militum vulneratis opem laturus, labarum ſuum Crucifixi & S. Xaverij icone prætextum cuipiam militū geſtandum committit, pila è tormento excuſſa eſt; ſed quæ S. Franciſci operâ, ut Marcello poſtea revelatione conſtitit, ab illo in ipſam S. Xaverij imaginem impunè averſa eſt, ſervato Gubernatore incolumi; qui ſi cecidiſſet, & de copijs univerſis, & fortaſſe de Republica actum foret. Obſervatus eſt autem in illa ſua effigie Sanctus pro vario belli ſucceſſu, vultum modò mœſtum, modò lætum, ingenti militum admiratione, præferre. Coacti nihilominus eâ die receptui canere Hiſpani opinionem hoſti fecêre cæſi in prælio Gubernatoris. Qui proinde feſtis ignibus victoriam Mahometo gratulantes, totam eam noctem epulis & potationibus tranſegêre. Marcellus interim dolore cæſorum (plures enim illo die dum fortiter agunt, occubuerant) & minùs proſpere geſtæ rei, in proximum jugum ſecedens, cingulotenus à vertice nudus diris in ſuum tergum flagris ità deſævijt, ut ſanguine totus manaret. Voluitq; Deo centum deinceps diſciplinis quotannis citra eas, quibus ſe antè obſtrinxerat, ut omnino bis terve poſthac indies ſe cæderet. Cùm verò cruentandi ſe nullum finem tunc faceret, interventu tandem Gubernatoris modum verberandi fecit. Atq; hìc tum divinitus intellexit, noſtros poſtridie victoriâ potituros, quamvis ab ea longiſſimè abeſſe putarent. Cognovit item, quod jam monui, Gubernatorem fuiſſe à S. Xaverio, averſo in ſuam imaginem tormenti globo, à morte ſervatum. At ubi primùm dies illuxit, ij qui pridie per averſa montis juga ſubrepſerunt, neq; per illius diei tempus difficultatibus retardati, quod moliebantur, efficere poterant, incogitantem hoſtem improviſò cum tubarum & tympanorum ſonitu aggreſſi, brevi ſpatio arcem redegêre in poteſtatem, cæſis compluribus, qui arma corripuerant, ipſóque Coralato ſaucio in fugam conjecto. Partâ eâ victoriâ, quâ nullus ex Chriſtianis cæſus, & tres duntaxat quatuórve vulnerati ſunt, Moncajus Coralati nepos, & legitimus Mindanai Rex, Regioni imponitur, data in certas conditiones pax, quâ indigenis omnibus recipiendi Evangelij poteſtas facta, & illius promulgandi præcones impoſiti ſunt. Remenſo pelago, die 24. Maij, triumphans claſſis Manilam invecta eſt, ſed quæ plurimam laborum denuo ſegetem Marcello attulit. Saucijs namque, quorum curam in caſtris totam in ſe unum hactenus derivavit, in Noſocomium delatis, ipſe lectos ſternere, cibaria corrogare, coquere, condire, miniſtrare, in os inferre, dies noctésq; adeſſe, neq; noſocomio, donec omnes ſanarentur, diſcedere. Et quod omnibus prodigioſum viſum eſt, nullus eorum quibus ipſe manum admovit (nisì qui medicinam pertinaciter reſpuebant) non integre reſtitutus eſt, cùm multi lethaliter icti, multi venenatis eſſent ſpiculis transfixi. Ipſe namq; malagmata, quæ vulneribus apponebantur, S. Xaverij admiſtis reliquijs temperabat; & chirurgi manus ante curationem ordiendam ſuis manibus complexus, præſignificavit, neminem ex acceptis vulneribus, qui ea medicamina acceptaret, moriturum: Chirurgis interim vulnerum gravitate notatâ, cùm ea viderent præter omnem expectationem coaleſcere, attonitis, neq; nisì prodigio id accidere potuiſſe, atteſtantibus.

Unica poſthæc Marcellum tenuit ſollicitudo trajiciendi in Japoniam; quæ cùm arctis adeò teneretur excubijs, ut omni penè eò ſe penetrandi ſpe deſtitueretur, Macaum deniq; poſt Socios navigare conſtituit. Sed amantiſſimus Marcelli Gubernator nullatenus eum divelli à ſe patiebatur; cùmq; fruſtra inducere laborâſſet, ut ſecum in bellum contra Joloënſes (quos ab eo devincendos, licèt majore quàm cum Mindanaënſibus contigerat clade, prædixit) proficiſceretur, tandem

dem datæ primò fidei memor, & Marcellum anxium videre non ſuſtinens, à P. Provinciali petijt illum ſuæ poteſtati, quoad trajectum in Japoniam permitti: daturum ſe operam nè quid temerè conſtituat, néve cuiquam noxæ aut calamitati, quidquid ab ſe ſuſceptum fuerit, exiſtat. Provincialis qui rem altiore quàm humanâ providentiâ geri videbat, eâ potiſſimùm causâ, quam etiam ad Generalem perſcripſit, aſſenſum dedit, nè reſiſtendo medicinam, quam lapſo Ferreiræ parare DEUS in Marcello videbatur, humanâ prudentiâ interverteret; néve culturam eam Societatis ſummis iſtis temporibus deſereret, quoniam à lapſo Ferreira nemo ſe potuiſſet adhuc in Japoniam penetrare. Et quidem Marcellus ipſe Gubernatori aſſeveravit, idcircò ſe in Japoniam à S. Xaverio miſſum, ut Chriſtophorum Ferreiram ſuo exemplo à perfidia retractum, ad tormenta animaret, vel ſi id non cederet, labem ab eo factam ſuâ morte ſarciret. Ideóque non ſe verbis & prædicatione, ſed vulneribus duntaxat & morte illic Evangelium promulgaturum. Gubernator eâ licentiâ lætus, navigium ejuſcemodi ſilentio compingi jubet, quales Japonum Cymbæ littorales ſunt, quas ipſi Funeas vocant. Tum illud diſſolutum alteri grandiori navigio clàm imponit, ſimulátq; ſe illud publicæ rei causâ in Formoſam Inſulam deſtinare. Habebat eâ tempeſtate in vinculis nauclerum, omnis oræ Japonicæ ſcientiſſimum, ſed capitis idcirco reum, quod ſuo injuſſu tres PP. Dominicanos eodem vexiſſet. Huic & vitæ gratiam pollicetur, & amplam præterea mercedem, ſi bonâ fide Marcellum in Japoniæ littus quodpiam indeprehenſum exponat. Quo conditionem magnâ lætitiâ acceptante, Gubernator Marcello tantum auri comparat, quantum ad aliquot annos in Japonia ſuſtentando ſatis fore videbatur. Igitur Marcello, qui generali confeſſione animum poſtremùm expiárat, antè digreſſum valedícens Gubernator, cùm præ lachrymarum copia loqui non poſſet, epiſtolam tradidit, quâ memoriam ſui in Cœlis poſt obitum Martyrium, obnixè flagitabat; & ut fido cuipiam Chriſtianorum committeret, ut ejus ad ſe oeciſi corpus transferret, ſponderétq; ſuo nomine in præmium ſex millia nummûm, vel demum quocunq; pretio indicâſſet operam ſuam, perſoluturum ſe quidquid convenerit. Digreſſo Gubernatore Marcellus cultu Japonico, & Joannis à Cruce nomine adſcito, adjunctis aliquot Japonibus, quos timore perſecutionis è Patria profugos, ad oppetendam pro Chriſto mortem accenderat, in navim tranſijt, relictâ in Urbe opinione, quòd in Sinas; in navi, quòd in Formoſam tenderet, in concupitam tantopere Japoniam ſolvit die 10. Julij A. 1637. Ibat Marcellus tanto delibutus gaudio, ut quodam quaſi modo impos ſui, alienari à ſe ipſo videretur. Qua de ſua voluptate ità ad Amicum ex ipſa navi ſcribit: *Miſericordias Domini in æternum cantabo! quando enim unquam talem mihi diem affuturum, per mea peccata, potuiſſem imaginari? nunc demum affirmare poſſum, me cum lætitia ſcribere.* Ceterùm quàm plena periculorum extiterit ea navigatio, ſcribens ad alium hæc ait: *Tam varia fuit navigatio, támq; periculoſa, ut venerim inter ſpem & metum, veritus, nè mea peccata totum corrumperent. Etjam nunc, dum ipſa ſcribo, vehemens ex obliquo ventus veli rudentem dirupit, & curſum ultro citróq; obliquamus, expectantes dum Funea compingitur. Et fateor id quod eſt: omnium itinerum quæ mari confeci, graviſſimum iſtud & periculoſiſſimum extitiſſe.* Sed tamen hæc omnia, jam cruce ſuper undis ipſanothecâ Xaverij ductâ, jam eâdem mari religiosè demersâ tranquillavit, promiſſo nautis faciliori in reditu, utì factum eſt. curſu, ubi Jonam in Japoniam ejeciſſent, propter quem illæ tempeſtates ſunt concitæ. Vehebatur in navi is, qui Funeam molitus fuerat, Japon, ut eam ex arte diſſolutam, eâdem quâ pollebat iterum in loco & tempore compaginaret. Ubi autem dirigi in Japoniam curſum vidit, qui Formoſam navigare credebat, magnitudinem periculi expaveſcens, vehementer queri, ſibíq; graviter impoſitum jactare cæpit, patefacturum ſe ad ſalutem ſervandam mox Magiſtratibus, ubi littus attigerint; quem & unde vehant. Vix hæc effutierat, cùm eodem loco & momento, fœdum in modum os illi torquetur, & violentâ convulſione ſub alteram aurem attrahitur. Mox tamen ùt facti pœnitens genibus Patris advolutus culpam deprecatus eſt, malum leniri, ſpaſmus remittere, & os ad priſtinum ſtatum redire. Cùm verò Navarchus lignationis, & aquationis causâ omnibus nervis jam ad Formoſam, jam ad Lavanam Inſulas appellere contenderet, magnâ vi ſemper, tantùm non hauſtâ fluctibus ſemel navi repulſus eſt: ſolante interim omnes Marcello, neque lignorum, neque aquæ copiam unquam defuturam. Ecce autem eo ipſo die copioſus è Cœlo imber vaſa complevit omnia; lignorúmq; in uſus abunde ſemper fuit, attonito Navarcho, unde tantum illorum ſuppeteret. Omnes interim ſollicitè conſpectum alicujus ex Ja-

ponicis Inſulæ anhelabant; cùm Marcellus poſt medium noctis ex ſuperioribus navis proſpectans, unam ex ijs, Lequium majorem dictam, tam propè intuetur, ut penè contingi, nec ultra minoris ſclopi jactum removeri appareret, quæ tamen eo diſtabat intervallo, ut totâ eâ reliquâ nocte, & pluribus diei ſequentis horis teneri nequierit. Tandem inexplicabili Marcelli lætitiâ 4. Auguſti ad Inſulam Joannoſciæ applicant, ubi coëmptâ ab indigenis cymbâ (nam Funea compingi nequiverat) quâ ad interiora proveheretur Pater, redituri Manilam nautæ cum lachrymis ei valedicunt. Inſtitit Marcellus magnopere ſuadere Japonibus, qui illum comitari ultro volebant, quaſi defectionis eorum, quæ deinde ſecuta eſt, præſcius, ut reditu Manilam cruciatus & certam mortem, quibus ferendis pares fortè non eſſent, redimerent. Verùm firmitatem omnem ſpondentibus, reluctari, nè viam illis ad Martyrium præcluſiſſe videretur, nolens, pauculas ad Manilenſes Amicos dedit alijs redituris epiſtolas, quas illi cùm reciperent, ad pedes ejus provoluti, certatim eos & manus exoſculabantur, ſolis lachrymis & ſingultibus, qui verba præcludebant, vale ultimùm dicentes. In binis earum ad Gubernatorem Philippinarum & ad P. Rodericum Dezam aſſeverabat, mortem ſe priùs oppeturum, utì res ipſa tulit, quàm illæ redderentur. Tertia ad Patruum ſuum inſcripta, ità loquitur: *neq; unde ordiar, neq; ubi deſinam ſcio; ſed verbo complectamur omnia. S. Franciſcus Xaverius tandem confecit, quod ipſius eſt. Miraculo mihi vitam dedit, miraculo me conduxit in Philippinas, miraculo me fecit conſequi â me concupitam Japoniam. Itidem ſpero, quòd miraculo me aliquando videbo inter carnifices. Quando talem unquam diem ipſemet pro meis peccatis imaginari potuiſſem? O quantam adeptus ſum ejus veritatis certitudinem: non eſſe volentis, neq; currentis, ſed miſerentis DEI! Cui Laus, honor in ſempiternum.* Hæc eadem quæ Marcellus experiundo didiciſſe ſcribit, alteri cuipiam virtutis clariſſimæ, miro DEUS oſtento firmavit. Quo enim tempore Marcellus Japoniam petens vehementiùs alto jactabatur, fatigabat ille DEUM precibus alibi, ut curſum ejus ſecundaret. Cui die 21. Julij è Chriſti Crucifixi effigie, coram qua precabatur, allapſa vox ejuſmodi eſt: *jam S. Spiritûs lucem dimitto:* & ſimul ab imagine ipſa radijs perfuſa lux fulgentiſſima viſa promicare.

Digreſſis Manilam verſùs vectoribus, Marcellus cū Japonibus ſuis in cymba, quàm poſſet rectiſſimâ ad Imperatorem viâ per interiores inſulas tetendit. Sed in portu Cuto agnitus à nonnullis pro advena, indicium ſui pecuniâ redemit, & uno è Japonibus Socijs Lazaro Satzumano ſecundùm littus ſe fugâ pedes ſubduxit, reliquis ſuâ cymbâ idem littus legentibus. Sed à littoralibus excubijs celeriter deprehenſi, & quia nullum perfidiæ ſymbolum geſtabant è collo conſpicuum, pro Chriſtianis habiti, Nangaſachum in vinculis abducti ſunt. Statuerat enim totâ latè Japoniâ Imperator, ut omnes Idoli imaginem palàm de collo pendulam geſtarent, ſinè qua igni & aquâ omnibus interdicebatur, nec fas erat emere quidpiam aut vendere, vel tecto ullo recipi, quin ſtatim ad mortem & tormenta rapiebatur. Poſt clementes Nangaſachi interrogationes, Marcelli comites cùm aliqua in reſponſis variarent, quæſtioni ſubjecti ſunt; quam cùm principio conſtanter aliquamdiu tolerâviſſent, ubi vehementiùs torquebantur, præter Andream Cotendam, cui vitâ ſpoliato tormenta ceſſêre, ſex reliqui cruciatibus ſuccubuêre, factóque Marcelli indicio, ejus in Philippinis prodigia, virtutes, æſtimationem, mirè extulêre. Submiſſi continuò veſtigatum 250. milites, Marcellum in profundo denſóq; nemore orationi vacantem deprehendunt. Prodidit illum fumus ex igne ab illo excitato aſcendens: quem tamen vultu inflammato, quaſi in Deum raptus eſſet, conſpicantes, non ſunt auſi, ſereniſſimâ oris majeſtate perſtricti, manus injicere, dum ſponte ipſe precatione finitâ, conformatis pro pectore in Crucem brachijs, vultu & voce placidiſſimâ, in vincula ſe offerret: *ecce me*, inquiens, *Filij, arbitratu veſtro comprehendite.* Vix credi poteſt quanta militum fuerit in eo prehendendo modeſtia, quantus in ducendo cultus & obſervantia, neſcio enim quid homine majus in eo ſuſpiciebant, etiam ex eo, quòd eodem temporis, quo eum vinciebant momento, tanto terra motu concuſſa eſt, ut accolas omnes exterruerit. Vinculis innexum Gubernatoribus Nangaſachi 5. Octobris ſiſtunt, miro quodam ſplendore circùm caput ejus emicante omnibus ſpectabilem. Leniter primùm quæſitus: *Macao, an Manilâ, quem in finem veniſſet?* magnâ animi excelſitate negavit ſe unquam Macai fuiſſe: *Europæum ſe, ac Italum Neapolitanum, in Indiam indè per Malacam ac Philippinas, in Japonem demum miſſum à S. Xaverio trajeciſſe, ut Imperatori ægrotanti, ſi ſuperſtes adhuc ſit, incolumitatem redintegret, eiq; legem Chriſti perſuadeat. Quis ille eſt S. Xaverius?* inquiunt Gubernatores:

Is ni-

Is nimirum, ait Marcellus, *qui primus è Societate JEſu huc delatus, Franciſcum Bungi Regem, & clientes ejus Fidem Chriſti condocuit. At ille pridem*, inquiunt, *morte oppetitâ, quî te huc legare petuit?* Tum Marcellus: *ille quidem mortali vitâ defunctus eſt, ſed vivit etiamnum æternùm beatus in Cœlis, & me Neapoli à medicis depoſitum, eâ ſpecie, quâ depictum mecum attuli, inviſens, ſubitò vitæ viribúsq; reſtituit.* Gubernatores admirati dicentis modeſtiam, neminem adeò conſpicuâ virtute uſq; adhuc in Japoniam veniſſe dicebant. Sed quia leges Imperatoris ità ferebant, nè gratiâ apud illum exciderent, tormento aquæ per violentam infuſionem, & tantò violentiorem ejuſdem regeſtionem, Marcellum primò ſubjiciunt: ac deinde aliud per aquam ſupplicium adhibent, quod ſic exercetur. Divaricatum hominem pedibus ſublimem deligant ad palum, capite ſubjectam in aquam narium tenus demerſo. Dein funem, ex quo pendet, validè contortum remittunt, ut dū pondere corporis celeri circumactu retexitur, animæ reciprocatio intercludatur. Utrumque tormentum eodem die in Marcello exercitum eſt: ſed in altero plus 400. aquæ menſuris, nullo intervallo, ſic os illi obruêre, ut liberè ſpiritum ducendi nullâ relictâ poteſtate, ſemianimis duponeretur. Ut primùm ex animi deliquio ad ſe revenit, tortores ità affatus eſt: *Nulla vos mei capiat admiratio, ſi languere videatis in cruciatibus atq; deſtitui viribus. Etenim quanquam delitijs nō inſueverim, ſenſum tamen humanæ imbecillitatis non exui. Conſtat tamen fatiſcente corpore ſibi animus in omnia, quæ vobis irrogare libuerit tormenta.* Retrurſum poſthæc in carcerem convenêre Magiſtratûs permiſſu, defectionis eorum adhuc ignarum, ſui Japones, vultu dejecto, luridóq; poſtulantes, nè diverſa ab ijs, quæ faſſi fuerant, loquendo, in nova illos tormenta præcipitatos vellet. Marcellus ad tormenta hactenus vultu ſemper amœniſſimus, adeò defectione illorum concuſſus eſt, ut eodem in veſtigio tacitus immotúsq; horam ipſam uno in obtutu conſtiterit manantibus interim continuè pleno vultu lachrymis. Et poſtquam collegit animum, graviter objurgavit admiſſum probrum, decuiſſe viros providere, quid poſſent: facturum quidem ſe quod poſtulant, quando ipſorum gratiâ hactenus ſiluerit, quæ vereri poterat illis noxæ fore. Sed vehementer hortari, abdicatam Fidem & ſuas animas pretio ſanguinis & pœnarum vindicent. Et fama eſt omnes deinde reſipuiſſe, & Fidem ſanguine fuſo aſſeruiſſe. Interim Gubernatores evocato Marcello atrociſſima comminantur, nisì edicat, *miſſúsne à Gubernatore Philippinarum, an ſponte ſuâ, quáve causâ, venerit.* Ille tormenta ſe exoptare profeſſus, *veniſſe ultro & ſponte ſuâ, & neutiquam à Gubernatore ſubmiſſum*, reſpondet, *ex cauſa, quam antea jam edixerit. Eâ gratiâ ſi mortem obire contigerit, ecquid optabilius*, inquit, *evenire poteſt? Age vero*, inquit unus Gubernatorum, *quoniam mortis tam avidus es, ego certam ejus copiam tibi fecero. Sed quid iſtud medicamenti eſt, quod Imperatori ſpondes ſaluti fore? Herbas ego ſalutares*, reſpondet Pater, *quasdam & radices attuli, & pulverem inprimis, cujus tanta vis eſt, ut Imperatorem certò perſanaturus ſit.* Erat ille pulvis è S. Xaverij viſceribus in pilulas conglobatus; tantâq; fiduciâ in Sanctum ſuum erat Marcellus, ut non dubitaret, quin ſi eum ſumpſiſſet Imperator, & corporis ſalutem conſequeretur & animi; neq; enim videri Sancti viſcera, viſceribus Imperatoris quantumvis crudeliſſimi, permiſta, poſſe non ea pervellere, atq; in ſuum ingenium morésq; transferre. Addidit ampliùs, imaginem ſe ejuſdem afferre, quæ ſi in Pagodum delubrum aliquod ab Imperatore ſtatuatur, operaturam tot ac tanta prodigia, ut omnibus magnæ admirationi futura ſit. Experiantur duntaxat, & ipſi eam in delubro collocent, ſuo periculo, ut, ſi fefellerit, quibuslibet mactetur ſupplicijs. Sed nihilominus ad feralem pœnarum locum deductus, toto corpore denudatur: ubi cùm candentibus inſtrumentis uſtulandas cas partes peti cerneret, quarum pudore potiùs quàm dolore tangebatur, ſeveriùs eos increpans admonuit, nè ab avita civilitate deſciſcant: non conſueviſſe Japones antehac immodeſtè ſævire; multa ſui corporis membra habere uſtulationi opportuna, ipſos tam inhoneſtè agere dedecere. Gubernatores rubore perfuſi eum pœnæ modum ſuo injuſſu attentatum præferentes, aquæ tormenta repeti juſſerunt: quibus triduo ſæpe iteratis, nè prorſus extingueretur, foveri ſemianimis in cuſtodia aliquamdiu debuit, donec viribus redeuntibus capitalis in eum lata eſt foſſæ ſententia. Quam ubi reſcivit: *bene habet*, inquit, *ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Et iſto quidem tormento ego vivus defungar, verum Catana* (Japonico gladio id nomen) *me manet, quæ capite abſciſſo Cœlis inſerat.* Nocte ultima cùm ſe ad Cœleſtia commentanda in carceris angulum recepiſſet, Divinæ conſolationis vi corpus librante, viſus eſt ab excubitoribus ſublimè à terra pendere, multâ circum luce perfuſus: ad cujus inſolentiam

ſpectaculi evocati Gubernatores, & ipſi admiratione confecti hærebant, videntes eodem ſimul tempore ingentem lucem Cœlo lapſam cuſtodiæ imminere.

Die 14. Octobris Marcellus è cuſtodia productus, ſtrigoſo equo imponitur, brevi togulâ genuum tenus, cetera nudus, promiſsâ, manibus à tergo revinctis, lupato ferreo muricibus aſpero ora conſtrictus, ne loqui de Chriſto ad circumſtantes poſſet: dextra capitis pars raſa & rubricâ, quo nihil ibi probroſius habetur, depicta. Ipſe autem hilari vultu, oculis in Cœlum ſublatis, ubi inſtitores Luſitanos, qui ſex navibus paulò antè Macao merces advexerant, lachrymantes, ſeq; multâ apprecatione venerantes aſpexit, ter inclinato capite eos conſalutavit. A tergo alligatam trahebat chartaceo vexillo inſcriptam mortis cauſam, his verbis: *Hoc ſupplicium decrevit Sciogunſama Imperator Japoniæ per ſuos Gubernatores Fidaſacakibara, & Poabaſaburoſayemon, in hominem iſtum dementem; eò quòd venerit prædicatum in his Japoniæ Regnis externam Legem, adverſùs leges Sciacæ, Amidæ, aliorúmq; Fotokium Japoniæ. Omnes ſpectatum accurrite; moriturus eſt enim in fovea, ut ejus exemplo ſit alijs cautum.* Perductus ad foſſam in Monte Martyrum, interim dum toto corpore funibus, quò diùtiùs compreſſo ſanguinis in caput defluxu vita illi conſtaret, arctiſſimè conſtringitur, gratias Gubernatoribus egit, pro moleſtia ſui causâ toleratâ. Mox in ſcrobem genuum tenus ſupinis pedibus demiſſus, ſemper immotus quietiſſimè pependit, ut milites, animam egiſſe aliquoties rati, operculum amoverint, ſcitantes, *num quo ægeret?* quibus ille, *unâ ſibi gloriâ cœleſti opus eſſe,* reſpondit; *ſinerent ſe ſuis in fovea delicijs & Paradiſo frui.* Erat jam quartus dies devexus in veſperam, & poſtridie feſtus Nangaſachi cuipiam Idolorum, ideóq; nefaſtus ſupplicijs dies. Igitur gladio percutiendus horâ poſt meridiem tertiâ extrahitur; quod ubi advertit, *bene eſt,* inquit, *id ego pridem opperiebar.* Omnibus miraculum viſum, nihil è corpore ſanguinis illi pronum in caput defluxiſſe, cùm ſolita ſit alijs, nè obruerentur, vena laxari. Porrò cruciatum illum acerbiſſimum, quo viſcera ſuis ſedibus mota, atque in præcordia delapſa, ſuo ſe deinde naturali loco, dum corpus erigitur, reſtituunt, incredibili gaudio tulit Marcellus, humillimâ comitate veniam laboris ab excubitoribus petens, quem ſuâ causâ tam diu ſuſtinuerant. Et mox flexis humi ad excipiendum ictum genibus, bis exclamavit; *Pater mi S. Franciſce Xaveri!* creditus exinde habuiſſe illum extremo hoc vitæ articulo conſpicuum. Secundùm eam vocem carnifex validè vibravit acinacem, qui licèt, ùt apud Japones ſolet, acie præſtaret, noxæ tamen, velut in ferrum impactus, nihil intulit: cúmq; totis viribus iterâſſet ictum, è manibus penitus in terram excidit, ſolo levi veſtigio, ſicut fricando ſtrinxiſſet, in collo relicto. Cúmq; carnifex ſui impos, velut è cœlo tactus, attonitus prodigio ſtaret, Marcellus eum blandè affatus, exequi nunc demum Gubernatorum juſſa hortatur. Quâ velut ſibi datâ facultate animoſior, ferrum corripit, & JESUM ac MARIAM invocanti facillimo ictu caput amputat die 17. Oct. 1637. cùm ageret Marcellus vitæ annum 35. in Societate 20. Quo tempore validè rurſum terra contremuit, & ſereno undequaq; Cœlo, ſoli Gubernatorum Curiæ atra nubes impendere conſpecta eſt. Corpus ejus nnà cum Andreæ unius ex Socijs, qui in foſſa obierat, fædè à ſicarijs diſcerptum, in cineres exuſtum, atq; in fluctus diſperſum eſt. Ex cujus buſto mirum omnibus viſum eſt, fumum rectà ſemper Cœlum verſùs, licèt vehemens ſpiraret ventus ſeſe extuliſſe. Pilulas tamen illas Xaverianas, medicas eſſe rati, unà cum thaumaturga ejus effigie ad Imperatorem transmitti placuit, rebus alijs Marcelli omnibus igne crematis & diſperſis. Simul atque nuncius mortis ejus Manilam perlatus eſt, incredibilis omnes pietatis ſenſus cum lachrymis occupavit, æra Sacra cum Hymno Ambroſiano per omnia Templa reſonuerunt, idem factum Macai, Goæ, Ulyſſipone, Madriti. Neapoli inſuper cubiculum illud, in quo miraculosè conſanuerat, in ſacellum conſecratum, in quo effigies illius viſitur, à pictore, qui nunquam eum viderat, nullam verè illum exprimentem nanciſci imaginem poterat, ità ad vivum depicta, ut nihil expreſſius, nihil Marcello ſimilius fingi poſſit. Ex eo etiam tempore certatim Navarchi ſuis in vexillis atque ſupparis ejus effigiem expingi curabant, ad ſervanda in procellis navigia, curſúmq; fortunandum. Eâdem decollati Marcelli horâ (quod poſtea ex temporis ſupputatione conſtitit) Manilæ vir pius, qui præcipuam Marcello ad iter Japonicum operam navârat, inopinatò nullâ causâ antegreſsâ, ſenſit ſe ad ſtudium ſanctitatis maximis ardoribus inflammari, & inuſitatâ quâdam animi jucunditate perfundi. Cujus unicum auctorem Marcellum interpretatus, omnem deinde ſuperædificatæ perfectionis molem uni illi

illi acceptam ferebat. Diximus ſuprà cuidam perſonæ Chriſtum pro Marcello in Japoniam navigante oranti, illum ex cruce dixiſſe, Spiritûs S. lucem à ſe eò mitti, quæ eadem eventûs Marcelli ignara, dum ardentiſſimè coram eodem Crucifixo, quâ horâ Marcellus plectebatur, Deum pro Japonia exorat, ecce tibi adeſt Marcellus, veſte quidem Societatis, ſed capite Japonicum in morem raſo, qui propter illum in genua provolutus, eaſdem pro Japonia preces inſtanter adjuvabat. Fuêre complures, qui ſolo in cubiculum illud, quod Manilæ Marcellus incoluit, ingreſſu, moleſtos animi ſcrupulos angoréſq; deterſerint, & ad ſanctitatis ſtudium vehementer impulſi ſint. Eodem ipſo cæſi Marcelli die, Manilæ Gubernatoris ex Fratre nepos ad extrema deductus (cujus obitum ante diſceſſum ſuum Marcellus prædixerat) repentè totus hilareſcens, eum ſibi, ùt indè creditum eſt, præſentem alloqui cœpit, *quid rerum agitur P. Marcelle? recténe ad mortem comparatus ſum? condonatáne mihi peccata ſunt?* obitáque, veluti admonitus, totius vitæ exomologeſi, neq; quidquam præterea aliud elocutus, plenus optimæ ſpei mortuus eſt. Ejusdem invocatâ ope res amiſſas & jam deſperatas ipmrovisò recuperârunt alij, alij admotis, ab ejus attactu ſacratis imaginibus, numiſmatis, aut chirographo, capitis dolores momento depulerunt, periculoſos partus è veſtigio ſolverunt, febres ſedârunt, calculos prægrandes, quos ſinè miraculo nequiviſſe depelli poſtea Medici ſenſêre, ejecerunt; verbo omnis generis morbos, ſolo etiam ejus nomine invocato, abegerunt.

Nec in Europam ſuam beneficus minùs extitit Marcellus. Anno 1635. dum Madriti rebus ad profectionem Indicam conficiendis verſaretur, filium Comitis Schomburg Oratoris Cæſarei, nomine Regis Hungariæ è Sacro fonte Marcellus levârat, eúmq; ſub tutelam ſuam receptum, in articulo præſertim obeundi Martyrij, commendatum habiturum ſpoponderat. Pertinax interim malum conſtanter puerum exercuit, atq; adeò macie tenuatum exhauſit, ut eum diu victurum Medici Regij negarent. Ecce autem eodem anni & Octobris die, quo Marcellus glorioſam mortem obijt (& eandem horam prorſus fuiſſe deinde conſtitit) puerulus attonitis omnibus, nullâ præcedente causâ, ſubitâ corpuſculi inſtauratione revaluit, firmáq; incolumitate deinceps vixit. Eodem horæ momento Comiti Rupis floridæ, cui ſimiliter ſui memoriam certò ſe indicaturum Marcellus addixerat, quartana febris, cujus ea hora acceſſionis erat, evanuit, neq; unquam deinceps reverſa eſt. Nobilis adoleſcens Neapoli, ex gravi in caput lapſu perpaulum à morte abfuit. Sed eo in lecto, ubi Marcellus æger cubuerat depoſitus, manè ſoſpes, nè quidem ſigno mali relicto, evaſit. Drepani Catharina à Vincentio & Burgo, cùm ſanguinis, tum virtutis laude conſpicua, tam atroci conflictabatur malo, ut nono morbi die ab omnibus depoſita, ſuſceptis rite Sacramentis, & procuratis craſtinum in funus rebus omnibus, nîl nisì mortem, paralyſi & apoplexiâ percuſſa expectaret. Fruſtra etiam Spiritualia fuêre remedia, provocati muneribus & anathematis Sancti, preces expoſito propalam SS. Sacramento multis in Templis inſtitutæ, ipſe adeò Thaumaturgus Xaverius nequidquam exoratus. Pater Antonius Roſella Virginis Confeſſarius morienti extremùm adſtiturus, epiſtolam à Marcello conſcriptam ſecum inter hæc attulit, juſſitque Marcelli merita apud S. Xaverium interponere, dicto in eundem finem cum adſtantibus ſemel Pater & Ave. Ipſe corpus infirmæ, ductâ in Crucis formam epiſtolâ, locis affectis ſignare, cum hiſce verbis: *per merita S. Xaverij, & Marcelli Maſtrilli, protegat & ſalvet te D. DEUS omnipotens, in nomine Patris & Filij, & Spiritûs S.* Res prodigij pleniſſima! admotâ brachio apoplectico epiſtolâ, confeſtim vigor ad omnem motum reſtitutus eſt: eadem digitis contractis inſerta, mox eosdem explicuit: ſuppoſita capiti, ductáque per reliqua paralytica membra, magno omnium ſtupore, quaquà trahebatur vitam, vigorem, ſalutem integravit; ut ægra continuò ſurgens ſeipſam veſtibus induerit, die ſequenti in noſtram Ædem gratias Divis actura advenerit, dum quaternis interim choris, totâ civitate cum Senatu illuc effuſa, reſonantibus totius Urbis campanis, Te Deum laudamus caneretur. Quo prodigio celebris facta ea Epiſtola, certatim deinceps ægrotis expetebatur, reſtituítq; non multò pòſt alteri cuidam Matronæ in agone jam conſtitutæ, eâdem celeritate perfectam incolumitatem: & puellæ multos annos pedibus captæ, eodem quo applicata eſt veſtigio, greſſum & ſoſpitatem. Alia ejuſdem epiſtola Neapoli Anno 1639. ægrotantis faucibus appoſita, momento anginam depulit.

Verùm ſingulare prorſus eſt, quod Luxemburgi eodem anno in Joanna Goudia patratum eſt. Hæc poſt varios longósq; morbos ex tibiarum dolore ingrediendi facultate

prorſus orbata, miris item ignotisq; doloribus excruciata eſt, ut per annos 12. moveri ſinè ingenti cruciatu, neq; ſæpius quàm ter quaterve per annum poſſet. Ad hæc ità illi ademptum eſt linguæ officium, ut nè mutiret quidem, ſed geſtu duntaxat loqueretur; omnis auræ & aëris impatiens, fruſtra per annos 16. in ejus cura deſudantibus Myſtis & Medicis. Poſtremò interiore impulſu ſe urgeri ſenſit, ut in B. V. Conſolatricis Sacellum deportaretur. Ibi appenſam S. Xaverij Marcellum curantis effigiem digito oſtentans, eorum, & maximè Marcelli ope, ſe bene de ſucceſſu ſperare ſignificat. Ergo tribus illuc continenter Sacris citrà moleſtiam auditis 8. Sept. Anno 1639. quia meliuſculè ſibi fieri ſenſit, totum novendium eam pietatem continuavit. Et ecce quodam die cupido eam inceſſit ante Divini Corporis elevationem genibus nitendi: dúmq; tentat ſe moliri in pedes, ſentit ſibi quempiam à læva, licèt nullo tangente homine, adminiculari, quem ipſa P. Marcellum interpretata, ſtetit, flexit, Divino Epulo accubuit, deniq; ambulavit; donec 14. Sept. inter Sacra myſteria perfectum fandi uſum adepta, votum diſertâ formulâ palàm concepit, honorem & nomen Deiparæ, ac ſervi ejus Marcelli, ſemper tutandi, ac propagandi. Et nè in recenſendis ſpeciatim miraculis prolixior ſim, vix ullum morbi genus eſt, quod invocatus ipſe non depulerit, terrâ, marìq; clientibus ſuis præſens ſoſpitator; dæmonibus, quos è corporibus, & habitaculis hominum ſæpius exegit, in vita & morte factus terribilis. Quantum etiam Prophetiæ dono claruerit, ex multis hactenus colligi potuit. Certè Neapoli Auguſtino Vieræ Diſcipulo ſuo diu antè præſignificavit, ubi annum ætatis 25. exequeretur, ſcreatu ſanguinis, utì reipſa factum eſt, obiturum. Madriti cuipiam è noſtris inſperanti ſpopondit, reviſuros invicem in Philippinis: alteri, ſollicitatum iri gravibus tentationibus ad deſciſcendũ à Societate. Et cùm ejuſmodi prædictiones obviæ illi penè eſſent & quotidianæ, nunquam tamen quidquam fefellit, quin, utì dixerat, eveniret: ut verè de eo dici poſſit: *Non cecidit ex verbis ejus in terram.*

P. PETRUS CASSUI.

PAtri Petro Caſſui Japonia natalis fuit Omuræ, fatalis eadem Jendi, Regia Imperatoris ſede, multo hactenus Chriſtianorum ſanguine nobilitata. Imperij enim hæres Daifuſama, nè à parentis ferocia degenerâſſe videretur, ſub ipſa gubernationis ſuæ initia atrociter in Chriſtianos Jendi inquiſivit; ac 16. Auguſti octo Chriſti Athletas obtruncari fecit. Et ùt tenaces iræ Principum non facilè placantur ubi ſemel ferrum induerint, die inſequenti heſternis octo additi 14. atrocitatem & propè numerum duplicârunt. Ex eorum numero fuit Marcus Principum ſatus ſanguine, qui in Patrum abſentia Chriſtianos in fide ob pœnarum atrocitatem nutantes, confirmare, lapſos erigere egregiè ſolebat. Sequenti rurſus die tres alij ſupra viginti obtruncandi erant; ſed cùm Judices Imperatorem monuiſſent, lentiùs aliquantò in tanta civium cæde pergendum eſſe, ad quinq; ſolùm Martyrij gloria pervenit; è quibus memoranda potiſſimùm venit conſtantia Laurentij. Ducebatur ille ad Martyrium cum primis octo nonus, ſed parens ejus Ethnicus ad Judices appellavit, ſpopondítq; ſe filium ad defectionem pertracturum, ſi mora aliqua concederetur. Non gravatè impetrat, quod Judices ipſi exoptabant. Itaq; magno doloris ſenſu Laurentius fruſtra Fidem ſuam proteſtatus, à ſocijs avellitur, & in ergaſtulum retruſus, nova prælia, cùm victoriam ſe tenere crederet, auſpicatur cum parente; qui licèt fictum Chirographum ejuratæ à Filio Fidei ad judices attuliſſet, cùm tamen coram advocatus Laurentius parentis figmentum deteſtaretur, deſideratæ gloriæ effectus eſt particeps. Quibus tandem adjectus ibidem hoc anno noſter P. Petrus Caſſui, gloriosè occubuit. Fuit ille à puero in Seminario inſtitutus, & A. 1614. cùm à Patrum latere divelli non poſſet, exilio cum illis multatus. Ipſe per eam occaſionem roborandæ Pietati & Fidei ſuæ intentus, Hieroſolymæ viſendæ, legendorúmque Chriſti Servatoris noſtri veſtigiorum ſtudio, Indiam atque univerſam Perſiam emenſus eſt: & ſuo illo perfunctus officio, Romam tetendit. Ibi rerum humanarum pertæſus, anno 1620. Societatem amplexus, in ſuam retro Japoniam Moderatorum miſſu remigravit: in quam, ut ementitâ meliùs perſonâ penetraret, biennio toto longa in navi, nudo capite, nudisq; pedibus remum duxit: & eo tamen fruſtratus conſilio Manilam pro mancipio

P. Petrus Cassui Iapon Soc. IESV, pro Christi Fide varijs tormentis enectus Iendi in Iaponia, mense Iulio A. 1639.

C. Screta. d. *M. K. f.*

cipio tetendit. Sic demum elusis excubijs ingressus Japoniam, Nangasachi complures, quos à Fide subtraxerat horror Ungensium aquarum, suis ipse hortatibus revocavit. Indè in septentrionales oras latus, cùm in hostium manus incidisset, Jendum Urbem Regiam perductus est, ibique varijs atrocissimis tormentis enectus, mense Julio A. 1639. ætatis 51. In media tormentorum acerbitate constitutus, cum inter alios spectatores Christophorum etiam Ferreiram (ità quondam in Societate dictum, postmodum autem in sua à Fide apostasia, Joannem, seu Yendo Japonijs nuncupatum) conspexisset (hunc enim Magistratus supplicio Petri interesse, ad magis in Idololatria terrore firmandum jusserant) cœpit eum verbis ad omnem fervorem incitatissimis, & exemplo suo, ad desertæ Fidei, & mortis pro ea obeundæ gloriam invitare. Sed frustra tunc quidem iterum id fuit, DEO illius pœnitentiam, & fortissimam in Confessione S. Religionis obitam mortem, in multos posteriùs annos disponente.

P. Amarus Mourcira, Lusitanus Soc. IESV odio Religionis ab Hæreticis occisus in India ad Goam 30. Septembris. A. 1639.

C. Screta del *Melch. Küsell f*

P. ANDREAS MOUREIRA.

SÆpius experta eſt in Oriente Societas Hæreticos infenſiores ſibi, quàm Ethnicos fuiſſe. Nam calumnijs ſuis Angli & Batavi Imperatoris Japoniæ animum à noſtris penitus averterunt, cùm dicerent: impoſtores illos eſſe, & mentitæ pietatis fuco Regna perturbare; Hiſpanisq; nova Regna quærentibus viam parare. Quamobrem affirmabant eos in Europa Regnis pelli ab ijs Principibus, qui acutiùs eorum artes explorâſſent. Enimvero Imperator hæc audiens, continere ſe non potuit quin palàm diceret: *Si Principes Europæ ſuis illos Regnis & Provincijs exterminant, cur Regno meo non ejiciam advenas, qui à ſuis non feruntur?* Ejectos poſtmodum in exilium Patres, cùm navibus in Philippinas deportarentur, duobus navigijs invadere parabant in Firandenſi portu ijdem Batavi; niſi in Firandi Toparcha ethnico Catholici contra hæreticos patrocinium reperiſſent. Ijdem P. Ægidium de Abreu verberibus & inediâ confecerunt in nova Batavia, & hoc rurſus anno ad Goam Patrem Amarum ortu Luſitanum, Domo Ulyſſiponenſem, Domûs Profeſſæ Goanæ Miniſtrum ſuſtulêre. Cùm enim hi ſuis claſſibus Indica maria diu haberent infeſta, ut Goanos omni exterorum commercio prohiberent, extremo Septembri duos Myoparones in anchoris pro portu collocavêre. Præ-

tor Indicus hos ut abigeret, roſtratam ingentem navem, cui à S. Bonaventura nomen, immiſſurus, eam compleri militibus jubet; additi qui Sacris myſterijs, & hortatu rem publicam adjuvarent è noſtris duo, P. Emmanuel de Lyma, & P. Amarus Moureira. Antevenêre Batavi: Et ſeptem aliorum acceſſione navium aucti, in Murmuganum amnē, ubi roſtrata Luſitanorum ſtabat, invecti, tormentis eam validè pertinacitérq; verberavêre. Reſtitêre contra Luſitani fortiſſimè dimicantes, donec ſub noctem impulſo in eos navigio quodam inflammato, ignem etiam roſtrata concepit, & horæ momento deflagravit. Tum ſibi quisque, quà evaderent univerſi, conſulere; plerique ſe in flumen agere, & nando experiri. In his P. Amarus fuit: quē Batavi ſubmiſſis cymbis ad excipiendos profugos concurſantes agnitum è toga, & rasâ eo die capitis coronâ, Jeſuitam eſſe, cùm cæteros etiam Religioſos ſervarent incolumes, noſtri nominis & Catholicæ Fidei, quam ſuſtineri à nobis totâ Indiâ clamitabant, odio, contis & mucronibus impiè confecerunt, die 30. Septembris anno 1639. ætatis 42. Initæ Societatis 22.

Secutus hunc eſt eodem anno 28. Decembris, diverſo tamen loco in Philippinis à Mahometanis necatus, P. Petrus de Zamora Hiſpanus. Hic poſteaquam Mindanaus Inſula bello ab Hiſpanis ſubacta, jugum Chriſti operâ P. Maſtrilli ſuſcepit, bene cœpta naviter cum Socijs, prædicatione Evangelij promovebat, magnas ab infeſtis indigenis, ubi occultè poſſent Patrum vitæ inſidias ſtruentibus, difficultates perpeſſus. Degebat in Præſidio Bahayeni, militibus in Spiritu procurandis additus, in tanta rerum omniū penuria, ut ſuâ quâdam ad Moderatores datâ epiſtolâ ſic teſtetur: *opiparè ſecum agi quisq; exiſtimat, ubi quantum vola complecti poteſt, leguminum nactus eſt. Sed in his omnibus ſuperabundo gaudio: neq; hîc unquam aliàs tam bene habuimus.* In hac rerum humanarum penuria, & copia divinarum, mors Patrem fortunata ità excepit. Conſtiterat ex adverſo Arcis manipulus Mahometanorum, fœdus & pacem firmaturum ſimulans: ad quos dum nimiùm creduli in adverſam fluminis ripam Dux ipſe cum Patre, & primores aliquot exeunt, ab hoſtibus Fidei circumventi impiè & perfidè trucidantur. Dux nihilominus cum Patre vulneribus ſaucij per amnem evadunt, ex quibus Pater tertio die conſumptus occubuit 20. Decemb. Neque illi, quibus ejus conditio mortis perſpecta fuit, cunctati ſunt eum in Fidei heroibus numerare, ut quem ideo maximè trucidatum ſcirent, quòd ſtudio haberet eos Hiſpanis conciliare, quò ità Chriſto eoſdem faciliùs aggregaret, cujus illi vehementer odio, ùt ejus perfidiæ cultores ſolent, perditéque flagrabant.

P. FRANCISCUS DE MENDOZA.

AEquiſſimum ſemper duxit Societas, eos qui pro aris Chriſti, aut focis domeſticis, armis depugnant milites, Chriſtianæ quoq; militiæ armaturâ munire: hinc cum ipſis ferè Societatis primordijs Miſſio cœpit Caſtrenſis, quando Aphrodiſium obſeſſurus Vega, Jacobum Lainium unum ex primis S. Ignatij ſocijs, in caſtris ſuis habere voluit, qui ſibi, ſuísq; militibus, quà precibus & Sacrificijs, quà adhortationibus ſacris, & adminiſtratione Sacramentorum præſidio foret. Bellum movebat in Mindanao Philippinarum Inſula pro Hiſpaniæ Rege illic Gubernator, contra Fidei capitales hoſtes Mahometanos, in quorum converſione impigre ibi deſudabat 16. jam annum P. Mendoza. Ij namque qui mediterranea Inſulæ ad Malanai lacum accolebant, facti Deo & Regi refractarij, arma rebellia corripuerant, tracturi ſecum in aciem, quidquid impij dogmatis cultorum illic adhuc ſupereſſet, ut cum Hiſpanis omnem ſimul Fidem & Religionem Chriſti ab Inſula eliminarent. Et prima quidem expeditio ſecunda Hiſpanis, nec multo ſanguine ſtetit & impendio: cujus optato ſucceſſu delibuti, alteram apparabant animoſiùs; & ùt ferè fit, ex ſecundis eventis præſidente naſci ſolitâ ſecuritate, quaſi jam debellatum foret, nunquam ſuperfluam in militia cautelam & vigilantiam propè depoſuerant. Priùs tamen quàm decretoria barbaris arma inferrent, legatos pacis interpretes præmiſêre, eâ ſolâ lege & cautione pacem & quietem ferentes, ut Patres legis Chriſtianæ doctores ad ſe omni abſque armorum ſtrepitu dirigendos reciperent, à quibus documenta ſalutis æternæ perciperent: cætera omnia illis cum omnibus ſuis juribus & libertate manſura integra & immunia. Sed

P Franciscus de Mendoza, ex illustrissimo Sanguine Lusit: Soc: IESV. odio Fidei Christianæ necatus ab Idololatris in Philippinarum Insula Mindanao. 7. Maij. A. 1642.

C. Screta. d. *M. K f.*

illud nempe erat quod ad rebellionem animos impiorum conciverat, dolentibus & frendentibus tres jam ſtationes ſeu colonias, in totidem ſuorum confiniorum vicis à Patribus Societatis excitatas, in quibus ſinguli naviter in deſerta illa vinea laborantes, Chriſtianos mores & humanitatem illis inſtillare ſatagebant. Paucis enim & brevibus laconicâ barbarie reſponderunt, veniret enimvero quando luberet bonis avibus Pater, experturum profectò continuè quantum ejus gratiâ velint. Geminas habere ſe clavas in promptu, queis illum pectore & tergo contuſum elidant: haud alijs ſibi opus præconibus, quàm ſuis eſſe Cacigijs. Mendoza igitur ſtatione ſuâ, quam uno ex tribus memoratis colonijs loco, in alterum jam menſem durante primâ expeditione Yligani procurabat, neceſſariò cedens, magnopere apud Socium Sacerdotem inſtitit, ut quando ipſe militarem aciem priore vice fuerat ſecutus, ſibi jam copia fieret alternâ viciſſitudine in campum prodeundi. Verebatur nimirum magnopere, nè hæc ſibi tam propinqua fundendi pro Religione ſanguinis occaſio elaberetur, poſt quam vix aliam ſecuturâ ſibi polliceri poſſe videbatur. Paucis ſiquidem antè menſibus gravi morbo oppreſſus, trimeſtres inducias ſibi à DEO vitæ popoſcit, quò ſe diligentiùs morti præpararet. Convaluit mox enimvero, ſed Yligani tertio jam menſe ad exitum properante dixit cuidam, mortem ſibi videri propediem imminere, trimeſtres enim quas poſtulaverat inducias jam fluxiſſe. Ergo maximâ

ximâ alacritate cũ militum manu ad interiora Regni profectus eſt, ut ſe cum reliquo exercitu conjungerent. Et quia nemo hoſtium pergentibus occurrebat, reliquúsque exercitus non longè ampliùs aberat, auctâ fiduciâ ejus turmæ Ductor, adſcitis duobus militibus Hiſpanis, totidémq; famulis, Patre etiã in Comitem ſe ultro adjungente, antegredi conſtituit. At vix à reliquo agmine digreſſos, improviſus ex inſidijs Mahometanorum occupat manipulus, inq; veſtigio omnes contrucidat. Quidquid autem infidus hoſtis perſecutus nece fuerit in alijs, in Patre certè nil niſi Religionem & Sacerdotium ſe morte plectere voluiſſe vel eo declaravit, quòd nudum à telo & armis longè diriùs atq; atrociùs ceteris armatis tractârit; innumeris enim vulneribus totum ejus corpus cæſim & punctim diſcerptum ab Hiſpanis deprehenſum eſt, vultu tamen ità poſt fata ſereno, ut arridenti eſſet quàm ſimillimus. Nec dubitavêre illis locis Chriſtiani inter cæſos pro Fide eundem computare, cujus reliquias diligentiſſimè ad religionem collegerunt; & militum quidam ſanctè aſſeveravit, ſe gravem morbum, quo fatigabatur, epotâ, cui fruſtillum zonæ Patris intinxerat, aquâ depuliſſe. Natus fuit P. Mendoza Ulyſſipone, Hiſpanis & clariſſimi generis Parentibus 24. Auguſti Anno 1602. Societatem verò in nova Hiſpania A. 1621. complexus, in Philippinas, etiamnum Tyro transmiſit. Ubi gradum Coadjutoris Spiritualis ſortitus, omnibus Apoſtolicis eluxit virtutibus: ſui præſertim contemtu, mortificatione, & in proximos, ægros, præcipuè commiſeratione, quibus medicandis & herbarum, & rerum medicarum nonnullam notitiam comparârat.

Cæſus eſt ad diem 7. Maij
Anno 1642.

P. BARTHOLOMÆUS SANCHEZ.

QUàm verè profeſſus ſit mortaliũ omnium Sapientiſſimus Prov. 30. inter tria ſibi difficilia, quartum penitus à ſe ignorari, nempe *viam viri in adoleſcentia:* penè evincere videtur labyrinthæus adoleſcentis vitæ à P. Bartholomæo decurſus. Prodigioſè à Parentibus DEum timentibus impetratus, & antequam conciperetur jam Divinis obſequijs devotus, idcirco nomen à S. Bartholomæo traxit, quòd ei die Sacro in lucem prodijt Murciæ in Hiſpania Anno 1613. Hi ſollicitè eductum, novis artibus ab infantia docuerunt ea aſpernari, quibus illa ætas maximè capi ſolet. Rhedas & pilenta aſſerebant aſtu Dæmonis ab inferno extitiſſe, quibus properantiùs ad Tartara veherentur mortales. Quibus perſuaſus ille pia omnia ſectari à parvo, arulas extruere, ſimulare Sacrificia, concionari ad domeſticos, Miſſis libentiſſimè inſervire, conſuêrat. Verùm jam puer Grammaticæ capax, in Gymnaſium Societatis traductus, licentiæ ſolutioris, diſcolorum Sodalium exemplis inductus, indicia prodere cœpit; quæ tamen gravibus Patris minis & increpationibus in ſemine conſopita ſunt, & in contrarium penitus Sacratioris incendij ardorem deinceps eruperunt, quò primùm die trium Japonicorum Societatis Martyrum feſtivitatem Murciæ celebrari aſpexit. Ab his enim conceptâ fervoris flammâ, eodem die viam & ad Crucem, & ad Societatem JEſu arripuiſſet, nisi febris eum repentina tum, cùm admittendus erat, inceſſiſſet. Sed iterum fervorem Spiritûs eadem febris penitus infregit; donec paulò pòſt majore incremento exarſit, ubi intellexit Patrem Ferdinandum Perez, cui erat perfamiliaris, in Philippinas Inſulas diſceſſum parare, unde perfacilis in Japoniam, quò illum Martyrum exemplum nuper traxerat, eſſet trajectus. Ergo certus eum eodem Indias, & ibidem ingreſſum in Societatem petere, dum Parentum conſenſum requirit, veniam quidem amplectendæ Religionis ab ultro volentibus nullo negotio obtinuit, ut autem longiùs ab Hiſpania recederet, exſculpere nullis argumentis potuit. Hiſpalim ergo, ut inter Societatis Tyrones reciperetur profectus, P. Ferdinandum jamjam conſcenſurum deprehendit: ſimúlq; novo & repentino ardore inflammatus, celerem reſolutionem unà abeundi concipit. Mox Gades, ubi naves diſceſſuræ ſtabant in anchoris, provolans, in unam earum clandeſtinè ſe injicit, nec ullis ſuaſionibus, ac penè violentiâ à naucleris adhibitâ, exigi potuit. Verùm unæ iterum ſupervenientes à Matre literæ, lamentis fœmineis orbitatem ſuam graphicè deplorantibus refertæ, in transverſùm ità egêre animum, ut excenſionem illico concluderet, niſi repentè afflantibus ventis naves ſolviſſent. Mœſtiſſimus ab eo momento juvenis, vultu & animo dejectus, non amplius Indias, ſed navigium



P. Bartholomæus Sanchez Hiſpanus Soc. IESV. ab Idololatris necatus pro Chriſti fide in Philippinis Buhayeni, menſe Iunio. A. 1624.

C.S.d M.K.f.

quodpiam ab Indijs remeans ſibi occurrere ſuſpirabat, cujus beneficio è medio curſu remearet ad ſuos. Quo nuſpiam occurrente, tandem omnino deliberavit ubi primùm Mexicum appuliſſent, clàm ſeſe ſubducere, & curſum ad ſuos relegere. Nec defuit ſibi id temporis Dæmon, objectans amaricato jam aliunde animo, contemtum ſui à Patribus, qui non inſtar ingenui, ſed ùt mediaſtinum in via habuiſſent, ad viliſſima nautarum & ægrorum obſequia (fecerunt enim id periclitandæ ejus virtutis causâ) deprimendo: id ſi in liberum adhuc & ſui juris agant, quid tum deſignaturos, cùm habuerint obligatum? Talia ſecum turbidis cogitationibus volutantem, novum antevertit impedimentum. Patres enim omnium ignari, ab ipſo portu rectâ Tepozotlanum juvenem deſtinant ad Tyrocinium. Quid agat inter ſacrum & ſaxum deprehenſus, neq; tamen, ingenuo pudore retractus, palàm defectionem profiteri ſuſtinens? clàm cum Nauclero convenit, ut ceteris Tepozotlani expoſitis, ipſum indè clàm ſecum auferat, opimam recepturus mercedem. Sed inane fuit contra Dominum conſilium, qui improvidæ ætatis miſertus, compedes malignæ febris illi injecit; atq; idcirco Mexicum ad meliorem curam in Collegium delato, ubi incredibili ſupra maternam charitate ſeſe haberi expertus eſt; ità omnes ſimul animo nubes abſterſit, ut exinde nunquam in omnem vitam titubârit.

Animosè ergo manum ad aratrum mittens in Tyrocinio, & per omne virtutũ exercitium edomandis naturæ inclinationibus intentus, præcipuum concepit ſtudium imitandi,

tandi, & primario affectu proſequendi S. Xaverium: expertus aliquando intimè in corde ſibi dici: *Stude, age, huic Sancto impensè, quem tantopere vides tuæ indoli conſentire.* Quia verò per idem tempus P. Maſtrillus Japonem petens, in Philippinis, quò jam Bartholomæus immigrârat, ſubſtitit, non ſolùm affectus hos in Divum, cujus tot ingentia beneficia in illo legebat, immensè adauxit, verùm etiam deſiderium petendi Japones ſufflammavit, ut proinde continuò copiam eos adeundi per literas apud Præpoſitos ſollicitaret. Chirographum quin etiam, expreſſo è pectore, quâ cordi imminet, ſanguine conſcriptum, quo ſe Divo pro ſalute Japoniæ dedicabat, Maſtrillo tradidit: viciſsimq; pulverem de corpore Sancti delimatum vulneri indidit, ut exinde veluti cordis ſui poſſeſſorem circumferret. Atq; hoc ſuo in Divum ſtudio, quem jam modis & praxibus omnibus Maſtrilli venerari ſatagebat, ſentiebat ingentes ſibi animos ad virtutes addi, obedientiam præſertim, quâ ad Superiorum nutus indifferens, ità lubens & quietus, inter tam incenſa Japoniæ deſideria vivebat in loco & ſtatione qualibet, ac ſi ea divinitus ipſi deſignaretur. Paupertatis amator ùt Matris, nihil novi in veſtitu unquam admittens, eò quòd novos aliquando calceos indutus, ità amarè & pertinaciter ſibi internè Sanctum id exprobrantem fuerat expertus, ut quietem & hilaritatem recipere nequiverit, dum exuiſſet. Idem in adverſis & tentationibus omnibus, impuris maximè, certum illi erat perfugium, ità familiare, ut cùm ijs aliquando videretur ſibi oppreſſus, & ad extrema deductus, fiducialiter ei quereretur; *Sancte mi Pater*, inquiens, *ecce jam huic impar certamini, ſuſtinere ultrà non valeo.* Momentóq; abſterſis fædis imaginibus, vidit ſimul tetras quasdam umbrarum larvas à ſe diffugere. Laborabat aliquando ſub gravi deſolationis pondere, inſolitâ Cæleſtium ſuavitatum penuriâ, cui medendæ ad Sancti Altare & imaginem confugiens, videt illam ingenti Cruce, à capite ad calcem prætensâ, totam propè contegi: & ex eo tempore expertus eſt majoribus ſe, quàm unquam aliàs, animi corporisq; doloribus opprimi, donec penitus Chriſto in Cruce per mortem configeretur. Non minima ex ijs crux fuit Sacris jam initiato, incredibilis animi angor, quo ex veriſimilibus argumentis angebatur, ſuam in Sacerdotem inaugurationem irritam eſſe. Tantúmque anxietas proceſſerat, ut eum metum, quo verebatur alijs eâ re ſempiterni cauſa eſſe exitij, libentiſſimè morte redempturus eſſet. Itaq; novendiali præmiſsâ apparatione, dum ipſo Primitiarum die afflictiſſimus ante Sacrum erat, & inter querelas patrocinium S. Xaverij implorat, allapſa vox illi eſt: *Quid tu te deſertum à Sancto tuo quereris? eáne, quæ in te contulit beneficia, tui deſerti indicia ſunt? Quoniam verò te illi ſemel commiſiſti, eidem te poſthac permitte, tolerando potior, quàm fruendo futurus. Studium æmulandarum ejus virtutum nova: & nunc referendæ pro acceptis per eum donis gratiæ, Deo primam iſtam hoſtiam lita.* Abſterſis ità majore parte animi cruciatibus, maxima cura eum inceſſit, an oſtentum in Xaveriana imagine Crucis jam completum, an porrò novis in ſe doloribus explendum eſſet? Cùm ſuperiorum juſſis occupatus Buhayanam in Arcem deſtinatur, præſidiarijs ſuâ operâ adfuturus, & circumjectos Mahometanos ad Fidem allecturus. Quod dum inſtantiſſimè, ſed nullo penè, ob gentis pervicaciam, effectu procurat, evocatur à P. Provinciali Samboangam, principem Hiſpanorum in Philippinis ſtationem, ad concelebrandam ſæcularem inſtitutæ Societatis memoriam. Ubi ipſe inſtaurato per Sacra Exercitia Spiritu, quia majorem à repetenda Buhayana Colonia reluctantiam in ſe ſentiebat, magnopere oravit illuc remitti, Deo ipſi nec cogitanti lauream cupitæ mortis in reditu diſponente. Migranti enim navigio unà cum militum ſupplemento, duo Inſulæ Principes Mahometani Coralatus & Manaquerius, ſexaginta navibus hoſtiliter occurrunt. Pater arrepto Crucifixi ſimulachro Hiſpanos ad fortiter dimicandum in Chriſti hoſtes animabat, donec poſt bidui certamen victi tandem numero ceſsêre Chriſtiani. Irrumpentem ſtricto enſe Manaquerium ſibi antehac ſimulatâ familiaritate addictum interpellans Pater, *amice Manaquerie*, exclamat; ſed ille factis amicitiam negans, ejus gutturi ſicam ältè immergit, & alius quiſpiam in genua provoluto, oculósque & manus in cœlum tollenti, acinace vulnus bipartito capite ſuperaddit. Atque ut liqueret, quem hoſtem in Viro Dei perſequerentur, ſolum præterea inermem Patris puerum Ignatium ejuſdem odio contrucidant, Hiſpanis Indisque armatis omnibus ſervatis. Id quod accidit Anno 1642. initio Junij, ætatis ejus 33. Societatis 11. Patris reliquias Hiſpani milites ſummâ pietate ad venerationem collegêre: Manaquerius autē ante lapſum annū ab alio Principe ditione ſuâ exutus, omnibus ſuis, etiā ſorori Coralatis Conjugi exoſus, per montes & ſylvas vagus vitam traxit.



P. Antonius Rubinus, P. Antonius Capecius Itali. P. Albertus Mĕcinski Senatorio Regni ordine Polonus, P. Didacus de Morales Hispa. P. Franciscus Marquez Iapon. Soc. IESV, post toleratum infusæ aquæ, et violenter expressæ tormentum, in scrobem è pedibus suspensi, et pro fide necati in Laponia Nangasachi A. 1643. 22. 23. et 25. Martij.

C. Screta. d. M. K. f.

P. ANTONIUS RUBINUS, cum quatuor Socijs.

TAcitus aggredior narrare Chriſto glorioſum, auſu fortiſſimum, toti poſteritati admirandum magis, quàm imitandum: quod niſi ſpeciali S. Spiritûs impulſu ſuſceptum eſſet, vituperationem magis mereretur, quàm commendationem. Jam ex eo tempore, quo P. Maſtrillum crudeli morte Japonia ſuſtulerat, arctis adeò cuſtodijs à Toſciogunſama Imperatore claudebatur, ut nulli prorſus ſive Europæo, ſive Japonio illuc irrepere fas eſſet. Interim P. Antonius Rubinus è Cocinenſi Provincia Macaum miſſu P. Generalis appellens, ibiq; primùm literas ejuſdem referare juſſus, intellexit ex ijs ſe Viſitatorem Japoniæ & Sinarum conſtitutum. Cujus prima ſtatim cogitatio & cura fuit, Japoniam nullatenus deſerere, ſed omni, quâ fieri poſſet arte & modo, tot Sociorum ſanguine rigatum ſolum quantovis periculo adjutum ire. Et quamvis id fieri poſſet per alias in ſubſidium afflictiſſimæ Patriæ ſubmiſſas operas, avebat tamen incredibili deſiderium æſtu per ſeipſum eam inviſere, tum quia ſuo Viſitationis Japonicæ muneri id directè & primò conveniebat, tum quia miſſis alijs in tam aperta diſcrimina ſe ſubtrahendo, judicabat ſiniſtri rem exempli futuram; reipsâ autem, ut Martyrij gloriam per tot navigationes quæſitam, & nunc propè in manibus poſitam

poſitam conſequi daretur. Cùm igitur hoc in animo firmiter ſtatuiſſet, Macao autem ob interdicta à Japoniæ Tyranno omnia indè commercia, id nullatenus perfici poſſet, continuò Manilam Philippinarum Inſulam trajicere ſtatuit. Verùm reflantibus ventis à curſu in Cocincinam actus, incredibili ſolatio novellis illis Chriſtianis per aliquot menſes fuit. An. 1641. reſumpto curſu, difficili ſeſqui menſis navigatione Manilam tenuit: ubi continuè de eventu votorum ſuorum ſollicitus, nè videretur temerè & inconſultè diſcrimini caput objicere, à P. Franciſco Colin Philippinarum Provinciali obtinuit, ut graviſſimis Patribus in conſilium vocatis, injungeret illis ſuper certis à ſe ſcripto exhibendis punctis ſeriam coram DEO deliberationem. Convocati ergo præter, Provincialem, ejúsq; Anteceſſorem, fuêre tres Provincialis, totidémq; Manilani Rectoris Conſultores, cum Rectoribus Collegij & Seminarij, duóque Theologiæ Profeſſores, quibus ſcripto tradita fuêre ad dierum aliquot deliberationem hæc præcipuè puncta: 1. *Licerétne Patribus in Japoniam tam aſperis temporibus, tam atroci gliſcente perſecutione, proficiſci?* 2. *An id etiam expediret?* 3. *Utrùm, ſi qui eò deſtinandi eſſent, viderentur ipſemet cum illis Viſitator ire debere?* Negotio pluribus diebus à Patribus expenſo, pérq; Sacrificia, preces, & voluntarias pœnas DEO recommendato, iterum convocati, in hanc unanimes cõvenêre ſententiam, quæ ſcripto à P. Joanne de Bueras complexa, ità habet: Ad 1. *Ire in Japoniam ad comprehenſionem & mortem manifeſtò certam, & nulla ex parte dubiam, cenſeo non licere, ob damna graviſſima, quæ res indè Chriſtiana captura ſit, ſinè ullius utilitatis compenſatione; impeditis etiam, ùt eſt ejus gentis ingenium, opportunis in poſterum remedijs. Et hoc maximè caſu, ſi ullo unquam, illud exercendum eſt, quod Chriſtus verbo & exemplo docuit, & ſua in apologia S. Athanaſius obſervavit. Neq; decet eâ ratione gloriam Dei defendere, cùm ſatis id jam præſtitum ſit tot inclytis martyrijs; præſertim paucis abhinc menſibus, Oratorum Regis Catholici, & Comitum, unius omnino & ſexaginta, diverſarum nationum, ætatum, conditionum à Tyranno pro Fide interemptorũ. Ad alteram; eſt obligatio procurandi Japoniæ Chriſtianitati auxilij, omni quo poteſt prudenter fieri modo; eáq; P. Viſitator obſtringitur, cui ſummus Pontifex id ex Officio commendavit. Ea propter ſi qua ſpes eſt poſſe per Coream aut aliâ viâ indeprehenſos eò penetrare, illico mittendi ſunt, nullo nationum diſcrimine, qui linguæ & morum ejus gentis experti ſunt; deſignandíq; præterea qui ſedulò linguam condiſcant, ex ijs, qui ſe ad eam miſſionem divinitus excitari ſenſerint. Ad tertiam; ſi Pater Viſitator habet idoneum quempiam, ùt habere audio, quem ſuo loco ad Provinciæ gubernationem relinquat, cenſeo in hiſce circumſtantijs expedire, ut ipſe cum ſocijs in Japoniam ituris eat; idq; plures ob cauſas. Prima ea eſt, quia apprimè laudabile eſt ſuperiorem intrà ſuæ jurisdictionis fines, dummodo non deſit reliquo officio ſuo, præcedere ſibi ſubjectos exemplo ad ea, quæ difficiliora & vehementer ardua ſunt; cujusmodi eſt, vitam pro Chriſto ponere, próq; ovibus ſuis. Altera ratio eſt; quia cùm Confeſſioni Fidei turpiter defuerit miſerabili defectione unus è ſubditis ejus, quem item Viſitator pro ſuo munere Vice-Provincialem in Japonia tantiſper nominaverat, dum certiorem faceret Præpoſitum Generalem, profectò futurum eſt è magna Dei gloria, & Patri Noſtro aliquod juſti doloris levamentum, itidem & univerſæ Societati; & aliqua Romanæ Curiæ, atq; univerſo Chriſtiano Orbi ſatisfactio, ſi Viſitator item quispiam nõ contentus ijs, quæ Xaverianus ille Heros Marcellus Franciſcus Maſtrillus eum in finem præſtitit, & perpeſſus eſt, ipſemet opitulatum eat illi Eccleſiæ ſcandalum paſſæ, & reductum, ſi fieri poſſit, ovem illam ſuam errantem, & ſi fuerit neceſſe, ſuo etiam ſanguine compenſatum damnum, quod illatum eſt, elutúmq; eam maculam, quæ Societatem magnopere fœdavit. Tertia ratio eſt; quia multa reddit facilia & expedita P. Viſitatoris præſentia, quæ alioqui ſuperatu perdifficilia ſunt, quanta vis cura & diligentia adhibeatur, & trahunt plerumq; ſecum grandia impendia; & ſubditis inſigni ſolatio eſt in rebus aſperis ſuum habere ſecum Superiorem Majorem. Poſtrema demum cauſa eſt: quia cùm Superioris officium, in his præſertim Indiarum Provincijs, admodum grave ſit, haud æquum videtur eum præcipuâ ſolatij parte arceri, quod habere poſſit; & ſi privatorum quisq; omnes itineris ex Europa ſuſcepti labores hoc uno bene collocatos exiſtimat, ſi ad Miſſionem adeò glorioſam deſignetur, profectò non videtur ab ea Superior debere excludi, quoties citra ſui diſpendium officij, multæ opportunitates, & impenſius Societatis bonum illi faciunt occaſionem: imò videtur laude dignus fore, idipſum ſi attentet.*

Votorum ſummam ſe obtinuiſſe videns P. Viſitator, conſilium illico Gubernatori Philippinarum Sebaſtiano Hurtado Corcueræ, communicat, & iſte omnem opem ad transmiſſionem compromittit. Ergo ocyſſimè viam Macaum relegit, ut deſignato pro ſe abſente Vicario, ne quid interim gubernationis muneri deforet, Manilam renaviget, rectà indè Japoniam petiturus. Sed non exiguam

Macai

Macai remoram iterum paſſus, conantibus omni ratione iter ei in Japoniam diſſuadere, tum Patre Provinciali Japoniæ,tũ Socijs Macaënſibus omnibus;ipſe tamẽ rebus omnibus bene in omnem eventũ conſtitutis,Manilam deniq; repetit, aſſumtis ſocijs P. Petro Marquez, 66. annos nato, & Andreâ Vieirâ Japone Coadjutore. Atque ità Divino impulſu manifeſtè illum agente, ter ſeſqui anni ſpatio tam vaſta, tam obnoxia latrocinijs, tam aſpera tempeſtatibus maria tranavit, ſemper integer valetudinis & virium,cùm tamen ſenex eſſet 64. annorom. Manilâ diſceſſum paranti, ſuperveniunt multiplices à Provinciali Japoniæ, & primoribus Socijs Macao literæ,omnibus modis profectionem illam diſſuadere conantibus; quibus ipſe unà Epiſtolà ad Provincialem Japoniæ datâ ſatisfacturus, in hæc verba reſpondit. *Primum propoſitionis caput meam ipſius perſonam attinet; nempe videri ſatius, hâc omiſsâ transmittendi in Japoniam occaſione, aliam ab hac proximam opperiri. Gratiſſimus mihi ſanè eſt animus R. V. & meorum Patrum, quo perſuadere ſtudent ijs argumentis quæ proferunt, ut nunc quidem profectione deſiſtam. Sed ego omittere non poſſum,quin ſequar vocantem DEUM: vererérq; ſi Macaum reverterer, nè mihi Jonæ fortuna contingeret,* quando fugiebat à facie Domini, *& me Oceanus abſorberet. Nihil Provincijs me abſente decedit; relinquo ad quem in rebus recurri poſſit: & anno proximo novus illis aderit Viſitator, ego jam enim ab anno Patrem Noſtrum admonui, me in Japoniam meditari, quò maturè mihi ſucceſſorem ſufficeret. Sed illud ad cumulum eſt, quòd qui me tali vocatione ciet, idem ille DEUS Provinciarum neceſſitatibus abunde ſubveniet. Non eſt mihi alligatus Deus; ſed ipſe ſuâ providentiâ res ità ſuaviter diſponet, ut nullam ex mea abſentia jacturam capiant. Adhæc mihi videri ajo fore, ut ſi ab hoc itinere prohiberer, Provincijs aliquod grande incommodum Deus permitteret,ob ſuæ voluntatis executionem neglectam.* Non eſt alligata manus Domini ad unum. *Faciamus ipſi quod ille inſpirat, & ipſi cura erit eorum conficiendorum, quæ ſollicitant homines.* Itaque deliberatâ jam certâq; profectione antequam Manilà ſolveret, varias dedit ad diverſos literas, quarum aliquas, quia neſcio quid Divinum ſpirant, placet hìc attexere. Primæ ad P. Joannem de Matos, Aſſiſtentem Luſitaniæ Romam datæ, ſic habent: *Viſum fuit hoc anno mitti omnino Patres aliquos in Japoniam, ad opitulandum illi Chriſtianitati tantopere afflictæ, cui nullus jam omnino Sacerdos præſto eſt. In eum finem huc Manilam Macao veni, quoniam apprimè propitium huic conſilio ſortitus ſum Gubernatorem harum Philippinarum, ſuppeditato navigio & nautis, quorum copia Macai non eſt. Stamus in procinctu ad profectionem. Qui proficiſcimur, hi ſumus, P. Petrus Marquez 4. Votorum Profeſſus, P. Albertus de Polonia, P. Didacus Morales Profeſſus 4. Votorum, P. Antonius Capecius, P. Alphonſus Arroyus Profeſſus 4. Votorum, P. Franciſcus Caſſola, P. Franciſcus Marquez, P. Joſephus Clara, & Frater Andreas Vieira Coadjutor Japon. Ego quoque cum illis unà decrevi transmittere, Deo favente, nam meis ipſe oculis, quid præſtari poſſit cupio luſtrare: cùmq; Japoniæ Viſitator exiſtam, ipſa videtur exigere ratio, ut id officij exerceam; fieríq; poteſt, ut res ità diſpoſitas nanciſcar, ut oporteat eâdem me navi Macaum reverti ad nova ſubſidia ſubmittenda, Deniq; in omnem fortunam comparatus eo; confidóq; Divinam Majeſtatem hoc in itinere nobis propitiam fore, Sanctis Sacrificijs & Orationibus R. V. quibus me impensè commendo. Sunt qui ambigant, omnésne hoc anno transmitti expediat: ſed ſi omnes nequiverint, certè pars eorum media ibit.* Manilà 20. Junij 1642.

Alteræ ad Socios Mediolanum inſcriptæ ità ſonant. *Poſtquam adjuvandæ Japoniæ Conſilium diu multúmq; verſavi, decrevi novem eò Patres mittere, delectos è multis, magni fervoris & Spiritûs; ſtatuíq; me illis decimum adjungere, & mea ipſe in perſona cũ illis ire; arbitratus, quoniã Iaponiæ Viſitator conſtitutus ſim,eũ me reipſa oportere, non verbo tantùm & nomine gerere, & vexatam eam Chriſtianitatem inviſere,de qua illud uſurpare poſſumus:* Singularis ferus depaſtus eſt eam: *quódq; deterius eſt, his minimè contentus Tyrannus, clamat inſuper:* Exinanite, exinanite, uſq; ad fundamentum in ea, *ſtirpitus eam, radicitúsq; nitens eruere. Et ut vobis Patres mei amantiſſimi, id quod eſt, fatear, nec animus mihi ſuppeditaret, nec verba, quibus ad expeditionem adeò periculoſam quenquam meorum admonerem, niſi præcederem illos exemplo, niſi primus illis viam aperirem. Cùm recordor unum ſignorum boni Paſtoris à Chriſto indicatum illud eſſe:* Et ante oves ſuas vadit; *video me bonum paſtorem non fore harum ipſius ovium delectarum, niſi prior illis veſtigia ſignem. Itaque quando me DEUS citra omne meritum meum Paſtorem conſtituit hujus dilecti gregis ſui, æquum eſt eam à me conditionem obſervari; præcedámq; alios, viam illis demonſtrans. Superiores niſi ad difficiles & arduas Miſſiones primi fuerint, ægre nanciſcentur qui ſe ad eas occaſiones exhibeant: at ſi exemplo inter primos extiterint, multos habebunt qui ſubſequantur. Multi mihi Patres manus injeserunt, nè per me ipſe in Japoniam trajicerem,*

terem, & multas ad id rationes adduxêre: Sed Deum de me pœnas ſumpturum fore exiſtimo, ſi efficacem ejus vocationem non ſequar. Et ſanè quando mihi DEus pro ſua Divina miſericordia anſam in manum dedit, quanta vecordia foret, uti neſcire tam commodâ & opportunâ occaſione? Decrevi ergo cum novem Socijs eò transmittere, ſperans per illorum merita & virtutes, DEUM aliquam etiam mihi particulam earum ſuarum gratiarum & favorum collaturum, quæ illis præbiturus eſt. Conabimur, quoad fieri poterit terram inobſervati capere: ſed DEO ſi ſecùs complacitum fuerit, ut nè pedem in ſolo eo ponere liceat, animæ certè Cœlum occupabunt, comprehenſis nobis affectiſq; Martyrio; quæ ſors ſi nobis obvenerit, quid felicitatis amplius optari poteſt? Ego pro Chriſto mori non mereor; ſed ipſe dignus eſt pro quo omnes moriamur; ideóq; mihi prorſus diffiſus, & tam boni Domini dignitate confiſus, non cunctabor qualibuslibet me tormentis exponere, certus Chriſtum in nobis, non nos pati, quidquid pro ipſo patimur: ùt Sanctus ait Cyprianus, idcirco Chriſtum, cùm S. Petrum admoneret Martyrij, quod erat ſubiturus, dixiſſe: Vado Romam iterum crucifigi: *quæ verba explicans S. Ambroſius ait, intellexit ergo Petrus, quod Chriſtus iterum Crucifigendus erat in ſervulo. Et Dominus eſt is qui patitur in Martyribus: Tu vincis in Martyribus: Quid contremiſcimus? Exiſtimamus eum nobis tantum virtutis ac roboris præbiturum, quantum ad toleranda ea omnia tormenta, quæ nos volet ipſe tolerare, neceſſe ſit; certúmq; eſt, quod non patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, definitis unicuiq; cruciatibus pro modo virium ſpiritualium, non ultra eas. Qui ſi curam habet uniuscujusq; capilli juſtorum ſuorum, multò magis illi curæ fuerit definire, quæ quemq; tormenta volet ſuſtinere. Soluturus poſt biduum ad mei muneris executionem, nolui priùs conſcendere, quàm iſtius Collegij Patribus Fratribúsq; cunctis valedicerem, invitarémq; ad ferendam nobis opem in hac magnanima Miſſione. Conſtitutum relinquimus, ut quotannis in poſterum Patres in Japoniam deſtinentur ex ijs, qui in virtute & mortificatione progreſſus ampliores habuerint. Et ſi quis inter vos eſt (ùt multos eſſe credo) qui vitam & ſanguinem ſuum conſecrare deſideret benigniſſimo illi & amantiſſimo Domino, qui pretioſiſſimum ſuum dedit pro nobis; jam tempus eſt, & occaſio eſt peropportuna. Chriſtus ſitit ſanguinem noſtrum, & ideo in Cruce fixus clamat:* Sitio. *Cur non reſtinguamus ſitim ipſius, oblato illi promptè, quem habemus in venis, ſanguine? Non nos terreant crudelia tormenta, quibus Tyrannus Miniſtros Evangelij excruciat, quia Dominus ea Cœleſtibus conſolationibus & gaudijs animi dulcia efficiet. Nos ij non ſumus, qui paſſuri ſimus, ſed Chriſtus in nobis; ſi glorioſo Martyri S. Cypriano credimus, qui pulchris illis verbis ad martyrium nos accendit:* Militate fortiter, dimicate conſtanter, ſcientes vos ſub oculis præſentis Domini dimicare, confeſſione nominis ejuſdem ad ipſius gloriam pervenire, qui non ſic eſt, ut ſervos ſuos tantùm ſpectet, ſed ut ipſe luctetur in nobis; ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri & coronat pariter, & coronatur. *Et ſi ſic eſt, ùt verè eſt, quid metuimus? quid dubitamus? conjiciamus nos in amabiliſſima & tutiſſima brachia Chriſti Crucifixi, ipſíq; fidamus, dicamúsq; cum Apoſtolo S. Paulo:* Scio cui credidi. *Patres mei, non fallit nos Chriſtus, dum nos invitat, ſed pugnat nobiſcum, ſubveniens nobis beneficijs favoribúsq; extraordinarijs. Nos præcedimus aperturi viam, & accenſuri pyram. Venite Patres mei, venite; ſuccurrite nobis, non cunctemini amplius, quia appropinquavit Regnum Cœlorum. Expergiſcamur tandem ab omnibus commoditatibus & inanitatibus, & ſerio nos Chriſto conſecremus, quia merces noſtra copioſa eſt nimis. SS. Sacrificijs & orationibus omnium me commendo. Manilâ 1. Julij 1642.*

Tertia ad Macaënſe Collegium data epiſtola ità inter reliqua habet: *Nolui poſtremum hoc iter ſuſcipere, nisi valè meis amantiſſimis Patribus & Fratribus dicto, quos mecum fero, non dicam inſcriptos, ſed impreſſos animo & cordi meo, propter eam caritatem, quâ complector ſingulos in Domino. Semper dilexi omnes, diligo, diligámq;, & dum in vivis fuero, & poſtquam deſiero vivere; nam verus amor nunquam interit, ſed ſemper viget. Decrevi tranſire in Japoniam ego ipſe, ut ſatisfaciam Viſitatoris Officio, quandoquidem ut id gererem DEO complacitum eſt. Neq; me Pater Noſter Viſitatorem ideò dixit, ut Macai reſiderem edens & bibens, ſed ut loca concurſarem obligationi meæ, hoc eſt jurisdictioni ſubjecta: cujus cum princeps portio Japonia ſit, par eſt ab illa me ordiri, meisq; ipſius oculis obſervare, quid poſſit adferri remedij animis illis prorſus deſtitutis, & extremâ neceſſitate ſpirituali laborantibus. Et fortaſſe tam liberum nanciſcar ingreſſum, ut eodem navigio remeare compellar, ad ſollicitanda operarum ſupplementa uberiora. Et ſi DEO cordi non fuerit tam facilem ut ingreſſum habeamus, at noſtro in Officio moriemur, eoque in opere, cujus exiſtimus debitores: & intelliget Orbis Chriſtianus, Societatem omni ſtudio, quo poteſt, eniti, ut Operarios in Japoniam immittat, & Chriſtianis ibi lapſis ſuccurrat, qui nobis concrediti ſunt. Et ut, quod eſt, dicam, ma-*

ximi feci conſtitutum eſſe me ab R. *P. N. Generali Viſitatorem hoc rerum ſtatu, non equidem gubernandi cupidine, quâ, DEO auctore, vacuus ſum; ſed Japoniæ adeundæ factâ opportunitate, & ejus exequendi deſiderij, quod olim mihi DEUS ejuſce expeditionis injecit; & profectò ſatìs videri poſſem vecors & ſtolidus, ſi oblatâ divinitus occaſione frui neſciam, mihíq; metipſi ſtudere. tantósq; in me adhoc iter impulſus experior, ut ſi eo dimiſſo Macaum reverterer, ſanè metuerem, nè me* DEus *mari obrueret ſuæ vocationi renitentem, eveniréq; mihi, quod olim Jonæ imperium Domini detrectanti. Quapropter Patres ac Fratres mei, conſilium hoc meum in bonam, non in lævam partem accipite; ut ſequar vocantem Deum, ipſe me vocat; ipſe ſcit, quem in finem; ſcit non obfuturam officio meo eam abſentiam meam, & ipſe ſupplebit omnia ſuavitate permagnâ. Nè quæſo tantum mihi bonum impedire ſtudeant, néve ijs me fruſtrari beneficijs, quæ mihi Deus deſtinat. Scio quid mihi, & Ordini noſtro profit. Quis ſcit, velitne Deus ea clauſtra tã pertinaciter obſerata, meâ illuc itione reſerare? ut ſubinde vos omnes poſſitis ſubingredi, & veſtris illis ardentiſſimis deſiderijs ſatisfacere, quibus à DEO cumulamini? Nulla mei jactura eſt; imò levatur iſtud Collegium magno hoc peccatore; qui fortaſſe multa vobis beneficia impedit, quæ, ſi abeſſem, Deus in illud conferret. Sinite mitti in mare miſerabilem hunc Jonam: ſic enim fortè ceſſabunt omnes tempeſtates & procellæ. Sinite me ire & periculum exequi, ùt à me* DEUS *exigit. Nè me ampliùs ſollicitate ad reditum, neu ſcribite literas, quibus impedire ſuſceptum meum conemini; neq; animum & cor meum ampliùs affligite, repræſentandis, ùt veſtris in Epiſtolis facitis, incommodis: nè ſuccenſete huic Veſtro Fratri & ſervo, néve querimini, nolle me ſententiæ quorundam aſſentiri; ſed gratulantes mihi potiùs, méq; veſtris SS. Sacrificijs & orationibus proſequentes, dicite lætis vocibus; pergas ſecundis avibus, Deus te ſoſpitem perducat, votis tuis faveat, & optatum in portum agat: his enim fauſtis acclamationibus recreatus ibo, & ſecurus à Domino exauditum iri ſervos ſuos. Et quanta foret ea felicitas mea, ſi Domino cordi futurum eſſet, ut vitam amitterem, imò rectè ut loquar, ſervarem ipſius causâ? non ſum equidem tanto bono dignus, neq; gratia tam inſignis cadit ſub meritũ. Sed quamvis ego dignus non ſum, qui vitam impendam pro Domini amore; at certo certius eſt ipſum eſſe dignum, cujus ſtudio omnes occumbamus. Itaq; de me ipſo prorſus diffidens confidénsq; promeritis Chriſti, in ipſius me brachia divina conjicio, ut de me, quod ei placitum fuerit, hoc agat. Et quid poſſumus reformidare mali, loco tam tuto conſtituti, quàm ſunt brachia Domini? nónne ipſe promiſit, nemo eos de manu mea rapiet? Veniant ergo quotquot excogitare tormenta poteſt humana malitia, non poterunt ea nos divellere à brachijs amabiliſſimi Domini. Verum eſt quidem nos pati pro Chriſto; ſed verum item eſt Chriſtum eſſe qui patitur in nobis: itáq; dixit S. Cyprianus: Dimicate conſtanter, ſcientes nos ſub oculis præſentis Domini dimicare, qui non tantùm ſervos ſuos ſpectat, ſed & ipſe luctatur in nobis; ipſe in certamine agonis & coronatur pariter & coronat.*

Placuit non omnes pariter periculo objici, ſed ut quinq; nunc, quinq; reliqui anno ſequente transmitterent: & quibus animus fuerit hujus expeditionis, interea comparabunt ſe, ut poſt eos quinq;, qui jam hìc reſiſtunt, ſubintrare poſſint. Faxit DEUS, *ut patefiat Japonia, ídq; non operâ ſæcularium aut mercatorum, ſed Religioſorum. Reverentiæ Veſtræ, Patres mei, ſe comparent ſeriò, ut ſuccedant ijs, qui jam admoniti ſunt; nos præcedimus viam facturi, reſeraturíq; portas. Ipſi magnum inſtruant apparatum egregiæ Virtutis & mortificationis. Deuſe ſe integrè Deo, facto ab omnibus ſuis commodis ſempiterno divortio; neq; enim aliter huic ſuſceptioni apti fuerint. Ah Patres ac Fratres mei, videre mihi videor fervorem veſtrum, vósq; lætantes exultare ardentiſſimâ cupiditate conflagrandi ob amorem Chriſti in rogo, aut pendendi in foveis illis immanibus. Animo magno eſtote.* Appropinquat Regnum Cœlorum. *Ego ſi fortè in Japonia perſtitero, ſignificabo quid facto opus ſit; & omnino prolixè ſcribam per hanc ipſam redituram, quâ jam vehemur, navem.* Pax DEI quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras. JESUS ſit refugium veſtrum. *Si me videre atque alloqui voluerint, defigant oculos in Chriſtum Crucifixum, ibì me invenient ad pedes cum Magdalena abjectum, deplorantem mea grandia peccata; ijs Sacratis pedibus memet contradidi, in illis dormio & vivo, illos complector dicens:* Da mihi, Domine JESU, ut ſequar veſtigia tua; mi JESU, da quod jubes, & jube quod vis. *Atq; hiſce finio, amplectens omnes, unumquemq; ſingillatim, eo amore & affectu, quo poſſum maximo, & pedibus omnium advolutus peto plenis lachrymarum oculis, nè hujus magni peccatoris obliviſcantur & ignoſcant erratis meis in gubernando admiſſis & modicæ ædificationi, quam præbui, dum in ſanctiſſimo illo Collegio verſatus ſum: Spiritus Sanctus impleat corda veſtra; Charitas Chriſti poſſideat animas veſtras; Amor Chriſti* JEſu, *& Beatæ Virginis Deiparæ habitet in mentibus veſtris. SS. Sacrificijs & orationibus Patrum & Fratrum me plurimùm commendo.* Manilæ 4. Julij 1642.

Reli-

Relictis ergo Manilæ quinq; in annum ſequentem ex deſignatis ad iter Japonicum Socijs, nè ſi prodi eos contingeret, omnes ſimul in poteſtatem hoſtium venirent, quatuor cum illo profecturi, P. Albertus Mecinski, P. Antonius Capecius, P. Franciſcus Marquez, & P. Didacus Morales, Sinicam induti perſonam Anno 1642. 5. Julij, horâ poſt noctis dimidium tertiâ, clam omnibus conſcendêre navigium. Navicularij maximis muneribus à Prætore conducti, proſpero celeriq; curſu eos expoſuêre in quadam exigua Satzumæ Inſula 12. Auguſti: ubi Patres omnes genibus nixi, oſculis terram libantes, manibúsq; in Cœlum levatis, infinitas Deo gratias manantibus gaudio lachrymis agebant, quòd ſe in eam tamdiu, tot votis cupitam terram adduxiſſet, unde brevem ad æternam Patriam ſibi transmiſſionem ominabantur. Ibi tugurium è virgultis adverſùm aëris injurias moliri, aſſumptóq; Japonico, quẽ attulerant, cultu, crinem etiam more gentis ad diſſimulandum raſerunt. Verùm paulò pòſt ab intentiſſimis quaquaverſum excubijs obſervati, comprehenſique, Nangaſachum 21. Auguſti invecti ſunt. Die poſtero ex ergaſtulo, in quo ferro & nervis innexi totam noctem precando inſumpſerant, ad Gubernatorem producti, & per interpretem quendam Jendo, ſive Joannem (id nominis adſciverat Fidei è Societate noſtra deſertor Chriſtophorus Ferreira, cujus revocandi, ſi poſſent, gratiâ potiſſimùm iter illud ſuſceperant, & quẽ Divina Miſericordia reſpiciens, tandem A. 1652. Martyrem fecerat) examinati, ore P. Viſitatoris intrepidi reſponderunt: *Sacerdotes ſe eſſe è Societate JEſu, cujus Fidem Japonibus prædicatum veniſſent.* Dum Joannes Gubernatoris juſſu, *velintne*, ſciſcitatur, *ejuratâ Chriſti Fide, ſecundùm Japoniæ mores inſtitutáq; vivere? ingentibus illos cumulatum iri opibus & honoribus, quæ Regiâ fide ſponderet.* Ad hæc commotior P. Viſitator: *apage*, inquit, *tenebrio, deſertor, lucifuga, apage ad tartarum & avernales præſtigias, quibus nunc apoſtata famularis. Quæ te Parca, quæ tigris, quæ viperina progenies, aut quod aliud terris infame monſtrum progenuit, qui tam vecordi nos audeas interrogatione experiri?* Perculſus miſer tam robuſtâ reprehenſione, ùt qui ea ipſa interrogata coactus propoſuerat, è veſtigio ſe proripuit, neque ex eo ampliùs in conſpectum Patrum venit. Ergo Gubernator ipſe (erant enim omnes Japonicæ gnari) ſciſcitatur: *perveniſſétne ad eorum aures ſeveritas proſcriptionis Imperatoriæ, quâ omnes Chriſti cultores, Sacerdotes præſertim, ſub atrociſſimis, quæ excogitari poſſent, tormentis arcuiſſet? & quâ ergo dementiâ auſi fuiſſent irrepere in Regnum, tot cuſtodijs obſeptum, ut eas fallere omnino ſit impoſſibile?* Reſpondit P. Viſitator: *edictum Imperatoris probè ſibi fuiſſe cognitum; ſed mandatis Magni Dei, Cœlo terræque dominantis, magìs obtemperandum fuiſſe. Ejus causâ nunc libenter ſe corpora ſua offerrè in omnes pœnas & cruciatus, in omne genus contumeliæ & injuriæ, cùm aliter ob celeritatem comprehenſionis, lucrandis animabus DEO obſequium præſtare non liceat.* His magnâ adſtantium admiratione & ſtupore auditis, detruſi ſunt in teterrimum ſeptem menſium carcerem, modico orizæ, & aquæ dimenſæ pauxillo ſuſtentati: cùm interim modò ſingulis, modò, nè ad ulteriores cruciatus fatiſcerent, alternis diebus, aquæ in os infuſæ ingentem vim, & rurſum violenter, compreſſo ventre, egeſtæ, ſuſtinere cogerentur. Tandem ſeu defatigatâ crudelitate Gubernator, ſeu deſperans poſſe eos à Fide quibusvis tormentis abduci, A. 1643. 17. Martij ſingulos in obſcuram foſſam è pedibus pubetenus ſuſpendi, & quà inediâ, quà convulſis præcordijs, quà ſanguinis & inteſtinorum in caput defluxu, lentâ morte conſumi imperat. Quâ ſententiâ flexis genibus, ſummâ veneratione & actione gratiarum exceptâ, ſtrigoſis jumentis impoſiti, capitibus ad ignominiam dextrâ parte ſemiraſis, oribus ferro frenatis, vinctis à tergo manibus, inſcriptâ chartaceo vexillo, quod in dorſo alligatum quisq; ferebat ſupplicij causâ: *quia Chriſti Fidem contra Imperatoris vetitum prædicaturi veniſſent in Japoniam:* circumvecti ſunt per primarias Nangaſachi plateas, inter inconditas infinitæ plebis exſibilationes: ac demum in monte Martyrum ſinguli in foſſas ſingulas, exoſculatis priùs funibus aliiſque mortis ſuæ inſtrumentis, ſuſpenſi, & toto penè corpore demerſi ſunt. Occubuêre unus altero priùs, ùt ſua cuique virium firmitas emolumento fuit ad producti orem pœnam. Et primus quidem omniũ P. Viſitator 22. Martij die, ſexto quàm fuerat ſuſpenſus. 23. ſucceſſit P. Albertus Mecinski, reliqui duravêre usq; ad 25. quos eo die adhuc ſpirantes, unà cum mortuis duorum corporibus extractos, obtruncavêre, & fruſtatim diſſectos, inque cinerem flammis redactos procul in mare demersêre, nè quidquam exſtare poſſet ſurripiendum ad venerationem. Mors eorum celebrata eſt Macai ingenti Urbis lætitiâ, ſolenni omnium campanarum tinnitu, tormentorum tum curruliũ, tum manualium exploſione, hymno

Ambroſiano ſolenniter decantato, & feſtis ignibus octo per noctes ad hilaritatem accenſis. Soror decrepita P. Viſitatoris, quæ diuturno tempore fulcris cogebatur ad greſſum niti, ubi Eporodiæ nuncium glorioſæ ejus mortis accepit, ſeu magnitudine inſolentis gaudij, ſeu Divino prodigio ità confirmata eſt, ut ex eo tempore ſui potens gradum firmum receperit, neque ullius opis ad inceſſum deinceps eguerit. Neq; ab hoc deinceps anno ullus Catholicorum Sacerdotum ingreſſum in Japonem tentare præſumpſit, nè pro virtute in vitium impingens, vitam aperto mortis diſcrimini, contra datam à Chriſto cautelam, temerè expoſitum iret. Nunc ea, quæ cuilibet illuſtriſſimorum Heroum fuêre propria proſequamur.

P. ANTONIUS RUBINUS, natus fuit Strombini in Inſubria, Societatem Aronæ A. 1596. annum agens 18. complexus. Abſolutâ Mediolani Philoſophiâ cum P. Alberto Laërtio transmiſit in Indiam, ubi auditâ Goæ Theologiâ, & eâdem mox Cocini in Malabare doctâ, binis vicibus in Legatione Pro-Regis Luſitani nomine obita, manifeſtum vitæ periculum evaſit. Sed majus utroq; diſcrimen fuit, quod in liberanda Meliapore, S. Thomæ tumulo celebratâ Urbe, ſubijt. Bisnagenſis namq; Reguli conjunx impotens fœmina, occaſione Regis morbi, ad quem depellendum centum hominum victimas Idolo immolari fecerat, Meliaporem obſidione tumultuariâ cinxit; ad cujus eliberationem miſſus fœcialis P. Antonius, cùm in immenſam auri vim, ſolvendæ obſidioni ab hoſtibus poſtulatam, conſentire non poſſet, anguſtiſſimo carcere & compedibus concluſus, nudâ humo cubare, cibóq; vix ad mortem arcendam ſufficiente totos 65. dies vivere coactus eſt. Donec tandem civium Meliaporenſium munificâ largitione, captivitate ereptus, priſtinis ſuis concionum & catecheſeos laboribus reſtitueretur. Poſt hæc Rectorem egit ejuſdem Urbis Collegij quadriennio; poſtque procuratam decennali prædicatione oræ Piſcariam, præfectus eſt Collegio Cocinenſi; ſub quæ tempora invitatus à PP. Chinenſibus ob eximiam Matheſeos peritiam ad ejus gentis culturam, autoritate Patris Generalis translatus eſt Macaum, ubi Viſitatoris Chinarum & Japoniæ accepit officium, & in Japonia optatiſſimæ mortis, quam retulimus, gloriam. Cæterùm immenſa quædam in eo charitas eluxit in Deum, quâ offenſis illius ſummæ bonitatis ità indolebat, ut propè emoreretur. Eâ hyeme quam in Cocincina, Urbe Cacciani, tempeſtate maris illuc ejectus tranſegit, contigit pijſſimi cujuſdam Civis Chriſtiani omnia Cœlitum ſigna & imagines ab apparitoribus violentè intercipi, quæ Gubernator juſſit pro foribus noſtræ Domûs exſtructo rogo comburi. Inter has potiſſimùm fuit Servatoris in Cruce pendentis ſimulachrum, cujus injuria animum ejus tantopere affecit, ut nisi novellæ illius Chriſtianitatis everſionem fuiſſet reveritus, jam erat in publicum erupturus, & medijs ex ignibus Crucifixum vindicaturus. Quæ tamen ubi noſtrorum conatu jam ſemiuſta fuiſſet vindicata, eiq; contradita, dici non poteſt, quantis doloris lachrymis eâ complexus fuerit, quos oſculis libaverit, quibus gemitibus injuriam deplorans in ſuum caput eam averti exoraverit; ut adeò plurium dierum inediam, in ejus expiationem, continuo luctu & lachrymis infuſus, ſibi indixerit. Ex hoc in Deum affectu proceſſit ingens illa & inflammatiſſima in ſalutem proximi charitas, quâ unius etiam perditi Apoſtatæ lucrandi ſtudio, certiſſimæ morti per atrociſſima tormenta inferendæ caput objecit. Injuriarum etiam graviſſimarum tam fuit tolerans, ut licèt eas apud Pro-Regem falsò in ſe concitatum nullo negotio diſſlare poſſet, facere tamen nullâ ratione voluerit. Religio in DEUM non aliàs magìs ſe prodebat, quàm in oratione quotidiana, ſemper cum lachrymis & ardentiſſimis ſuſpirijs conjuncta: quæ tempore Sacrificij tam copioſæ defluebant indies, ut Sacra lintea largè perfunderent; monendúsque idcirco fuerit, ut vel à lachrymis temperaret, vel eas ſuo vulgari ſtrophio exciperet. Ex quo Divinæ conſuetudinis fonte derivabatur illud ſui odium, quo ad uſque inclementem corporis tractationem, & ſanguinolentam diverberationem incitabatur. Semel duntuxat veſcebatur per diem, & quidem ſanitatis prætextu perſæpe cibo neſcio quo ex herbis tam ingratæ amaritudinis parato, ut ejus bolum alterum Socij reliqui ſuſtinere non poſſent. Cœnæ vicem ſupplebat oratio, in Templi odæo coram SS. Sacramento eodem temporis ſemper illi obiri ſolita. Vinum extra Sacrificium nè rogantibus quidem, & ſenectutem viri obtendentibus Socijs libare ſuſtinuit; nedum vel Cocolatam in Philippinis, vel Ciam Macai communem, & vulgaris usûs deguſtare. Exercitijs Spiritualibus annuè obiri ſolitis penitus immergebatur, nec finem ijs, ſemper ultra conſuetos dies productis, facere noverat, nisi avocaretur; vix alternis diebus tunc, idq; planè

jejunè

jejunè veſci ſolitus. Subjectis ſibi Socijs exemplo magis quàm verbis præibat, accumbentibus ad menſam grandævus jam & Viſitator famulando, lances eluendo, ambulacra publicè verrendo, coco operam ſuam exhibendo, nihil denique humilium officiorum declinando, quoad ſublimem in Martyrij gradum à Domino eveheretur.

P. Albertus Mecinski, Batavis in ſuo Diario *de Polonia* agnominatus, & ipſe Poloni nomen, ùt pronunciatu facilius, inter Indos aſſumpſit; utroque genere tum per Patrem, tum per Matrem, illuſtriſſimo ac Senatorio in Polonia natus, indè Mecinski, hinc Gloſkowski, majores ſuos rebus præclarè domi ac militiæ geſtis, obſcurâſſe ſuâ gloriâ, & illuſtrâſſe videri poteſt. Et verò à puero, ſuavi DEI Providentiâ ad hanc gloriam eductus eſt, quando non alijs colloquijs, quàm de India, de noſtrorum ibi toleratis cruciatibus delectabatur. Scholis manſuetioribus apud noſtros Lublini decurſis, adjectáq; Societati ſeſe aggregandi mente, Parenti jam viduæ eam aperuit: à qua pro ſperato in propoſitum tam ſanctum annutu, colapho inſigniter mulctatur, & ad Academiam Cracovienſem tunc Societati in paucis infeſtam, unà cum fratre amandatur. Sed & ibi continuata pietatis ſtudia, multis Nobilium adoleſcentum in idem propoſitum exemplo ſuo traductis, longè magis intendit in Italia, Romæ tandem votorum ſuorum terminum conſecutus. Igitur in Tyrocinium 14. Aprilis Anno 1621. ibidem admiſſus, ità inoffenſo pede biennium ejus decurrit, ut nihil unquam in eo ſive publicâ, ſive privatâ corrigendum reprehenſione ſit animadverſum. Quod an nemini præter illum uſu aliquando evenerit, meritò ambigunt Annales noſtri. Nullum autem genus mortificationis eſt, nulla praxis edomandis animi ſenſualis affectionibus, Societatis quidem Tyronibus uſurpari ſolita, quam non heroicus iſte adoleſcens uſurpandam ſibi duxerit: donec currente etiamnum Novitiatûs tempore in Poloniam remiſſus, palàm fecit omnibus, quàm profunda ſolidæ Perfectionis jeciſſet fundamenta. Demortuo ſiquidem poſt matrem unico, quem habebat Fratre Stanislao, adeóque omni Domûs opulentæ fortunâ ad eum devolutâ, cùm propinqui & affines omnes unanimiter inſtarent, ut propagandæ illuſtriſſimæ ſtirpis, in ſe unum tandem recumbentis, ſpem promoturus, Societatem, ipſis etiam alioqui amatam, deſereret; ipſe è contrà, opulentiſſimâ hæreditate pro amore Chriſti in ejus pauperes divisâ, ubi ea de re legitimas tabulas confecit, lætus exclamavit: *jam nihil ultrà habeo, quod DEO meo offeram ampliùs! dedi facultates, dabo & ſanguinem pro nomine ipſius.* Nec ab eo momento deſtitit Japonicam Miſſionem inſtantiſſimis flagitationibus apud Præpoſitum totius Societatis urgere, dum denique Romam evocatus A. 1626. obtinuit, ut cum ſelectiſſimo illo Sociorum, plerorumq; deinde Martyrum manipulo, quem P. Sebaſtianus Vieira itidem Martyr in Indiam deducebat, mitteretur. Jamq; Primitijs Eboræ in Luſitania Anno 1628. celebratis Ulyſſiponem tenebat & jamjam navigio in deſideratam Japoniã pedem inferebat, cùm jubetur ejuſdem Præpoſiti perſcriptis mandatis in Poloniam recedere. Nimirum ſororis ejus vir Cracovienſi Collegio diem dixerat; cauſatus à nobis aliã pro Alberto, jam ſcilicet fatis functo, ſuppoſitam fuiſſe perſonam, neque idcirco legitimam eſſe potuiſſe hæreditatis illius pro Cracovienſi Collegio transſcriptionem, ſed ad conjugem ſuam jure ſanguinis devolutam. Ivit ergo Albertus in Poloniam, quàm mœſtus de omiſſa tantopere cupita Japonia, tam lætus de implendo obedientiæ mandato. Stitit ſe judicio, agnitus ab adverſario eſt, ſuum erubeſcente commentum, compoſitáq; properè lite revolavit continuè in Italiã, Luſitaniam, Indiam, atq; demum Japoniam. Goam Ulyſſipone cùm quinque menſium & dimidij navigatione, multiplici morbo per viam conflictatus, tenuiſſet, A. 1633. ità ad quendam in Europam perſcripſit: *Hoc ſolùm peto à Reverentia Veſtra* (ſacrificiorum nempe & precum ſuffragia) *& nihil ampliùs, quia hìc nullâ re egeo, etiamſi ſim in egeſtate, cùm habeam ſolum Deum, qui eo majores mihi communicat gratias indigno, quò longiùs ab omni conſolatione humana abſum.*

Cocinum provectus, indè alteras dedit literas die 18. Aprilis A. 1635. his verbis: *Scripſi nuper R. V. ex Provincia Malabarica, de rebus iſtius gentis Indicæ, & de ſucceſſu & periculis meis. Nunc etiam de ulteriori diſceſſu meo hæc paucis ſcribo. Hodie veſperi aſcendo navim, navigaturus Malacam. Hæc eſt periculoſiſſima navigatio, ſed quia ſuſcepta purè ad gloriam DEI, conabor illo juvante ſuperare omnia. Verè mi Pater multa hìc aperta pericula mortis; ſed ſcimus quòd hæc tribulatio pondus gloriæ operatur; & dignus eſt DEUS, ut omnia patiamur propter illum, qui tanta pro nobis paſſus eſt. Socius meus P. Sebaſtianus Vieira, qui me Româ ſecum duxit, & qui cum P. Generali noſtro egit de mea miſſione, & cujus ego erã deſtinatus ſocius perpetuus, ſubijit*

anno præterito glorioſiſſimum Martyrium in Japonia; nam viventi paulatim viſcera extracta ſunt, & idem alijs tormentis affectus egregiè triumphavit. Væ mihi qui non fui ſocius in termino, utì in via! Cauſa fuit excurſus ille in Poloniam, propter quam tam citò advolare non poteram: conabor tamen DEO duce vias quærere, ut cui non licuit nunc deſideratam mortem conſequi, ſaltèm poſtea liceat aſſequi. Juvet quæſo R.V. hunc miſerum peccatorem, quærentem dilectum ſuum per tot Oceani ſpatia, ut eum ſaltèm vel inter ignes, vel inter ferrum & ſanguinem inveniat. Verùm dum ſuam Albertus Japoniam Cocino eâdem claſſe cum P. Maſtrillo vectus perſequitur, iterum ab Hollandis effugiente in Prætoria navi Maſtrillo, intercipitur, & ad Inſulam Formoſam captivus, aliquot tempeſtatibus jactatus abducitur. Ibì poſt varia de captivorum capitibus habita conſilia, damnatus demum à Gubernatore cum Navarcho, & Nobili quodam Italo, ad ſuorum pecorum paſcua, ſuppeditatâ ad victum orizâ, cum fruſto bubulæ ſalſæ quidem, ſed ità imputreſcentis, ut alioqui canibus in offam ceſſura eſſet. Cœpit interim morborum contagio illic graſſari, quâ etiam duo captivi Religioſi interierunt: quâ occaſione invenit charitas P. Alberti remedium, quo ſibi ſuisque ſuccurreret. Medicinam enim, cujus principia aliqua olim in Academia hauſerat, & in India præſtantiſſimarum herbarum obſervatione excoluerat, exercere cœpit, ità feliciter, ut deſperatum è febri & dyſenteria unicum Gubernatoris filium reſtituerit; cui cùm alterum calculo ad extrema deductum, & tertium oculis propè jam captum addidiſſet, æſtimationem ſcilicet apud Gubernatorem mercatus eſt, à quo liberaliùs jam habitus, quidquid pecuniolæ nanciſceretur, in captivorum ſubſidium derivavit. Sextus jam captivitatis voluebatur menſis, cùm navis illuc appulit è Japonia argento gravis, in quam permiſſus conſcendere, ſex diebus in Cocincinam pervenit; ingenti Luſitanorum gratulatione illic exceptus, miſerantibus informem illius aſpectum, macie atq; illuvie confecti, ſordidâ ac planè pannosâ veſte induti. Indè evocatus Macaum, priuſquam denuò remitteretur Cocincinam, ità de ſe Romam „ perſcripſit A. 1638. Ego de me quid am- „ pliùs dicam, niſì quòd hactenus Crucem „ Domini ſecter; ſiquidem ex quo diſceſſi „ Româ, nîl ampliùs accidit mihi præter in- „ firmitates, tribulationes, miſerias, pericula „ in mari & in terra. Ultimò incidi in ma- „ nus Hollandorum, qui ceperunt navigium, in quo eram, & P. Marcellus effugit in alio „ navigio Manilam; indè diſceſſit in Japo- „ niam, & jam factus glorioſiſſimus Martyr. „ Videat R.V. mirabilem Dei ordinationem, „ & obſtupeſcat. Ego qui tot annis quæro ad- „ huc mihi reſtat quærendum; & illi ſtatim „ ſponte ſuâ tam felix eſt oblata occaſio. Væ „ mihi, quia peccata mea impedimento ſunt „ huic tam grandi deſiderio meo &c. Ego poſt „ aliquot dies diſceſſurus ſum in Regnum „ Cocincinæ, ad prædicandum ibì Evange- „ lium. In hoc loco libertatem aſſecutus ſum „ ab Hollandis. Meſſis ibì multa: & invita- „ tus ſum à Magnatibus illius Regni, ut ve- „ niam. Spero aliquem futurum gloriæ Dei „ progreſſum. „

In Cocincina deinceps verſatus eſt, donec in Japoniam à P. Antonio Rubino Viſitatore deductus, eo ex itinere priusquam Manilâ decederet, ità Romam die 2. Julij Anno 1642. ſcripſit: Mitto ultimas literas „ R.V. dirigat ad eos, ad quos ſpectant; quia „ ſcripſi aliàs latè R.V. vale ultimum dicen- „ do in hac vita, nunc non ſcribo. Chariſſimo „ Zychowicz valedico, Socio cariſſimo. Dum „ has accipiet, jam puto curſum meum fi- „ niero in manu carnificum pro Fide JEſu „ Chriſti: poſt dies 30. plùs minùs id futu- „ rum puto. Citò ſcribo, nam vocor ad me- „ tam. Vale millies amice cariſſime: Datum „ in itinere Japonenſi. R.V. ſervus in Chriſto, „ ad mortem pro Chriſto deſignatus, Albertus „ Mecinski. „

Sic ille crediderat, tricenis ab ſe diebus depugnatum, & victoriam reportatum iri; ſed longiori 7. menſium certamine, alternis ferè diebus, ùt dixi, aquæ potatione, vomitionéq; tortus, demum pendens in fovea, die 23. Martij Anno 1643. ætatis ſuæ circiter 42. ab inita Societate 22. Nangaſachi triumphavit.

P. DIDACUS DE MORALES magnis animi ornamentis Virum futurum ſe demonſtravit adhuc infans, ortu Hiſpanus, cui nulla ſiſtendi fletûs alia potior fuit ratio, quàm oblata libri cujuſpiam volutandi copia. Societati ipſo Nominis JEſu die A. 1620. adſcriptus, omnes in ea Facultates diſcendo docendóque percurrit in diverſis Indiæ tractibus, in quam à Superioribus miſſionem exoravit A. 1625. quantâ humani affectûs omnis abdicatione, vel indè conjice, quod in extremum illum Orbis angulum, Novam Hiſpaniam, receſſurus, Patriam parentes, neceſſarios omnes, qui bis mille vix paſſus aberant, inſalutatos præterijt, neque ullis unquâ deinceps

ceps literis, aut miſsâ ſalute reviſit. Ab ea Peruani Imperij Provincia traductus in Philippinas, plurimis annis omni contentione in ſalutem proximorum illic deſudavit, omnibus penè Societatis muneribus, in ſcholis, miſſionibus, domi, foriſq; perfunctus. Neq; interim in profectum aliorum intentus, remiſſus erat in ſuum: tanta illi corporis afflictatio, verberibus, cilicijs, inediâ, ut decolor vultúque extenuato ſemper ſorderet. Nulla in cubiculo ſella, ſed ad ſcriptionem unicum ſcabellum. Omnibus honori cùm eſſet ob doctrinam & Virtutem, uni tamen ſibi deſpectus apparebat & vilis: ità ad quemvis Superiorum nutum obedire promptus & facilis, ut à paucorum dierum Tyrone amplius non exigeres. In hiſce præclarè factis eo tempore verſabatur in S. Joſephi Seminario Manilæ Rector, cujus Regiam fundationem Gubernatori ipſe perſuaſerat, cùm eò P. Rubinus Viſitator advenerat, aditum in ſuam Japoniam tentaturus: obtentáque à Superioribus unà cum eo, quam fruſtra cum P. Sebaſtiano Vieira quondam urſerat, Miſſione, eâdem fortunâ uſus, vitam aſſerendæ Chriſti Fidei conſecravit; inverſo in foveam ſuſpendio, novem ipſos dies tolerato ſuperſtes, ac tandem ferro abſumptus Nangaſachi 25. Martij, A. 1643. ætatis 38.

P. ANTONIUS CAPECIUS Nobili genere ortus Neapoli in Italia, Societatem complexus eſt A. 1624. ipſo S. Ignatij pervigilio: cujus igneo ſpiritu inflammatus, mox anno ſequente Miſſionem Indicam è Tyrocinio flagrantiſſimè exorare inſtitit, hiſce ad Generalem perſcriptis: „ Poſt conceſſam mihi vo„ cationem ad Societatem, dignata eſt Dei „ benedicti benignitas impertiri vocationem „ etiam Indiarum, tanquam illi ſcilicet co„ hærentem, ut ſanguinem poſſim profunde„ re pro eo, qui tantum ſui ſanguinis pro „ me miſero peccatore profudit. Eam poſt„ eaquam cogitavi recogitavíque, ac demum „ probè maturavi; ad P. V. ſcribere volui, „ tanquam Divinæ voluntatis interpretem; „ ut me ſolari dignetur, & cùm ſe occaſio ob„ tulerit utendi hoc minimo inſtrumento So„ cietatis, & in præſentiarum aliquo certæ „ ſpei reſponſo. Neapoli 24. Maij 1625.

Confectis Neapoli Philoſophiæ ſpatijs, Romam ad Theologiæ ſtudium evocatus, ùt primùm ſe Japonicæ Miſſionis occaſio objecit, hocce eam libello denuo ſollicitare inſti„ tit: Antonius Capecius minimus fratrum „ Societatis JEſu ſupplicat P. V. per viſcera „ JEſu Chriſti & Beatæ Virginis, ut petitionem ejus axaudire vélit Indicæ Miſſionis, „ præſertim Japonicæ, quò eum vocat DEus „ benedictus. Complurium annorum voca„ tio eſt, ùt ex unius ad P. V. è Tyrocinio datis „ liquet. Sed trium horum poſtremorum an„ norum ſpatio magis exarſit, & poſtremò „ ferventiſſimè, re aſſiduè cogitatâ, Deóque „ diu per preces commendatâ. Nunc in ter„ tio Theologiæ verſatur anno, & de ſuſci„ piendo proximâ quadrageſimâ Sacerdotio „ monitus eſt, ſupplicat denuò P. V. ad pedes „ S. Ignatij, & S. Franciſci Xaverij, ut ejus „ velit memoriam habere; cúmq; exaudire „ pro prima cum hoc Procuratore miſſione. „ Factus votorum compos, & properè Sacerdotio initiatus, transmiſit eâdem cum P. Maſtrillo navigatione, caſibus & eventis tum in Indiam, tum ultrà in Philippinas; magna pars eorum geſtorum, quæ de Maſtrillo memorantur. Divulſus ab eo in Japoniam tendente, facto naufragio Macaum denique repetitâ navigatione tenuit: unde fruſtrà tentatâ ſæpius in Japoniam transmiſſione, Cambojam interim excolere cum P. Mecinski juſſus eſt; donec cum eodem in Societatem itineris à P. Rubino excitus, cum illo excruciatus & tortus, telluri vivus infoſſus, & vitâ in diem nonum productâ è ligno depoſitus, cùm etiamnum ſpiraret, capite truncatus eſt die 25. Martij A. 1643.

P. FRANCISCUS MARQUEZ Luſitano patre, matre Japoniâ, nobili apud ſuos loco natâ, ortus eſt Nangaſachi, & ad omnem pietatem à puero eductus. Poſt literas Humaniores in Societatem à P. Andrea Palmerio adſcriptus, ità hoc vitæ inſtitutum adamavit, ut ſortem ſuam cum Orbe univerſo non eſſet mutaturus. Tyranni edicto pulſus cum reliquis Socijs è Patria Macaum, Philoſophiæ, Theologiæque operam impendit, eo interim tormentorũ & Martyrij deſiderio, ut ſi quando hæc materia ſive in colloquium, ſive in lectionem ſuper menſa incideret, dulciſſimis continuò lachrymis perplueret. Adornante iter in Japoniam P. Rubino, profunda Franciſcum ejus affectandi inceſſit cupiditas. Sed eam rejiciebat ille ſcilicet velut temerariam, cùm necdum Sacerdos, anni ſecundi Theologus, nullius frugis, nullius uſûs ibi foret. Eâdem nihilominus pertinaciter redeunte, nè judicio ſui unius veram fortè Dei evocationem contemneret, Fratrem germanum quẽ habebat in Societate, licèt ætate juniorem, conſuluit. Sed & ille pro deridiculo temerarium inſtinctum habuit; donec poſt biduum Franciſcus redux, non valere ſe ultrà Divinis obniti

obniti impulſibus aſſeruit, *cogor*, inquiens, *edere, quæ in animo perſentiſco, & Religio mihi eſt nî fecero, ac metus ingens, nè officij à me neglecti rationem DEUS & pœnas aliquando expoſcat.* Cui Frater, & ipſe germanum à DEO agi ſuſpicatus: *age ergo*, inquit, *ſi DEO cordi ſic reris, aperi pectus animi tui P. Viſitatori, nec moras trahe.* Quod ubi eodem adhuc die exequitur, P. Rubinus multis quæſtionibus animum ejus verſans, nè fortè levitatis aliquid ſubeſſet, aut ſubitanei impetûs, poſtquam omnia Divina eſſe, & ardorem humano majorem deprehendit, eum pectori ſuo arctè adſtringens, Societatem itineris pollicetur. Nec multò pòſt conſcenſo Manilam verſùs navigio, dum in Cocincinam rejiciuntur; reſumptóq; denuo curſu ad eam laboriosè tendunt, Franciſcus omnia ſervilis officij munia ſolus exhaurire, & vectoribus infima mediaſtini obſequia deferre perrexit. Manilæ Sacris initiandus ordinibus, repentinâ ejus Archi-Epiſcopi morte, coactus eſt 80. leucarum periculoſâ navigatione, quâ etiam navis altera in omnium oculis maris tempeſtate hauſta interijt, Zebuanum adire Antiſtitem: ubi primo Sacrificio Deo litato, nunquam deinceps illud inſtauravit ſinè ingenti lachrymarum imbre, & arcaniſſimis animi divinitus perceptis ſenſis. Quæ etiam in Fratrem ſuum Macai verſantem derivaturus, hæc ei præcipuè inter reliqua perſcripſit: Incumbe ad literas, mi cariſſime, dum tempus ſuppetit magnâ curâ; ſed pluris virtutes ſolidas dicito quàm literas; neq; ulla omiſeris propter illa Religionis officia: cujuſmodi ſunt orare, legere, conſcientiam explorare. Summâ diligentiâ regulas obſervato, quoniam eæ certa ad gloriam via ſunt. Nulla te res humana deflectat, ut eas prætereas. Humanis reſpectibus nè moveare; quoniam ea Religioſo viro peſtis atq; pernicies eſt. Iterum atque iterum ſtudeto patientiæ, quia virtus ea ſummopere neceſſaria eſt ei, qui cum alijs in commune victurus eſt; præſertim qui Miſſionibus addictus ſit; utì ego pronuper abundè Cocincinenſi in mora expertus ſum. Magnum tibi comparato ſolidarum virtutum commeatum; quoniam eos, qui haſce Miſſiones obituri ſunt, Angelos in corporibus oportet eſſe. Redijt interim Macao, quo Provinciæ ſibi commiſſæ res ordinaturus excurrerat P. Viſitator, factóque recèns Sociorum delectu, neſcio quâ causâ Franciſcum excluſerat. Quantâ in animo ejus exſternatione, quo luctu, quis eloquatur? Soli tamen DEO illum cum lachrymis conqueſtus, ſpe ſuâ minimè excidit. Ipsâ namque, ùt dicimus, profectionis horâ juſſus cum reliquis navim conſcendere, quo gaudio nuncium exceperit, paucis ad eundem germanũ exaratis lineolis expreſſit: Cecidit ſors ſuper Matthiam. Prioribus ad te literis ſcripſeram, ambigere me, iturus nécne in Japoniam eſſem. Jam iſtis ſignifico, pridie quàm abeundum fuit, inter eos me fuiſſe conſtitutum, quos antea jam ituros ſignificàram. Deo gratias infinitas ago, quòd in ſuorum electorum numero me deſcripſit: id ipſum & te quoque agere, mi chariſſime, juſtum eſt, quoniam delectum Martyrio fratrem ſortitus es. Ego Sinæ perſonam Patribus famulaturi mentitus conſcendo; & faxit pro ſua infinita miſericordia DEus, ut eos ad finem uſque conſecter. Tempus me deficit: Lacrymæ non ſinunt. Hoc tantùm dico; Divinâ me miſericordiâ fretum præire ad Cœleſtia; ibì te operiar, neque ibì pro te obſecrare prætermittam. Ora viciſſim & tu DEum atque obteſtare, nè in meas miſerias atque peccata convertat oculos ſuos, ſed in ſuam ipſius miſericordiam, méque ſuæ Sacratiſſimæ Paſſionis conſortem efficiat, ſuggerátque vires & animum ad ea perferenda tormenta omnia, quæ Tyrannus excogitârit, ad gloriam ſuam. Sic animo comparatus navim conſcendit, Satzumæ cum alijs captus, ijsdémque tormentis excruciatus eſt. Illud tamen ſpeciale habuit, quod conſanguineis ſuis Nangaſachi traditus, ut quaquâ demum ratione à Religione ſuaſionibus eorundem dimoveretur, importunas eorum blanditias immobilis ſuperârit: tandémque foſſæ vivus intumulatus, tolerato novem diebus immani ſupplicio ſuperſtes, ferro triumphum conſummârit, ſua in Patria Nangaſachi 25. Martij, A. 1643. ætatis circiter 35.

P. JOAN.

P. Ioannes Aresius Soc. IESV. natus in Sardinia, occisus in Philippinis odio Virtutis ab Indis. 10. Aprilis. A. 1645.

C. S. d. *M. K. f.*

P. JOANNES ARESIUS.

Contrà comparati ſunt mortaliũ plerique, ut vitioſos eſſe nõ pudeat, non pudeat dici, multóq; magìs apertè ſcelerum redargui. At Virorum Apoſtolicorum ea è contrà eſt libertas, ut vel mortis ipſius contempto diſcrimine, neſcientes vitia palpare, ſcelera inſectentur; neque ſuſtineant in munere ſuo eſſe quaſi homines non habentes in ore ſuo redargutiones; quamvis cum Joanne Chryſoſtomo relegentur in exilium, cum Præcurſore Domini damnentur ad gladium; non priùs ceſſaturi arguere, quàm voce ferro interceptâ. Enimvero ſimilis libertas P. Joanni mortem glorioſam conſcivit. Laborabat in Philippinis Indiæ Inſulis omni conatu in procurandis Sacramentorum adminiſtratione Fidelibus, & gentilibus adhuc ad Chriſti Sacra inducendis: cúmq; fruſtra Japoniam, cujus deſiderium potiſſimè ab Europa eum traxerat, tunc Apoſtolicis viris omnino imperviam anhelaret, cupitámque Martyrij laureolam ſibi jam infractam æſtimaret, ipſo in loco eandem, pro virtutis in vitium defenſione, indeptus eſt. Indum ille quempiam negligentiæ coarguebat, quòd matrem ſuam lethaliter decumbentem, ſe minimè ex vicinia commonito, Sacramentorum expertem decedere paſſus eſſet: ſimúlque ob oculos ponebat, quàm gravem hoc nomine DEO vindici

dici rationem eſſet redditurus, ſi fortè ejus vecordiâ æternis illa ſupplicijs mactaretur. Iſte reprehenſione factus impatiens, iráque prorſus belluinâ in monitorẽ excandeſcens, dum Pater eo relicto nihil mali ſuſpicatus ad orandum ſe flexo poplite comparat, haſtâ innocentem crudeliter configit. Invenêre ſuo natantem in ſanguine fideles indigenæ, qui ad opem, voce JESUM & MARIAM invocantis excíti, properè concurrerant. Dúmq; elapſo jam percuſſore auctorem imanis parricidij ſollicitè à Patre etiamnum ſpirante requirunt, renuit ille conſtanter prodere, facinus ſe illi, Chriſtóque vindictam condonare proteſtatus. Patuit nihilominus mirabiliter non multò pòſt ſceleris artifex, dignásq; facto pœnas luit. Sic honeſtiſſimâ morte, & optima in cauſa conſumtus eſt P. Joannes Cebaliæ in Philippinis 10. Aprilis A. 1645. ætatis 40. Societatis 23. Fertinianum Sardiniæ oppidum ei natale fuit. Societatem annos 17. natus complexus, haud contemnendos tam in Philoſophicis, quàm Theologicis doctrinis fecit progreſſus; gradum tamen Coadjutorum Spiritualium duntaxat, quâ erat humilitate, in ea conſecutus. Et quia magno propagandæ Numinis gloriæ apud infideles zelo flagrabat, bonâ Moderatorum veniâ, cum P. Didaco Bobadilla Philippinarum Procuratore, illuc delatus, & ad animarum curam in Vicum Cebaliam eſt deſtinatus.

P. FRANCISCUS PALIOLA.

Corruptio Optimi peſſima, inquit Philoſophus: & S. Auguſtinus fatetur, ſe nullum hominum genus deterius, & in ſordibus peccatorum protervius deprehendiſſe, quàm qui à ſanctimoniæ tramite deſciſcentes, ſive à Fide, ſive à Religioſa Familia in apoſtaſiam prolapſi ſunt. Indè quotidianâ videmus experientiâ, centum citiùs ab Idolorum ad Chriſti cultum gentiles traduci, quàm unum ab Hæreſi ad Eccleſiam reduci: centum priùs Religioſàm vitam è ſtatu ſæculari adire, quàm unicum apoſtatam ad eandem redire. Inſudabat naviter octavum jam annum Apoſtolico operi in iiſdem Philippinis, ac præcipuè Inſula Mindanao complures annos P. Franciſcus, neque fructus labori parcè reſpondit. Siquidem præter Subanos ad Chriſti Fidem, ac Fidei conſentaneos mores, à ſpurcitijs gentilium proſpere adductos, in veterem Chriſtianorum vitam jam intepeſcentem, eum fervorem & pietatem reduxit, ut primævæ Chriſtianitatis faciem referrent. Unus eâ Regione vivebat homo exitioſi publicè exempli, primæ notæ Apoſtata, cujus pernicioſa, inque aliorum corruptelam vergentia ſcandala ut impediret, & ab infelici transfugio revocatum, Deo, ſi poſſet, lucraretur, omnem eò conatum adverterat. Nimirum plùs ei laborandum fuit in uno (quis credat?) ad vitam revocando perfuga, quàm in omnibus eâ Inſulâ lucri Deo factis, quantumlibet principiò obſtinatis gentilibus. Hunc ergo dum in omnes partes verſat, & continuatis curis omni arte induſtriáque allicit, hortatur, exterret: id denique extorſit, quod tam anxiè, tot marium transmiſſione ſummis votis ſemper inquiſivit, mortem pro virtutis & Fidei aſſertione ſibi conſcitam. In omnem ergo tollendi importuni monitoris occaſionem intentus Apoſtata, funeſtum tamen animi propoſitum, nè quà Franciſco ſuboleret, ſollicitè tegebat, commoveri etiam ſalubriter meliorum inculcatione animum quandoque ſimulans: ut adeò Pater de reducendo ad frugem homine vix jam dubius, diem certam domi ſuæ condixerit, quâ eum ad repetenda hactenus invicem tractata præſtolaretur. Hanc ille maximè opportunam patrando facinori ratus horam, cogitati hactenus facinoris animum furibundis quibuſdam capitibus aperit, quibus comitatus, ùt alter Judas, domicilio Patris appropinquans ſanguinarius irrumpit. Sed præſcius ultimæ horæ Pater, eodem quo Martyrum exemplar Chriſtus ad eam ſe ritu comparare inſtituit. Namq; in genua provolutus, & agonem ſuum ardenti prece Deo commendans, Marianum Roſarium pro moriendi teſſera in manus arripuit, itáque inſtructus parricidam ſuum præſtolatus eſt. Ille cum incondita turba irruens, lato cultro primum vulnus per maxillam ad extrema uſq; colli adegit, atq; alius Sacra JESU & Mariæ nomina ſupremùm invocantis tergum lanceâ transfixit, humi autem indè collapſum iterum lanceâ, & reliquis armis alij atque alij per transverſaria vulnera transverberârunt, A. 1648. 29. Januarij. A cæde Patris in Sacram ſupellectilem translato furore, Chriſti

P. Franciscus Paliola Italus Soc: IESV odio Religionis à nefario quodam Fidei Apoſtata haſtâ transfixus, in Indiæ Insula Mindanao. 29. Ianua: A. 1648.

C. S. d. M. V. f.

Christi Crucifixi effigiem columnæ per ludibrium alligant, fuſtibus & flagellis verberant: Sacrificales veſtes hiſtrionicè in cachinnum induunt, patenam in ſcutellæ uſum adhibent, & ſacerrimum omnium calicem, fædiſſimorum, proh nefas! ſputorum receptaculum faciunt. At Fideles è contrà collecta viri innocentiſſimi membra, ſummâ pietate, veluti Christi victimæ reliquias, contumulant, & privatâ licèt, continuâ tamen hodiéque veneratione celebrant. Patria Franciſco Nola fuit in Regno Neapolitano, qui Societatem anno ætatis 32. jam Sacerdos ingreſſus, à primo ſtatim Tyrocinij die ad Indicas ærumnas ardentiſſimè aſpirare cœpit, donec A. 1641. impetratâ profectione, in Occidentales Indias ſuſceptâ navigatione, Philippinas poſtliminio petijt. Vir Deo per orationem conjunctiſſimus, à qua ad agendum cum proximis quia velut alter Moyſes à conſortio DEI redibat facie ardens, & fervore ſemper inflammatus, paſſim apud omnes Sancti nomine appellabatur.

P. Vincentius Damianus Siculus Soc. IESV. odio Religionis Christianæ lanceâ percussus ab Idololatris, in Insulis Philippinis A. 1649. 11. Novē.

C. Screta. d. *M. K. f.*

P. VINCENTIUS DAMIANUS.

NDe hactenus plerumq; in Japoniam desiderio Martyrij solvebant Socij, aditu in eam deinceps penitus intercluso, ipsæ factæ sunt Viris Apostolicis Martyrij campus Philippinæ Insulæ, iterum cruentâ nece in Christianæ Legis odium sublato P. Damiano. Natus hic in Sicilia A. 1615. Societatem impetravit anno ætatis 16. in qua post Philosophiæ & Theologiæ biennio auditæ spatia in Philippinas discedens, & in ipsis Indijs Indias magis reconditas & arduas perscrutatus, ad Ibabao Insulā penetravit. Quoties deinde novi laboris aut periculi quidpiā imminebat, ipse in se incunctanter ultro recipiebat, cursu laborum nunquam per ullam interspirationem intermisso. Sublato nuper ab Ethnicis in Palanagensi Missione, adactâ in latus lanceâ, Michaëli Ronec, jussus succedere, ingressus in ærumnarum ac sanguinis illum agrum, tam paternè quæsitissimis modis apostatas illos, ipso transfugio in callū magis duratos, tractare cœpit, ut ferociam tandem demitigati exuerent, Christúmq; induerent. Indè re fortiter atq; optato eventu gestâ, missus ad Jubigenses & Bacerenses barbaros, quibus efferatiores nulli eâ tempestate habebantur, ut pauxillum ibi Christianorum gregem

gregem miſerrimè fatiſcentem reſtitueret, incredibiles ærumnas, labores, & quotidianas vitæ inſidias ſubijt. Donec tandem redintegratis in illum odijs improborum, denique ſublatus è vivis ceſſit. Horum ille globum in ſe furore armatum conſpicatus, in genua continuè dimiſſus, & Crucifixum, pro quo & cui animam devovebat, amplexus, adventantis cruentæ mortis gloriam expectavit; à quibus lanceâ confixus, eam, quam ab infantia incorruptam ab omni graviore noxa ſervârat innocentiam, innocentiſſimi ſanguinis purpurâ cumulatam nobilitavit, omnium ore in vita & à morte prædicatus vir Apoſtolicus, & magnus Evangelij præco. Solemne illi fuit totas noctes in oratione tranſigere; unde conſuetudinem nactus eſt, in Dei ubique præſentis aſpectu adeò attentè ſemper verſari, ut nihil omnino eſſet, quod aſſuetam DEO præſenti mentem poſſet avertere. Atque hoc illi præcipuum fuit ſalutis præſidium, innocentiæ cuſtos: hâc ille cogitatione agebatur in quælibet maximè ardua & periculoſa, cùm de auxilio DEI nunquam abſentis neque diffidere, neque de viribus ſuis præfidere poſſet. Paſſus eſt A. 1649. ætatis 34. die 11. Novembris.

P. CHRISTOPHORUS FERREIRA.

CHriſtophorum Ferreiram, ſæculi noſtri Marcellinum, vulneratum, lapſum, victum, ſurgentem, pugnantem, vincentem, ad imbecillitatis humanæ documentum oſtendit optimus DEUS, ut Juſti hujus naufragium fiat peccatori ſtabilior portus. E Luſitania Patria ſua in Japoniam An. 1609. diſceſſionem, ùt quidam memorant; violentè & præſumptuosè extortam inſtituit, & ea quibus abundè dotatus erat animi ornamenta, pro ſalute animarum ità impendit, ut innumeris ad Chriſti Sacra ſuſcipienda inductis, agrum Domini lætâ cum Socijs meſſe impleverit; fueritque adeò ob virtutis & meritorum excellentiam ſparſis totâ Japoniâ Socijs, cùm Provincialis poteſtate præfectus. Jam 23. annos in ea cultura poſuerat, cùm A. 1633. crudelis in omne Chriſtianum nomen tempeſtas intumuit Nangaſachi, in qua infelix Chriſtophorus Fidei fecit naufragium. Etenim è tigno per pedes capite in ſcrobem umbilico tenus depreſſo ſuſpenſus, poſteaquam immane tormentum horas aliquot infractus tolerâſſet, cruciatuum tandem & lacerationis viſcerum impatiens, turpiſſimæ defectionis ſignum dedit, & illico è foſſa exemptus eſt. Socij non ſolùm in Japonia, ſed & in Philippinis & Macai, hoc nuncio triſtiſſimi, per anni unius & plus quàm quatuor menſium intervallum pro eo tam preces, quàm varias eáſque perquam aſperas corporis afflictationes continuârunt, cùm lachrymis, tum epiſtolis ſubindè ad illum magno rationum & verborum pondere exaratis. Parati fuêre nonnulli vel idcirco iter in Japoniam intendere, ut eum adhortatione, & mortis à ſe ferendæ exemplo ad reſipiſcendum incitarent: id quod etiam re ipsâ perfeciſſe P. Maſtrillum, P. Petrum Caſſui, & P. Antonium Rubinum cùm Socijs, in eorum geſtis memoravimus. Et reſpexit tandem benigniſſimè JESUS ex ſola fragilitate, & tormentorũ metu lapſum peccatorem; qui etiam notatus fuit omnibus illis ruinæ lamentabilis annis, vultu incedere ad mærorem compoſito, latebris quoad poſſet ſe occulere, tam ſæpe támque affluenter lachrymas fundere, ut verba nonniſi tertiata proferret: & quod maximè ſuſpectum illum reddebat, nullius unquam Sacerdotis hoſpitium aut latebras, quas habebat perſpectiſſimas, prodere velle. Afferuit quin etiam Antonio de Sylva Luſitano, ſe de Fide bene ſentire, & cum DEI adjutorio quondam factis id oſtenſurum: oſtenditque etiam illo triſti tempore, notatus à Chriſtianis Roſarium Deiparæ in ſecreto nunquam de manu dimittere, & ſuper ægram fœminam etiam Evangelium, ùt ibi fieri conſuevit, recitare. In hoc miſerrimo ſtatu 80. annos ſupergreſſus, & lectulo fatali affixus, auditus eſt à vicinis frequenter gemere, dolenter vociferari, fortémque ſuam ſimilibus verbis, quæ fideliter ex epiſtolis Japonicis traducta damus, deplorare: *Domine DEUS meus, ergo fieri potuit, ut ego Sacroſanctæ tuæ Fidei deſertor fierem? idque brevis & caduca hujus vitæ*

P Christophorus Ferreira Lusitanus Soc. IESV, primùm à fide Christi tor
mentorum vi factus apostata, postmodum octuagenario maior resipiscens, et pr
Christo dirè raptatus, et in fovea ex pedibus suspensus necatusq́, in Japonia.
A. 1652. C. Screta. del. M. Kilian. sc.

perdendæ metu inductus? O Domine miſericordiarum Pater! video mè errâſſe, erravi, ſicut ovis quæ perijt! Ah mi DEUS! ah Domine mi! quàm doleo, quòd te offenderim! Tu Domine qui me creâſti, tu qui me pretioſo tuo ſanguine redemiſti, tu Domine parce, parce Domine peccatis meis: & novas animi vires ſuggere corpori huic ſenectâ effato, & feſſo, ut te confitear, & vel in hac extrema mea ætate vitam lubens deponam pro te, pro te! Hæc atque hiſce ſimilia cùm diceret, illud ſæpenumero ingeminabat: *Suſcipe Domine mi hoc Sacrificiũ voluntatis meæ, & adminiculo Divinæ tuæ gratiæ, atque auxilijs me ſuſtenta, ut conſtans inter tormenta crudelia perſeveranter teſter meum erga te amorem uſque in finem; ut hi cruciatus ſint experimentum fidelis amoris, qũo te diligo DEUS meus.* Quibus ad Gubernatores confeſtim delatis, miſſi ad eum quidam ſunt ab Aula, qui obtentu officij ægrum ſolari, & cauſam tot gemituum, verbis doloſâ amicitiâ tectis, exprimere inſtiterunt. Quibus ille jam apertè Chriſtianus; *quia*, reſpondit, *deliqui contra verum Cœli, terræque Dominum, & inſtar errantis caci collapſus, illum deſerui mortis metu, id quod mihi ſummo dolori eſt.* Ad quæ illi cum cachinnis, *apage ſis*, reponebant, *ſenio ſenex; delirationis hæc verba ſunt, non hominis linguæ mentisque compotis. Ego verò*, affirmabat ille, *probè mihi, planèque ſum compos, adeóque affirmatè ac diſertè id vobis aſſevero, & Gubernatori multò etiam aſſeverantiùs conſtare volo:*

volo: quòd cùm hactenus perditè defecerim à Fide illa, quam debeo Domino meo, deinceps ab hoc ipſo temporis articulo ſim promptus paratúsque, ope ejuſdem veri DEI mei ac Domini quem ſupplex adoro, revereor, credo; quem unicum totius Cœli ac terræ Conditorem agnoſco, cujus ſola lex vera eſt, & extra quam nuſquam eſt ſalus ulla. Veſtræ autem ſectæ Japonicæ omnes fallaciſſimè vobis imponunt, earúmque ſectatores errore horrendo eunt in abyſſum cruciatuum, & exitium ſempiternum. Hæc magno animo proferens, cùm inſuper ardentiſſimè Fidem Chriſti prædicaret, ſuaderet, & ſuperſtitiones Japonicas deteſtans, earum falſitatem luculenter demonſtraret, deteſtaretur; juſſu Xoye Gubernatoris continuè lectulo dejectus; & quia præeuntes ſequi non poterat, humi colligatus, & immaniter raptatus eſt ad foſſam. Hìc ille, quoties reſpirationis causâ à raptatione ſubſiſterent milites, Chriſti Religionem veluti quodam igneo torrente, inflammatis verbis ſuadebat alijs, alios nè Chriſtum omni amore digniſſimum deſererent, hortabatur. Donec ad montem Martyrum Nangaſacho imminentem ventum eſt, ubi manibus retrorſum revinctis, & toto corpore, genibus pedibúsque religatus, capite deorſum verſo in foveam ſuſpenſus eſt. In ea tribus diebus ſuperſtes, nunquam ceſſavit brevi hoc compendio Fidem in Chriſtum commendare: *JESUS Chriſtus eſt verus DEVS, verus Homo.* Quibus etiam beatè immortuus eſt Anno 1652. Bona illius (nam opulentos cenſus ei aſſignaverat Imperator) mox ad fiſcum redacta fuère, quod non nisì in Fidei odium necatis fieri amat. Feliciſſima autem mors celebrata fuit publicâ famâ Macai, in Philippinis, in China. Illud autem ſingulare prorſus eſt, quòd P. Marcellus Maſtrillus ruinam Chriſtophoro, & reſipiſcentiam divinitus præſentiens, P. Andreæ Lubellio vaticinans affirmavit, nos brevì in Japonia Marcellinum alterum habituros; utì jurejurando, tactis ſanctè Evangelijs, Lubellius conteſtatus eſt. Idem Maſtrillus cùm ad Sacrificium offerendum Cocini ſe accingeret, Coadjutorem noſtrum Baſtum nomine, virtute & Cœleſtibus viſis ſummè conſpicuum, ſibíque ſacrificanti miniſtraturum, impensè monuit, ut P. Chriſtophorum Ferreiram DEO enixiùs commendaret. Fecit id perdiligenter Baſtus, & P. Maſtrillo deinde retulit, ſibi eo ipſo precationis ſuæ tempore, quo P. Divinam Hoſtiam pro more in altum tollebat, viſum P. Ferreiram veſte quidem Societatis, ſed fœdum in modum ſordidatâ amictum: cùm deinde ſuper calicem Hoſtiam frangeret, Ferreiram in mundiore veſte fuiſſe oſtenſum: cùm verò demum S. Hoſtiam ſumpturus indignum ſe pectoris tunſione profiteretur, conſpectum eſſe illum in candidiſſima, & inſtar cryſtalli translucida veſte.

P. ALEXAN-

P. Alexander Lopez Hispanus. P. Ioannes Montiel Calaber Soc. IESV odio Fidei Christianæ crudeliter trucidati ab Idololatris Indis. Mindanai. A. 1655. 13. Decembris.

C.S. d *M.K. f*

P. ALEXANDER LOPEZ, ET P. JOANNES MONTIEL.

ALexander Lopez Jacæ in Aragonia Anno 1604. Mundo natus, Societati verò Anno 1631. Studijs Philoſophiæ Theologiæque cum Magiſterij laureâ abſolutis, reliquam omnem vitam in procurationem Indorum ſalutis in Philippinis Inſulis conſecravit. Quibus dum maximè fructuosè diſtringitur, & cujusvis penè regionis, in quam pedem intuliſſet, feliciſſimo ad Chriſti Fidem traductu, vix ampliùs inter fideles populos, glorioſæ pro Chriſto oppetendæ mortis ſibi anſam obventurâ pollicetur, ecce tibi illa nec opinanti ultro in manus ingeritur. Sebaſtianus Manrique Philippinarum Gubernator legationem pacificam ad Coralatum Mindanai Regem decernebat, quâ deletis ab Regis animo falſis quibuſdam umbris, pax deinceps firmior ſinceriórque utrimque obſervaretur. Placuit ad eam, inclinante vel maximè P. Provincialis aſſenſu, deligere præ omnibus P. Alexandrum, utpote

pote gentis illius & locorum, in quibus Fidem fructuoſiſſimè diu prædicaverat, optimè gnaro; ad hæc illiuſmet ipſius pacis paulò antè conciliatori, & privatim Coralati tam familiariter adſtricto, ut non alio quàm Fratris nomine compellaretur. Iter ergo cum reduce ad eundem ſuum Regem Legato Mauro Manilà ingreſſus, Samboangam Urbem ejuſdem nominis Regni caput, præſidio Hiſpanorum & Societatis domicilio nobilitatam, pervenit, ubi ei ſocius adjunctus eſt P. Joannes Montiel, anno ſuperiore à Calabria eodem appulſus, & recèns Sacerdotio inauguratus. Noluit indè Alexander, futurorum veluti præſagus, pedem in Maurorum fines efferre, donec priùs uterque Divinis S. Ignatij Exercitationibus, magnisque corporis afflictationibus animum, veluti cote ad virtutis firmitatem exacuerent; ſinguli verò comitum (additi enim ad ſecuritatem, & Legationis Majeſtatem indè fuerant cum Præfecto militiæ Claudio de Ribera 12. Hiſpani, & 60. Indi) Divina Pœnitentiæ ac Euchariſtiæ myſteria obirent. Hinc illos Coralati Legatus, reipsà merus, ùt eventus docuit, proditor, ad Regem prævertere voluit, ut nuncium de eorum adventu condignè recipiendo anteferret, reipsà ut in necem innocentiſſimorum virorum accenderet. Quem ipſi feſto Deiparæ ſinè labe conceptæ, quantâ fieri potuit devotione celebrato ſubſecuti, 9. Decembris fines Coralati ingreſſi ſunt. Ecce autem in ipſo navis, quâ flumen barbarum trajecturi erant, ingreſſu, prodigium illos excepit, quo Sol repentè è claro & ſplendente cœpit obſcurari, circulóque majore ſanguinolentus increſcere; ut adeò exterriti, & mala maxima ominantes Indi, reditum Patribus omnibus modis perſuadere, licèt in caſſum niterentur. Indè à ſubmiſſis obviam Aulicis quibuſdam, ut per honoris ſpeciem ad Regiam deducerentur, excepti, dum in eorum comitatu ad Regis conſpectum ſe evocandos arbitrantur, nuncium à Rege accipiunt, quo literas, quas Regi exhibendas afferrent, deſtinato à ſe tradere Miniſtro jubebantur, Regi deferendas. Vetari enim ipſum ominoſo illo Solis defectu quemquam ex Hiſpanis aut alienigenis in limen Aulæ admittere. Verùm quia aſſeveranter negabat Alexander ſe Epiſtolas ulli alteri, præterquam ipſi Coralato in manus conſignaturum, admitti tandem obtinuit, unà cum Patre Joanne, duobúſque præter interpretem comitibus è famulitio. Literis Regi & muneribus traditis, Pater in omnem rei Chriſtianæ bene gerendæ occaſionem intentus, Coralato familiariùs ſecum agenti, ſuadere omni ratione baptiſmum incepit, adductà in robur perſuaſionis ejuſdem ſponſione, quâ nuper inter puncta pacis firmatæ idipſum ſpoponderat. Excanduit non modicè ad illatam baptiſmi mentionem Rex, indignatus id à ſe veluti jure expoſcere fuiſſe auſum Alexandrum: addiditque inter alia per indignationem prolata: effecturum priùs ſe, ut Patres atque Hiſpani Mauritanam, quàm ipſe Chriſtianam Religionem iniret. Cúmque Alexander veteris amicitiæ confidentiâ pergeret modeſtè firmiſſimis rationibus Chriſtianam veritatem tueri, ille furore jam inſaniens de ſede ſe proripuit, minaciter circumſpectans, ut aliquid, quod in Alexandrum projiceret, reperiret. Cúmque adſtantibus Miniſtris etiam innueret, ut Patrem in veſtigio trucidarent, accurrens ad ejus clamorem Regina, conjugémque amplexu ſtringens inhibuit, & pugione, quo erat accinctus, exarmatum utcunque placavit. Addidit nihilominus ad Patrem jam digredientem Rex inflammatus: *Tu verò Pater, ſiquid porrò de hoc argumento coram me attuleris* (fatale ſiquidem apud Mahometanos eſt Alcoranum impugnare, aut Chriſtum ſuadere) *te ego unà cum Socio contrucidabo inſtar animalium immundorum.* Cui reſpondens Pater, *hæc verò*, inquit, *in auribus Religioſorum boni nuncij verba ſunt, non minæ, in ſpe, non in metu, quippe qui per mortem Chriſti causâ obitam redduntur Martyres glorioſi. Ego verò*, ſubjungit Rex: *brevi faxo, ut tu ac ſocius tuus huc non tanquam Legati, verùm ceu Martyres futuri veneritis.* His à ſe abactos, vocatis in conſilium Sultano Bunayenſi Regulo, alijsque Principibus Mauris, Patres omnino neci dandos concludit. Itaque 13. Decembris ad Regiam accerſuntur Reginæ nomine, jubentúrque non nisi duobus è famulitio comitati adeſſe, eò quòd ſecretò quidpiam ipſis ſuggerendum haberet. Illi nuncio exhilarati, manſuefactum à Regina Coralatum interpretabantur; eâque ſpe pleni Regiam ingrediebantur: cùm ecce Alexander inopinatò lancearij manu in humeris minore lanceâ vulneratur, illico armatâ Maurorum multitudine unà cum P. Joanne circumdatus, qui utrumque campelanis (familiare id apud illos gladiorum genus eſt) undequaque petitum creberrimis vulneribus confecerunt. Hìc Alexander ad unum

è ſicarijs: *quandoquidem*, ait, *me occidis, age percute ùt libet validè, nè parce: nam ego pro baptiſmo apud vos prædicato lubens valde ac volens hanc mortem oppeto.* Ubi autem lethali vulnere ſe ſaucium advertit, æneum quod ab annis pluribus ad pectus geſtabat Chriſti Cruci affixi ſimulachrum eximens, amanter amplexatus eſt, atque in ipſo religioſo oſculo purpuream animam poſuit, cùm facilè centum vulnera toto corpore accepiſſet. Idem factum cum Patre Joanne, SS. JESU & MARIÆ nomina ſupremis vocibus invocante. Corpora necatorum totâ nocte in ſuo ſanguine relicta ſunt ubi ceciderant; quæ tamen Indorum aliquis miſeratus ſepelivit. Ea menſis unius ſpatio ut Samboangam aſpotarentur exhumata, tam integra & recentibus vulneribus purpurea reperta ſunt, ac ſi tunc primùm occiſi fuiſſent. Coralatus necem eorum à ſe in Miniſtros ſuos apud Philippinarum Gubernatorem amoliturus, luculentum pretioſæ eorundem morti teſtimonium exhibuit, ità ſcribens: *Patres à Miniſtris ſuis internectos idcirco fuiſſe, quod contra Fidei avitæ, atque iſthic hactenus receptæ jura, illos ad Fidem Chriſtianam adducere, ac baptiſmo expiare ſtuduerint.* Cæterùm P. Joannes Montiel natus erat Rhegij in Calabria Anno 1631. Societatem ingreſſus anno ætatis 15. in qua poſt auditam Philoſophiam ardentiore zelo transmittendi in Indiam inflammatus, necdum Theologiâ ad calcem deductâ in Philippinas pervenit: ubi non diu poſt Sacros Ordines receptos, Socius Miſſionis & mortis P. Alexandro factus, in ipſo laborum ingreſſu præmium æternitatis obtinuit, annos natus non ampliùs 24.

Societas IESU inter Americæ persecutiones, in pretiosum Adamantem Annuli DEI dura,

C. Screta. del. M. Kurol. f.

SOCIETAS JESU AMERICANA.

AMERICA ultima Orbis portio, ſæculo ſuperiore primùm Europæis detecta, incolarum feritate, crudelitate, omnium immaniſſima, in Meridionalem & Septemtrionalem dividitur: cujus ad utrumque polum Terræ etiamnum incognitæ ſi penſentur, tum una America molis vaſtitate, & regionum magnitudine, quamvis aliam Orbis portionem, longè ſuperatura creditur. Utraque Mahometicæ ſuperſtitionis omnino expers, eâ credo causâ, permanſit, quia Veteribus penitus inexplorata, altero primùm abhinc ſæculo aperiri cœpit: hinc omnibus latè Provincijs ſola regnat Idololatria, abominandis ultra omnes veterum ſuperſtitiones ritibus fœdata; ſiquidem divinum cultum viliſſimis quibusque rebus & beſtijs tribuit, & Dæmonibus viſibiliter in horribili forma apparentibus divinos honores concedit. Nullibi artes magicæ majore ſunt in uſu vel pretio, quarum artifices paſſim Deorum loco habentur, & adorantur. Sunt namq; Americæ populi univerſi, ſi ferè Mexicum, Peruviam, & novam Hiſpaniam aliquanto humanitati propinquiores, excipias, omnis omnino Politicæ expertes, nullâ lege, Societate, Republicâ, aut civilitate adſtricti, promiſcuè inter ſe ferarum more viventes, adeóque incredibili ruditate, utì omnium bonarum artium vacui, ità quibusvis impoſtoribus mirè creduli; & quod indè conſequitur, mobilis animi, & nullius conſtantiæ. Pleriſque ad meridiem Regionibus toto corpore nudi degunt in ſylvis, & communiter cum belluis ſpelæa incolunt, nullo præterea cibo, nisì carnibus venatu & piſcatu apprehenſis, herbísque, quas ſponte nativum ſolum ſuppeditat, vitam producere ſolliciti: nec alterius ferè edulij ſunt appetentiores, quàm quod ex humanis carnibus paratur: unde perpetua inter eos latrocinia, & internecina ſemper ſunt bella, utpote quibus nîl aliud ferè in egentiſſimis omnium rerum populis magìs quæritur, quàm hoſtilium corporum occupatio, quos diligenter ſaginatos, gulæ deinde ſuæ avidi immolant, & dapſiliter depaſcuntur. Præcipui Meridionalis Americæ tractus ſunt, Braſilia, Chica, Chile, Toucumania, Paraquaria, Peru, Omagua, Gujana, Timbuja, Acutia, Caribana, Amazonum Regio, Parabolia, Caſtilia,

Pagua-

Paguana, Patagonia, Hiſpaniola, Cuba, Nicoeara, & innumerabiles circa Argenteum fluvium populi. Et has plerasque efferatiſſimarum gentium Regiones arma Luſitanica & Hiſpanica vel perdomuerunt, vel fœderibus mutuis illigatas ſibi obnoxias fecerunt: exceptis immenſis terrarum ad Auſtrum ſpatijs, quæ ob æſtuum maris violentiam explorari adhuc nequiverunt.

Quâ Septemtrionem verſùs eadem America porrigitur, primariò complectitur Novam Hiſpaniam, Mexicum, auri argentíq; fodinis ditiſſimum, Californiam, Novam Granadam, Floridam, Virginiam, Novam Franciam, Novam Sueciam, Hiroquios, & innumeros alios ſinè nomine populos, qui pleriq; Catholici, quidam etiam Chriſtianiſſimi Regis obſequijs, aliísq; Europæ Monarchijs obnoxij parent: magnâ ſimiliter parte belluis, quàm hominibus propinquiores, & in Florida, Virginia, Canada, & Hiroquia, ſuper omnes hactenus cognitas Mundi plagas immaniſſimè barbari, & anthropophagi. *In hanc* itaque *frementium beſtiarum ſylvam*, ut cum S. Leone Papa Ser. 1. de SS. Petro & Paulo loquar, *& turbulentiſſimæ profunditatis Oceanum, ubi diligentiſſimâ ſuperſtitione habebatur collectum, quidquid uſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum, ubi ſolus Dæmonum cultus, & omnium Sacrilegiorum impietas* ſtabulabatur, ingreſſi Socij, pluſquam ullibi terrarum exhauſêre laboris, ærumnarum, difficultatum; & Sanctâ quadam conſtantis animi pertinaciâ vexillum Crucis eò intulêre, quò Regia Hiſpanorum ſigna nullis hactenus armis, nullâ vi penetrare potuerunt: ſic ut vix ulla cognitæ hucúſque Americæ ſit Provincia, quæ culturæ Sociorum expers, hodiéque illos non habeat Veritatis Magiſtros, & Cœleſtium myſteriorum interpretes. Verùm alia prorſus hìc à reliquis Mundi plagis agendi methodus ineunda Socijs fuit, diverſa penitus barbarorum animos verſândi ratio, qui omnis humani victûs inſueti, docendi priùs erant, quæ agendæ hominum vitæ competunt, quàm inſtitutione Chriſtianâ imbuerentur.

Principium operæ ferè collocatur in barbaris à vagabunda ex montium & ſylvarum ſpelæis vitæ conſuetudine abducendis, & ad communem humanæ Societatis victum pelliciendis, quibus deinde in colonias pagatim & oppidatim diſtributis, mapalia Sociorum manibus exſtrui, agriculturam & artes omnes mæchanicas tradi, & exerceri neceſſum eſt. Quarum uſu & utilitate capti, proniſſimas Cœleſti doctrinæ aures exhibent, & Magiſtros ſuos tenerrimo amore & veneratione privatim & publicè proſequuntur; tunc præſertim, cum aut ex Europa nova Patrum ſubſidia, aut illorum Superiores adveniunt. Tum enim obviam procul effuſi, quatuor ſubinde ipſorum millia, terrâ & navigijs honoris causâ procurrunt, & modò quidem

dem ludicram ad militiæ ſuæ leges pugnam, diviſis utrinque copijs adumbrant: modò ad vocum tibiarúmque ſymphoniam lætis ſaltibus animi ſui hilaritatem, è deſiderati hoſpitis adventu oſtentant: modò alia barbaræ jucunditatis ſpectacula, Europæis oculis ipsâ raritate gratiſſima, inter promiſcuas applaudentis multitudinis acclamationes exhibent. Quàcunque autem incedendum eſt, arcus triumphales, quibus iter per intervalla diſtinguitur, erigunt, & latera utrinque ſtructis aris exornant. Porrò in arcubus illis nemo Parium marmor, & operosè ſculpta in ſaxis heroum facinora expectet, etſi ob operis ac mentis tam gratæ novitatem, nè Romæ quidem ſuas moles & amphitheatra invideas. His enim pretioſis machinis, quia ob publicam inopiam illorum fortunæ planè ſunt impares, arcus illos ex arborum ramis intextos, rerum copiâ, ut Amaltheum cornu inſtruunt, è quorum fornice piſces aſſos, crudósque, carnem ferinam, pullos gallinarijs incluſos, gallinas è collo ſuſpenſas, ſtruthionum ova, perdices, verſicolores aves, quibus omnes illæ Regiones abundant; vulpes item & canes mirabili varietate appendunt. Nec diſſimili ornatu arcuum baſes & columnas ædificant, quibus tigridum, ſerpentum, aliarúmque ferarum exuvias, fœno ad viventium ſpeciem fartas, ordine annectunt. Hiſce ſaccos interponunt edulijs refertos, fiſcinas inſuper goſſipio, milio Indico, ac leguminibus plenas. Et nè quid ad copiam deſit, ligneas ſcutellas, veſtes, arcus & pharetras, quin corollas adeò precatorias, totámque ſupellectilem ad inſolentem ſtructuram accumulant. Cujus tam liberali apparatu innuunt, ſe hoſpitis tam optati commodis, omnia ſua in hoc œconomiæ compendio dedicare.

Atque hic ferè mos eſt totâ latè Paraquariâ, Uervaicâ, Paranâ, Amazonum & Braſiliæ Regionibus, Toucumaniâ, & reliquis pauperioris Americæ Provincijs receptus, quo ad humanitatem & manſuetudinem jam ci curati, Magiſtrorum ſuorum adventum honorare, & feſtiviores dies celebrare conſueverunt. Sanè cùm ſæcularem ab origine ſua celebraret annum Societas JESU, hi quoque alterius Orbis populi totâ contentione ad cohoneſtandam Societatis, tanquam Magiſtræ ſuæ, primam ætatem, ſingulari DEI beneficio exactam, ſibíque tam fructuoſam, incubuêre; tótque omnibus Paraquariæ Colonijs & Reductionibus, ejuſmodi trophæa erecta ſunt, ut plauſus Europææ elegantiæ, ſimplicitatis conditurâ vel æquarent, vel etiam ſuperarent. Et verò hæc tam pronis Americanorum animis recepta Evangelij ſemina, uberrimos jam pridem reddidiſſent Cœleſti Patrifamilias fructus, ſi illa adoleſcere, & in maturitatem juſtam pervenire, intimè genio ipſorum innata volubilitas, & vertumno inſtabilior variabilitas pateretur. Quolibet enim ferè ariolantium Magorum aſtu dementati, facillimè in transverſum aguntur, & ad cujusvis perſuaſionis impulſum arundine mobiliores,

normam

normam rectè vivendi deſerunt, quæque herì divinâ veneratione proſequebantur Sacra, hodie pedibus calcata contemerant, & proculcant. Neque tamen durum, & ſudoribus colonorum tam malignè reſpondens novale, deſerendum unquam duxêre Socij; ſed ſublatis identidem, qui ante ſe miſſi ad repetendos fructus fuerant DEI ſervis, infractis animis ſuccedentes, hodiéque *profecti prædicant ubique*, *Domino cooperante*, & ſi uſpiam alibi, *ſermonem* eorum *confirmante ſequentibus ſignis.* Tot enim támque ingentia Divinæ Bonitati placuit patrare per ſervos ſuos ibì miracula, quot nuſquam alibi poſt S. Xaverium, ultimis hiſce ſæculis viſa ſunt: ùt legere eſt in vita P. Joſephi Anchietæ, & aliorum Americæ Virorum Apoſtolicorum. Quibus nos aliorum inſtituto relictis, non minora fortiter toleratorum pro Fide tormentorum prodigia recenſebimus, in quibus Chriſti pugiles Adamantis inſtar, neque incudi, neque flammis cedentis, immobiles permanentes, ſupplicia omnia ſupra Naturæ vires alacriter, cum ipſa morte tulerunt, atque ità haud paulò efficaciùs veritatem Religionis Chriſtianæ aſſeruerunt, quàm miracula conteſtata ſint. Quorum immortalia decora ità legamus, ut otioſa non ſint: *quæ quidem tanta* (concludo verbis Pontij, vitam S. Cypriani ſcribentis) *atque tam magna & mira ſunt, ut magnitudinis contemplatione deterrear, ac imparem me eſſe confitear, ad proferendum dignè, pro meritorum honore, ſermonem: nec poſſe ſic proſequi facta tam grandia, ut quanta ſunt, tanta videantur: nisì quòd numeroſitas gloriarum ſibimet-ipſa ſufficiens, alieno præconio non eget.*

PETRUS

Petrus Correa, et Ioannes Sosa, Lusitani Societatis IESU, sagittis confixi in Brasilia, apud Carigios; Mense Decembri. A 1554.

C. Screta del. *Melch. Küsell f.*

PETRUS CORREA, & JOANNES SOSA.

Vales impetus habebas ad Mundum, tales habeas ad Authorem Mundi, ſcitè monet S. Ambroſius, conformiter ad illud Apoſtoli Rom 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem, ità exhibete membra veſtra ſervire Juſtitiæ ad Sanctificationem.* Cujus Apoſtolici moniti vim cernere eſt in Petro Correa luculenter expreſſam, quo ſicut nihil fuit initio in vita ſæculari immanius, & in miſeros Braſilos truculentius, ità poſtliminio in vita Religioſa nihil illo benignius, & commodis eorundem procurandis impenſius. Natus in Luſitania clariſſimo ſanguine, Regia ſtipendia ſecutus eſt in Braſiliam, animo Provincias illas Sceptro Luſitanico ſubjiciendi, ſeque & ſuos quâ poſſet arte & marte ex ſpolijs barbarorum ditandi. Nemo illo totâ Braſiliâ inter Luſitanos ditior, ſed nemo etiam in indigenas ſævior, quibus ſpoliandis, & poſt erepta omnia duriſſimæ ſervituti addicendis, mille artifex evaſerat. Littora enim Braſiliæ navi oberrans, expoſito pro opportunitate capturæ in terram milite, inermes Braſilos veluti indagine cingebat, ferarum inſtar inſectabatur, contráque omne jus & fas comprehenſos, pro mancipijs ad duriſſimos Sacchari parandi, aliáque infimorum ſervitiorum opera Luſitanis divendebat, neq; meliùs quàm canes habebat. Hæc & alia id genus

genus patrata in miſeros facinora, totâ deinde Religiosâ vitâ materiam illi perpetui doloris & lachrymarum, ùt olim S. Petro pepererunt: quorum vel idcirco facilem à Deo veniam conſecutus cum Paulo credi poteſt, quia ignorans fecerit; ſiquidem parum Legis Divinæ, & ſolius militiæ homo intelligens, æſtimabat ſe præclarum fidelis obſequij genus præſtare Regi, officinarum ſaccharì operàs mancipijs augendo: nec minùs DEO gratum ex animabus lucrum facere, cùm eâ ratione Barbari Chriſtianorum conſuetudine plerumque ad veram Fidem miteſcerent, & ſervitute corporis animæ libertatem lucrifacerent.

Appulêre interim in Braſiliam Patres Societatis JEſu, ex quibus P. Leonardus Nunnez, demonſtratâ Petro piaculi ejuſmodi gravitate, eouſque illum perculit, ut nullam conſcientiæ quietem capere poſſet, anxiè ſollicitus, quo pacto in tot mortales injuſtitiæ crimen admiſſum, poſſet maximè congruè rependere. Cúmque non aliud melius ſuccurreret, quàm ut ſua omnia, ſéque ipſum, in ejuſdem gentis lucra & commoda, cui tantum nocuiſſet, totum expenderet, diſtractâ in miſeros omni ſubſtantiâ, ſeipſum Societati primus intra Braſiliam adjunxit, in Colonia S. Vincentij, A. 1549. In quo barbarorum lucrandorum ſtudio totos quinque annos, quos in Societate vixit, ità deſudavit, ut animam denique & ſanguinem pro eis dederit: eâ etiam arte quàm maximè in converſione illorum adjutus, quòd linguæ peritiam conſecutus fuerit tantam, ut ab ijs Braſilicæ eloquentiæ Doctor appellaretur. Accedebat ſingularis quidam in Viri dictis & factis relucens Virtutis & Sanctitatis ſplendor, tantò validiùs animos indigenarum percellens, quantò deterioris ejus vitæ vigebat apud ipſos memoria: quo factum eſt, ut cùm longè plures eorum animas ſub ſuave Chriſti jugum, quàm priùs corpora in duram hominum ſervitutem adduxiſſet, jure merito gentis illius Apoſtoli nomen, cui primitiæ fructuum Braſiliæ potiſſimùm debeantur, deinceps illi adhæſerit. Subſenſerat interim Dæmon ex ipſo Tyrocinij ejus fervore damna ſua & futuras clades, ideóque tendentem Superiorum miſſu ad quendam barbarorum pagum, conatus eſt de medio tollere, duorum ingentium lignorum in verticem prætereuntis caſu, ex quo confractum fœdè caput, de vita ipſius viæ comites deſperare fecit. Sed quia iter agebatur ex obedientia, manè ſequenti, perinde ac ſi nunquam inflictum eſſet vulnus, caput integrum & ſanum apparuit. Succeſſit mox dolor oculorum acerrimus, qui Regionibus illis propè incurabilis habetur: ſed adhibito ab Socijs ſolo precum medicamento, æquè ac primum malum ſubitò evanuit. Et jam ventum erat ad deſignatum pagum, cùm in ipſo introitu videt Correa ingentem mancipiorum vim impiæ lanienæ paratam, quæ è diuturna ſagina Barbari illi ſuo ventri mactanda (quod epularum genus omnibus Braſilis in lautiſſimis cupedijs habetur) & dapſiliter voranda educebant. Laboravit quidem omni conditione deteſtandam ingluviem illis diſſuadere, miſerósque macello eripere, ſed cùm nihil proficeret, copiam ſaltem baptiſmo victimas luſtrandi expetijt. Id verò cùm æquè renuerent barbari, cauſati, eâ Sacrifontis aſperſione carnes vitiari, & ſi non vorantibus noxias, certè inſipidas palato & inſuaves reddi: tum verò Correa cum Socijs piâ fraude uſus, è madefactis aquâ ſudarijs liquore diſſimulanter expreſſo, univerſos, priusquam de more cæderentur in epulas, baptizavit, ac ſalutaribus monitis, ſpéq; æternorum, ſub ipſa clava & cultro carnario implevit.

Interea Carigij & Ibiragiari, interioris Americæ ultra Braſiliam populi, deſiderio percipiendæ Chriſti Legis, cujus orexim aliquam à vicinis Hiſpanis Paraquariam incolentibus acceperant, cùm diu fruſtra P. Nobregæ ad ſe acceſſum expectâſſent, ducenti circiter eorum baptiſmi gratiâ à ſexcentis paſſuum millibus Braſiliam verſùs, ignoto & periculoſo itineri ſe commiſerunt. Sed à Tupinaquinis Ethnicis trucidati plerique, quibuſdam in vincula conjectis, in ſuomet ſanguine Baptiſmi copiam nacti ſunt; tam certâ beatitudinis conſequendæ ſpe pleni, ut percuſſores ſuos his inter necem verbis compellarent: *vos quidem arbitratu veſtro caduca hæc & mortalia membra concidite, animorum certè curſum, quò minùs hodie ad ſuum Creatorem evolent, non retardabitis.* Unus duntaxat Hiſpanus (nam aliquot eorum Carigijs ſe adjunxerant) evaſit, & triſtem cædis nuncium ad Coloniam S. Vincentij attulit. Miſſus eſt continuò Correa non ſinè manifeſto capitis periculo: qui ſanguinariæ gentis feroci blando mitigatâ alloquio, duos è vinculis exemptos Hiſpanos ad S. Vincentij adduxit. Tanto autem exinde Carigiorum ſalutis zelo exarſit, ut miſſionem ad illos ſinè mora apud Provincialē Nobregam ſollicitârit; quā etiam eâ causâ propenſiùs obtinuit, ut ejectos adversâ tempeſtate in Braſiliam Hiſpanos,

qui in Paraquariam tendebant, per infeſtas illas barbarásque gentes, pro authoritate, quâ per eas oras valebat, notitiáque ſermonis, deduceret; additis ei ſocijs Fabiano, & Joanne Sosâ. Hic ortu Luſitanus, cùm viro nobili in Braſilia famularetur, ità jam tum Divinis addictus erat, ut Religioſus cenſeri poſſet. Ter jejunabat per hebdomadam, in omnes ità benevolus, ut tamen nihil improbum coram ſeſe dici fierive tacitus pateretur, magnis idcirco ſæpius probris & injurijs appetitus. Ut primùm autem Societatis in Braſiliam appulſæ notitiam accepit, avidiſſimo in eam animo primus ſecundùm Corream transgreſſus eſt, in laboribus culinæ humilitatem & charitatem erga omnes exercens, Vir excellentis pœnitentiæ ac patientiæ. Cum duobus his ſocijs Sacerdotij æquè expertibus (dum horum nulla eſſet copia) poſt expiatam conſcientiam Cœleſti pane refectis, itineri ſe dedit. Centum fere ac viginti progreſſi paſſuum millia, ſparſáque liberaliter ubique Evangelij ſemente, inveniunt alium in hoſtium poteſtate Hiſpanum ſaucium, duósque Braſilos lanienæ & epulis deſtinatos. Quos gratioſè eblanditus Correa, Braſilos quidem in comitatum aſſumpſit, Hiſpano autem, qui progredi ob vulnera non poterat, curando, Fabianum in ſubſidium reliquit, ut ſimul in barbara gente ſemen Divini verbi jaceret. Et hic quidem conſanato brevi cliente, cùm acerbiſſimo barbaris eſſet odio, quòd carnium humanarum quædam fruſta clàm ſubrepta in nemore ſepeliſſet, ægrè tandem ad S. Vincentij ſe recepit. Correa & Soſa magnis laboribus Carigiorum fines ingreſſi, tantos ſermonibus & exemplis in tota gente fecêre motus, ut non modò plebem, verùm etiam primores ad ſtudium Chriſtianæ veritatis pertraxerint. Non tulit diu præclara cœpta ulteriùs progredi Dæmon, ſed per eum ipſum, cui vitam & libertatem ſervavit Correa, necem ei atque interitum machinatus eſt.

Ex duobus illis, quos à Correa barbarorum captivitate ereptos diximus, Hiſpanis unus, implacabile in illum jam inde à Braſilia efferebat odium, quòd eo auctore pellex Braſila, quam ſibi nihilò melior ab infortunio factus aſſumpſerat, erepta fuiſſet. Is ergo in mores barbaris ipſis vitioſiores transgreſſus, pro uſu & authoritate quâ apud Carigios pridem valebat, mirâ calliditate cœpit liberatorem ſuum, unáque Soſam inſimulare, & in ſummum odium adducere, quaſi in eorum perniciem cum vicinis hoſtibus conjuràſſent, & exploratum cum armato comitatu illuc præcurrentes, paulò pòſt à reditu integrum ſecum hoſtium exercitum in Carigios adducturi eſſent. Fidem mendacio fecit, tum quod Braſili duo, qui paulò antè à Correa ſervati eùm comitabantur, arcus uterq; gentis more geſtabant: tum quia Correa ad Natalis Dominici feſtum, qui ei reverſionis terminus à Provinciali conſtitutus erat, reditum adornabat. Jámque aliquantum itineris à Carigijs digreſſi perfecerant, cùm repentè ab illis, duce eo ipſo veteratore, qui ſinè Correa in epulas barbaris nuper ceſſurus erat, ex inſidijs circumveniuntur. Ac primùm comites duos Braſilos, deinde Soſam in genua procumbentem ſagittis interimunt, poſtremò ipſum Corream, hortantem eos ad Salutis curam, & eorum quæ docuerat obſervantiam, ac tandem in genua provolutum, ut eorum ſceleri veniam precaretur, configunt A. 1554. menſe Novembri. Hæc illi gratia pro benefactis reddita eſt, à deceptis alienâ nequitiâ Carrigijs, hæc merces repenſa: qui interim gloriosâ morte pro aſſerta caſtimonia, & impedito pellicatu defunctus, inter inclitos Societatis viros, qui profundendâ vitâ honorem DEI tueri non dubitant, meruit connumerari. Pretioſa eorum nex ubi Braſilis nuntiata eſt, novelli Chriſtiani catechumenique ex Correæ deſiderio, tanquam ad amantiſſimi Parentis obitum, in uberes lachrymas & gemitus erupêre, non privatâ ſolùm, ſed communi lamentatione, ipſum veri eloquij principem, unicum ſuum veritatis interpretem, qui ſincero eos Parentis & Fratris amore complexus eſſet, deplorantes.

DUO FRATRES COADJUTORES.

CUm Societas JESU, in ipſis ſui primordijs A. 1549. à confirmatione ſua decimo, in Braſiliam etiam operarios transmittere cæpiſſet, coacta eſt in Sacerdotum paucitate etiam Marthæ officijs addictos, in ſubſidiariam animarum culturam adhibere. Quorum opera in ea gente ex eo etiam accidit utilior, quòd indigenæ nullis literaturæ, aut ſubtiliorum dogmatam principijs imbuti, in rebus ferè ipſo naturæ lumine dictatis exerrarent. Nam neque Deum colebant ullum,

Duo Fratres Coadjutores Societatis IESU, à Barbaris, odio Fidei, interfecti in Brasilia. A 1555.

C. Screta del. *Melch. Küsell f.*

ullum, augurijs tantùm, veneficijs, impoſturísque ad inſaniam dediti. Nudi æquè viri ac fœminæ prorſus incedunt, & inſertos gerunt à prima ætate, deliciarum causâ, inferiore labro, nonnunquam autem totâ facie, prælongos nullius ferè pretij lapillos, tetro ſanè ſpectaculo. Vivunt in diem, & quidquid habent in commune facilè conferunt; triduũ ipſum, ubi ciborum penuria ingruerit, jejunio tranſigentes; & ſi copia rurſum ſuppetat, à primis tenebris ad inſequentem uſq; lucem in convivijs & compotatione perſiſtentes. Bella inter ſingulas cognationes, nullo Rege vel Principe ſæviunt: in quibus captos multâ curâ ſaginant, dum in amicorum conventu ingenti cum gaudio bene farti pinguésq; mactentur. Eæ optatiſſimæ Braſilis epulæ ſunt, nec alia ferè operoſior Patribus cura, quàm ab ea belluinam gentem ingluvie abſtinere. Ad hos igitur delati Socij, primò omnium patentibus locis præcelſa Crucis trophæa fixêre, tum ſuis orſi manibus ac laboribus, in MARIÆ adjutricis nomine templum, ac deinceps plura alia ſtruxêre, ſuis ipſorum humeris aquâ, lignis, cæteráque materiâ proximis è montibus comportatâ. Plurima deinde ſollicitudo & præcipuus conatus, ut populus ferarum more ſylvas nullo tecto, nullâ agrorum aut alterius rei ad vitam humanam curâ palabundus, certis ſedibus, & fixis communiter pagis vellet conſiſtere: quod ubi poſt ingentes demum Sociorum labores aliquantùm proceſſit, redibant tamen ferè ad ingenium adultiores barbari, & quâvis difficultate,

cultate in hominum convictu occurrente, brutalem repetebant vivendi ritum, ebrietati ad inſaniam dediti; indè licèt ſobrij ab humana carne non difficulter abſtinerent, ratione tamen vino quodam factitio obrutâ, ad necem continuò hoſtilium corporum, & feralem coquinam, ſimúlque ad vagas, nullâ certâ uxore, libidines redibant.

Itaque Patres ſuam in adultorum cura propè omnem operam ludi videntes, in exactam puerorum inſtitutionem tantò ſollicitiùs impendi cæperunt, extructis eorum educationi plurimis contubernijs, ut omnibus penè locis, ubi ſua Luſitani propugnacula & arces habebant, certa ſimul pueris domicilia locarentur. Eorum erat vitæ ratio, ut manè finitis Scholis ante menſam Sanctos omnes Litanijs decantatis, & veſperi alteris miſericordiæ Matrem, adjectis quibuſdam precibus, implorarent. Sextis ferijs cruentabant ſe flagellis; bis in die docebantur elementa Chriſtianæ Legis; tantóque paulò pòſt Chriſti flagrabant amore, ut ethnicorum parentum ſenſu propemodum nullo tangerentur, eósque ſicubi delinquerent, accuſarent, interdúmque nè affarentur quidem. Suſtentabantur autem publico Luſitanorum ſumptu, adjectis ſervis, qui quotidianum illis victum colendis agris, piſcandóque conquirerent. Circumducebantur perſæpe inſtructo agmine inter barbarorum mapalia, Litaniarum divinæque Legis carmina concinentes, cum quibuſdam gentis de more crepitaculis. Animadverſum quippe eſt, nihil tam in Braſilienſium animos influere, quàm varios canendi ſonos, dum adeò cantu permovebantur, ut in eo felicitatis ſummam reponerent. Unde PP. ut Chriſtianæ Legis præſtantiam ad eorum captum extollerent, dicebant illam veriſſimum cantum eſſe muſicum: eáq; de cauſa pleraq; Fidei myſteria, quò dulciùs aſperis mandarentur ingenijs, pijs cantibus intexebant. Erátque in ea ſententia Nobrega Provincialis, potuiſſe perfacilè Evangelij lumen vel in ultimam inferri Braſiliam, ſi prima ejus prædicatio jucundis modulationibus condita fuiſſet. Nec rarò DEUS ſimplicem innocentium puerorum fidem admirandis operibus comprobabat, per quos etiã ferè præcipua in converſione barbarorum Patres perficiebant. Diverterant hi fortè ad quendam ex nobilioribus, qui cùm ſuam ad eos filiam graviter ægram adduxiſſet, unus è pueris præter cæteros Fide accenſus, filiæ ſalutem nihil hæſitans pollicetur. Fuſis mox à toto grege pro ea precibus, meliùs fit puellæ, totáque ſibi paulò pòſt reſtituitur. Cujus eventûs admiratione permotus parens infidelis, filium eis quem habebat elegantiſſimum, ſacris imbuendum myſterijs ultro dedit; quem illi in ſuam acceptum diſciplinam, brevì ad fontẽ baptiſmi promoverunt, in ſingula namq; hæc Seminaria deducebantur ab Luſitania orbati parentibus tres quatuórve, veluti contubernio præfecti, pueri, in quos indigenæ filij intenti, ſimiles mores induebant. Tantum autem his pueris tribuebant barbari Ethnici, ut quacunque nôſſent eos iter habere, vias ſternerent, & iter ornarent, eósque velut ſingulari quâdam Sanctimoniâ præditos, omni ſignificatione honoris exciperent: nec in eorum conſpectu auderent vel exiguum aliquid ex humanis carnibus delibare. Occupaverat tetra lues aliquando totum Piratiningæ pagum, quâ icti complures quotidie cadebant; dúmque humana nulla adeſſent, omni medicinâ & pharmacis deſtitutâ Patriâ, remedia, ſupplicantium puerorum agmen inſtruunt Patres, non è Braſilis modò in terga ſævientium, ſed ex alijs etiam, faces manibus, aut Sacras Chriſti Divorúmque imagines ſuſtinentium: quâ ſupplicatione novies cum Litaniarum cantu, ad implorandos Angelos loci tutelares, perductâ, lues omnis abacta eſt.

Jam verò quantùm in hac efferatiſſimæ gentis cultura laborum, quid incommodorum, quid ærumnarum pertulerint Socij, ſpecimen aliquod juvat ex Joſephi Anchietæ, illius inter Braſilos thaumaturgi Apoſtoli, quã Auguſto menſe A. 1554. ad S. Ignatium dedit, epiſtola recognoſcere. *Ab Januario*, inquit, *uſq; in præſens, nonnunquam plus viginti* (ſimul enim pueri Catechiſtæ degebant) *in paupercula domo, luto & lignis contextâ, paleis cooperta, 14. paſſus longa, 10. lata manſimus. Ibi Schola, ibi valetudinarium, ibi dormitorium, cænaculum item & coquina, & penus ſimul ſunt. Nec tamen amplarum habitationum, quibus alibi fratres noſtri utuntur, nos movet deſiderium: Siquidem Dominus noſter JEſus in arctiore loco poſitus eſt, cùm in paupere præſepi inter bruta animalia voluit naſci, multò verò arctiſſimè, cùm in cruce pro nobis dignatus eſt mori.* Porrò domûs anguſtijs vita erat cætera conſentiens, fruſta nauticorum velorum, quæ nautarum donabat benignitas, atro colore tincta ipſimet ſibi concinnabant in tunicas. Potio erat aqua ex milio cocta; eſca, legumen ferme, vel aliquid mandiocæ (panis ſpecies eſt, ex ligno in farinam contrito piſti) vel olera. Ipſe P. Anchieta, Grammaticam fratres noſtros docens, cùm

cùm ſimul ipſe Braſilicæ condiſcendæ impenderetur, etiam genus quoddam calceorum intexere in uſus noſtros & puerorum perdidicit. Idem Nobregæ Provincialis juſſu, cùm Braſilorum multi perirent, ſecare venam aggreſſus, vitam multis ſervavit. Ad hæc Socij omnes in egentiſſimo ſolo agri culturam exercere, & ſuis manibus ad vitam neceſſaria parare, unáque omnia mechanicarum artium exercitia indigenis tradere cogebantur. Cui rei maximo adjumento erant Fratres Coadjutores, quorum Noguera ferrarij operis artifex, ruſtica ab ſe condita ferramenta, Braſilis artium eouſque omnium, & agricolationis expertibus largiebatur, terrámque ſubigere perdocebat. At Satanas dum omni ratione Socij corporibus ſimul & animis Braſilorum prodeſſe ſtudent, veneficorum Arioloſúmque linguas, quorum ibi omnia plena, exacuit in nomen famámque Chriſti prædicatorum. Jactabant eos quocunq; veſtigium ponerent, eò morbos & luem importare. Quibus obtrectationibus credulum vulgus in fraudem & errorem inductum, quàm longiſſimè à ſalutaribus refugiebat Magiſtris, congreſſum horrebat, vitabat aſpectum: cúmq; auditum eſſet eos, aliquà iter eſſe facturos, omnis commota vicinitas incenſo pipere & ſale, ùt ſolent in abigendis præſtigijs, eos conabantur arcere. Quin etiam crudelem omnibus necem ſæpius minati, illos ſe per crudelem epulationem abſumpturos jactabant; Anchietam præcipuè, niſi eundem ingentibus prodigijs ad gentis ſalutem ſervâſſet DEUS. In eo tamen inſectationis æſtu duo Fratres, quorum nomina intercidêre, dum pari cum alijs ſtudio in perdomandis efferis ingenijs elaborant, à barbaris intercepti, & eâdem quâ priores duo crudelitate trucidati ſunt, mox anno inſequente 1555.

P. PETRUS MARTINEZ.

PRimum hunc Floridæ Apoſtolicum operarium tulit Hiſpania A. 1533. Celdis natum, virtutis floridæ tam zeloſum amatorẽ, ut etiamnum puer perpetuam DEO Virginitatem voto ſanxerit. Diſciplinas humaniores & domeſticas dum decurreret, nullâ adhuc Societatis acceptâ notitiâ vel uſu, ab ejus hominum conſuetudine etiam abhorrebat. Sed animos cum ijs non tantùm confidentiùs agendi, ſed etiam Societati ſe aggregandi aſſumpſit, dum quatuor ſodales Societatem ambientes Valentiæ ad Collegiũ comitatus, mores Sociorum, & fraternam inter ſe charitatem propiùs advertit. Mox enim & ipſe admitti in Tyrocinium poſtulans, cùm è quatuor illis competitoribus nemo reciperetur, ipſe unus ab Hieronymo Natali admiſſus eſt A. 1553. Exacto Tyrocinio Theologiæ ſtudio applicatus, concionatoris unà & Miniſtri domûs, & per ruralem viciniam Catechiſtæ munus implebat: dicere ſolitus, ſe etiam ad ducenta munia obeunda, ſi Moderatores imponant, paratum eſſe. Et quia non ingenio ſolùm, ſed & induſtriâ erat perquam accuratâ, quodcunque munus aut laborem attingeret, ejus totum artificium aſſequi conabatur. Itáque cùm ex obedientia nunc culinæ, nunc alijs atque alijs humilibus miniſterijs exercitus eſſet, non uſui modò præſenti id exequi ſtudebat, ſed rationes ſingulorum & artem penetrabat ità feliciter, ut Magiſtrorum peritiam adæquaret, eſſetq; unus ipſe omnium ferè ſciens operum, quæcunq; ad vitæ neceſſitates Religioſorum manu tractantur. Quæ res magno illi uſui, & exercendæ charitatis in proximum occaſio fuit, in infelici illa Hiſpanorum in Africam expeditione A. 1558. Cùm enim Martinus Corduba Alcaudali Marchio claſſem Regiam in Africam deportaret, datus eſt illi P. Martinez, & P. Petrus Domeneccus cum uno Coadjutore, qui exercitui ſuâ operâ prodeſſent: cum quo feliciter Oranum, maritimam Hiſpanorum in ora Africæ Urbem delati, dum promovetur ad Moſtaganum exercitus, ad militum in noſocomio, qui plus 500. decumbebant, animos & corpora ſublevanda reſiſtere juſſi ſunt. Cupiebant quidem magis illi, ac fuiſſet ſanè militibus peropportunum, omnium caſuum participes, exercitui Chriſtiano in præſenti conflictûs diſcrimine præſto eſſe, ubi is barbarorum multitudine ſinè modo prægravante, ad internecionem deletus, & qui ſuperfuerant, à Mauris capti ſunt. Cujus cladis perlato in Hiſpaniam nuncio, jam eos Socij luxerant pro mortuis, & conſuetis Sacrificiorum ac precum ſuffragijs luſtrârant: quos tamen Divina Providentia dies noctésque in ægrorum ſalutem, ac Petrum præſertim multiplici illâ domeſticarum artium notitiâ illis proficuum, intentos,

P. Petrus Martinez Hispan. S.I. odio Fidei Christianæ occisus à Barbaris Americanis in Insula Florida. Aº 1566. 28. Septembris.
C. Screta del. Melch. Küsell f.

tentos, ad glorioſius pro nomine ſuo certamen reſervavit. In obedientia & mandatis Superiorum mirificè acquieſcebat, tum vel maximè, cùm aſpera atque ardua imponebantur; dicere ſolitus, nihil adeò operoſum ac formidandum eſſe, quod Dei gratiâ & obedientiâ fretus non audacter aſſumeret; experimento edoctus, quò plus periculi atque difficultatis haberent gerendæ res, eò affluentiùs Divinam opem adeſſe. Hinc ad Ethnicorum vel Hæreticorum deſtinari terras, maximè eas optabat, quibus primùm inferenda eſſet Chriſti Religio. Cujus diuturni atque ardentiſſimi voti tandem hac ratione compos evaſit.

Petrus Menendes Floridæ ſub ditionem Hiſpanam redigendæ à Rege Catholico An. 1565. præfectus, eà conditione munus admiſit, ut aliquot ei de Societate Evangelij promulgatores attribueret, quorum induſtriam in Oriente ſibi olim militanti perſpectam ajebat. Aſſignati mox fuêre à S. Borgia, tum Societatis Vicario Generali, tres, intèrq; eos Martinez: quia tamen priùs ſolvendum cum exercitu fuit Menendi ex Hiſpania, quàm illi potuiſſent adeſſe, exercebat interim ſe ad tam arduam miſſionem Martinez peracri verberatione, ſeveraq; inediâ quotidie. Toto item trimeſtri Compluti humillimum culinæ, rogatu ſuo, navavit obſequium, egregius per omnia ſui contemptor, dignùsque ut his proluſionibus ad illuſtre certamen, quod paulò pòſt in ipſo Floridæ ingreſſu ſubijt, initiaretur. Eſt autem Florida (ut ſemel id meliùs per-

percipiendis plurium Sociorum illic certaminibus præmittam) Americæ Provinciam perampla, finitima novæ Hiſpaniæ, in quam primus Joannes Pontius Leonius An. 1512. ipſo Dominicæ Reſurrectionis die incidit. Quam quia *Paſcha florum* Hiſpani appellant, indè nomen inventæ Regioni Floridæ indiderunt. Ingenia genti ferocia, vires magnæ, ſagittarum ſumma peritia, & natandi currendique gnaritas ſuper alias nationes exercitata. Lunam Solémque inter præcipua colunt Numina, quibus aliquoties in anno continuum triduum, omni prorſus cibo ac potione, item ſomno abſtinentes, reddunt ſolennes cultus. Unde qui vigilias atque jejunia fortiſſimè ac diutiſſimè perferunt, ij maximo ſunt in pretio; nullo verò loco, quorum natura infirmior minimè ad ea durat. Plurimùm herbis ſponte naſcentibus, venatu, piſcatúque veſcuntur, & Maizio (panis eſt ex eo tritici genere, quod turcicum nos communiter, ingentium granorum, dicimus) quæ uſitatiſſima omnibus Americæ populis eſca eſt. Qui inter eos dignitate cæteris præſtant, Cacique (ùt ferè alibi in novo Orbe) nominantur. Nulla adhuc facta in vaſtitate illa Divini Verbi ſementis fuerat; Hiſpani, pauca ad oram maritimam habebant præſidia, quæ acerrimè oppugnantibus indigenis, extremâ fame laborabant. In quibus tamen anguſtijs ajebat Menendes æquiſſimo ſe animo eſſe, quòd ſciret arma ſua non niſi Divinæ gloriæ militare, confiſos præſertim Societatis precibus, quarum ſuffragio quidquid aggrederetur, ex voluntate ſperaret ſe confecturum, eóq; avidiùs Sociorum adventum expectabat. Exacto igitur inter ſummas anguſtias anno, in portum S. Auguſtini, ad auxilium ab Rege Hiſpano miſſæ naves primum 17. in Junio invehuntur: quos paulò pòſt cum claſſe in novam Hiſpaniam tendente, Petrus Martinez & Joannes Rogerius Sacerdos, & Franciſcus Villaregius vitæ domeſticæ adminiſter, ſecuti ſunt. Et quidem quo animo irent, argumento ſunt literæ, quas ſub profectionem Martinez, veluti beatum ſibi finem vaticinans, ad S. Borgiam dedit. *Per alias*, inquit, *literas egi jam gratias Paternitati tuæ de beneficio, quod in me per te Dei bonitas contulit; ſperóq; de ejus clementia, id magnopere ad obſequium ipſius caſurum & gloriam: cui proprium eſt inſignia facta, piſcatorum ac vilium hominum miniſterio facere, quò laudetur magis ejus nomen, & cognoſcatur poteſtas. Ego, quæ Dei indulgentia eſt, magno animo iter capeſſo, valde ejus gratiâ fretus, vitáq; meâ & ſanguine ad ejus obſequium ſæpe in hanc expeditionem oblatis. Deóque aſpirante certus eſto Pater, quidquid in nobis fuerit virium, eo collaturos, ut Provinciæ illæ in Conditoris ſui, ac Redemptoris notitiam veniant: nec pereant animæ tam pretioſo ſanguine redemptæ: eâdémq; curâ adniſuros, ut Societas JEſu, quæ tantum bonum mihi detulit, nihil de egregio illo nomine amittat, quod noſtri Patres tot tantísque laboribus pepererunt; quin potiùs dilatetur & creſcat, ùt æquum eſt, ad majorem gloriam DEI. Illud quidem vellem, alius veniret Caput & Dux, cui ego ſubeſſem; quanquam hìc quoque Divinæ Providentiæ me conſolatur ordo. Quamobrē Sanctæ Obedientiæ Virtute plurimum confiſus, ad munus accingor, præſertim tam egregios, tantáq; bonitate comites nactus, Joannem Rogerium trium Votorum profeſſum, multæ charitatis humilitatísq; Sacerdotem, firmæ cognitæq; in omni genere virtutis; & Franciſcum Villaregium, vitæ domeſticæ adjutorem, ſecundùm meum cor, & (ùt arbitror) Dei. Adeò rari exempli eſt, ac planè ejusmodi, qualem tanta res poſtulabat. Illi, egóque magnopere læti agimus; jámque vellemus in Provincia noſtra eſſe, ut aliquid ſubiremus laborum ejus cauſâ, qui cauſâ noſtrâ ad ſudorem uſq; cruentum, necémq; acerbiſſimam laboravit. Sanè quoniam tanti momenti eſt prima Chriſtianæ Fidei ſemina in regionem adeò patentem inferre, libenter coràm exoſculati Sanctiſſimos pedes, benedictionem Beatiſſimi Patris Pij 5. excepiſſemus. At id quia fieri non poterat, ſatìs nos conſolatæ ſunt literæ, quibus cognovimus perbenignè illum nobis abſentibus & bene precatum, & ſingularia beneficia impertiſſe: ac tua Paternitas poterit noſtro nomine ei confirmare, præter votum proprium, quo ego tanquam Profeſſus illi adſtringor, ad novum illi quærendum gregem proficiſci fideliſſimos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ filios; pro quæ cum Divina gratia ſanguinem fundent, & vitam in ea longiùs proferenda ponent, íd; pro ſummo Dei beneficio numerant. Tua ſimul Paternitas nobis jam jam conſcenſuris bene precetur, ut ubique meminerimus tuos ac Societatis, cui immenſum debemus, nos eſſe filios. Illud mihi cor vehementer excruciat (ut verum fatear, Pater) quòd parum tredecim aut quatuordecim annis profecerim, quibus me Societas tantâ curâ, támq; eximio lacte jam educat, doctrinâ atque exemplis tam inſignium piorúmque heroum, regulis & conſtitutionibus tam abſolutis ac ſapientibus, tanto mortificationis uſu & orationis, tot collationibus & exhortationibus pijs, denique adeò prudentium ſtudioſorúmq; gubernatione Præſidum, ut ſpatio tot annorum jam vel ſaxum emolliri debuerit, ideóq; cor meum angitur, quòd eò tranſeo, ubi præſidijs hiſce cunctis propè nudabor.*

bor. Quare oporteret nunc adhibere diligentiam ad comparandam annonam in eum locum, ubi erit utique uſui, & campus ampliſſimus patiendi. O ſi in hac ex Hiſpania profectione cunctos è Societate Patres fratrêsque alloqui daretur, ut eo ſenſu, quo ego commoveor, excitarem currentes, admonerémque, ut præſenti utantur tempore: ex uberrimis pretioſarum rerum fodinis atq; theſauris, in quibus verſantur, ſedulò capiant fructus, ſeponant, recondántque in tempora huic meo ſimilia! Verùm quia id negatum eſt, eò valeat ſenſus hic animi mei, ut ſupplicem Paternitati tuæ, totíque Societati, ut me meósq; ſocios DEO commendent, quò injuncto nobis munere cum DEI Domini noſtri gloria, & proximorum adjumento fungamur.

Ubi prope Floridam ventum eſt, ſeparati à Claſſe rectà in novam Hiſpaniam tendente, flexerunt in Septemtrionem curſum. Verùm Navarcho terræ locorúmque faciem non agnoſcente, cùm tamen vix 10. à continente leucas diſtarent, viſum fuit mittere in ſcapha viros, qui regionem explorarent. Sed quia latè indomiti immanésq; colebant barbari, nemo ſubire diſcrimen audebat: juſsíq; à Navarcho ire quidam Belgæ, aſſeveranter negârunt ituros, nisì unà iret P. Martinez. Quod ubi relatum Patri eſt, nullum pro communi cauſa periculum formidans, atque eâ charitate, quâ jubemur animas pro fratribus noſtris ponere, plenus, tranſilijt primus in ſcapham, novem Belgis, paucioribus Hiſpanis ſequentibus. Vix terras attigerant, cùm repentè coorta tempeſtas, navim, unde deſcenderant, procul à conſpectu abſtulit. Interim P. Martinez cum ſocijs egreſſi in littus, nullum Hiſpanorum veſtigium, omnia latè deſerta inveniunt. Cúmque hinc horridum ac minacem Oceanum, hinc ignotas ac vaſtas ſpectarent ſolitudines, eodem loco dies 10. ſi fortè aliunde ſe navis oſtenderet, præſtolantur propè jejuni. Prodibant interdiu, paucásq; legebant herbas, præeunte cum Chriſti Crucifixi effigie Martinio, cujus de caritate mira deinde retulerunt. Sed deſperato tandem navis reditu (quæ poſt multos errores, ad Inſulam Cubam evaſit) cùm interiora petere barbarorum metu, locorum ignari non auderent, ſupérq; omnia fame enecarentur, propulsâ ad vicinum fluvium ſcaphâ, adverſùs eum 15. ferè paſſuum millia ſubièrunt. Ubi cùm item nil nisì ſolæ deſertæque terræ offerrentur, repetito mari littora legere ſtatuunt, ſi quem uſpiam portum invenirent. Ad leucas 20. progreſſis alius occurrit amnis, quem ſubeuntibus, navicula vado cùm inhæſiſſet, primus Martinez delapſus in aquas, cunctis connixus viribus, duobus Hiſpanis adjuvantibus eam revulſit. Nocte ibì exactâ, paucis ad ſcapham relictis, cæteri præferente Martinez Chriſti effigiem lanceæ cuſpidi alligatam, regionem exploraturi egrediuntur, Cœlitum patrocinia litaniarū cantu poſcentes. Occurrêre inter pinus tuguria quædam, unus duntaxat homo conſpectus eſt, qui ſtatim ſe in proximas ſylvas abdidit. Ingreſſi tuguria, ſi fortè quid ineſſet enectis propè fame reficiendis, grandem in uno piſcem inveniunt: cujus dimidium auferentes, relictisq; in pretium, monitu P. Martinez, ſago & torque ex vitris, ad ſcapham regrediuntur. Poſtero die ad flumen quinq; apparent indigenæ, nutibus invitantes ad ripam: à quibus viciſſim nutibus cibum Pater depoſcebat, manu ori admotâ. Recurrêre itaque velociter ad ſua mapalia, & quos tam liberales in ſolvendo pridie piſce experti erant, reficere tanquam viros bonos laborabant. Igitur egregiâ aquâ, cocto piſce, aliísque cibarijs onuſti redeuntes, varijs ſignis indicabant, nequaquam hoſtilem eſſe gentem; quibus in reciprocum munus Pater, cùm aliud nil ſuppeteret, ex detractis libro aliquot membranæ folijs cōcinnatas forfice figuras donavit, quas illi puerorum more majoris ſe facere oſtendebant, quàm thoracem & femoralia, quæ duo ex Hiſpanis ſibi detracta impertierant. Ex eo deinde loco ſtringentibus littora, ad ſingula flumina accolentes populi benignos ſe exhibuerunt, quorū unus centenario multùm grandævior, capillo ad uſque genu promiſſo, nutibus indicavit, ubi tres populos, totidem fluvijs adſitos præterveherentur, Hiſpanam Coloniam reperturos. Ergo inſtaurato curſu, & duos populos prætergreſſi, ad Inſulam Tacatucurum in adoleſcentes quatuor piſcantes incidunt, qui ſinè cunctatione vim piſcium quidem magnam obtulêre, ſed unus celeriter dilapſus, plus 40. indigenas excivit, quorum 12. ſcapham intrant, reliquis in littore ſubſiſtentibus. Hìc Pater quia in truci eorum ore ac vultibus hoſtilem animū legebat, removeri tamen in altum flumen ſcapham paſſus non eſt, donec Belgæ qui exſcenderant reciperentur: quæ charitas mortem illi, ut ſalvaretur proximus, accivit. Dum enim illi redeuntes ſcapham ſubeunt, quidam barbarorum à tergo Patrem, quem ex habitu Legis tam ſibi exoſæ promulgatorem advenire dignoſcebant, duósque Belgas repentè furtim complexi, dant ſecum in flumen, viribúsq; prævalidi in littus aſportant.

Ibì

Ibi Pater, omnibus è ſcapha ſpectantibus carnificinam, cùm in genua, ùt potuit, procidens extuliſſet in cœlum manus, capite clavâ confracto, expiravit: idémque Belgis factum eodem An. 1566. 28. Septembris. Reliqui in ſcapha vix hoſtium ſagittis elapſi, alterâ die in navigium Hiſpanienſe incidunt, referúntque Menendi triſtem P. Martinez, non ampliùs quinque indè leucis necem illatam. Cujus commendandæ charitatis, ac omnigenæ virtutis cùm finem nullum facerent, ùt eum ipſis ad legendas herbas prodire ſolitus, ùt eaſdem noctu coquebat in littore, ùt conſolabatur ac ſuſtentabat unus omnes, & quidem non hiſpanicè tantùm, ſed & belgicè Belgas, cùm tamen eum ſermonem nunquam aliàs calluerit: tum verò demum Menendes ingemiſcere, indignum ſe nimirum tali auxilio lamentari, ſuiſque factum peccatis, ut eo viro careret, adſcribere, in quo plus fiduciæ, quàm in magni exercitûs robore collocâſſet.

P. LUDOVICUS DE QUIROS, GABRIEL DE SOLIS, & JOANNES MENDEZ.

STerilis in omnia vitæ humanæ neceſſaria Floridæ Regio, in ærumnas tamen & mortes ſervorum Dei perquam fertilis, novos iterum proprij ſanguinis rigatione Martyrum flores protulit. Reverſus in Hiſpaniam Petrus Menendes è Florida A. 1568. ſpésque rei Chriſtianæ amplificandæ in immenſum efferens, facilè Borgiam impulit, ut ſex è Societate in eam expeditionem deſignaret, Joanne Bapt. Segurâ, ijs præeſſe juſſo. E Sancti Lucæ portu, commeatu & Sacrâ ſupellectile à Rege inſtructi, ſolverunt ab Hiſpania tertio idus Martias, octo ſecum adoleſcentes, quibus pro Catechiſtis uterentur, plerosque Societatis ineundæ cupidos, itémque Floridanos quinque Hiſpali baptiſmo initiatos, ducentes, & in Floridam tertio decimo Cal. Quinctiles appulerunt. Excepti ſunt incredibili gaudio in Præſidio S. Auguſtini, nam reliqua omnia extremâ rerum ad vitam neceſſariarum penuriâ ab indigenis partim everſa, partim famis intolerantiâ, quâ præſidiarij invicem in S. Lucæ propugnaculo vorâſſe feruntur, deſerta fuerunt. Promulgato ibi Jubilæo, Chriſtianiſque myſterijs Præſidij animabus, & corporibus abundante commeatu recreatis, Habanam Segura cum Socijs conceſſit, ſolo Dominico Vaëzio ad ſolatium militum, & linguam gentis ediſcendam relicto. In eo Habanam trajectu coortâ tempeſtate, Nauclerus diris execrationibus in Numen verſus, idcirco querebatur eam concitatam, quòd Orthodoxi & Religioſi nave veherentur, non ità cum Lutheranis aut Turcis ſibi evenire. Ad has execrationes commoti Patres, Divinæ bonitatis indulgentiam precibus fatigare cœperunt, ut daret gloriam nomini ſuo, dictáque nefanda proſpero eventu refelleret. Et auditæ ſunt preces: cùm enim duo irent navigia, id in quo impius Nauclerus Patres vehebat, ab ipſo eo loco proſperum iter tenuit, alterum perdiù jactatum, proximè ab exitio abfuit. Nè tamen conviciatori ſua impudentia cederet feliciter, Habanâ Floridam repetentem, eodem propè loco, quo in blaſphema eruperat verba, fluctus vindices unà cum vectoribus cunctis & mercibus hauſerunt. Habanæ P. Segura Collegium Societati inſtituit, & Gymnaſium, in quo primorum Floridanorum Filij (abeſt enim haud ampliùs 20. leucis à Florida) literis & Chriſtianis moribus inſtituerentur: quibus imbuendis Rogerius relictus eſt, cæteri in Floridam revecti, atque in diverſas miſſiones diſtributi ſunt. In Neophytis ex Hiſpania reportatis erat Tegueſtani Cacique frater Jacobus nomine, quē ejus populares ſuſpicati ab Hiſpanis occiſum, ubi viderunt incolumem à Segura & Menende reduci, redintegratâ amicitiâ Crucem eodem loco, ubi nuper ſteterat, eximiæ proceritatis reſtituerunt. Advenêre interim novæ Socijs Floridanis ab Hiſpania A. 1570. ſuppetiæ, P. Ludovicus Quiros cum duobus Socijs, totisque viribus & ipſi in ſalutem indigenarum effuſi, propè nullum retulerunt fructum, ut deplorata jam propè Floridanorum ſalus videretur. Ad res divinas ſilice duriores: quamdiu annona tribuebatur (ſunt enim & ſoli ſterilitate, & innatâ ſegnitie mortalium egentiſſimi) & de bonitate ac beneficentia DEI ſermones inſtituebantur, aures præbebant non illibenter; ad ſupplicia damnatorum, ad animæ immortalitatem planè erant ſurdi. Quin etiam Satanam deteſtari juſſi, negabant

P. Ludovicus Qviros, Gabriel de Solis et Ioannes Mendez S. I. Hispani in Florida pro Christi fide barbarè enecti. A. 1571. 4. Februarij.
C. Screta del. Melch. Küsell f.

id facturos, Deum illum juvenum esse affirmantes, cui multùm obstricti essent. Pueri ipsi ad Catechesim audiendam vocati, cùm audita referre jubebantur, panem è contrà cibúmque, esurire se dicentes, poscebant.

Segura igitur operam Sociorum omnem ità eludi videns, ad novam expeditionem in mediterranea regionis, ubi spes majoris fructûs affulgeret, animum adjecit. Erat Habanæ è Provincia Axaca, de qua vulgo bona prædicabantur, Caciquius, Reguli ejus Regionis Frater, qui in Hispania baptismo tinctus Ludovici nomen acceperat, & tunc annum circiter quinquagesimum agebat. Is cum P. Seguræ magna viri boni argumenta præbuisset, credebat Pater fore, ut gentis suæ morúmque, quos Fidei Christianæ capacissimos jactabat, & linguæ gnarus, unâque pollens opibus, commodè Socios deduceret, viámque muniret. Itáque re DEO plurimis Sacrificijs & precibus commendatâ, justísq; ex Hispanica Florida, in qua frustra laborabant, Socijs, cum collectis quotquot possent Caciquarum pueris Habanam redire, ipse cum Ludovico Quiros, & septem præterea Socijs, tertio Idus Septembris in Axacam prospero cursu pervenit. Navibus cum milite præsidiario, qui se ultro in comites offerebant, remissis, pedibus porrò ingressi, supellectilem Sacram, libellósque humeris gestantes, sylvas, loca deserta, paludésque emetiuntur. Jámque commeatus defecerat, ideò herbis & radicibus per agros obvijs victitabant, cubabant sub dio; donec tandem Ludovici

Patriam

Patriam procul à mari ſitam attigerunt, à ſylveſtribus hominibus, planéque nudis incedentibus habitatam. Illic inter quædam gentis egentiſſimæ, & ſeptennium jam fame & morte miſerè conflictantis tuguria, domunculam Segura ſibi ſuisque conſtituit. Sed Ludovicus paucis apud PP. exactis diebus (quod feris hominum induſtriâ manſuefactis uſuvenit, ſi fortè patria luſtra nanciſci contingat) popularium invitante licentiâ, ſenſim redire ad ingenium & Ethnicorum mores cœpit, malléque Judæ proditoris imitari perfidiam, quàm DEO & hominibus tam bene de ſe meritis fidem ſervare. Igitur à contubernio Sociorum in totum ſe auferens, ad populum indè ſeſquidiei itinere diſſitum migravit. Semel atque iterum miſſo uno è Fratribus invitavit ad reditum Segura, quo ſcilicet ad interpretis uſum, Socijs adhuc omnibus linguæ gentis ignaris, unicè egebat. Sed cùm nullis precibus, nullis flecti ſe pateretur argumentis, jam haud dubiam puſillus ille grex, tanquam in luporum faucibus conſtitutus, in dies expectabat necem, cui nulla ad effugium, hinc Oceano, indè vaſtâ barbarie concluſo pateret via. Quo rerum ſtatu ſinguli corpora ſua & animas in holocauſtum DEO continuum offerentes, totum in precibus & in meditatione beatæ vitæ ponebant tempus, quatuor menſibus in his anguſtijs & quotidianâ mortis expectatione transactis. Jámque non ſolitudo, & imminens in momenta ſingula mors ità perturbabat, ùt ciborum macerabat penuria & fames, cui proinde quærendis remedijs, & pertentando extremùm proditoris animo, P. Ludovicum Quiros, cum duobus non Sacerdotibus, Gabriele de Solis, & Joanne Mendez ablegavit Segura. Ille Socios legatos inani reditûs ſui ſpe alacriores à ſe remittens, dum hi ſecuri ſuis onuſti ſarcinulis viam relegunt, cum barbarorũ manu inopinatè aggreditur, ſuáq; ipſe manu Patri Quiros ſagittâ cor transverberat, cujus duos Socios cæteri pari crudelitate peremerunt, die 4. Februarij A. 1571.

§(o)§

P. JOANNES BAPTISTA SEGURA, cum 4. Socijs.

SUblatos ità truculentâ cæde tres Socios, ignarus adhuc facti, magno cum ſuis deſiderio ſpē inter ac metum expectabat reduces Segura, ſi quid forte eſcarum prorogandæ vitæ afferrent. Sed ubi longiorem quàm itineris ferebat ratio moram ducere ſenſit, jam vix ampliùs dubium ſcelus Apoſtatæ hominis reputans, eò intentiùs cum reliquis ad geminandas pro illis, ſeu viverent, ſeu jam fato functi eſſent preces, & poſcendam adhuc ſuperſtitibus à DEO pacem ſe convertit. Ecce autem quinto poſt trium cædem die, adeſt ſtolidâ diſſimulatione proditor Ludovicus, duobus ſuis fratribus, & magno popularium numero ſtipatus, lignatum ſe proficiſci prætendens: rogans proinde Patres, ut ſecures & ferramenta cædendis arboribus, quæ ſecum in eam regionem talium expertem attulerant, accommodata velint: eâ forſan reapſe causâ, nè illis Socij, quibus alia ad defenſionem arma non erant, contra vim inferendam ſeſe tuerentur. Verùm utrâque opinione magnopere aberrabat, fruſtra eo artificio ad Patres exarmandos uſus, qui promptiores erant ad ferendam, quàm latrones ad irrogandam necem. Nec poterat tegi ſimulatis verbis mens ſanguinaria, quam res loquebatur, cùm detractis occiſo Patri Quiros veſtibus, Religioſum in morem proditor indutus incederet, ut nihil ambigeres, devoratæ ovis pelle indutum lupum, alijs ſimiliter vorandis adventare. Igitur quod rogârant cùm ſinè mora à promptiſſimis accepiſſent, contra inermes & mitiſſimos homines, & de ſe tam bene meritos, furore converſo, ijs ipſis omnes concidère ſecuribus, præter unũ adoleſcentem Alphonſum, qui è Societate necdum erat. Hunc alter Apoſtatæ fratrum ſervavit, & cùm illi etiam Ludovicus proditor, nè ullum patrati ſceleris erumpere poſſet indicium, perimendo inſidias ſtrueret, finitimo Cacique tradidit, ex quo deinde totius tragœdiæ ſeries innotuit.

A cæde patrata barbari, ad direptionem pauperis tugurij, quod ipſimet ſibi Patres proprio labore concinnaverant, verſi, profanam quidem, quæ paucula ſupererat, ſupellectilem diripiunt, Sacram autem oſtentui inſuper & deridiculo habent. Sacrificalem patinam unus Caciquarum de collo ſibi quaſi pretioſum monile ſuſpendit, alius caſulam ad mimicas geſticulationes induit, calix autem in communem omnium compotationem,

P. Ioañes Bapt: de Segura, Gabriel Gomez, Petrus de Linarez, Sancti Sauelli, Christoph: Rotundi Hisp: S.I. in Florida pro Christi fide trucidati A. 1571. 8. Febr.

C. Screta del. Melch. Küsell f.

nem, tanquam primarium poculum tranſijt. Ad clauſam demum arcam cùm avidè complures, tanquam theſaurum reperturi, acceſſiſſent, præter pia quædam & religioſa munuſcula, ſacros libros, Chriſti etiam Cruci affixi ſimulachrum, nihil deprehenderunt. Quod dum contemptui quidam habent, & irreligiosè tractant, tres eorum in veſtigio exanimes corruiſſe retulit præſens ſpectaculo Alphonſus, quo cæteri cõterriti in diverſa dilapſi ſunt. Ipſe adeò Ludovicus Apoſtata vindicis DEI oſtento perculſus, nè in ſe quoque ultricem DEI manum experiretur, occiſorum corpora, ſuâ cuique in manum Cruce inſertâ, religioſiùs quàm vivos coluerat, tumulari fecit. Erat Joannes Baptiſta Segura, utì & reliqui ſeptem Socij, natione Hiſpanus, Toleto oriundus, qui A. 1556. Compluti in Societatem adſcitus è Theologiæ ſtudio, ità deinceps in omni genere virtutum conſpicuus evaſit, ut gratioſus cumprimis S. Borgiæ, juſto Sanctimoniæ ponderatori, & charus fuerit: quem eo prorſus tempore, quo claſſis in Floridam ſolvebat, Valliſoletani Collegij Rectoratu defunctum, velut primarium arduæ illius expeditionis futurum columen, eò ablegavit. Socij qui cum eodem die 8. Februarij paſſi ſunt, fuêre Gabriel Gomez, Petrus de Linares, Sanctius Savallius, & Chriſtophorus Rotundus. Anno ſequente 1572. Menendes expeditione in Axacum contra impios homicidas ſuſceptâ, ſceleris adjutores, erepto captivitate Alphonſo, plerosque comprehendit, & ſupremo affecit ſuppli-

ſupplicio. Qui antequam morerentur, eorum ſine dubio, quos necaverant, precibus placato Numine, petierunt & impetrârunt baptiſmum: inenarrabili DEI proviſu per illatam innocentibus mortem, imortalis occaſionem indepti. Apoſtata tamen Ludovicus evaſit longè in mediterranea, quem ferunt immanis ſui piaculi pœnitentiâ & dolore perculſum, per montes ac loca deſerta, in aſſiduo ad expiandum nefas luctu, vagatum contabuiſſe.

P. GUNDISALVUS DE TAPIA.

PRovinciæ Floridæ ad occidentem continuatur vaſta Regio, in longitudinem 800. leucas, latitudinem ubi minimùm 180. patens, longè illâ felicior, ſive humanitate gentis, ſive feracitate ſoli: quam quanti inventores fecerint, ſignificâſſe videntur, cùm eam novam Hiſpaniam dici voluerunt. Caput Regni Mexicum eſt, unde & Regno nomen, Urbs frequens & nobilis, in medio vaſtiſſimi dulcium & ſalubrium aquarum ſtagni ſita: ſedes ibi Pro-Regis & Archi-Epiſcopi, in ſeptem Regni Epiſcopos Juriſdictionem exercentis. Pridem ibi Societas deſiderata & expetita, tandem A. 1572. per P. Sedennium intravit, cùm jam per Oceanum ſecundiſſimo curſu nova Patrum colonia adventaret, quibus Collegium Regiâ liberalitate fundavit Alphonſus Villaſecca, Regni totius facilè opulentiſſimus. Poſt complures alios eandem in Provinciam ab Hiſpania navigantes Socios, eodem transmiſit P. Gundiſalvus de Tapia A. 1585. clarâ inter ſuos atq; apprimè Nobili ſtirpe, Legione natus. Humaniores literas ſingulari ingenij laude, ac præcipuâ in Deiparam pietate emenſus, cui jam tum donatus à Parente vicus haud ignobilis Quiritana de Raneros parebat, Societatem expetijt & complexus eſt A. 1576. ipſo Dominicæ Aſcenſionis die. Confectis Philoſophiæ, ac Theologiæ ſpatijs, jam Sacerdos in Mexicum tranſiens, ibi primâ occupatione in Philoſophia pro Magiſtro ægrotante tradenda laboravit, eâ doctrinæ & ingenij commendatione, ut tacitis omnium votis & Superiorum ſuffragijs, explicandæ deinceps Theologiæ deſignaretur. Verùm ſpecioſa ea munia deprecatus, ut ad barbarorum converſionem ſe transferre liceret, omnibus votis exoravit. Fortè per illud tempus in Pazquarenſi Collegio è quatuor Sacerdotibus, qui in vicinos gentium diverſarum vicos identidem excurrebant, tres morbo correpti, munus obire non poterant; quorum ut vices unus ipſe ſuppleret miſſus, ità omnium primò in gentium earum linguas, quam vis interea pro concione ad Hiſpanos diceret, totus incubuit, ut dierum 15. ſpatio Taraſcum idioma ſuperaverit, atque apud eos per regionis montana vicatim circumeundo, hortando, concionandóque incredibilem ſibi amorem & virtutis æſtimationem conciliârit. Mox ad Cicimecas gentem efferam, neque unquam ab Hiſpanis perdomitam converſus, eorum quoque linguæ pertinaci 17. dierum ſtudio compos evaſit: ſimúlque DEO fretus, nullo alio humano tectus præſidio, barbaris ipſis confidentiam hominis mirantibus, terras eorum adire, familiariter alloqui, & de rebus ſempiternis blandè interſari inſtituit: tantâ brevi apud eos partâ gratiâ, ut quoquo vellet eorum facilè inflecteret voluntates. Idem in Taraſcorum gente paulò pòſt mirâ felicitate perfecit, & graviſſima, quibus inſueverant, promiſcui pellicatûs, ebrietatis, ac inhumanæ crudelitatis vitia, penitus ſacrâ eloquentiâ ſuſtulit. His veluti zeli Apoſtolici proluſionibus, ad majora incitatus, ad Aragæos & Topianos, aliásque efferas, neque ulli eatenus tentatas nationes ſe conferre conſtituit. Eſt autem Topiana omnis Regio aſperrima, inter continua montium juga mediâ valle, leucarum 40. latitudine, ſita, viarum anfractibus, aſperrimis ſaxorum crepidinibus, & altorum interlapſu fluminum adiri difficillima. Hieme altiſſimis nivibus, æſtate quotidianis propè imbribus obruitur, unde grave indigenis ab immoderatis frigore & caloribus Cœlum eſt. Et hi quidem diſperſi per varia loca, nullo pago, certisve domicilijs morantur, pecudum more nullis Magiſtratibus, nullâ Lege adſtricti. Exortas inter ſe rixas, evocatis in armorum ſocietatem conſanguineis, cruentâ ſemper cæde dirimunt: & devictorum carnes in ollis excoctas, totâ nocte in ſaltationibus poſitâ, deliciosâ gulâ abſumunt. Quarum ex diverſis nationibus probato guſtu, ajebant ipſi *Æthiopum carnes porcinas eſſe, ac proinde gratiores jucundiores q; : at Indorum bubulas: Hiſpanorum autem vervecem ſapere.* Divinos honores animantibus ferè deferunt; nam cunicu-

P. Gundiſaluus de Tapia S.I. illustri ſtemmate in Hiſpania natus, pro Fide Chriſti necatus in Mexico. A°. 1594. 10. Iulij

C. Screta del. Melchior Küſell ſ

los cervôsque venerantur, nè ſatis noceant: at venatum profecti, aquilam colunt: & ad bella prodeuntes, novaculam è ſilice adorant, nè ſiliceæ ſagittarum cuſpides obtundantur. Nudi ſemper incedunt, tenuiſſimis cinctorijs & floccis ſola verenda contecti. Et tamen hæc tam barbara natio, primò omnium à P. Gundiſalvo excoli cœpta, ac poſtmodum à pluribus Socijs Evangelio ſubacta, tam ſecundis eventibus ſemen Cœleſte excepit, ut multi ex aſperrimis montibus & ſylvis ad æquiora loca deſcenderint, atque à fera ad humanam vitam traducti, Templa domósque fabricârint, ampliùs 5000. ſalutari baptiſmo tinctis. Ad hæc ſublatæ compotationes, idola plus 500. ignibus exuſta; tantus autem ad noſtros audiendos conciliatus affectus, ut integros dies cibi potúsque expertes conſumerent in templis, donec de Fidei dogmatis ſatìs erudirentur: quæ multi poſt unicum edocti diem, catecheſim etiam integram memoriæ captu (tanta eſt etiam in aſperrimis plagis ingenij memoriæque felicitas!) perdiſcebant.

Ab his Gundiſalvus comite P. Martino Perezio tranſivit ad Cinaloënſes A. 1591. quo nomine plures diverſæ linguis & moribus nationes continentur, à Mexico millia paſſuum ferè nongenta diſſitæ: à quibus patet aditus ad montanos populos penè innumerabiles, itémque ad ampliſſimum novi Mexici tractum, aliásque gentes vel nuper cognitas, vel adhuc incognitas. Ex agris bis in anno fruges & fructus (tanta eſt glebæ ubertas) colligunt,

gunt; victu tamen utuntur tenuiſſimo, incredibili in omnes liberalitate, adeóque nullus apud illos mendicus eſt, nullus fur. Docili omnes ingenio, & proprio quiſque arbitratu ſinè Duce, ſinè Rege, pacis tempore viventes: belli tamen tempore, quod non niſi laceſſiti inferunt, ſumma rerum ad aliquem defertur, cui omnes dicto audientes ſunt. Et hæc quidem populorum campeſtria colentium indoles eſt: at qui ultra campeſtrem tractum degunt, duri imprimis & aſperi, vagam ac ſolitariam vitâ inter prærupta montium ſylvásque, ferarum prorſus more ducunt, ad omnem audaciam perfidiámque, etiam poſtquam Evangelij lumen acceperunt, mobilitate ingenij propenſi, ut quacunque levi occaſione tumultuentur, & Chriſto datam Fidem pro nihilo ducant. Ad hos itaque Chriſto ſubigendos cum ſocio Patre profectus Gundiſalvus, magnopere à Culiacanenſibus detinebatur, oſtentatione diſcriminum quæ ſubibat, ut apud ſe remaneret. Sed ille cùm obſtinatè Regionem intrâſſet, omniũ animos manſuetudine & comitate ità conciliavit, ut quocunque veniſſet, ſummo amore ac lætitiâ exciperetur, obviam effuſis vicis univerſis. Demum totâ illâ regione percrebuit, veniſſe quoſdam ſpecie Hiſpanis (à quorum milite inſolenti licentiâ antea habiti fuerant) ſimiles, ſed vitæ ratione diſſimillimos, qui nihil alienum appeterent, nihil per vim auferrent, aut minaciter poſtularent: quorum mores & animi moderati, ſermones nonniſi de DEI cultu, & animarum ſalute eſſent. Hinc ubi primùm Chriſtianæ diſciplinæ capita tradere inſtituerunt, tanto concurſu, tam ſecundis accepti ſunt auribus, ut paucis diebus ampliùs duo millia, ac deinceps longè plura baptizarentur; Eccleſiæ plùs 20. ſint excitatæ, Crucis ſalutiferæ ſigno in tectorum faſtigijs, in vijs, in collibus, paſſim erecto, ut præ gaudio Patres lachrymas tenere non poſſent. His Mexicum perlatis, auctus duorum Patrum ſubſidio à Provinciali Gundiſalvus, ad populos illos montanos efferatiores excurrit: maximo tamen & ab illis gaudio, fructúque præſentiſſimo exceptus, ut adeò deſiderio multitudinis ad Sacra Fidei & Baptiſmi percipienda accurrentis, ſufficere unus non poſſet. Accedebant finitimarum nationum inſtantiſſimæ invitationes, quæ famâ Evangelij à Cinaloa recepti permotæ, eodem ad ſalutem excoli crebris nuntijs flagitabant: ut jam nihil dubitaret Gundiſalvus, Principem tenebrarum univerſæ ejus regionis poſſeſſione, dummodo plures Apoſtolicæ adeſſent operæ, pulſum propediem iri. Nè itaque ſpei tantæ deeſſet, Mexicum ipſe repetijt, plures à Provinciali Socios oraturus: qui dum aliunde evocandi ad novam ſe Provinciam compararent, ipſe ad ſtationem præcurrit, incredibili lætitiæ ſignificatione, effuſis obviam ad uſque 30. leucas populi Primoribus, receptus.

Annus jam agebatur 1594. cùm unius hominis propudioſa libido omnia hactenus bene cœpta Patris ſi non evertit, multùm certè labefactavit, dum nefariâ conſpiratione Virum innocentiſſimum de medio ſuſtulit. Deboropa vicus eſt Neophytorum, quò frequens Ocorone, ubi reſidebat, commeabat Pater Tapia, firmandis in Fide indigenis, & adjacentibus undiq; Ethnicis ad Baptiſmum invitandis: ibidémque domunculam Sacræ Ædi conjunctam ſibi in diverſorium extruxerat. Erat ibi libidinoſæ admodum & profligatæ vitæ ſenex Nacabeba dictus, qui Baptiſmo quidem olim initiatus, nullâ tamen Religionis curâ, ad eandem uſque ultimam ætatem per omnia flagitiorum genera volutari, magno oppidi offendiculo pergebat. Hunc cùm reducere ad frugem blandis & ſerijs hortamentis, & æviterni ſupplicij comminationibus nunquam Pater deſineret, indignatus ipſe in eum, quẽ amare oportebat, ſtatuit morte Patris eam moleſtiam redimere. Clàm itaque ſollicitare populares ſuos, & in Religionis Chriſtianæ, unàq; Patris odium adducere cœpit: qui cùm præter gentis genium ad nova & ſubita conſilia præcipitis, ſuaſorem conſtanter rejicerent, novem ſolos è ſuis ferè cognatis in ſocietatem ſceleris pertraxit, in omnem deinceps patrandæ quantocyus cædis occaſionem intentus. Sabbato qui in 9. Julij eo anno incidebat, Pater Deboropam venit, ut poſtridie Divina Neophytis perageret: totóque die Dominico erudiendis illis inſumpto, ſub noctem ad ſuam domunculam regreſſus, Roſarium B. Virginis decurrebat. Intendentibus ſe tenebris adeſt cum conjuratis Nacabeba, cæteriſque ad fores cubiculi ſilentio relictis, cum duobus ingreſſus, quaſi venerabundus ad oſculum manûs inclinat ſeſe, dum interim alius exertam, quam veſte occultaverat clavam, valido ictu in caput Patris adegit. Hic ſui vix compos, JEſúmq; inclamans, titubante greſſu profilit è cubiculo templum petiturus: ſed qui ad oſtium reſtiterant, illi ad terram afflicto caput ac brachium ſiniſtrum ſecuri abſcindunt, ſecúmque unà cum ſacro apparatu auferunt. Tentârunt & brachium dextrum,

cujus

cujus digitos in Crucis formam, utpote ad oſculandum, Fidémque pro qua moriebatur conteſtandam, compoſuerat, abſcindere ſecuri ſæpius adactâ; ſed vibicibus ſolis relictis, nequiverunt illam, Crucis ſignum decuſſatis digitis pertinaciter facientem (quæ etiam in mortua cadaveris dextera ſic efformata deprehenſa eſt) reſecare. Duo pueri qui Patri aderant, cæde exteriti, eâdem nocte in oppidum Hiſpanorum SS. Philippi & Jacobi percurrunt, crudelitatis nuncij: cujus incolæ Deboropam profecti, corpus ſinè capite & brachio ſiniſtro truncum in ſuum oppidum deportant, ac ſepulturæ ingenti luctu tradunt. Nec ſolùm Hiſpanis triſtiſſimus ejus accidit occaſus, ſed indigenis quàm maximè: quorum neceſſitatibus & miſerijs quà monitis & præceptis, quà eleemoſynarum ſubſidijs omni ope ſubveniendo, ità ſingulorum genio ſe accommodabat, ut planè unus ex ijs videretur. Ubi vicum quempiam ſubibat, apprehenſo ſcipione domatim ægros quæſitabat, aſſidebat, alloquio ſolabatur; natu minores, ſuos fratres; majores, patres ſalutabat; ſerviebat eò ſtudioſiùs, quò gravitas morbi majorem naturæ cieret horrorem. Cùm autem DEO perpetuâ oratione & ſuſpirijs conjunctiſſimum viderent Ethnici & Neophyti, Cœlo lapſum hominem, & quidquid poſceret à DEO, obtinere ſentiebant, cujus etiam precibus fœcunditatem ſterili mulieri impetratam teſtabantur.

Non multò pòſt gravi terræ motu afflictâ eâ Patriâ, Ethnici cum muneribus ad tumulum Patris accurrerunt, nihil dubitantes hanc cladem in pœnam indignæ ejus cædis immiſſam: quam ſi precibus ſuis in Cœlo averteret, ſpondebant ſe fore Chriſtianos. Ex flagrantiſſimo illo, quo animarum ſalutem ſitiebat zelo factum eſt, ut ſenas omnino barbaras linguas, breviſſimo, ſed improbo labore perdidicerit: dicere ſolitus, ſe facilè quamvis aliam 20. diebus adepturum, ſi animarum ſaluti quærendæ uſui, vel neceſſaria foret. Nunquam etiam notatus eſt iraſci, nunquam indignari, nunquam tædio affici, aut vultum contrahere; Chriſti D. contemplatione didiciſſe ſe aſſeverans, quàm invictâ malorum patientiâ oporteret ejus Fidem doctrinámque gentibus prædicare. Puritatem in tanta illa gentium laſcivarum colluvie Angelicam ſemper & Virginalem conſervavit: cui tuendæ magnas corporis adhibuit afflictationes, nullo lecto vel culcitrâ ad cubatum uti ſolitus; ad cibatum verò adhibens plerumque ſola cocta è Maizio lagana.

Impij Patris carnifices cum præda in fines Ethnicorum ſe receperunt, honorificè ab ijs, tanquam præclaro facinore edito, excepti. Ibi Patris caput unà proferunt cum brachio, ut barbacoam ex illis (genus id eſt epularum diriſſimum) faciant. Humanas enim carnes terræ infodiunt, prunarum ingenti vi ſuperinjectâ, donec aſſatæ excoquantur, quas extractas adhibent ad honorem menſarum, tanquam ſapidiſſimum barbaris dapum genus. Huic culinæ veneranda membra ſemel, iterum ac tertiò tradita, cruda ſemper ac recentia extracta ſunt: nec hoc tamen miraculo ab impietate ſua abſterritis barbaris. Quin etiam ſacris veſtibus per ſummam laſciviam induti, ſaltus & bacchanalia exercebant, ex deſpoliato carnibus Patris cranio circumpotabant, & brachio detractam pellem ſtramine fartam, extremis adhærentibus digitis, ad ludibrium & triumphi oſtentationem geſtabant.

Hiſpani interim Neophytique Ocoronenſes, apud quos Pater degebat, non contenti pio planctu necem Parentis optimi lugere, acerrimam in authores conquiſitionem inſtituêre; donec compluribus carptim interfectis, ipſo tandem Nacabebâ, & Orocone ſororis filio vivis potiti ſunt. Quæſtione paucis diebus ex forenſi forma peractâ, faſſus eſt Nacabeba, cauſam ſibi ſuísque patrandi homicidij eam fuiſſe, quòd pellicatus, ebrietates, atque alias pravas artes ex Evangelij doctrina Pater acriùs, quàm ipſi vellent, inſectaretur. Uterq; tamen ante ſupplicium peccata cum dolore deteſtatus, mortem non dubijs ſalutis ſuæ ſignificationibus conſtanter excepit. Id quod P. Gundiſalvi meritis communiter tribuebatur: ſicut & alterum, quòd inter eas gentes illa præcipuè vitia deſinerent penitus, ob quæ potiſſimùm eradicanda, mors illi conſcita fuit: nam & temulentia ità prorſus in ebrioſiſſimis aliàs extincta eſt, ut jam continentiâ toto illo Orbe præcellant: maleficæ artes penitus abdicatæ, plurimíque veneficorum Eccleſiæ ſe adjunxerunt. Quinto à morte Gundiſalvi anno, in oppido Pazquarenſi Mecioacanæ Provinciæ, ubi primos Pater poſuerat labores, mulier ab ipſo olim converſa ſtatuerat Sacerdotem confeſſionis gratiâ, ubi primùm luxiſſet, adire, in eáque cogitatione quieti ſe dedit. Cùm ecce per viſum ipſi objicitur Regia domus, auro gemmísque exculta, ad cujus aditus inter alios, quorum induſtriâ multi homines portis patentibus inducebantur, Pat. Gundiſalvus etiã apparuit, ad quem mulier

veteri

lier veteri confidentiâ accedens, admitti etiam ipſa poſtulavit. At Pater ſevero vultu: *nondum*, inquit, *tibi maturum tempus advenit, & præter complura quæ tibi à me imperata per ſocordiam & negligentiam vilia habes, in Confeſſione reticuiſti crimina ecce illa:* quæ etiam illi commemoravit. Mulier ſomno ſoluta, & ingenti timore doloréque perculſa, ubi dilucuit, conquiſitum Sacerdotem accedit, & totius vitæ exomologeſi animum expiatum, Regiæ Cœleſtis capacem facere inſtituit.

P. Antonius Lopez Hiſpanus Soc: IESU veneno ſublatus ab Indis odio Fidei in Peruvia A. 1596.

C. Screta d. M.K. f.

P. ANTONIUS LOPEZ.

SEgobiæ in Hiſpania natus P. Antonius Lopez, poſtquam Societati nomen dedit, quærendarum ſtudio animarum flagrans, impetratâ à moderatoribus facultate in Peruviam navigavit. Eſt autem Peruvia ſive Peru Americæ Occidentalis vaſtum Regnum, proximè ad antarcticum excurrens polum, à Pizarris Marchionibus Hiſpaniæ ſceptris adjunctum, auri argentique potens, ex cujus Potoſſij Provinciæ inexhauſtis fodinis, Catholicus Monarcha hodiéque annuis proventibus ditatus, Orbem univerſum auro argentóque perpluit. Sanè Regni illius vetuſtiores Monarchæ divitijs ſuperbientes, Romanam magnitudinem non parum

operum molibus ſuperârunt. Catenam auream fecit Huayna Capac Peruanorum Rex, longam ſeptingentis pedibus, anulis connexam, quorum craſſities brachij humani rotunditatem adæquabat: ducenti Viri movere illam loco non poterant. Delubrum Solis in Regis Aula undique auri tabulatione opertum micabat; nulla ſupellex ibi non aurea, uſque ad ligones, & viliſſima quæque vaſcula. Cadavera Regum in ſellis aureis, ante ingentem Solis vultum ſimiliter aureum locabantur. Hortus etiam totus aureus & argenteus; ex quibus metallis effictæ fuerunt ingentis altitudinis arbores, flores, areolæ, frutices, feræ, reptilia. Regum quoque inſanum Palatium aureis intus laminis ubique opertum, cùm tamen aliqua ejus cænacula caperent tria millia hominum: omniáque Aulæ vaſa, uſque ad inſtrumenta coquinæ, aurea & argentea. Eadem majeſtas in Prætorijs, & hoſpitijs per totam Provinciam regijs. Ipſi adeò Regiæ muri exteriùs mille arbuſtis manufactis, & animalculis reptantibus avibúsque variegati, ex auro erant argentóque. Duæ viæ Regiæ â Cuzco uſque Quitum manufactæ incredibili laboris operâ, adæquatis profundis vallibus, humiliatis editiſſimis rupibus, per 50. leucas protendebantur, 25. pedes latæ. Et ut taceam Templum immane, in 78. fabricas ſive partes diviſum, & totidem numero Dijs conſecratum: Atriũ in eodem Regno viſebatur ſpatioſum & quadratum, ex unico & integro lapide in rupe exciſum, undique cinctum muris, ad duo ſtadia elatis, tres dodrantes latis: in cujus latere cænaculum 45. pedes longum, & 22. latum. Tectum autem ex eodem integro ſaxo incumbens, velut paleis opertum extrinſecus videbatur, mirâ quâdam ſimulatione artis.

In ejus Regni culturam evocata A. 1567. Societas JESU, novis ſubinde ac novis eodèm miſſis colonijs, complura in Urbibus Collegia, & quàm plurimas ad barbaros per juga montium inſtituendos miſſiones erexit. Tota enim natio ad inſaniam uſque Idolorum cultui dedita, varia ex auro & argento ſimulachra venerabatur, effigie avium, tigridum, cervorum, aliorúmque animalium expreſſa: quædam etiam deformi ſpecie, quales vulgò apud nos pingi ſolent Dæmones, caudâ ad ſolum uſque promiſsâ, quibus etiam humanis plerumque hoſtijs ſacrificabat. Eò delatus P. Antonius, cùm pro religioſæ humilitatis ſtudio & modeſtia, nihil aliud quàm duriſſimos in locis incultis, inter efferatorum Indorum latibula prenſaret & expectaret labores, moderatores tamen doctrinæ, quâ excellebat, præſtantiam in eo ſuſpicientes, Theologiam de moribus explicandam illi commiſerunt. Nec longè poſt gubernandis alijs Rector præpoſitus, rarâ ſui contemptione, quâ omnia naturæ & gratiæ dona celabat, ità effulſit, ut tandem demiſſionis ejus ſtudio ſuffragati majores, Indorum procurandâ ſalute, & difficillimis periculoſisque concurſationibus ſatiari paſſi fuerint. Initium Apoſtolicorum laborum Cuſchum Civitas, Regni olim Metropolis, fuit, in qua ſolennem etiam Profeſſionem A. 1585. nuncupaverat: cujus religione ad ſingularem rudium & puerorum in Fide erudiendorum curam obſtrictum ſe ſentiens, quocunque ſpes veroſimilis uberioris frugis vocabat, indefeſſus operarius excurrebat. Et referebat quidem ille cum ſocijs Apoſtolici muneris fructus, pro operarum paucitate uberrimos, pro Regionum tamen magnitudine, & multitudine petentium qui ſibi panem frangerent, prorſus exiguos. Hinc ſubinde ex arcano ſuæ prædeſtinationis conſilio, Divina Miſericordia ultro quoſdam à longiſſimè diſſitis Regionibus Cuſchum per eos annos adducebat, qui ſacris Fidei & Baptiſmi myſterijs imbuendos ſponteneè ſe offerrent.

Chriſtianus Indus ex culta Hiſpaniæ regione, neſcitur quâ causâ, fugiens, quindecim dierum itinere in latam & incolis frequentem Provinciam pervenerat, in qua cùm indigenis delatam ſecum Crucifixi effigiem oſtendiſſet, percrebuit inter barbaros, & ad Principem delatum eſt, adeſſe hominem, qui famoſum illum & victorijs mirificis formidatum Chriſtianorum DEum ſecum ferret. Accerſit eum continuò Regulus, & in corona trecentorum circiter Nobilium petit ſibi pridem cupido Chriſtum oſtendi. Quem depromptum in manus ſumens, *hícne*, ait, *Deus ille eſt, cujus ope cæleſti Peruviam Hiſpani, delecto Ingarum* (id erat omnium illic Regum commune agnomen) *Imperio ſubegerunt*? Aſſerente illo; *atqui*, ſubjecit Princeps, *hæc quidem homunculi infirmi & miſeri figura eſt. Abiſti in rem malam cum iſto tuo DEO*: ſimúlque Crucifixum conſpuens, cum contemptu hoſpiti projecit. Qui ſimul ac in manus reverenter illum recepit, cunctis clarè cernentibus imago caput à dextra, in quam propendebat, parte, in ſiniſtram flexit, minaci in Principem, adſtantésque Ethnicos defixo obtutu, unde omnes in terram corruentes, ſinè ſenſu mortuis ſimiles diu jacuerunt. Fit clamor & concurſus ex Urbe univerſa; cùm Princeps poſt

tres

tres ferè horas conſurgens, magnâ voce inclamat: *verè magnus eſt Chriſtianorum DEus!* ingeminantibus idem Aulicis, ſenſim etiam ſibi reſtitutis. Edicitur ſubitò capitali pœnâ propoſitâ, nè quis Deum Chriſtianorum ullâ afficere contumeliâ audeat; extruitur ſubitario opere juxta Palatiũ Sacellum, in quo perhonorificè collocatam eam Crucifixi effigiem primus adorat Regulus, imitantibus paſſim univerſis. Quæſivit deinde tam ex hoſpite Indo, quàm ex alijs undique ditione ſuâ conquiſitis Peruvio transfugis, ecquid de Chriſtianorum DEO ſcirent? quibus ritibus ac ceremonijs colendus foret? Sed reſponderunt, vix quidquam ſe de his nôſſe: verùm eſſe quosdam Cuſchi Sacerdotes Europæos, humanos cum primis & benignos, qui ea edocerent. His auditis Princeps, repentè cum unico filio ſexenni, tanta vis erat Divinæ gratiæ! & ſex Dynaſtis, ducibus transfugis duobus ſe dat in viam, veſtitu mutato, nè qui, & unde erant, agnoſci poſſent. Cuſchi Rectorem Collegij convenit, ab eóque, causâ itineris arcanò propoſitâ, petit aliquos ſecum Patres mittere nè gravetur, qui gentem ſuam Chriſtianè informent. Ille paucitatem Sociorum, & abſentiam Provincialis excuſans, negavit aliud in præſenti, quàm eos qui advenerant primis Fidei rudimentis imbui poſſe. Quæſivit Regulus, quantum diſtaret Provincialis. Milliaribus 400. reſpondet, nec poſſe ante duos menſes reſponſum indè haberi. Regulus cùm tam diu morari Cuſchi, nè quid interim turbarum in Regno exciretur, non poſſet, filiolum in Collegio erudiendum & baptizandum relinquit: ipſe quantùm licuit ſacris monitis inſtructus, domum repetit. Ubi cùm eum quieſcere ſacri ſtimuli non ſinerent, bimeſtri exacto ad condictum Cuſchi comparet, ſed reſponſo, non quale optabat, à Provinciali invento. Excuſavit nimirum, non adeſſe ullum ad manum, qui tam longinquè mitti poſſet; tanta erat eâ tempeſtate, in tot vicinarum gentium cultura, operarum inopia! præter Rectorem ipſum, quem officio dimoveri eo temporis non expediret. Conturbatus inopinâ, juſtâ licèt repulsâ Regulus, & ad animi ægritudinem accedente invaletudine corporis, inſueto itineris tanti labore fracti, filium jam baptizatum domum remittere, ipſe verò Cuſchi ad animi & corporis curam remanere ſtatuit. Dimiſſo puero ingraveſcere parenti corporis morbus cœpit, animus è contra vegetior quotidie è catechetica inſtructione evadere. Donec ad extremum non dubiè jam inſtante morte, ritè baptizatus, puram animam inter egregias ſpei & interni gaudij ſignificationes Deo reddidit A. 1582.

Talibus animatus miræ DEI circa ſalutem Peruanorum Providentiæ exemplis, incredibili eorum procurandæ ſalutis fervore ardebat P. Antonius, quorum juvandorum causâ aſſiduis peregrinationibus per aſpera atque inculta regionum vitam ſuam conterebat, donec eum naviter in opere Apoſtolico verſantem, mors à barbaris obſtinatis conciliata oppreſſit. Inoleverat in ea gentium colluvie præter promiſcuam libidinem, nullis matrimonij, conſanguinitatis, vel affinitatis legibus adſtrictam, aliàque vitiorum monſtra, ea etiam pluſquam brutalis ſeſe ingurgitandi intemperantia, ut, quò eâ voluptate perfruerentur, non ſolùm immoderato potu ſeſe ingurgitarent, ſed fumo etiam quodam ebrietatem procurarent. Hunc illi ex certi generis arundinum ſiccatis, ac poſtmodum incenſis folijs, quæ ibi largè proveniunt, copiosè ore ſorbent, dum adeò inebrientur, ut penitus ſopito omni ſenſu è mentis poteſtate exeant. Reperiuntur etiam, qui adeò avidè ac furenter eum hauriant, ut tanquam exanimes in terram concidant, ibiq; maximam diei aut noctis partem, velut capti mente, ſtupefactis ſenſibus jaceant. Hæc itaque vitia ardentiore zelo perſtringens Pater, dum omni modo eliminare conatur, impatientiam primùm, mox indignationem & rabiem in barbarie efferatis animis provocavit, eo furoris reprehenſionum intolerantiâ prolapſos, ut veneno poculum optimè de ſe merito Patri miſtum propinantes, de medio ſuſtulerint, A. 1596. ætatis 53. Societatis 32. Quos tamen ipſos tanta poſtliminio ſui ſceleris ſubijt pœnitudo, ut omni honoris genere tumulum ejus proſecuti, non aliter poſt fata quàm Martyrem, gnari quâ causâ necem illi procurâſſent, appellarint, & venerati ſint. Clerici qui frequentes è vicinia (erat enim apud omnes incredibili Sanctimoniæ opinione) ad exequias convenerunt, ejus cadaver admirabilem odorum fragrantiam ſpirâſſe teſtati ſunt, ac proinde ſingulariter depoſitum, tanquam viri planè Sancti, in magna deinceps veneratione habuerunt.

P. Michaël de Vrrea Hiſpanus Soc: IESU, ex odio Fidei à Barbaris necatus in Peruvia A. 1597. 28. Aug.

C. Screta d. M. K. f.

P. MICHAEL DE URREA.

MIchaëlem de Urrea Fontibus in Hiſpania natum, eadem Peruvia, Occidentalium Indorum præcipua portio, ſibi vẽdicavit, jam Sacerdotio, & Philoſophiæ Doctoratu initiatum A. 1585. Limam, Peruviæ principem hodie urbem, appulſus, Quicivanum & Aymaranum idiomata ſtatim condidicit, ut utroque concionaretur: unde confeſtim exercendo, quo inprimis flagrabat, zelo, inter barbaros miſſus, apud Julidos primùm populos, tum in Cinquiabi, unde in circumfuſas latè nationes agreſtes excurſus eſt, elaboravit. Quantâ verò aviditate talium miſſionum neceſſaria incommoda non exhauſerit ſolùm, ſed etiam ultro exambiverit, oſtendit in Pacenſi Collegio, quod licèt commodis conclavibus abundaret, ipſe tamen angulum unum anno integro, vix unquam etiam de die prodeundo, incoluit, ità arctum, ut vix hominis capax eſſet; ità humilem, ut rectus in eo ſtare non poſſet. Cui Collegio cùm ſe præficiendum Rectorem ſubſenſiſſet, tot tantisque lachrymis deprecatus eſt, ut eum ſibi cum difficillima ad Giuncios miſſione permutari impetrârit. Sunt ij populi aſperitate montium, & fluminum interluvione à reliquis disjuncti penitus, ad quos nullo jumento penetrabilis, & peditibus penè inſuperabilis acceſſus eſt; commoratio autem

autem inter illos ærumnarum & periculorum, plus quàm credi poſſit, pleniſſima. Nunquam ad eos penetrare potuerunt Hiſpani, tum loci naturâ, tum armis bellicoſæ gentis repulſi: penetravit tamen Societatis Zelus, & ex ea primus omnium P. Michael, Fratre uno Benavidio comite, A. 1596. Huic expeditioni ut legitimè ſe compararet, Deum primò ſtatuit aſſiduâ oratione, & multâ corporis per annum integrum maceratione, ſuis laboribus, & indigenarum profectui conciliare. Quo toto tempore Camatæ, quæ ultima Peruviæ urbs, & proxima Ciuncis eſt, ad perdiſcendum gentis idioma reſiſtens, herbis duntaxat, & quas ultro terra progignit radicibus veſcebatur, ſarmentis nocte decumbebat, quotidie cruentam adhibens flagellationem.

Camatâ die S. Jacobi, ducibus binis Ciunciorum Caciquijs, cum 40. circiter hominum comitatu egreſſus, iter habuit in deſcenſu & aſcenſu montium aſperrimum: ubi arbores tantùm non perpetuo contactu junctæ, ramis deciduis ità omnia interſepiunt, ut leporum & cuniculorum, non hominum vias eſſe dixeris. Poſt plurima flumina vado ſemper transmiſſa, à Tayrapo Aquacilium primo vico progreſſi, ad Zupimarim flumen rapidiſſimum deſcenderunt, quod ſpatio 9. leucarum plùs centies transmittere oportuit, aquis umbilico tenus, cùm maximè tunc extenuatum eſſet, eos perluentibus. Ità in Ciuncinorum denique fines perventum eſt, unde pòſt paulò Benavidius Limam, ùt in mandatis habuerat, ad referendum miſſionis ſucceſſum repetijt, ſolo Michaële in medio pravæ & indomitæ Nationis relicto. A puerorum informatione Gatecheſim exorſus Pater, omnes ejus gentis Caciquios indefeſſus inviſit, & Fidem ubique prædicando, populos qui longè plurimi ſunt, obivit. Sed licèt illi myſteria Chriſtianæ Religionis non inviti explicari audirent, quando tamen ad præceptorum obſervantiam, & veteres ritus relinquendos, quibus mirum in modum continuatâ aſſuetudine tenebantur, deſcenſum eſt, nullâ propè vi aut ratione pervelli poterant. Nam & plures pro dignitate & facultate opum alebant uxores, aut pellices potiùs, & Numinum loco bruta animantia, multorum ſæculorum firmatâ ſuperſtitione colebant. Et quia Pater ex quodam eorum delubro ſimulachrum avis, ex varijs plumis verſicoloribꝰ formatum, avertendo cultui idololatrico ſuſtulerat, eam rem ità ægro animo tulit loci Caciquius. Patri alioqui inter paucos addictus, ut vultûs acerbitate non diſſimulârit, Quas inter difficultates ſupremo conatu elaborans, complures nihilominus ad lucem veritatis intuendam perduxit; maximis conflictatus incommodis, atque omni humano ſolatio deſtitutus. Præcipuum tamen odium erat Veneficorum & Ariolorum, qui ſuas artes Patris conſilijs vileſcere non ferentes, ejus perdendi, quam dudum circumſpectabant occaſionem, tandem nacti ſunt. Rogatus Pater ut Caciquij cujuſdam filio, malignâ febri æſtuanti, remedium ſi quod poſſet afferret, aquæ pauxillum ſaccharo medicatæ præbuit ad refrigerationem. Sed prævalente tantillæ potioni febrili æſtu, extinctus juvenis anſam dedit inſimulandi Patrem veneficis, quaſi toxicum ægro propinâſſet. Duo Principis defuncti fratres cum ſubditorum comitatu, ùt gens levis eſt & credula, arcubus armati & macanis (qui lignei acinaces ſunt) ſecurum periculi Patrem adorti, duas illi in capite lethales plagas impoſuêre, ſoſpitale nomen JEſu invocanti, veniámque percuſſoribus à DEO exoranti: qui mox indè barbaros inter ululatus, & crebras ſagittarum ob rem bene geſtam jaculationes, ſe receperunt in tutum.

Mortem ejus, quæ in diem 28. Aug. A. 1597. ætatis 42. incidit, ægerrimè Vici Torapo Caciquius, ubi cæſus eſt, & omnes indigenæ acceperunt, eique funus, prout ante obitum præſcripſerat, apparaturi, Sacerdotali amictu cadaver induerunt, quaternas Cruces ad 4. funeris latera, Chriſti Crucifixi ſignum ad caput collocârunt. Ijdem poſtmodum referebant, ſæpe ſe lumina per noctem ſepulchro P. Michaëlis imminentia, ſplendoremque mirificum conſpicatos: ſæpe nebulam indè procedentem intuitos, quæ poſtea totam latè regionem occuparet, cum magno ſimul terræ motu, quo humus alicubi fatiſcens in rimas, Indorum quorundam, ceu noxæ illius reorum, prædia & mapalia etiam quaſſaverit, & diruerit. Et cùm aliquando corpus defuncti nonnemo pararet exhumare, nebula indè repentè prorumpens à cœptis eum deterruit. Gravior etiam Sicarios mox ultio divina excepit: quos comeſſantes die quodã & temulentos, viginti leones & tygrides è lacu vicino erumpentes, plerosq; diſcerpsêre: pauci quos fuga ſubduxit, à finitimis populis homicidas execrantibus, & lapidatione à ſuis domibus arcentibus, ſuo demũ in vico leprâ peſtilente ad unũ omnes abſumpti ſunt. Oſſa Patris pro Fide tam patenter necati, tótque prodigijs à DEO illuſtrati, ut loco aliquo ſacro Societatis humarentur, obtinuit P. Provincialis per Camatæ Gubernatorem à Torapi Caciquio, ea

ut transferri pateretur. Quæ sinè cunctatione, deducentibus cum pompa, Caciquij jussu indigenis, Camatam perlata, ibique à Clero supplicabundo, gestantibus illa Religiosis ex Ordine Prædicatorum, excepta, & ad Aræ principis crepidinem interim depositа fuêre. Donec post annum in Pacense Collegium, exeitis famâ (Socijs nequidquam funus quod vehebant tegere laborantibus) quaqua transibant populis ad pompam, & tanti viri venerationem, translata, ante majus Altare decentissimè quidem, sed quâ oportuit modestiâ, collocata sunt.



P. Franciscus Pintus Soc: IESV, odio fidei Christianæ à Brasilis crudeliter occisus. A. 1608. 11 Ianuarij. Ibiapanæ.

C. S. d. M. K. f.

P. FRANCISCUS PINTUS.

INter Insulas Tertias, omnes Lusitanico juri subjectas, princeps est illa, quæ à *Bono JESU* cognominatur, in qua oppidum Angra natale fuit Francisco, in magnum Patriæ suæ ornamentum A. 1552. in lucem edito. In Societatem anno ætatis 16. adlectus, & post decennium partim in Tyrocinio, partim in bonis artibus impensum, Brasiliæ transcriptus, totos 30. annos in efferatarum illic gentium conversionem admirabili strenuitate ità se impendit, ut & barbari idiomatis apprimè gnarus, & ad conciliandos agrestium animos natus factúsque videretur.

videretur. Et quia animos gerebat periculis quibusq; pectus objiciendi paratiſſimos, difficiles in mediterranea Braſiliæ, durásque expeditiones quater aut quinquies obivit, multis ad Eccleſiam barbarorum adductis: ex quibus periculoſum adeò ſibi conſcivit morbum, ut graviter in Bahyenſi Collegio decumbens, exiguam ſpem vitæ ulterioris prorogandæ relinqueret. Advenit interea eo prorſus fataliter ægrotantis Franciſci tempore A. 1582. Bahyam, Collegium pro munere ſuo viſitaturus P. Joſephus Anchieta Provincialis, & confectis rebus omnibus, Pernambucum diſceſſum parabat: priùs tamen Franciſcum valedicturus inviſens, deprehendit eũ ulterioris vitæ ſpe abjectâ, totum in iter æternitatis adornandum intentum. Delectatus eâ animi vitam aſpernantis alacritate, ac ſimul Cœleſti Numine afflatus Anchieta, jubet de profectione in Cœlum cogitationes modò ponere, & ſe multis adhuc exantlandis laboribus, tolerandis adverſis comparare: diu enim ultrà ſupervicturum, neq; ſiccâ morte ignobiliter in lecto deceſſurum, ſed multos demum poſt annos cruentâ nece Fidei Chriſtianæ veritatem aſſerturum. His dictis juſſit illi indumenta exhiberi, & ille cæcè obedire aſſuetus, dum mandanti parere connititur, repentè ſenſit exhauſto corpori vigorem priſtinum & vires reſtitui; dúmque induitur, toto abſcedente morbo ità ſubitò revaluit, ut ex eo tempore ad valetudinarium non redierit. Secundùm hæc primò omnium juſſus eſt ab Anchieta Templum petere, & Deo Euchariſtico pro reſtituta ſanitate gratias referre; vixítque ab eo die totos adhuc 26. annos, valetudine ſemper robuſtâ, donec eam unà cum vita in manibus infidelium pro Fide cœſus reliquit.

Varios deinde domi foríſq; tum in propria quærenda perfectione, ad quam eminentem omnino evaſit, tum in Ethnicorum curanda ſalute exantlavit labores, dum poſtremò expeditionem ſummè arduam, & omnium periculoſiſſimam ad Tapojas impetravit. Cenſentur autem promiſcuè hoc nomine gentes innumeræ, natione & idiomate inter ſe penitus diverſæ, omnium quas Braſilia alit immaniſſimæ miniméq; tractabiles, quas ſæpius quidem per intermedios haud paulò erudelitate inferiores populos adire Socijs fuit animus, ſed ſemper defuit facultas. Incolunt illæ eum terrarum tractum, qui ab 8. altitudinis Auſtralis gradu à Pernambuco excurrens, adſitus eſt magno illi Amazonum ſive Maragnonio flumini, omnium toto Orbe terrarum facilè principi, cujus oſtium Æquator diſterminat. Hoc demum A. 1607. ſpes certior eò penetrandi, & animos barbarorum pertentandi viſa eſt; maximéque idoneus ad deliniendos ſanguinarios populos delectus P. Franciſcus, addito comite P. Aloyſio Figheriâ. Rebus omnibus ad iter comparatis, acuũ præſertim, & omnis generis ferramentorum variâ ſupellectile, quæ ſola apud barbaros, nullum autem pecunia, aurum, argentúmve pretium obtinent, duo adverſùs tartareas poteſtates conjurati ſocij menſe Januario mari diſcedunt. Leucas 120. emenſi, excenſione factâ pedibus iter ſcipione nixi in mediterranea capiunt, paucis indigenarum quorum aliquot ex ipſa Tapojarum gente jam Baptiſmo initiati erant, comitantibus, tum ut per viam piſcatu venatúque, cujus expertiſſimi ſunt, Patres in itinere ſuſtentarent, tum ut conciliatâ ipſis ad populares ſuos benevolentiâ, interpretum munus ſuſtinerent. Non ullibi aliàs difficiliora humanis veſtigijs ſunt itinera: ſylvæ inviæ, montes aſperi, horridíque dumis; nulli aditus, ſemitæ nullæ, omnia denſis arboribus obſepta; neq; progredi vel pedem unum licebat, nisi quantum ferro & lacertis viæ aperiretur in diem. Ad hæc plana & declivia omnia luto & aquis latè ſtagnantia, ut nudis pedibus, frigido aëre incedere cogerentur. Cùm his difficultatibus, & acerrimâ fame, quam ſolis perſæpe herbis ſponte natis tolerabant, annum penè integrum luctati, tandem plus 100. leucas aperti ſibi, an potiùs perfoſſi itineris, emenſi, perrupêre demum ad montes Ibiapanæ, ſeu Ibigapabæ, leucis plus minus 100. cis Maragnonem ſitos, non longè à finibus Ethnicorum, quos quærebant. Ad hos uno ex tribus, qui ſoli patebant, aditu, penetrandum erat: ſed hi ab efferis penitus, ac omnium Tapojarum truculentiſſimis tenebantur, non aliter hominibus quàm ipſis feris belluis infeſtis, ac perpetua inter ſe, cúmque vicinis bella gerentibus. Patres anxij misêre ſemel ac iterũ cum muneribus ad primos, qui proximi erant, ut tranſitum impetrarent; idémque tentatum cum ſecundis, ſed nihil impetratum. Tertij interpellati nuncios inſuper trucidârunt, uno ſervato 18. annorum adoleſcente, quo uterentur duce ad Patres in necem conquirendos.

Nuncijs non comparentibus, dum incerti quid agendum deliberant, ecce tibi die 11. Januarij A. 1608. magna barbarorum è montibus manus deſcendens, ſimul ſagittis Patrum comitatum impetit, ſimul mapale extemporaneum, in quo fortè horas Canoni-

cas

eas Franciſcus perſolvebat, convellit. Prodit ille, vultúque quàm maximè poteſt & oratione benignâ, furentes illos ſedare contendit: idem faciunt certatim comites, magnisque vocibus inclamant; *hunc Patrem illum Sanctum eſſe, qui ad ipſos Cœleſtia docendos veniret: ejus itaque vitæ parcerent.* Illi è contra, *nihil ſibi cum illo*, reſpondere, *eſſe omnino ipſorum manibus necandum.* Tandem cùm diutiùs impetus barbarorum à paucis ſuſtineri non poſſet, uno qui validiùs Patrem tuebatur interempto, ad illum ſe penetrant, vectéque ligneo capiti impacto, multis repetitis ictibus, maxillas, oculis excuſſis, penitus unà cum cranio comminuunt, cùm Pater natus eſſet annos 54. Non longè indè aberat Sacerdos alter, cùm puer è comitatu inter eas turbas, *Pater, Pater*, Luſitanicè inclamat, *conſule vitæ tuæ.* Ille confeſtim in intimas ſe ſylvas recipiens, fruſtra à barbaris ad necem quoque conquiſitus, mirabiliter vitam ſervavit, latuítque, dum barbaros direptâ ſacrâ & profanâ ſupellectile receſſiſſe appareret: actum collectis viæ ſocijs, ad cædis locum accedens, deformatum, nudum, luto & ſordibus (nam & in mortuum ſævierant) oppletum cadaver, omnium lachrymis ad montis radicem ſepelivit. Peractis funebribus, viam unde venerant relegens cum comitibus P. Figheria, unum è fuſtibus cruore Franciſci infectum, & à barbaris temerè abjectum, Bahyam in Collegium ſecum retulit, ſolatio & excitamento Socijs futurum. Corpus autem aliquamdiu in ignota barbarie, medijs ſylvis, nulli fidelium notum, ſinè honore, ſinè nomine jacuit: at poſteaquam ſiccitatibus inſuetis populus ſanguinarius atrox facinus plecti perſenſit, magna in veneratione tumulum ejus, licèt adhuc infidelis, habuiſſe fertur, quòd illius imploratione pluvias, quoties opus eſſet, è Cœlo eliceret.

P. RAPHAEL FERRER.

NOn inane aut vacuum Raphaëlis nomen geſſit, ex Catalaunia Hiſpaniæ oriundus P. Ferrer, natus in ſalutem Indiæ Occidentalis populorum, verè juxta nomen ſuum *medicina DEI.* Primam pueritiæ ætatem plenis maturitate actionibus ità laudabiliter decurrit, ut jam tunc adultam virtutem præſeferret. Quam ut æquabili ſemper profectu ad debitum perduceret perfectionis apicem, adoleſcentiam Societati JEſu An. 1587. ætatis 21. implantavit, iiſq; munivit, quoad in Arragoniæ Provincia vixit, virtutum præſidijs, quibus deinde in campum difficillimi certaminis eductus, certam de animabus à barbarie vindicatis, & in amabilem Chriſti captivitatem adductis, referre poſſet victoriam. Sic inſtructus transmiſit in Peruviam A. 1597. plenus deſiderijs atrociſſima omnia pro Chriſto patiendi, & vitam ipſam in obſequium Fidei immolandi. Cui fortiter excipiendæ ut prævijs aſſuefieret experimentis, totum ſe mortificationis ſtudio impendit, & aſſiduâ patientis Chriſti cruciatuum meditatione ità animum accendit, ut vix Sacrificium ullum perficere, horas Canonicas, aliásve preces recitare, aut pia de materia tractantes libros legere poſſet, quin copioſis largè inundaretur lachrymis. Pluribus poſt hæc adhibitus fuit inter diverſos Peruviæ populos ſacris expeditionibus, ſemper ardens, ſemper novas excogitans praxes, quibus eos à vitijs (nam his relictis facilè Idola ſpernebant) ad virtutis amorem traduceret. Cujus induſtriæ Charitatis eximium ſpecimen dedit Cali, oppido Popayanæ Provinciæ. Inſtituerant cives actionem ſcenicam, quam abſurdâ, illis tamen ex inolito more minimè indecente visâ, conſuetudine, in ſacra Æde pro theatro dari diſpoſuerant. P. Raphaël cùm fruſtra impedire Sacri loci ad non ſacra ſpectacula abuſum conatus eſſet, ut ea in ipſo jam procinctu diſturbaret, Apoſtolico zelo inflammatus, repentè ante ordiendum proſilijt improviſus in theatrum, Chriſti Crucifixi effigie dexteram armatus, tantáque contentione dixit ad concionem jam congregatam, ut cùm lachrymas omnibus conſciviſſet, faſtidientes jam aliud præterea ſpectaculum, omnes domum, abrogato feliciter in perpetuum pravo more dimoverit. Inter alias magno animarum lucro ſuſceptas excurſiones, ſæpius excoluerat Quitum, celebrè meridionalis Americæ Æquatori ſubjectam Urbem; quam inſtituendis ad innumeras barbarorum circumfuſas nationes procurſibus admodum opportunam advertens, ex ea velut ſtativorum ſuorum loco, ſæpius ad diverſos ſe inferebat. Ex his Cofanes erant, gens præ alijs immanitate barbara, & ingenio intracta-



P. Raphaël Ferrer Hiſpanus Soc. IESV, odio Fidei Chriſtianæ ſubmerſus à Barbaris in America A. 1611. Menſe Martio.

C. S. L. M. K. f.

tractabilis, 60. leucis Quito, inter montes concitatosque fluvios ſita. Eam igitur ſibi poſt alias diligentiùs inſtituendam cum aſſumpſiſſet, inchoato ad annum 1609. & per ſequentem continuato labore, 400. undis ſalutaribus ablutos, à vaga ſylveſtríque, extra humana domicilia, vitâ, ad communem urbanámque ſocietatem traduxit, tribus conſtructis oppidis, in quorum præcipuo, ut deni etiam Hiſpani, veluti exemplar illis ritu humano vivendi futuri, ſedem figerent, perfecit. Ex tam proſperis initijs ſpes erat, aperto ſemel Evangelij campo, totam gentem ſub ſuave ipſius jugum ituram, niſi humani generis & ſalutis noſtræ hoſtis bene cœpta peſſum dediſſet. Quidam enim ſeu tædio Chriſtianæ vitæ, ab aſſuetis eos in Idololatria voluptatibus retrahentis, affecti, ſeu mobilitate animi ſibi innatâ, ex vitæ licentioſæ & vagæ deſiderio in odium Patris accenſi, dum ex oppido in oppidum vagus & feſſus iter faceret, ipſi adventantem in ponticulo quopiam præſtolantes, gratulabundos ſe excipere (ùt toti ſunt ex fraudibus compoſiti) ſimulant, nihilque adverſi ſuſpicantem, in fluvium, ubi in iſthmum cogitur, præcipitant, & aquis ſuffocant, An. 1611. menſe Martio.

P. Martinus de Aranda Valdivia, P. Horatius de Vecchi, Didacus de Montalvan Soc: IESV. pro Chriſto crudeliter interfectiin Chile 14. Decem: A. 1612.

C. S. d. M. K. f.

P. MARTINUS DE ARANDA VALDIVIA, P. HORATIUS DE VECCHI, & DIDACUS DE MONTALVAN.

INventis, & magna ex parte domitis Indiarum Occidentalium regionibus, quàm plurimæ ex Hiſpanis Illuſtres Familiæ ſedem ſibi ſtabilem in earum colonijs fixerunt. Ex quarū una in Urbe Regni Chilenſis Villarica, Illuſtriſſimo ſanguine natꝰ Martinus, poſt libata duntaxat humaniorum literarū ſtudia militiam ſecutus, turmā equitum ea cum laude fortitudinis plures annos ductabat, ut totius Peruviæ Pro. Rex, explorata ſibi virtutis ornandæ conſilio, Prætura m ei Ricobambæ ultro deferret. Ipſe tunc annum ætatis 31. ingreſſus, ut oblatum novum munus ex Divinæ magis, quàm humanæ prudentiæ legibus adminiſtraret, animum priùs in S. Exercitiorum ſolitudine colligere, intra Limenſe tyrocinium conſtituit. Ibi rerum mundanarum caducitate, & æternarum ſtabilitate, per exactiſſimam contemplationem perſpectâ, ità Divino Spiritu occupatus eſt, ut de capeſſenda Societate voto facto, famula-

ri

ri in ea Coadjutorum ſervitio (indignum ſe ratus Sacerdotum gradu) expetierit. Igitur A. 1592. admiſſus, & à Pro-Rege ſubitaneam in viro militari mutationẽ ſtupente & commendante perhumaniter in Tyrocinio viſitatus, omnes illos martiales ſpiritus in ſe unum perſequendum, & debellandos rebelles animi motus convertit. A quibus ſpiritui penitus ſubjectis pacem interiorem nactus, mox ab audita per biennium, quantum pro Sacerdotio ſufficiebat, morali de caſibus conſcientiæ Theologia, bella externa in Dæmonem & Idololatriam quæſivit. Penetraverat eo ipſo tempore ad Ciuncios P. Michael Urrea, de quo paulò antè meminimus, & ſocios in partem meſſis ardenter evocabat: cui ut venire in ſubſidiariam opem liceret, ardentibus votis exoptans Martinus, illuc è Julide per Camatam pedeſtri & laborioſiſſimo itinere diſceſſit A. 1596. Adverſo quippe anni tempore profectus, cùm perſæpe reptando magis quàm gradiendo, iter urgere cogeretur, comites penè omnes clandeſtinâ ſeſe fugâ, ærumnoſiſſimo labore, & portentosâ maximè tot fluminum trajectione abſterriti, ſubduxêre. Ipſe tamen ſtudio animarum vires addente, penè ſolus viam conſtanter proſecutus, præter minora flumina, jam quadrageſies Zupimarim fluvium rapidiſſimum (quem centies tranſeundum in P. Urrea monuimus) vado trajecerat, cùm denuo amnem ingreſſus, & rapidiſſimo torrente abreptus, vires prorſus ac ſenſus amiſit. Ejectus tamen divinâ ope in eandem ripam eſt à qua diſceſſerat; ſorbendus alioqui medijs alvei vorticibus, ſi in adverſam propelleretur. Extractus ab undis eſt, cruribus, brachijs, toto corpore contuſus (ſæpius enim in petras eo æſtu impingebatur) ac propè exanimis: cúmque fruſtra plurium dierum labore vadum commodius quæſiſſet, conſilium cœpit ibidem cum duobus reſiduis comitibus hyemem tranſigere.

Verùm ad Cœli & ſolitudinis incommoda accedebat loci inſalubritas, & rerum omnium præter herbas ſponte enaſcentes inopia: adhæc Regio colubris, ceraſtis, & venenatiſſimis hominique infeſtiſſimis viperis (quarum unam jam inſilientẽ vix effugerat) abundans. Omnibus itaque penſatis, ſtatuit præteritas repetere, Camatam redeundo, difficultates; quam etiam undeviceſimo die, eodem remenſo curſu, quadragies iterum amne ſuperato, tenuit, duobus nixus baculis, altero pede vix prorepens, & moleſtiſſimis inſuper febribus gravatus. Perlatum inter hæc certis nuntijs eſt, necatum à Ciuncis P. Urream: quare Limam revocatus P. Martinus, in patriam regionem Chile, ut indigenis, majorem partem adhuc indomitis, Chriſtum prædicaret, remittitur. Eſt autem Chile Regio ampliſſima infra Peru, trans Æquatorem longè ad meridiem uſque ad anguſtias Magellanici freti porrecta, à Tucumanibus ad Orientem editiſſimorum montium interjectu diſtermina, quorum 16. inſtar Ætnæ aut Veſuvij ſunt ignivomi, & per quinquies millies paſſuum millia procurrunt. Gentes in ea ſunt plurimæ, & bello fortiſſimæ, cum quibus diu vario marte & multis cladibus bellatum eſt ab Hiſpanis, nec unquam debellatum: donec interventu P. Ludovici Valdivia, Chilenſis Regni à Catholico Rege Viſitatoris, quantumcunque vocationi ſuæ tam adverſans munus excuſaret, conſtituti, pax certis conditionibus firmata eſt, & bonâ fide longo tempore utrimque culta. Accidit interim, ut Anganomonio Caciquio tres ejus uxores ſeu pellices, cum liberis ad ubera pendentibus profugerent ad Hiſpanos, & paucis diebus inſtructæ baptizarentur: quas cùm Caciquius ardenter & minaciter ſibi reſtitui à P. Ludovico Valdivia flagitaret, excuſavit ille quàm leniſſimè potuit, nefas eſſe jam Chriſto initiatas, ad perfidiam & pellicatum, invitas præſertim reſtitui: boni conſulat neceſſariam repulſam, perlibenter in alijs omnibus obſecundaturum. Anganamonius quia vires ad violentiam unus, reliquis omnibus Hiſpanam pacem colentibus, non habebat, diſſimulatâ irâ tantiſper quietus, opportunam ultioni occaſionem præſtolari decernit, quæ ità ſe illi obtulit. Venêre ad Valdiviam quindeni Caciquij è valle Elicuræ, quæ 7. ſolùm leucas abeſt à valle Bellabuana Anganamonij ſede, pacem ſimiliter, & Patres ad Fidem imbuendos ſuos, poſtulantes. Valdivia ſuſpectos illos habens, nè quando perfidè ab Anganamonio ultionem ſpirante opprimerentur Patres, cunctabatur: ſed quia Provincialis & alij omnes audendum pluſculùm, & Deo fidendum cenſebant, decrevit in eam miſſionem P. Martinum Valdiviam propinquum ſuum, & P. Horatium de Vecchi, addito illis ad domeſtica obſequia, Didaco de Montalvan, Mexici in nova Hiſpania nato.

Aſſueti hi ejuſmodi expeditionibus, & durati jam habebantur, magnis paulò antè inter Araucanos perfuncti laboribus & ærumnis. Cùm enim eam gentem tetra latè peſtilentia inceſſiſſet, cujus timore nec conjuges

maritis, nec parentes liberis mutua obſequia præſtare vellent, P. Martinus cum Horatio paratis edulijs, manè & veſperi longè divulſa obibant eorum mapalia, & ſuum ſingulis dimenſum indefatigabili charitate partiebantur: tantâ ejus rei in ſuperſtitibus æſtimatione, ut ſe Chriſtianis Sacris imbuendos ultro offerrent, & tanquam parentibus obſequerentur. Paicavium poſt hæc revocati, non diu ad novam ejuſmodi quampiam miſſionem animos in Collegio ſtrenuâ exercitatione parare inſiſtebant, cùm hoc eos imperium ad Elicuranos proficiſcendi occupavit: cujus denuntiatione mirè geſtientes, quò fructum uberiorem tam ancipitis & plenæ diſcriminum miſſionis conſequerentur, petiêrunt ſibi eam addito S. Obedientiæ præcepto imperari, idque imperium eximiâ devotione nixi genibus exceperunt. Sed & Ludovicus futurorum timens, ut Anganamonij furorem à Patribus averteret, pretium illi mulierum & liberorum juſſit offerri, quantâvis licitatione magnum & grande cuperet. Elicuram ùt pervenêre, excepti ſunt populorum lætitiâ & celebritate, quanta nunquam ibi viſa. Ipſi verò adornato in tertium diem ſubiteneo ſacello, poſt mutuam noxarum exomologeſim, ad primum illic Sacrificium offerendum, & Frater ad Divinum epulum ſe comparabant: cùm ecce inopinatò Anganamonius cum 200. equitibus, ùt erat bello ſtrenuus, advolans, occupatis Elicuranis, Caciquios, quòd pacem & fidem ab Hiſpanis petiſſent, interficit; Patribus interceptis multa ſuper ſuis uxoribus exprobrans, moriendum ſimiliter edicit. Rogare hìc P. Martinus Anganamonium, in ſe quidem pro libitu ſæviat, at ſocijs ſaltē innocentibus parcat, nè privata hæc injuria paci publicæ noxæ fiat. Verùm ille negare ullam ſibi pacis aut Chriſtianitatis curam eſſe, neque ut alijs integra ſit, unquam paſſurum. Simúlque dato ſuis imperio cædis, ſicarij omnes tres in genua provolutos invadunt, & macanis, quæ clavæ è duro ligno ſunt ferreis muricibus aſperatæ, capita cominuunt, haſtis humi ſtratos transverberant, cervices præſcindunt 14. Decembris A. 1612. Alij referunt ad diram lanienam excipiendam arboribus alligatos fuiſſe, diſſecta pectora, & evulſo corde etiamnum viventes, integro horæ quadrante utrumque Sacerdotem Chriſtum prædicâſſe: ac tum primò macanis, utì retulimus, confectos eſſe. Corpora eorum cum ſtratis promiſcuè Indorum cadaveribus nuda jacere à barbaris relicta, cùm hæc à Peucis (avium genus eſt, noſtratibus corvis ingluvie par) fœdè lacerarentur; mirum dictu, illa diræ immunia laniationis permansêre. Morte eorum intellectâ Pat. Ludovicus Valdivia incredibili ſolatio exultans, quòd præſertim ingenti alacritate & conſtantiâ geſtientes mortem hilariter excepiſſe audîſſet ab ijs, qui neci adfuerant, primò omnium grates DEO per Sacrificium de SS. Trinitate debitas egit, miſſis qui corpora linteis & loculis decorè involuta reveherent. Hæc biennio pòſt ad Urbem Conceptionis deportata, noſtro in templo ad principis Aræ latus, cedrinis incluſa ciſtis, intus & foris aureo panno inductis, honorificè collocata ſunt. Ipſo autem eorum occiſionis die 14. Decemb. cognita divinitus eorum cædes procul in Tucumanibus fuit ab Antonio Rangelio, ſpectatæ Virtutis Coadjutore, qui Cordubæ inter hauriendum è puteo aquam, noſtros eâ horâ ſanguinem ibì profundere aſſeveravit.

P. Horatius de Vecchi ſocius Patri Martino glorioſi certaminis, natus fuit Senis in Italia, paterno Vecchiorum, & materno Lunadororum ſtemmate nobilis. Romæ vicenarius Societati adſcriptus eſt An. 1597. mitiſſimo ingenio, & tenerrimâ in B. V. obſervantiâ. Antequam in Indias proficiſceretur, dum aliquando majore devotione Sacrum epulum in Tyrocinio accederet, reſponſum divinitus accepit, & certam ſponſionem glorioſæ mortis pro Fide Chriſti oppetendæ. In Americam trajecit cum P. Didaco de Torres Anno 1603. Peruviæ ad Urbem Procuratore, & poſtquam Limæ ſpatia Philoſophiæ & Theologiæ pari laude virtutis & ingenij emenſus eſt, in Chile conceſſit. Chilenſium idioma brevì, ſed improbo labore complexus, Araucanos cum P. Martino naviter excoluit. Vir patientiæ invictæ, qui ſerviendo Indorum ſaluti, acerbos interim calculi & lateris cruciatus ſinè gemitu, ſinè ſignificatione ullius doloris tolerabat. Ardens illi in DEUM amor, & aſſiduum precandi ſtudium, præcipuè pro gentium illarum converſione, de quibus dicere ſolebat, non priùs Elicuranos jugum Chriſtianæ Fidei ſubituros, quàm profuſo Martyrum ſanguine molliantur: id verò ſe à DEO repetitis ſæpe ſupplicijs flagitare, ut in ejus gloriæ partem venire poſſit. Nec eventus vaticinium fefellit, cùm enim poſt aliquot ab eorum nece annos pax inter Hiſpanos Indósque rurſum coaluiſſet, primi

Evan-

Evangelium admisère ipsorum percussores. Cùm verò Elicuram discedens socijs valediceret, eorum nonnemini disertè asseruit, non ampliùs invicem in hac mortalitate visuros; tam certa illi mortis suæ fuit è Cœlo notitia. Excusa fuit Parisijs Anno 1656. eleganti scalpello ejus effigies, Alexandro VII. Pontifici dicata, eò quòd familiam ejus Horatij stemma consanguinitate & affinitate contingeret.

P. Ferdinandus de Tovar Hispanus, Soc. IESV, à Barbaris Americanis odio Fidei interemtus, in nova Hispania A°. 1616. 16 Nov.

M. K. f.

P. FERDINANDUS DE TOVAR.

SPlendidissimam clarissimorum natalium gloriam, eximiæ Sanctitatis, & invidendæ mortis prærogativâ ità illustravit Ferdinandus, ut plus Familiæ Tovararum & Guzmanorum splendoris attulerit, quàm acceperit. Culiacana novæ Hispaniæ pervetus Colonia, Patria Ferdinando fuit, unigenito Filio Ludovici de los Rios, & Isabellæ de Guzman & Tovar, per quam proximâ consanguinitate attingebat Cardinalem Ducem Lermensem. Piè imprimis & lautè, progeneris nobilitate, & posteritatis spe unicâ educatus, primos ab ipsa infantia virtutis igniculos concepit ex perpetuo Patrum Societatis commercio, qui Cinaloam frequen-

ter per Culiacanam ultro citróq; commeantes, certum & perpetuum in paterna domo diverſorium, libentibus planè ac piâ violentiâ propè cogentibus Dominis, habebant. Per eam occaſionem Ferdinandus Patrum converſationi & moribus inſueſcens, ejuſdem vitæ puerili cupidine jam tum tangi cœpit: erátque aſſiduus ad latus eorum, quò ſe converterent, comes; ad pulpitum & conciones aſſectator, & in Sacris myſterijs adminiſter: quin adeò ægrientibus etiam aut languentibus, ad infima obſequia ſervulus ità ambitioſus, ut P. Ferdinando de Sanctaren decumbenti miniſtrans, nullum præterea alium in ſervitij ſocietatem admittere ſuſtinuerit. Ætatem Grammaticæ capacem adeptus, Mexicum transmiſſus eſt: in cujus & reliquæ Humanitatis literaturæ decurſu, firmatum Religionis propoſitum ità conſtanter fovit aluit. que, dum ad maturitatem perduceret, in Societatem cooptatus A. 1598. ætatis 17. In cujus tyrocinio Virginali ſuâ modeſtiâ, compoſitorum ad omnem religioſitatem morum elegantiâ, humilitatis & obedientiæ ambitu, Angeli nomen apud omnes vulgò obtinuit. Nullus illi unquam de ſua proſapia, etiam dum Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia, magnâ ingenij æſtimatione decurreret, ſermo, nulla cujusvis ſplendoris æſtimatio. Et cùm facultate ubertatéque dicendi pro concione polleret præſtantiſſimâ, ſic ut mentes Auditorum, ex quo pulpitis admoveri cœpit, quoquò vellet, facillimo raperet impetu; Inſulas illi & dignitates Eccleſiaſticas à propinquo Cardinali Duce, qui gratiâ Regis pro arbitrio utebatur, ominabantur omnes; ipſe verò certus omnes reſpuere, unicam miſerabilium Indorum ſalutem excelſo animo anhelabat. Hos illi ſenſus familiaris cum DEO conſuetudo, crebris lachrymis & perpetuis ſuſpirijs fota indidit, & aſſiduæ mortificationis ſtudium, atque Virgineæ puritatis, quam illibatam ſepulchro intulit, procuratio, egregiè promovit. Quarum virtutum, ac præſertim latendi in obſcuro ſtudio, obtinuit à moderatoribus, ut ab urbium luce ac ſplendore ad Indorum curam, & Apoſtolicarum miſſionum ærumnas tranſire liceret.

Miſſus itaque eſt ad Parras, & Paludem magnam, quæ ultra novam Cantabriam ſita eſt, Provinciarum ſeptemtrionalis Americæ, quæ quidem Hiſpanis parent, poſtremam. Urbs in eadem Cantabria Hiſpanorum princeps eſt Guadiana, ſive Durango, quæ Topianos montes dominatu ſuo, & complures in ijs nationes, Acagænos, Xiximos, Tepeguanos, feritate animi atq; inconſtantiâ inſignes complectitur. Complures in ijs Evangelij prædicatione imbuendis laborabant eo tempore Societatis homines, & pellectis in vitæ ſocietatem identidem Barbaris, jámque amplius 50. millibus eorum baptizatis, aliquot oppida, pagos, & vicos è fundamentis erexêre. Primus ex ijs ad magni fluminis ripas 30. leucis Guadianâ diſſitus, ab S. Jacobo Papazkiaro dictus eſt. Alteri Cape, ſeu ab S. Ignatio nomen eſt: inter alios minores recenſentur præcipuè Tenerapa, & qui à S. Catharina vocatur. In his cùm Chriſtiana res curſu proſpero magnis incrementis proceederet, unus venefieus, ùt gens eſt ingenio ad omne novitatem mobili, omnia turbavit, atque à Fide, à DEO, à Rege Catholico avertit. Filium enim Solis, qui Cœli DEUS ſit, ſe mentitus, Terrarum Deum ſe eſſe fingebat, à quo proinde omnia bona & proſpera illis expectanda eſſent: tantíſque pollicitationibus, & nî parerent, minis, animos credulorum faſcinavit, ut communi omnes conſpiratione Chriſti jugum univerſim excuterent: Fidei Divinæ Prædicatores correptis armis de medio tollendos conſtituerent, & longè latéque ad belli ſocietatem pertractis finitimis populis, arma Hiſpanis inferrent; idque eò fidentiùs, quòd idem ille præſtigiator in vitam illico ſe revocaturum ſpoponderat, quot. quot in ea cauſa prælio cecidiſſent. Nec deerat cauſæ ſuæ Dæmon, qui facie horribili palàm ſe dabat in conſpectum, dicta nefarij miniſtri confirmans, atque ex lapideo Idolo, quod veterator ille circumferebat, verbis formatis graviſſimas minas, nî obſequerentur, intentabat. Decreta publicæ feceſſioni neciique Patrum, quibus ſublatis omnia ſibi facilia fore & obnoxia augurabantur, dies erat 21. Novembris, Præſentatæ Deiparæ ſacra; in quam eandem diem è contra Patres omnium ignari, in vico S. Ignatij apparabant ſolennem Proceſſionis pompam, quâ triumphabunda circumveheretur, publicæque proponeretur venerationi, elegans advecta Mexico ejuſdem Divæ Virginis effigies.

Per idem illud tempus evocatus à ſua miſſione Mexicum P. Ferdinandus, ignarus omnium per Tepeguanos ad ſuos Parras Mexico revertebatur, cùm in eum primò omnium turbo barbarorum deſævijt. Defuncto enim Ferdinandi parente vidua mater, Mexicum ſe Culiacanâ trâſferens, remiſſo mundanis rebus nuncio, ſanctimonialibus S. Laurentij unà cum nepte virgine ſeſe junxerat. Illic ſtudio filij ſui ſupremùm videndi fruendique

dique priùs, quàm fortè vitâ inter Indos ſpoliaretur, incenſa, P. Provincialem ſollicitare, ejus ut ſibi brevem copiam faceret, modeſtè juxtà ac fidenter inſtitit: ignorans ſe eâ poſtulatione, mortis ei accelerationem procurare. Provinciali haudquaquam æquum viſum eſt, optimæ, adeóque de Societate bene meritæ, & adhuc merita continuantis Matronæ petitioni refragari: hinc ſinè mora Ferdinandum à Parris evocatum jubet aliquantiſper revolare Mexicum, tacitâ evocationis causâ, nè qua cunctationi & excuſationi pietas religióque, ùt erat ab omni ſanguinis affectu alienus Ferdinandus, obtenderetur; redituru poſtea, ſi animus fuerit, ad ſuam ſtationem. Pater, cui obedientia delicatiſſima pro oculi erat pupilla, omnibus ſinè dilatione poſtpoſitis, Mexicum ſe longiſſimi refert itineris remenſu; ubi Matre pijs colloquijs ad Sanctitatis ſtudium mirè accensâ, ad ſuos Parras lætus regreditur: & quia Collegij Mexicani Rector quædam ei Topiæ expedienda commiſerat, iter deinceps per Tepeguanos tanquam expeditius proſequitur. Igitur in vicum S. Catharinæ delatus cum agaſone, reficiendi corporis causâ mapale unum, inſcius nefariæ conjurationis, ſubit die 16. Novem. qui licèt necdum ille dies eſſet, quem univerſali Patrum cædi, & movendis armis deſtinatum habebant; ſed neq; Pater inter eos Sacerdotes, qui terras eorũ procurabant, cenſeretur: tamen quòd ejuſdem cum illis, quibus mors deſtinabatur, Religionis eſſet & Fidei, atque eundem Chriſtum alibi Parris prædicaret, id cauſæ abunde ad cædem fuit. Curato per otium Pater cibo & quiete corpore, viam repetens, aliquantulùm mulâ lento gradu proceſſerat, cùm armis præter ſolitum inſtructos barbaros tumultuosè propinquare agaſo obſervat. Ex quorum inſolentia certum Patri exitium parari colligens, nî fugam celeret, magnis eum clamoribus, *properaret, & violentiæ barbarorũ ſe ſubduceret*, urgere cœpit. Pater monitus retro reſpiciens, ùt ad ſe verſùs ire concitatiùs percuſſores vidit: *haud iſtud equidem eſt*, inquit, *fugæ tempus, ſed mortis fortiter pro DEO oppetendæ, dum ejus nobis gratia ſit.*

Ergo magnanimus ultro eis obviam procedens, licèt miſſis eminus jaculis impeteretur, imperterritus tamen, atque animi potens adverſum urget greſſum, dum audiri à vicinioribus poſſet. Hìc verò Fidem illis DEO obligatam ardenter inculcare, monere, hortari; donec unus jumento detractum ſtravit, & pectus lanceâ transfodit; ceteris incondito clamore blaſphemè exprobrantibus: *itáne verò Sacrificuli nihil eſſe reliqui creditis, præterquam veſtrum illud carmen nos docere: Pater noſter qui es in Cœlis; Ave Maria gratiâ plena? jam porrò qualiter hunc Sanctum ſuum DEUS ipſius redivivum faciat, viſuri ſumus.* Pater interim DEUM percuſſoribus ſuis propitium exorans, JEſũque & Mariæ nominibus imploratis ſpiritum in manus Dei commendans, felicem animam egit eodem die 16. Novemb. A. 1616. Et verò ſui hujus beati exitûs vaticinium videri poteſt Ferdinandus jam olim puer edidiſſe. Nam cùm P. Gundiſalvi de Tapia à Cinaloënſibus necati caput, unus quiſpiam Patrum deveheret Mexicum, & Culiacani ad paternam ejus domum divertiſſet, mater ſacro pignori includendo ſeriniolum ſuorum monilium commodatura, illud vacuabat: cui Ferdinandus: *nimis illud arctum eſt mater*, inquit, *tanto capiti; ſerva ſis illud capiti meo, qui Martyr ipſe olim futurus etiam ſum.* Jam verò mox ab obitu ſuo ſpectandum ſe per quietem P. Franciſco Ariſtæ, ſuo in Parrenſi miſſione Moderatori dedit, pallente formâ, quæ mortuum referret. Attonitus ille ſpectaculo percontatur, *quid iſthoc rei eſt P. Ferdinande?* Cui Pater vultum momentò hilaritate lucèque perfuſus: *bene felicitérq;*, reſpondit, *mihi eſt: omnia mihi bona in Cœlo abunde ſunt:* & confeſtim diſparuit. Sed & matri ejus viſus per quietem vir de Societate ſenio venerabilis, mortem illi à filio gloriosè pro Chriſto obitam nunciavit, priùs quàm ullus ea de re Mexicum rumor eſſet allatus.



P. Bernardus de Cisneros, P. Didacus de Orosco, P. Ioannes de Valle P. Ludovicus de Alabes Hispani, Soc. IESV, à Barbaris Americanis occisi odio fidei in nova Hispania A°. 1616. 18 Novemb.

M. K. f.

P. BERNARDUS DE CISNEROS. P. DIDACUS DE OROSCO. P. JOANNES DE VALLE, & P. LUDOVICUS DE ALABES.

PAtratam in P. Ferdinandum intempeſtivè cædem ad S. Catharinæ vicum, adeóque vulgatæ præproperè ſeditionis conſilia ùt primus rumor per Tepeguanorum pagos diſtulit, concurſum ſimul ab omnibus ad arma eſt, & correpta in necem Patrum tela. Proximus aberat S. Jacobi Papazkiari vicus, ubi P. Bernardus cum P. Didaco rem Chriſtianam curabant: cujus repentino tumultu, & incolarum inſolitis diſcurſibus excitati, facilè quid ageretur aſſecuti ſunt. Itaque quotquot Hiſpanorum & fidorum adhuc ex Indis nanciſci potuerunt, eos in Templum domûmque ſuam colligunt, quantumlibet ab annona & ab armis penitus imparatam, opportunam tamen ad ſuſtinendos primos furentium barbarorum impetus, ſi fortè poſt eos (ùt ſunt omnium horarum animi mobilitate homines) pœnitudine cœptorum

ptorum tacti reſipiſcerent. At barbari cinctas continuè coronâ obſeſſasque ædes, telis & ſaxis impetere, flammas injicere, tantâ pertinaciâ & rabie triduo toto moliri, ut cùm reſiſti amplius vi non poſſet, deditione tranſigendum fuerit. Ad eam priùs quàm deſcenderetur, tentandum antè viſum eſt, ſi quid benignitate, & familiari gentis alloquio poſſet confici. Igitur P. Bernardus magno auſu præſentêq; animo templi patefactis valvis prodiens, Indos ad mentem Fidémque revocare potenter exorſus eſt; ſed imbre ſagittarum pro reſponſo obrutus, ſi non eum manus Hiſpanorum retraxiſſet, in loco oppreſſus concidiſſet. Aliqua tamen brachijs tela inhæſerunt, quæ ipſe tam ſui potens, tamque doloris patiens eduxit, quàm ſi alieno fixa corpori ſtarent. Poſt triduum ubi nulla diutiùs ſuſtinendæ ſpes obſidionis, nulla ſolvendæ jam apparet, liberè abeundi ad ſuos copiâ deditionem paciſcuntur. Prodière poſitis armis quotquot erant in Templo, agmine ſupplicantium, P. Didaco SS. Sacramentum, & alio Deiparæ imaginem exportante. Ad cæmeterij ferè medium ubi ventum eſt, barbari flexis humi genibus procubuêre, & Deum qui ferebatur adorare videri voluêre. Ad quos eâ causâ paululùm reſiſtens P. Didaeus ſermonem inſtituit, ad Fidem doctrinámque, quam ſe Magiſtro ſuſceperant, retinendam cohortatus; mercedem à DEO, quem in Euchariſtia præſentem cernerent, ſi paruiſſent habituri, ſin reſiſterent, æterna ſupplicia recepturi. Tum illi effusâ, quam diſſimulaverant, rabie, mentiri eum vociferantur, DEum Chriſtianorum nequaquam ac ſuum cum hominibus loqui, ſimúlque impetu facto Sacras Euchariſtiæ particulas primò omniũ in terram effuſas proculcant, imaginem Deiparæ diſcerpunt, totúmq; qui è Templo prodierat comitatum, crudeliter & nefariè contrucidant. In Patres tamen productiorem lanienam exercere illis viſum, ut mori ſe antequam morerentur ſentirent. P. Didacum ferculi Euchariſtici portitorem jaculo pectus confoſſum, octo valentes barbari ſublimem tollunt, per ludibrium ſolennem illam Eccleſiæ Sacerdotum apprecationem, *Dominus vobiſcum*, alternantibus alijs pari ludibrio, *& cum ſpiritu tuo*, ingeminantes: & poſt longam raptationem humi depoſitum, panſis in crucem brachijs porrectum tenuêre, dum interim unus ſecuri à vertice ad imum corpus ei bipertijt, blandiſſimè ipſos affanti: *agite porrò filioli, & patrate in me quidquid lubet, mihi pro Deo mori certum, & ſumma felicitas eſt.*

Natus hic erat Placentiæ in Hiſpania illuſtri genere, à pueritia Sacerdotij & Martyrij cupidiſſimus, cujus utriusque conſequendi ſtudio animum ad capeſſendas litterarum diſciplinas applicuit: ſolitus in ipſa pueritia non puériliter jactare, ſe Societatem olim ingreſſurum, ad Indos navigaturum, ac tandem glorioſo pro Fide agone occubiturum. Societatem re ipsâ complexus eſt An. 1602. ætatis 15. ejúsq; Tyrocinio vix abſoluto, miſſionem impetravit in Indiam A. 1605. fruſtrà obnitentibus conſanguineis, inter quos eminebat patruus Rodericus de Oroſco, Marchio Mortaræ. Navigationis eoſdem quos mortis habebat ſocios, P. Bernardum de Ciſneros, & Hieronymum de Moranta, cum quibus Mexicum delatus, Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia magna cum laude ibi decurrit. Quia verò nulla vicina Martyrij ſpes in eo Indiarum tractu offerri videbatur, Japonicam ambivit miſſionem: cùm repentè Superiorum miſſu ad Tepeguanos deſtinatus, ingentibus eorum in cultura exhauſtis laboribus & ærumnis, tandem & animam poſuit in ipſo ætatis flore, die 18. Nov. An. 1616. Societatis 14. Vir magnæ mortificationis, & in ſeipſo affligendo ſtudij: quibus præſidijs conſeptum Virginitatis florem intaminatum ſepulchro intulit.

P. Bernardo de Ciſneros, qui unà erat in agmine veteranus ejus populi inſtitutor, lanceam penitus in præcordia adegêre, & macanæ repetitis ictibus cranium confregêre. Patria illi fuit eadem Hiſpania, in qua Societatem ingreſſus A. 1599. ætatis 17. poſt abſolutam Philoſophiam navigavit Mexicum, unde Theologiâ ad calcem deductâ digreſſus Sacerdos, inter Tepeguanos pluribus annis laboravit, quàm incredibili conatu innumeris obſepto moleſtijs, & quotidie occurrentibus periculis, tam exiguo, & malignè prorſus reſpondente in indigenis fructu. Quis enumeret, quoties ab efferis illis hominibus, an belluis, crudeliter habitus? quoties acerbiſſimis plagis affectus ſit? Indus quidam obſtinatæ perverſitatis Idolum ſtatuerat in extemporaneo delubro, quod reſciſcens Bernardus poſtquam diruiſſet, ille quâ erat pertinaciâ pravitatis, rurſum aliud in vico Otinapa erexit. Sed & illud cùm vitæ prodigus, neque diſcriminis ex eo facto imminentis ignarus, ſolo æquâſſet Pater, furore percitus Idololatra ſtricto ferro illum invadit, & tribus plagis pectori inflictis confectum arbitratus, fugâ ſe ſubducit. Evaſit tamen medicorum ope in præſens Bernardus mortem, neq; tamen unquam

quam ad ſceleris authorem prodendum induci potuit; his veluti præſidijs ad glorioſum agonem à Deo perductus, quem eodem die & anno cum P. Didaco conſummavit, natus annos 34.

Dum hæc geruntur in S. Jacobi Colonia, manus alia rebellium, quibus id curæ datum, Coloniam alteram Sancti Ignatij eodem die aggreditur, ubi jam complures Hiſpani cum famulitijs & Æthiopicis mancipijs convenerant, ad conſtitutam Divæ Virginis Purificatæ celebritatem. Hos improviſâ irruptione obruentes barbari, omnes promiſcuo furore contrucidant, intérq; illos duos Sacerdotes, inchoandis Divinis myſterijs in Templo ſe accingentes, jam pridem illius Chriſtianitatis curatores. Primus fuit P. Joannes de Valle, Victoriæ in Hiſpania Mundo natus A. 1576. Societati autem An. 1594. ætatis 18. Indicas ærumnas in ipſo ſtatim Tyrocinio ardenter exambivit, ex quo etiam continuè Mexicum dimiſſus eſt, tam exactè Regularum nunquam à ſe violatarum obſervans toto vitæ decurſu, ut nihil in eo, qui penitus ipſum exploraverant, vidiſſe teſtarentur, quod alienum à perfecto Religioſo videri poſſet. Altiſſimarum, quæ animæ ejus inerant, virtutum ſpecimina tum maximè patefecit, cùm inter Tepeguanos verſatus omnia viliſſimi mancipij munia obivit. Ipſe terram aratro alendis Indis proſcindebat; ligna in uſum cedebat, comportabat; operam templis moliendis locabat; cibos laboratoribus coquebat; ſuum ipſe ex Regia largitione dimenſum illis præbebat; ipſe interim Maizio, aut herbis temerè collectis victitans. Ipſos autem barbaros habebat in filiorum loco, neque aliter ac fratres verbis officiisque tractabat, ſalutis ipſorum procurationem ante munerum quorumcunque claritudinem ducebat. Sed quàm diſparè contrà fuit tam proſuſæ charitatis remuneratio! talis tamen, quam ſolam unicè rependi ſibi optabat ipſe: tam copiosè Apoſtolicis ejus laboribus reddita, ut ex aſſiduis quibus impetebatur ab omni hominum genere inſectationibus, nemo non ei coronam Martyrij ominaretur. Recedenti aliquando ab Ara peracto Sacrificio, colaphum barbarus valenter infregit: ſciſcitantique cauſam, *haud aliam*, reſpondit, *niſi iſtam ipſam tuam Sacrificationem. Age ergo*, reponit Pater, *ea ſi duntaxat eſt cauſa, en alteram quoque genam, quam ferias*; & ùt erat ſacris veſtibus indutus, & manus calice impeditus, in genua procumbit ictum operiens. Aliàs in latrunculos viatoribus infeſtos incidens, cùm increpatâ veſaniâ ab his eos ſceleribus dehortaretur, unus cæteris efferatior tantâ vi colaphum infregit, ut humi ſtraverit. Quâ eâdem colaphorum injuriâ mulctatus eſt à muliere Inda, cùm eam à publica corporis proſtitutione ad pudicitiam exhortaretur: utì & à Tepeguano alio graviſſimis exceptus verberibus, quòd à triplici pellicatu abſtrahere illum conaretur.

Admirabilis tamen interim fuit DEI providentia, ſæpius à deſignata illum nece ſervantis. Duplex cuipiam Indo ſcortum avellere tentabat, qui idcirco furore amens, & mortem pro beneficio Patri rependere certus, tertiò in mapale, ubi Patrem certò eſſe cognôrat, infeſtis armis irruit: cujus tamen oculis ità ſemper Patrem ſubduxit Deus, ut cùm ſtaret in cubiculi medio, barbarus tamen undique circumſpectans, miraretur ſe videre non poſſe, quem ibì adeſſe nullus ambigebat. Quâ re toties iteratâ vehementer perturbatus, ubi ſe collegit, pœnitentiâ ſcelerum ad Patrem ſe expiaturus acceſſit. Neque tamen hæ aliunde illatæ inſectationes viro ſibi implacabiliter infenſo ſufficiebant, quin tantò plures ipſe per ſeſe adjiceret. Nullus ei unquam ad uſum lectus fuit, præter nudum aſſerem; quem ſi rigor hyemis, aut fatiſcentis corpuſculi neceſſitas molliorem ſubinde requireret, ſolo bubulo corio inſterne bat. Veſtis ei ſemper obſoleta, & aliorum uſu non ſolùm detrita, ſed etiam lacera, ut cutis per foramina promicaret, etiam algente cœlo. Octonos ferè menſes quotannis pererrabat deſerta ſylvarum ad 50. milliaria, in intentatas regiones Indorum ſe penetrans, ut eos ad humanitatis & ſalutis ſuæ ſtudium pelliceret. Neque tamen etiam tum cilicium ferè deponebat, crebras adhibens ad ſanguinem verberationes, idque nocte plerumque intempeſtâ, procul à comitibus in agro vel ſylvis, nè illis obturbaret. Atque in his laboribus 12. annos apud Tepeguanos maximo fructu egit, pluribus inſtitutis templis, & extirpatis Idolis. Inter quæ lapideum unum famoſum confregit, tanto Dæmonis ſenſu, ut terram moverit, incendia conciverit, pluráque alia ediderit prodigia. Pacem utì ipſe colebat ſanctè cum omnibus, ità ſtudioſè eandem inter diſſidentes conciliabat; tantâ felicitate, ut ex facilitate odia quantumlibet inveterata componendi, mutato nomine P. Joannes à Pace vulgo nominaretur, appellatione hâc etiam poſt fata illis partibus hodiéque perdurante. Deiparæ cultor fuit planè magnus, ad ſolum illius nomen lachrymis per-

perfundi ſolitus: quo interpoſito ſi aliquid poſtularetur, voto, eóque quotidie inſtaurato ſe obſtrinxit, nunquam denegaturum. Eidem ſe chirographo ſanguinis ſui obligavit in ſervum perpetuum;& in celebri ejus imagine,ſæpius per diem & noctem ſupplex illi advolvebatur,quæ poſtea unà cùm ipſo ſagittis confixa fuit. Cujus glorioſæ mortis ſponſionem (quam inter ſacrificandum quotidie ardenter flagitabat) accepiſſe divinitus creditur ab eadem Virgine Deipara; nam & coràm nonnullis, & per literas abſentibus alijs ſeſe Tepeguanorum manibus ante trimeſtre occubiturum aſſeveravit ex vero. Ad hæc ſtanti aliquando, dum Miſſam faceret, ad Aram, è manibus S. Agnetis (cujus imago ſuper Altari erat) lapſa palma in caput eſt, velut de mortis gloria illũ admonens: quam aſſecutus eſt anno ætatis 40. Societatis 20. perpetuo conſervatæ Virginitatis flore candidam & rubicundam.

Alter P. Ludovicus de Alabes pernobili genere natus eſt Guaxacæ in nova Hiſpania, ibidémque Mexici Baccalaureatûs Philoſophici gradu jam inſignis,Tyrocinium Societatis ingreſſus eſt A. 1607. Sacris à Theologia perſoluta initiatus,continuè miſſus eſt ad Tepeguanos barbaros, vitâ univerſâ tam innocenter traductâ, ut primæ in Baptiſmo ſuſceptæ gratiæ nunquam fecerit jacturam; cùm tamen conſcientiæ ſuæ tam accuratus eſſet inſpector, ut vel atomos erratorum, & inobſervabiles penè incogitantias ad tribunal Pœnitentiæ afferret. Perpetuâ mentis collectione cum Deo conjunctus,animum in cœleſtia ſemper intentum prodebat, tum oculorum frequenti in cœlum elevatione, tum aſſiduis ſuſpirationibus, ſæpe in clamoſas etiam voces illi erumpentibus. Ceterùm corporis afflictandi ſtudio, amore paupertatis, animarum zelo, ſuáque omnia Indis pauperibus, quæ munificentia Regis illi aſſignaverat, diſtribuendi charitate, perſimilis fuit Patri Joanni de Valle, cui commortuus eſt Anno ætatis 27. Societatis 9. Et quia Virginalis pudicitiæ, corporis animíque illibato flore ſervato, erat amator eximius, inde Reginæ Virginum cultor etiam fuit conſtantiſſimus: cum qua multas frequenter horas exigere, multáq; filiali cõfidentiâ,& præ alijs Martyrij copiã cupientiſſimè flagitare ſolebat; dignus proinde ab illa habitus, cui prærogativam hanc ante illius eventum polliceretur. Nam inter fundendas coram illius imagine preces, 15. diebus antè quàm à barbaris occiſus eſt, audita eſt à nonnemine clàm obſervante major humanâ voce, clarè mortem inclytam, non diu poſt illi condicens,atque ille promiſſum cum actione gratiarũ admitttens. Eundem Guanacæni ſacrificantem adſtantes audivêre Domino ita locutum: *Itáne ergo Domine eo mortis genere occubituri ſumus? & eodem illo quidem univerſi? fiat ſanctiſſima voluntas tua.* Quæ eadem noctu dicere à puero famulo auditus eſt: quem etiam interrogavit: *tantúmne tibi futurum eſt animi, ut unà mécum perfungare Martyrio?* annuit puer, & re ipsâ poſtea id præſtitit. Sed & fratri Sebaſtiano Montano Ord. Prædic. Guanaceni, & ſuam & ipſius in Fidei cauſa necem diſertè præſignificavit, tantâ aſſeveratione, ut ex eo indicio Montanus datis ad Moderatores ſuos literis vale ipſis fecerit. Imò videri poteſt Martyrij præſagium inde uſque à baptiſmo obtinuiſſe: cujus videlicet unius nomen in Albo Parochiali à Curione,qui Dominicanus erat, rubris deſcriptum grandioribúsq; literis fuerit; cùm id nemini vel fratrum ipſius antè natorum,vel ulli aliorum Nobilium ſit factum.

P. JOANNES DE FONTE, & P. HIERONYMUS DE MORANTA.

Quemadmodum in concitato tempeſtatibus pelago fluctus fluctũ trahit, ſic in exulceratis ſemel ferociâ mentibus, ſcelus unum ad aliud tentandum gradus eſt. Vix quatuor Sacerdotes 18. Novembris immani parricidio confecti fuerant, cùm die inſequenti 19. duo alij à barbaris, uno ferè milliari à cædis loco intercepti ſunt,venientes à ſuis Eccleſijs ad condictam B. V. purificantis in vicum S. Ignatij ſolennitatem,ignari adhuc tum ſeditionis atque tumultuum. Ij erant P. Joannes de Fonte, Socijs totâ eâ miſſione Tepeguanicâ diſperſis præpoſitus, quòd eam gentem ab ipſo expeditionis exordio,totos 16. annos cicuraverat, & expoliverat: & P. Hieronymus de Moranta, qui antea non ſemel turbida eorum conſilia ſui capitis periculo diſſipârat. His obviam progreſſi barbari,primùm eminus jaculis, mox è pro-

P. Ioannes de Fonte, P. Hieronymus de Moranta Hispani, Soc. IESV, odio fidei à Barbaris Americanis interfecti in nova Hispania A°. 1616. 19. Novembris.

M. K. f.

ê propinquo lanceis atq; macanis, odio Christiani nominis, eos immaniter contrucidant. Prior natus in Hispania, ibidémque Societati & Sacerdotio auctoratus, in Mexicum, atque indè ad Tepeguanos transivit. P. Hieronymi Ramirez, expeditionis illius auspicis futurus successor. Hic ei ad mortem usque laborum campus fuit, in quem DEO fretus sinè comite ingressus, ad 50. milliaria per barbariem vastitatémque periculorum contemptor penetravit. Victus ùt plurimùm erat tostum mazium, & in ejus defectu promiscuæ ex agris herbæ; potus aqua pluvialis, fortuitò è lacuna vel palustri cœno hausta; lectus vel dura humus, vel nuda tabula: ex his aliisq, perpetuis incommodis, in ore macies, multa in toto homine, Apostolico viro non indecora, illuvies. Ubi autem barbarorum, bellua-rum more montium latibula incolentium, sibi per intervalla conciliârat aliquem numerum, eos in æquiora loca deducebat: casas illis partim ipse extruebat, partim suâ manu paratis instrumentis structuram docebat: ipse lateres, ipse fornaces illis excoquendis fingebat, aratra conficiebat, arabat, boves arandis agris aliunde quæsitos suppeditabat. Quòd si morbus quempiam ex ipsis incesseret, ex aratore factus medicus, ægris adesse, fovere, ipse cibos parare, in os inferre, medicamenta conficere aut comparare, & suâ manu adhibere. Sicque demum delinitos efferatorum hominum, ac propè dixerim ferarum animos, Christianis rudimentis imbuere, Baptismo præparare. Quantum autem

ad

ad hos labores virtutum attulerit apparatum (nè jam dicta in alijs ſæpius ingratè repetam) facilè hunc ei majorem etiam præ alijs adfuiſſe concipiet, qui tot annos illum in vaſtiſſima barbarie, indefatigabili conſtantiâ perſtitiſſe cogitabit. Indorum ea natio, cui poſtremam operam impendit, & totam Chriſto per Baptiſmum ſubegit, tam fera nihilominus & ſanguinis ſitiens extitit, ut malo agente Dæmone ad ingenium rediens, Patrem non ſemel deſignaverit ad necem, habuerítque bis clauſum in cuſtodia, diu impaſtum, ut inediâ conficeretur. Nunquam tamen ipſe periculis ejuſmodi, aut toties fruſtratis laboribus in tædium adductus, vel ad quietem, vel ad aliam regionem reſpectavit; donec eorundem, quibus optimè ſemper fecerat, manibus interemptus, pro tam malè repenſa in terris mercede, meliorem à DEO recepturus in Cœlum abijt, anno ætatis 42. Societatis 23.

Alter P. Hieronymus de Moranta, magni illius in Societate Hieronymi Natalis nepos, in Majore Balearium Inſularum ortum traxit An. 1575. & monitu venerabilis Alphonſi Rodriquez Coadjutoris noſtri, primò Societatem, ejuſdémque ſuaſu deinde Indicam profectionem expetijt, & impetravit. Cujus vatidicâ prædictione, Martyrij coronam illi pollicentis, incredibiliter animatus, in novam transmiſit Hiſpaniam An. 1605. mox à ſuo adventu in campum ærumnarum inter Tepeguanos emiſſus, ut P. Joanni de Fonte Apoſtolicorum laborum ſocius eſſet & adjutor. Cum quo omnes deinceps calamitates, neceſſitates, rerum penuria, communia ipſi fuêre, cùm & nudâ ſemper humo, etiam dum apud Hiſpanos divertenti lectus paratus eſſet, cubaret, & vitam duceret in victu & veſtitu longè illis veteribus Eremicolis auſteriorem. Quanto deſiderio ferretur in barbarorum ſalutem, tunc præcipuè patuit, cùm deprehenſus eſt in avio ſaltu, Crucifixi Dei manu alterâ complexus effigiem, alterâ ſe dirâ verberatione cruentans, & DEO profuſis unà lachrymis ſupplicans, ſuæ ut prædicationi vim, ad pervellenda Tepeguanorum corda adderet. Nec irritas fuiſſe preces indè conficitur; nam 500. aliquando ſimul conciliavit culturæ Chriſtianæ, & alibi ſæpe numero tam frequentes, ut populos aliquot ex illis, in novas colonias diviſis, funditus condiderit, quibus ſimiliter ipſi, atq; alijs Socijs, aratione, meſſione, mapalium ſtructurâ, omnium denique artium mechanicarum exhibitione præeundum fuit. Nec ullius ferè ex Tepeguanis Patribus major apud Hiſpanos opinio, & virtutis fuit æſtimatio, qui eum vix alio quàm Sancti nomine communiter deſignabant. Mortem, quam anno ætatis 41. Societatis 21. oppetijt, non uno præſagio pridem antè patefecit Cœlum. In vico S. Joſephi Sacris operanti, columba repentinò advolans, calicem conſecratum effudit, & faciem illi ſanguine conſperſit. Quod cùm iterum in loco, cui Procas ſeu Ora eſt nomen, eveniſſet, ijs qui aderant ſtupefactis reſpondit: *quantum ego quidem aſſequor filioli, videtur complacere Deo, ut ſanguinem ego meum pro ejus amore profundam.*

Poſt tam immanem Patrum cædem Gaſpar de Albear novæ Cantabriæ Gubernator, contracto undique Hiſpano milite, in regionem barbarorum homicidarum irrumpens, dum Provinciam domitis perduellibus armatus obit, quatuor cæſorum Patrum corpora ad vicum S. Ignatij nuda, & tertium jam menſem prona humi jacentia deprehendit, prorſus adhuc & recentia, omnis tabis expertia, & formâ tam ſuâ, ut internoſci perfacilè poſſent; ac præ alijs P. Joannes de Valle, ſpirare adhuc & vivere nonnullis videretur. Corporibus PP. Joannis de Fonte, & Hieronymi de Moranta, duo aſſiſtebant canes, quales ſervandis in ſolitudine jumentis, nè diffugiant, ibi adhiberi ſolent, qui primi adventantibus Hiſpanis latratu fecêre indicium. Inventus etiam penès illos concionum deſcriptarum faſciculus eſt, expers injuriæ à crebris imbribus, & densâ nive; utì & calix, cujus ipſis ad litandum in excurſionibus uſus erat: corpus utriuſque cilicio erat præcinctum. P. Joannis de Valle, & P. Ludovici de Alabes cadavera, intra ipſum vicum prope Templum reperta ſunt. Et quidem P. Ludovici mirabili ſitu pronum humi jacebat, ſolo pectore terræ incumbens; caput, manus, pedes ſurſum erigebat in cœlum; in femorum altero ferratum cilicium, uſu atque appreſſione in carnem aliquouſq; ſepultum: in altero pedum vulneris veſtigium erat, & ſanguis etiamnum ruber ac recens. P. Joanni de Valle thecam de collo pendulam cum Reliquijs, cetera penitus ſpoliato, à barbaris relictam, Gubernator ſuæ pietati vendicavit, in qua reperit ſervitij Mariani chirographum ſanguine ab ipſo conſcriptum, & particulam ligni S. Crucis. Et quidem ab ipſo, dum viveret, petierat pronuper hic ipſe Gubernator aliquod Crucis Chriſti fragmentum, & P. Joannes ſpopondit, non quidem tunc, ſed alio tempore ac loco ſe illi præbiturum: quod jam in cæſi cadavere

davere inveniens, demiratus Patris conjunctam cum vaticinio fidem, desponsum sibi pignus magnâ veneratione accepit.

Inventis his quatuor cæsorum pro Fide Patrum pignoribus, exultans Gubernator (nam reliquorum partim omnino abjecta, partim defluente carne cum aliorum ossibus permixta, discerni non poterant, cum quibus ideo promiscuè, magno tamen honore sepulta sunt) ea secum ingenti pompâ & solennitate Guadianam deportavit, egressâ obviam Urbis multitudine, & frequenti Nobilitate, resonantibus Urbe totâ campanis, & reboantibus militaribus fistulis. Venerandæ eorum exuviæ deportatæ sunt ab Episcopi ea in Urbe Vicario, comitante Clero & PP. Franciscanis, ad Societatis Ecclesiam, & ad Evangelij summæ Aræ latus honorificè sepulta. Indè post annos aliquot referato, nescio quâ causâ, conditorio, inventa iterum fuêre eorum corpora labis expertia, & suavi odore, fragrantia, támque firma & integra, ut P. Ludovici corpus in pedes locatum, uno duntaxat ad humeros admoto digito, rectum consisteret.

P. FERDINANDUS DE SANTAREN.

NUmerum felicis octonarij clausit P. Ferdinandus, licèt non Tepeguanæ Vineæ, sed Xiximorum priori conterminæ cultor, & propter multorum annorum constanter navatam operam, veluti earum gentium Apostolus habitus. Quia verò per idem illud tempus Guadianam Moderatorum accitu erat abiturus, vehementer eum oravêre Patres vici S. Ignatij, ut ad eam Deiparæ purificantis publicam solennitatem, non magno itineris deflexu ad se diverteret. Ille votis amantissimorum Fratrum obsecundaturus, cùm per Tepeguanos iter aggressus Tenerapam, omnis periculi inconscius, perveniſſet, jumentum pabulo instaurare, ipse verò Missæ Sacrificium interim peragere decrevit. Verùm frustra campanæ sonitu evocato ædituo, Templum ingressus, aram ibi eversam, Sacras imagines violatas, impiata pollutáque omnia invenit. Indè rem, ùt erat, suspicatus, jumentum celeriter repetit, & diversum Guadianam iter arripit. Sed Indi ex insidijs speculati omnia, aliquantulùm progressum consecuti, ad præterfluentem amnem deprehendunt, & detractum jumento humi affligunt. Quos ille benignissimè affatus cùm sciscitaretur, quid unquam ijs intulisset incommodi, quo sic interfici meruisset? satis illi ad necem causæ esse respondent, esse Sacerdotem: & valido clavæ ictu caput illi diminuunt, aliísque super alia vulneribus inflictis, cerebro viam dispergunt, corpúsq; despoliatum in amnem abjiciunt. Cædem viri innocentis luxêre ipsæmet Tepeguanorum mulieres, & virorum in Patres diritatem execratæ sunt. Erat P. Ferdinandus nobilissimâ prosapiâ in Hispania oriundus, in Societatem, cui maternus avus Collegium fundârat, annos natus 15. transgressus: in qua tantus eum ardor divinitus juvandarum animarum occupavit, ut assiduis precibus missionem Indicam, mox auditâ Philosophiâ, impetrârit. In ea navigatione delicatissimus adolescens, incredibili submissione imis etiam vectoribus famulari, quâvis vel abjectissima sordidissimâque in re instituit, omnes affari blandissimè, amicissimè tractare: quibus artibus omnium animos ità sibi devinxit, ut in tanta abjectione, nobilitatis virtutísque splendore magìs elucescente, perstricti militum, nautarum, mercatorum, omnium animi, ad omnem ejus vocem, monitum, nutum, cerei essent & impigri; totóque adeò navigio, ex ejus quodammodo unius, quanquam adolescentis, neque Sacris ordinibus adhuc maturi, arbitrio, ab universis vivereturr, omnes ad eum controversiæ deferrentur, & ex ejus decisione, quod mirificissimum est, ratæ haberentur. Et quia præter quotidianam ad nautas Cathechesim, festis omnibus ardenti concione dicebat, omnes in navigio simultates & odia extincta, ludi vetiti, blasphemiæ, aliáque vitia sublata, & in eorum locum crebra virtutum officia, Pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentationes introductæ. Ipse interim tantâ sui custodiâ, tam vigili sensuum coërcitione agitare, ut cùm in ea sitam innocentiæ summam diceret, non solùm illibatam Virginitatem, ab omni etiam alio lethali peccato immunis, per omnem servârit ætatem, sed neque ullis contrarijs illi motibus unquam infestatus sit. Theologiæ spatia Mexici decurrens, doctrinam simul Christianam vicino Indorum Seminario tradebat; dum Sacerdotio initiatus, totum se illorum saluti consecraret. Itaque in Cinaloam destinatus, primus eam cum P. Gundi-

salvo

P. Ferdinandus Santaren Hispanus, Soc. IESV, Religionis causâ ab Indis Americanis occisus in nova Hispania A. 1616. 20. Novembris.

M K. f.

ſalvo de Tapia per biennium multo labore, & præſenti ſemper vitæ periculo, excoluit. Indè ad longè duriorem inter efferatiſſimos omnium barbaros expeditionem evocatus, omnem reliquam ætatem in Topianis percolendis inſumpſit. Primis annis dum ſolus operam contulit ad eam meſſem, diebus Dominicis ternas in S. Andreæ vico habebat conciones ad Hiſpanos, qui perpetuâ barbarorum conſuetudine ſinè ullo hactenus animarum paſtore penè obbruteſcebant: ad Æthiopica mancipia, ad Indos gentiles. Ad quos ubi die Mercurij iterum dixiſſet, ad alterum in ijs montanis Hiſpanorum oppidum Topiam per plura milliaria iter inibat, in quo trecenties ſexagies amnis unius interflui vadum, præſentiſſimo ſæpe periculo capitis, dum ex imbribus intumuerat, pertranſire cogebatur: atque ibi die Veneris ternis ſimiliter habitis concionibus, recurrebat illico pro Dominica ad S. Andreæ. Per Quadrageſimæ autem tempus circumquaque procurrens, ſupra millena & quingenta paſſuum millia, repetitis in Orbem excurſibus, Evangelium promulgando conficiebat.

Atq; hæ fuêre Viro Apoſtolicorum laborum veluti proluſiones; nam ubi latiùs ſuæ proferre ſpatia Charitatis inſtituit, tam multa, tam grandia unus aggreſſus & complexus eſt, ut 14. deinde operarij, quamvis navi & perſtrenui, in labores ejus inducti, vix operi implendo pares fuerint. Supra 40. ædificavit ex manſuefactis jam ſuo congreſſu palabundis barbaris colonias, & amplius 50. Ethnicorum

nicorum millia ſuâ ipſe manu aquis Baptiſmi perfudit; longè tamen auctiore numero ad humanæ & Chriſtianæ vitæ modum cicuravit. Idolorum vim innumerabilem confregit, ſuperſtitiones & veneficia plurima extinxit; quantis ad hæc perficienda exantlatis tot annorum continuato labore malorum iliadibus, quis enumeret? nam de vili ac pertenui, & crebrò propemodum nullo victu, paupere ſtrato, tecto, corporis cultu, de omnis humani deſtitutione ſolatij, de longo illo, atque ab humana veluti conſortione divulſo inter feros mortales exilio, ipſa per ſe ſatis deſcriptio regionis, quid ſit ſentiendum, declarat. Eam P. Andreas Tutinus, qui ægrotantem inter Xiximos Ferdinandum inviſit, breviter ità deſcripſit. *Ubi ad locum, ubi P. Ferdinandus jacebat, acceſſi, viſa mihi eſt tum via, tum loci facies tam aſpera, tam ardui aſcenſûs, tam horridus ipſe populus, ob præruptas præcipitesq; ſcopulorum, quibus obvallatur crepidines, ut ſi mihi moriendum ibi foret, dicerem teſtamento cauturum me, ut meas alio transferrent exuvias: propterea, quòd locus hic ſitu ipſo, aſperitate, indigentiâ rerum omnium, quoddam Inferni ſimulachrum referret. Ipſi tamen P. Ferdinando tam ibi jucundè, tam latè erat, perinde quaſi Toleti degeret aut Madriti: & conſueverat dicere, ibi ſe ſuum habere Mexicum, ſuas delicias.* A. 1603. Topiana gens univerſa arma corripuit in Hiſpanos, & præter vicos, officinásque argentariorum, amplius 40. templa partim exuſſit, partim diruit. Ad quos minas ſpirantes & ſanguinem P. Santarenus intrepidus per medias hoſtium turmas accurrit, præſentiſſimo vitæ periculo, ſiquidem eo ipſo die graſſantes barbari vias obſidebant, & obvios rebus omnibus ac vitâ ipsâ ſpoliabant. Jámque paterni nominis immemores, pacem offerenti Patri, *apage*, inquiebant, *non jam parentem te agnoſcimus.* Sed eos Pater ſuaviſſimâ tractatione delinitos, & invictâ injuriarum & convitiorum tolerantiâ fractos, brevi ad mitiora deduxit conſilia, & ſtabili cum Hiſpanis & Eccleſia pace conjunxit.

Non multò pòſt in vicina Topianis gente, Sobaibi dicuntur, grandævus ætate veneficus, à Dæmone dictus Epiſcopus & Apoſtolorum Princeps, impellere ſuos in vindicandam de Hiſpanis libertatem inſtituit, ſe illos non minùs ac Hiſpani faciant, Chriſti legibus imbuturum; præbebatq; jam cum duobus Apoſtolis, quos Joannem & Jacobum appellaverat, fictitia Sacramenta. Ad eos P. Santarenus impigrè per infeſtas hoſtium vias profectus, ſalutaribus monitis ità feliciter in viam reduxit, ut brevi è præruptis montium latebris ingentem eorum vim ſecum ad plana colenda deduxerit, ſexcentis periculis ereptus. Veterator ille Epiſcopus cum ſocijs captus, & ſupplicio addictus, auctore P. Santareno magna pœnitudinis & plenæ converſionis ſigna, de tota vita ritè expiatus, priùs edidit. Erat nimirum in Ferdinando mirifica quædam morum ſuavitas, & venuſta agendi gratia, quâ ſibi omnium, quibuſcum ageret, animos, amorésque conciliabat. Hinc fiebat, ut ſicut olim in navi, ità nunc in metallicis Hiſpanorū per ea montana officinis, ubi quotidiana propè odiorum & rixarum ſeges eſt, ipſe ſummâ partium voluntate quæreretur unus omnium controverſiarum judex & dirimitor. Incredibili porrò barbaros tractabat ſuavitate, & charitate planè maternâ complectebatur; quos cùm poſt aliquam abſentiam reviſens ſibi obviam occurrentes haberet, continuè ruebat in amplexum, brachijs arctè circumligabat, vultui quamvis ſquallido vultum admovebat, ſciſcitabatur benevolè quî valerent, veniſſe cupidè ſe quò eos reviſeret, quos coactus fuerat tantiſper ob gravia negotia deſerere. Et major adhuc teneriórque cum infirmis & calamitoſis erat agendi ratio, quorum levare miſerias tum ſuæ portionis impendio, tum corrogatâ ſtipe nitebatur, impenſis in uſus inopum ſupra 40. millia pondo argenti: nonnunquam etiam intimâ ſibi detractâ interulâ, quâ egentes, ſuorum negligens & contemptor commodoram, amiciret. Neque tamen his extinguebatur ardentiſſima, quâ flagrabat, patiendi ſitis: ipſe novas adinveniebat quotidie ſui affligendi & perſequendi, tantùm non uſque ad mortem, artes. Et quia molli nimiùm in ſe ipſum manu flagris & cilicijs ſævire ſibi videbatur, deprehenſus eſt aliquando duobus Indis pediſſequis ſui verberandi copiam cum imperio feciſſe, juſſiſſe ad arborem alligari, nudari tergum, & poſitâ ſui miſeratione, totis in flagella viribus & lacertis incumbere. Has verò aſperitates jucundas ei reddebat perpetua cum Deo familiariſque conſuetudo, quâ non tantùm orationis tempore & loco, ſed medios etiam inter hominum concurſus, intus ipſe ſe colligens, ſummo Bono conjungebatur. Cujus perpetuis laudibus perſonabant vaſtæ illæ terrarum ſolitudines, ipſo humanitatis omnis ſilentio formidoloſiores: adjungebatur ſæpius diei integrè adorando uni Deo impenſæ, nox etiam ſolidè in Numinis veneratione conſumenda. Ab hac agendi cum Deo conſuetudine Seraphicis

phicis plenus æſtibus, quoties ad mortales ad virtutem exhortandos ſe transferebat, flammas & ignes ſpargebat: quibus majorem corda hominum inflammandi vim addebat, perſpectus omnibus in eo virtutis, ac præſertim puritatis nitor, quo nullum adverſum pudicitiæ verbum nutúmve coram ſe edi patiebatur. Conſtat etiam authore certiſſimo, totis 20. annis, quibus creberrimè viri ſibi addictiſſimi in itu reditúq; hoſpitio uſus eſt, nunquam illum in herilem filiam virginem, domi paſſim ante oculos obverſantem, oculos flexiſſe.

Sed nè longior in virtutibus ejus recenſendis ſim, poſſent eæ velut in compendio legi unâ ejus epiſtolâ expreſſæ, quâ Superiori Mexicum ad quietem illum invitanti, reſpondet in hæc verba: *Tametſi me jam perſentiſcam ſenem & laſſum, attamen ſtare per me nolim, quò minùs procuratio ſalutis iſtarum animarum, atq; miſſionum procedat, neq; poſtulaturus ſum unquam ab illis deceſſum. Neq; derogatum ibo tamen idcirco quidquam obedientiæ, quin de me perinde quaſi de cadavere conſtituat; quandoquidem fatìs id mali foret, ſi poſt annos undeviginti in miſſionibus exactos fœcundos laborum, non eſſet illud indifferentiæ ſupèr, quod à nobis S. P. N. Ignatius expoſcit. Et quanquam præclaris haudquaquam dotibus inſtructus ſum, non omittam tamen me denuo offerre: Ecce ego; non recuſo laborem; fiat voluntas Domini. Iſthic non experimini vos eum animi ſuccum, illud gaudium, quod Dominus, ubi complacitum eſt, obeuntibus has miſſiones infundit. Amplius multò largitur interdum DEUS una in deſtitutione, quæ hìc percrebræ ſunt, dum aberramus à via pedites in arduis montibus, in procella nivis, tenebricoſa nocte, ſub dio inter imbres, ſinè tegumento; quàm horis compluribus orationis & ſeceſſûs. Apprimè magnum id ſolatij eſt, quod medijs hiſce in laboribus mihi DEUS impertit. Ea cauſa eſt; & præterea quia ab his ærumnis eximi velle, genus eſſe quoddam videatur DEO terga vertendi, & Chriſtum Dominum ſub Cruce ſolum relinquendi, id quod ipſe mihi quondam iſthic in quiete exprobraturus foret; hæc inquam me movent, ne abire hinc poſtulem. In hoc poſitus ſum. Quando verò me hìc occupârit fatalis dies, nè ego felix fuero; intelligámq; mortem in armis obitam atq; in acie inter hos barbaros, haud imparis meriti fore, quàm ſi Patribus meis Fratribúsq; circumdarer. Et hæc in deſtitutione præſidium ipſe mihi Domini noſtri promitto, cujus gratiâ jucundè ea toleratur. Has exaro defatigatus, nullo vel conſidendi tantiſper ſpatio totum jam triduum conceſſo; morbidis meâ manu venam incidens, quia qui id faciat nemo alius in promptu eſt; adhæc Catechiſmo erudiens, & ſalutis undâ perluens, ſupra ſeptuaginta capita, qui Fidem nunc primùm capeſſunt, eámq; unà cum Patre, à quo baptizantur, palàm profitentur; & in momenta diſſero, ac diversè vocor. Deus Dominus noſter hiſce miſellis ſoſpitatem & Cœlum morientibus largiatur, & Reverentiæ Veſtræ per multos in ſuam vineam operarios, & mihi ſpiritum ad obediendum, ut vero filio Societatis JEſu, qui ſervet Reverentiam Veſtram.* Sic in labores adhuc ulteriores animatum invidenda mors terris eripuit, ut Cœlo inſereret, natum annos 51. quorum 23. in difficillima miſſione Topajana exegit, ſociorum illic annis 14. Superior. Partem exuviarum ipſius ſibi ab India impetravit Hueta, Patria ipſius, quæ in Collegio à Familia ipſius ibidem, futuris (ſi Deo viſum fuerit) honoribus aſſervatur. Ejus etiam invocatione, coram ordinario loci Antiſtite juramento depoſito, faſſus eſt Didacus Davila Centurio Hiſpanus, bis terve ſe in lethali caſu fuiſſe ſervatum.

P. ROCHUS GONZALEZ à S. Cruce, & P. ALPHONSUS RODRIGUEZ.

QUod olim fabulosè Orpheo tribuit Antiquitas, eum tam ſcitè modulos ad citharæ uſum potuiſſe attemperare, ut truces etiam belluæ, omnis ſeu timoris, ſeu feritatis oblitæ, ad communem voluptatem confluerent: id longè veriùs in P. Rochum cadit, qui Divinæ gloriæ, ac animarum ſtudio accenſus, mortales belluis truculentiores, omnis humanæ Societatis cultúsque ignaros, è latebris nemorum evocavit, legúmque ac honeſti publici amore captos, communi pagorum & oppidorum ſepto concluſit. Eſt Paraquaria ab ingenti flumine, quo interluitur, immenſus quidam terrarum in America tractus, inter objectam ab ortu Braſiliam, ab occaſu Peruviam, multas in ſe vaſtas Provincias & Nationes continens; in cujus urbe ab Hiſpanis condita, & ab Aſſumptione B. V. agnominata, natus eſt Rochus parentibus



P. Rochus Gonzalez à S. Cruce Paraqvariensis Indus et P. Alphonsus Rodriguez Hispanus Soc. IESV crudelissimè ab Idololatris Paraqvariensibus pro Christo necati 15. Novemb. A. 1628.

C.S.d

Hiſpanis, & Nobilitate & Virtute claris. A puero ità noſtris inſuevit, ut frequentior domi Societatis eſſet, quàm ſuæ: quorum præceptis & exemplis inſtitutus, cœpit necdum perfectè rationis compos divinarum jam tum rerum meditatione ſeſe exercere, multis in eo ſtudio favoribus à Deo cumulatus, quorum princeps fuit, quòd tempeſtivè ſæculi negotijs remiſſo nuncio, ad Virginitatis ſtatum in gradu Eccleſiaſtico ſeſe tranſtulit. Vix Sacerdotio inauguratus erat, cùm importunâ flagitatione eum popoſcit Epiſcopus ad ſuas vices, in Cathedrali Eccleſia obtinendas, cum Proviſoris & Generalis Vicarij titulis: cujus poſtulationem & intempeſtivum opinione ſuâ munus, declinans vir modeſtiſſimus, poſt adminiſtratum aliquanto tempore ſimplicius Curionis munus, ut omnibus deinceps in perpetuum dignitatibus caput ſubduceret, in Societatem, Urbe, atque universâ mirante Provinciâ, ſe contulit An. 1609. ætatis 33. Indorum idioma ùt inter vernaculos à puero imbiberat, ità tractabat incredibili facundiâ, tantúmque illi gratiæ ac leporis divinitus addebatur, ut, cùm ſe in novas illas belluarum magìs, quàm hominum Provincias Apoſtolico zelo deinde inferret, effera illa barbarorum corda ejus oratione mitigata, ſenſim ad humanitatis cultum haud ægrè adhæreſcerent. Ad quam expeditionem quemadmodum ingentem virtutum attulit apparatum, ità ſcientiarum non nisì quæ ad ſufficientiam eſſet penu inſtructus fuit, ſolâ Theologiâ morali eruditus. Igi-

tur

tur poſt abſolutum legitimè Tyrocinium ab habitata Hiſpanorum colonijs Paraquariæ regione, in profundiora & ferociſſimis habitata barbaris, ferarum more, loca ſe transferens, vagos illos palantésque mortales à feritate ad humanitatem, & mox ad Chriſtianæ Fidei lucem, itémq; ex montibus & ſylvis ad æqua loca in oppida populósq; reducere inſtituit. Indè Reductiones cœpêre dici ea loca, in quibus Indi paſſim antè nullâ Reipublicæ ſpecie, ùt apud Inferos aut inter feras vivere ſoliti, nunc ad civilem & ſocialem vitam reducti, ſedes & oppida figunt. Quæ res quantum laboris P. Rocho, & Socijs ejus exemplum ſequentibus, attulerit ærumnarum, dici vix poteſt. Decem tamen ejuſmodi Reductiones ad Paranæ vaſtiſſimi fluminis ripas, quod lato 60. leucarum alveo mare intrat; totidémque ad Urugaicæ alterius fluvij littora, Sociorum improbo conatu coalitæ hodie viſuntur, quarum nonnullæ mille familijs, aliæ ſexcentis aut ſeptingentis habitantur, in juſtæ urbis formam, domorum & incolarũ numero, perductæ. Patet autem Urugaica Provincia, à fluvio ſic dicta, 300. circiter leucas in longum porrecta, inter perpetua montium juga obtenta Braſiliæ, & fluvium Urugai: in quam poſt excultos labore immenſo Guaycuras, gentem aſperam & freni impatientem, primus P. Rochus Chriſti ſigna ſub annum 1620 intulit, & primam Reductionem, ab Immaculato Deiparæ conceptu nominatam conſtituit, ex ſeptingentis indigenarum familijs, quæ ter mille octoginta capita continent, conflatam. Quas ipſe ut ſuis è latebris, nemorúmque & montium cavis pelliceret, & ſocialem vitam vagis, & ſuo cujusque arbitratu vivere aſſuetis perſuaderet, incredibile dictu eſt, quanta in hiſce molitionibus dura atque adverſa tolerârit, edendi bibendique penuriam, lecti, tecti, ac veſtium inopiam, æſtum, laſſitudinem, ſudorem, & defectionem virium. Accedebant innumera auctore Dæmone injecta obſtacula, graſſata per totum triennium in ipſa hac prima Reductione peſtis, quæ vix ſexaginta familias ſtragi ſuperſtites fecit.

Cùm niteretur adverſo flumine Urugaico cum ſocio P. Petro Romero in Provinciæ ulteriora pervadere, continuò magnis copijs barbari obſtitêre, mortem, nî regrederentur, crebris emiſſis ſagittis minati. Sed nihilominus ille auſus experiri hominum feritatem, ſi flecti poſſent, ſolus pedes, inermis ad eos tetendit, & ſuâ plùs quàm humanâ lenitate feliciſſimè, quæ intendebat, impetravit. Mox igitur novâ deductâ barbarorum coloniâ, alteram à S. Nicolao dictam Reductionem ex 400. familijs inchoavit, iterúmque A. 1626. tertiam à S. Franciſco Xaverio, 1200. Indorum capitibus cultam; ac ſubinde quartam & quintam condidit, illam à tribus Regibus, 500. deductis familijs, hanc à Virgine Purificata ex 340. His ſedibus ſtatuendis, quàm ſæpe caput præſentiſſimo diſcrimini objicere, ſæpe vitam, barbarorum incertæ fidei credendo, prodigere coactus fuerit, non meliùs quàm ex ipſiusmet epiſtola ad ſuum P. Provincialem data, colligi poterit, enarrantis pericula, quæ in una iſtiusmodi Reductionum fundatione exantlavit. *Dum ex Conceptionis ad Regum Reductionem prono flumine tenderem, ut ſecundo in Ibicuiti proficiſcerer, literas à P. Petro Romero accepi, quibus indicabat Indos Ibicuitenſes ingentem exercitum coëgiſſe, ut Regum Reductionem ſolo æquarent, ac de Indis pœnas ſumerent, quòd eò proceſſiſſent temeritatis, ut Patrem apud ſe degere permitterent, neq; veriti fuerint legibus ab eo propoſitis ſeipſos mancipare. Omnes Reductiones Regum me etiam vehementer dehortabantur, nè me vitæ committerem: certum enim me vitæ periculum ſubiturum, ſi ulteriùs progrederer. Sed ego ſempiterna animarum illarum, ante temporaria mea pericula ducens, eo me conferre ſtatui, ut quid rei ſubeſſet propè diſpicerem. Patrem itaq; Romerum mihi comitem aſcivi, ac viginti leucas ingreſſi, binas Indigenarum canoas (ſic naves ſuas vocant) reperimus, quas P. Romerus, exploraturus quid veri haberent minæ atq; terrores, præmiſerat. Hi uno omnes conſilio nobis authores ut regrederemur extitêre, niſi lucis hujus uſurâ certò cuperemus orbari. Seditionem inter Indos eſſe conflatam, eósque cum ingentibus copijs ad inchoatam Purificationis veniſſe Reductionem, ut me, quem adhuc ibi verſari rebantur, armati per vim opprimerent; cúmq; paulò antè commodùm indè digreſſum non reperiſſent, Templum ac Crucem diſturbâſſe. Hæſi hìc aliquantiſper incertus conſilij; ſed peracto Miſſæ Sacrificio, ad progrediendum incitari me ſenſi, ut aliquid remedij tam projectæ audaciæ, quoad poſſem, adferrem. Simul locum attigi, ubi ea Reductio fuerat, finitimos Caciquios (ij gentis veluti Principes ſunt) ad me convocavi, qui rem univerſam, ùti geſta fuerat, enarrârunt; veniſſe copias innumeras, atq; omnia eruiſſe; nonnullos ex ipſis abfuiſſe tum temporis à Reductione, ſed nè ſi quidem adfuiſſent omnes, tantæ Indorum multitudini ad obſiſtendum futuros fuiſſe pares. Nihilominus acerbâ verborum caſtigatione eos infectatus ſum, negavíq; me eo loco veſtigia poſiturum poſthac, ubi tan-*

tum fuerat ſcelus perpetratum. Tum Caciquios regionis Tapè, hoc eſt magni populi, accerſitu meo frequenti Indorum comitatu ad me profectos rogavi, ad ſuum ut me populum deducerent. Sed illi unâ omnes ſententiâ, quotquot erant, cœpêre vehementer refragari petitioni meæ: donec partim verborum lenocinio, partim illecebrâ munuſculorum, ità eorum gratiam aucupatus ſum, ut mihi remiges è ſuis dederint, quibus Tibiquaro flumine conſcenſo ad Tapè pervenirem. Ipſi terreſtri itinere prægreſſi, tuguriolum in ripa conſtruxêre, quò me, cùm quinto poſt die appuli, reciperem, neq; ultrà progrederer; præſeferentibus illis aliorum Caciquiorum metum, eò quòd in interiora ſuæ regionis me admiſiſſent. Sed poſt multos ultro citróque ſermones ijs perſuaſi demum, ut me luſtrare patriæ ſuæ penetralia ſinerent; neq; tamen omnem ijs metum adimere potui. Igitur ùt veni in Tapè, magnis benevolentiæ ſignificationibus me protinus cum uxoribus & liberis invisêre; ſed exorare nullo pacto potui, ut me ſecum degere ſinerent. Diem interim ex die ducens, affirmavi tum demum brevi me remeaturum unde veneram, ubi terram eorum omnem obiviſſem, deſignaſſémq; quo loco poſſet olim Reductio ſtatui. Sic ab illis obtinui ut omnia perluſtrarem. Luſtratis omnibus cùm hærerem progredi vellem an regredi, nuncius adfertur adventare mei interficiendi conſilio Indos plurimos. Sed eorum impetum repreſſêre ij qui mecũ erant, polliciti ſe ſuis terris me quàm primùm ejecturos. Aſperrimis eos minis Barbari tamen, eorúmq; audaciam increpuerunt, quòd me ſiviſſent ad ſuas ſedes intrare. Cùm igitur totum Infernum meis obniti conatibus cernerem, & Deum videri velle nè quid ultrà tentarẽ, ceſſi, & res eo ſtatu, quo dixi, conſtitutas reliqui. Ac profectò illud affirmare poſſum, nullis me in laboribus meis atq; itineribus unquam ità undiq; arctatum fuiſſe. Sed quantula demum hæc ſunt, is ſi ſpectetur, cujus augendo honori & gloriæ ea ſuſcipiuntur? Et verò quanquam hoc in itinere aliud nihil profeciſſem, quam pervidiſſe Tapè, & deſignâſſe opportuna Reductionibus ſuo tempore, DEO aſpirante, extruendis loca, omnémq; eam luſtrâſſe Provinciam, haud equidem inutiliter me tempus impendiſſe rerer. Quid ſi etiam Obedientiæ meritum æſtimetur?

Porrò in conſtituendis ejuſmodi Reductionibus hunc ipſe morem, & reliqui poſt eum ſocij obſervabant. Ubi locus habitationi idoneus delectus eſt, & indigenæ tot undique è ſylvis & montibus contracti, ut novo oppido erigendo ſufficerent, Sacrum Crucis trophæum primò omnium erigebat, tum caſas & mapalia ſuâ ipſe manu concinnabat, & cuique familiæ attribuebat, ſingulis certas agri portiones dividebat, leges populo illi omnis æqui bonique ignaro ſanciebat, ac demum ſingulis id genus populis ſeu vicis, ſingulos è Societate viros fervidos præficiebat, qui eorum in re Politica & Chriſtiana curam gererent, hoc eſt, qui Patrem, Judicem, Tutorem, Medicum, Patronum, Doctorem, & omnem prorſus perſonam ſuſtinerent. Nam populus hic omnis omnino artis ignarus non arare terram, non ſerere, non ædificia ſtruere, non veſtem ullam concinnare, non morbis mederi, non denique ullum opus humanis uſibus conveniens perficere gnarus, in omnibus à Sociorum charitate, quæ omnibus omnia fit, etiam in canabe paranda, filis ducendis, texendisque telâ & panno edocendus eſt. Eſt tamen in hac ipſa laborum ſegete, præter illud ſupremum propagati honoris divini ſolatium, non minima laborantibus ſocijs conſolatio, quòd videant jactum ſemen in tam inculta paulò antè gente tam uberes fructus progerminare. Vix enim majora reverentiæ, grati animi, obedientiæque ſigna ſperare in cultiſſima gente poſſis, quàm Indi iſti (præter aliorum morem & genium) ſuis Moderatoribus, pro meritorum exiſtimatione, privatim & publicè oſtendunt. Ad quosvis enim Patrum nutus intenti, non agelli limites, non ædis extruendæ aream definiunt, non operas abſque ſociorum ſententia locant. Nec aliud tribunal in animorum vel familiarum cauſis, quàm Patrum implorant, ſinè quorum auctoritate aliquid geſſiſſe propiaculo habetur. Nam poſtquam ſub ortum diei Cives omnes Divinæ rei interfuêre, ante Patrum ædes, non aliter ac operarij conductitij, in quem laborem mittantur incerti à Dominis, diurni laboris penſum expectant, ubi quis illo die agrum colat, quis metat, quis peregrè, quis piſcatum venatúmve exeat, ab ore Patrum excipiunt; tam in explendo imperij cujusvis apice religioſi, ut pueri Europæi ferulam Magiſtri nunquam ità timeant, quàm Paraquarienſes Religioſi Magiſtratûs os revereantur. Sunt tamen etiam inter ipſos incolas certi à Patribus conſtituti Magiſtratus, nominantúrque in annos ſingulos novi Conſules, Prætores, aliáq; dignitatis ſimulachra, ut nominum ſplendore illecti pluris novam Rempublicam faciant: nulli tamen ex illis, abſque Patrum auctoritate, quidquam pro poteſtate ſtatuere vel abrogare fas eſt, nè quid parum cauti malo publico decernant. Nihilominus credi non poteſt quàm ſe illi Magiſtratus circumſpiciant, & faſces ſibi

alió-

aliorum manibus præferri gaudeant, quos ipſi nuper privati ad focum è ſylva tulêre. Et hoc ſolo diſcrimine à vulgo differunt, cæteroquin in re omnino nulla, neque fortunis diverſi: has enim ità inter ſe ad Platonis mentem, & primorum Chriſtianorum morem communes habent, ut nec divitem illic, nec pauperem invenias, quia veſtium inopiâ vix tecti, cibos tamen, quibus abundant, liberaliter cuicunque petenti, inemptos, velut è communi penu largiuntur. Jam verò quâ integritate inter ſe mutuò amicitiam colunt, eâdem pietate Numen venerantur. Viris & Matribus interdiu laborantibus, manè pueri, veſperi puellæ quotidie catecheſi inſtruuntur, cui Dominicis ac Jovis diebus, omnes omnino etiam adulti interſunt. Cætus Deiparæ ſanctioribus ferè exemplis quàm Europæi celebrant, quot menſibus animum Confeſſione ſaltem ſemel expiare, quotidie B.V. coronam recitare, de rebus Divinis colloqui, flagellis corpus afflictare, ægris adeſſe, in uſum omnino jam abijt. Ut meritò obſtupeas, omnis humanæ Divinæque culturæ paulò antè impatientes, tantillo ſpatio virtutes addiſcere potuiſſe, quantum vix putes vitijs imbibendis, ad quæ ſponte à natura rapimur, ſuffecturum.

Jam ut ad P. Rochum redeam, tot Reductionibus ille feliciter fundatis, ſocios duntaxat plures deſiderabat, quos ſibi novis in Reductionibus ſubſtitueret, ut ipſe per nova ſemper pericula fines Religionis & humanitatis proferret. Ad cujus invitationem An. 1628. Sociorum 44. ſuppetiæ in Luſitania cùm conſcendiſſent, Dæmon extremam rebus ſuis ruinam imminere odoratus, Sacrificulos ſuos monet, novos ab Europa PP. adventare, ut illos vivendi licentiâ & pellicum grege dejiciant, à crapula priſcisque moribus avertant: unde præcipuum gentis adhuc indomitæ Caciquium, Nezu dictum, maleficijs inſtructiſſimum, in necem Patris extimulat. Pergebat interim ſtrenuè Pater novis erigendis Reductionibus inſiſtere, & jam in Carò, ubi Quarobajus Caciquius dominabatur, unam feliciter iterum ſtatuerat, ad quam urgendam promovendámque P. Alphonſum Rodriguez ſubſtituit. Indè quia proximus imperabat Nezu, eum crepundijs acuum, acicularum, vitreorum globulorum delinitum devinctúmque expugnat, ut poteſtatem inchoandæ Reductionis in Yuy faciat, ſimúlque ad ejus exordia perurgenda, P. Joannem del Caſtillio deſignat. Interim Potiravaus quidam alterius Reductionis incola, & à Fide Apoſtata, cum Nezu in necem P. Rochi, & quotquot in omnibus Reductionibus degebant Sociorum cædem conſpirat. Cauſa erat multitudo pellicum, quas Nezu libidini ſuæ clàm aſſervabat; & Divinitatis affectatio, quâ DEum ſe Conditorem rerum omnium apud ſuos prædicabat, cui tygrides aliæque feræ parerent; minarique meticuloſæ plebi, ni ſuæ libidini obtemperarent, ſolis defectum, procellas, tigrides, vaſtitatem ſolebat. Utrique huic ſuæ cupiditati exterminium non falsò à Patribus præſagiens, ad proximum in Carò Caciquium Caarupen mittit, ac pro imperio mandat, ut junctus germano ſuo Aregoati, qui Divinitatis ipſe quoque opinionem per magica ſacra colligebat, ſuæ Reductionis Patres obtruncent; ubi fecerint, ſibi currículò renuntient, obtruncaturum ſe quoque continuò eum, quem penes ſe habeat: tum porrò perrecturos unà conjunctis copijs ad omnium per Urugajam & Paranam, atque adeò univerſam Paraquariam, Sacrificulorum advenarum excidium. Caarupe, qui & ipſe odio Patrum ob ſuas libidines flagrabat, in ſceleris ſocietatem facilè perpulſus, ſolam cædis opportunitatem præſtolabatur.

Dies erat 15. Novemb. in quem P. Rochus conventum Indis Reductionis Carò indixerat, ut poſt Miſſæ Sacrificium majori celebritate campanam, novum atque inviſum ijs antea populis inſtrumentum, de trabe ſuſpenderet, cujus pulſu deinceps ad Sacra Chriſtiana excitentur. Peractis debitâ celebritate Divinis, P. Alphonſus in ſuum mapale, Canonicas recitaturus horas abſcedit; P. Rochus è templo progreſſus, dum ſe in terram, funem campanæ alligandum fortè elevaturus inclinat, Caarupe in facinoris occaſionem intentus, ſervo ſuo Marangoa nutu capitis cædem imperat. Hic itaizam, hoc eſt, è robore clavam bicubitalem, acuto ſilice præferratam, Patri vibrat in caput, & uno ictu comminuit, cerebrúmque diſpergit: & mox alij ſceleris conſcij plura exanimato vulnera infligunt. Inſolente eorum ululatu, quo peractum ſcelus ſibi gratulabantur, excitus Alphonſus, è caſa ſua prodit, quem nil tale ſperantem continuè jubet Caarupe mactari. Ille viſo ſocij cadavere vitam peti advertens, *filij*, exclamat, *quid molimini? ecquid agitis filij?* ſimúlq; ad templum, ut ibi cruenta DEO cadat hoſtia, gradum accelerat. Sed acceptis primo ſicariorum incurſu luculentis aliquot in capite vulneribus, & nunc repetitis ictibus ſaucius, ipſo templi in limine

procumbit 15. Novemb. A. 1628. ætatis 31. Sævitie deinde versâ in cadavera, nudata ſunt, conciſa, lacerata, circùm ædem ignominiosè tracta, & P. Alphonſi dimidiatim diſſectum. Mox direpta Templi ſupellex, Crux Chriſti minutatim confracta, calix in ſegmenta ad monilis uſum conciſus, Virginis effigies, quæ P. Rocho primo ſemper in pretio fuerat, quàmq; quia præferre ſemper ad novas ordiendas Reductiones inſueverat, expugnatricem vocabant, fruſtillatim diſcerpta. Ac nè ullum extaret eorum veſtigium, ſuppoſito ædi ſacræ igne, corpora Patrum ſimul in eundem, ut cum reliqua duplicis Crucifixi ſupellectile cremarentur, injecta ſunt.

Regreſſi poſtridie barbari ad immanitatis ſuæ ſpectaculum, miro prodigio innoxia deprehendêre cadavera, & imagines Chriſti, reliquis rebus omnibus in cinerem reſolutis. Quos indè attonitos, atque in obtutu defixos, affatur P. Rochi corpus exanime, cujus vox non ab ore formata, quod pridie cum capite comminutum, & ferro reſectum erat, ſed à corde prodibat è pectore in hæc omnino verba: *Occidiſtis eum qui vos diligit, occidiſtis corpus meum, & contriviſtis oſſa mea; at non animam, quæ jam inter beatos verſatur in Cœlo. Multæ vobis calamitates obvenient ob mortem meam: quia venient filij mei pœnas repetituri, ob violatam DEI Matris imaginem.* Quidam addunt inſuper dixiſſe: *venturum ſe ad opem ipſis ferendam.* Unanimes hæc retulêre teſtes ex ipſis auditoribus barbaris 53. cùm poſtmodum fuiſſent ab Hiſpanis comprehenſi. At illi ipsâ hâc miraculi excellentiâ efferati, *etiamnum*, inquiunt, *loquitur præſtigiator iſte?* Quorum anteſignanus Caarupe ut loquentis voces opprimeret, quas ex intimo pectore mitti audiebat, Marangoano præcepit, ut thorace diſſecto cor ei revelleret. Quod revulſum, & teli cuſpide transfixum, in luculentiorem focum, quàm pridie fuerat, cum utriuſque denuo corpore exurendum injici juſſit. Sed benigior barbarorum inſaniâ ignis, omnibus iterum alijs incineratis, corpore utroque abſtinuit: & cùm ipſum teli oſſeum haſtile, quod è trajecto corde foras extabat, abſumpſiſſet, cor tamen, atque adactam cordi partem ſpiculi, integrum, inviolatúmque reliquit: quæ in Sociorum deinde redacta poteſtatem, hodiéque ſervantur. Cor verò unà cum inhærente ſpiculo Romam An. 1633. perlatum eſt.

Socius P. Rocho glorioſi hujus certaminis P. Alphonſus Rodriguez, editus in lucem eſt tenui ortu & fortunâ Zamoræ in Hiſpania; vir candidiſſimo à pueritia ingenio, quique ſinè ulla graviore noxa primæ gratiæ, in Sacro fonte acceptæ, nitorem, uſque ad ſupremum vitæ diem tenuit illibatum. Societatem A. 1614. complexus, in ipſis Philoſophiæ audiendæ exordijs transmiſit in Paraquariam. Tenerrimè erga Paſſionem Dominicam afficiebatur, cujus aſſidua memoria & jugis meditatio tam frequentes illi ciebat lachrymas, ut ab illis obtuſiore oculorum acie evaſerit.

P. JOANNES DEL CASTILLIO.

TErtius, in quem furibunda Paraquarienſium detumuit eodem anno biduo pòſt ſævitia, P. Joannes del Caſtillio fuit, natus nobili genere Belmonte in Hiſpania, Societatem A. 1614. duodevicenarius ingreſſus, votis omnibus ab ipſo ſtatim Tyrocinij principio Indias, atque ex his ardentiùs cæteris Paraquariam exambivit, tum propter uberem patientiæ ſegetem, in ſolo ab omni comercio humanitatis quàm maximè alieno: tum verò propter certiorem, quæ ibi affulgere videbatur, ſpem Martyrij. Huic ille expeditioni toto eo tempore, quo transmiſſio Indica ipſi differebatur, ſe aptaturus, ad omnem humilitatis & tolerantiæ exercitationem, veluti proludens certamini ſuo, naviter condocefieri ſtudebat. Hinc domi juſſus exercere per æſtivos menſes furnariam, quamvis ignis Cœlique ardoribus anhelus æſtuaret ſudore, laboréque defectus, nihilominus alijs ultro pœnis adſcitis, perpetuâ ſuarum cupiditatum expugnatione ſibi vim inferre ſtudebat. Hibernis noctibus procul à ſuo ſtrato veſtes diſperſim locabat, ut eas cogeretur per algorem poſtridie quæritare, quò ſenſim adverſùs inclementiam frigoris Paraquarienſis obdureſceret. Pudicitiæ Joſephi æmulator, cùm procax aliquando fœmina prehenſo pallio ad ſcelus eum invitaret, fugâ ſe victor, relicto in manibus pallio, eripuit. Sed neque ullum minùs honeſtum coram ſe verbum, licèt blandiſſimæ aliàs converſationis eſſet, dici unquam ſinè reprehenſione paſſus eſt. Sic paratus proceſſit in campum gloriæ ſuæ, inter lachrymas Parentum & Ami-

P. Ioannes del Castillio illustri sanguine Hispan. Soc. IESV Fidei odio ab Idololatris in Paraquaria crudelissimâ per sævas et spinas raptatione necatus. 17. Novemb. A. 1628.

Amicorum ad navem deductus, ipse interim gaudio & lætitiâ triumphans. Septennio, quo Philosophiâ & Theologiâ in Indijs exultus est, perdifficile simul gentis Paraquariæ idioma perfectè combibit. Secundùm hæc missus ad Reductionem S. Nicolai moderandam, cùm nimiâ laborum contentione valetudinem profligâsset, revocari ad ejus restaurationem tantisper in Collegium debuit: quâ vix utcunque reparatâ, quietis impatiens, sinè cunctatione eodem revolavit. Ejus fervore, & majorum capace animo perspecto P. Rochus, ad novam in Yuy tum primùm ab se constitutam Reductionem illum abduxit. Hanc dum sedulitate, quâ omnia consueverat, & diligentiâ studiosè procurat, paulò pòst loci Caciquius Nezu impiâ conspiratione in ejus & aliorum Patrum cædem conjurat. Jámque ex ejus imperio P. Rochus cum Alphonso in Carò occubuerant, cùm immanis successu facinoris elatus Caarupe, nuncium patrati sceleris ad Nezu mittit, repetitum viciſſim fidem necandi Castilij. Nezu ingenti perfusus gaudio, accinxit illico sese ad ejus necem, redempturus moram atrocitate supplicij.

Illâ ipsâ nocte post 16. diem Novemb. oraculo Dæmonis per horrificos ritus consulto, cùm totus in furorem abiens immaniter boaret Nezu, Indisque minaciter intentaret, se Deorum maximum, nisì Patrem extemplo conficerent, evolaturum ipsis desertis in Cœlum, dirisque supplicijs eosdem mactaturum; barbari funestæ timore denuntiationis

tionis externati, orantem poſtridie Patrem fictâ ſalutatione occupant, atque interim violentè comprehenſo, ínque terram proſtrato, manus & pedes revinciunt. Ad quos Pater blandiſſimâ compellatione, *filij mei*, inquit, *hæc ſi eò mihi mala infertis, ut quæ ſunt penes me reliqua* (hamos intelligebat & acus, aliáque id genus ſummæ illic æſtimationis ferramenta, quorum nonnulla eis largitus jam fuerat) *occupetis, ea vobis à me allata ſunt, vos ea vobis tanquam veſtri juris vendicate: imò & me quoq; ipſum vobis mancipio addico, adhibete veſtro arbitratu quoſvis in uſus.* At illi contrà negantes ſe ipſum, aut res ejus appetere, ſed hìc ajunt, *in veſtigio noſtris tu manibus occides, utì Rochus & Alphonſus jam occubuerunt.* Ipſe intellectâ Sociorum nece, & miſerorum futurâ orbitate ingemiſcens, *eccur autem*, ſubjicit, *filij mei, mortem mihi paratis afferre, qui vitam vobis allaturus, tot itinera pro ſalute veſtra ab uſq; Europa ſuſcepi?* At illi obſtinatione miſerabili, & Quaroboray Caciquij hortationibus inſtigati, maledicta & verbera primùm pro reſponſo reponunt, tum jaculis densè confixum, fuſtibus immaniter contundunt, extremis arcubus oculos vultúmq; compungunt. Quaroborayus enſe, quo ſtricto cæteros in audaciam hortabatur, terna illi vulnera infligit: ac demum alij funibus innexum, raptant immaniter per aſpera montium & vallium, bis mille paſſuum ſpatio, quod ille liberaliter profluo de vulneribus ſanguine in ſegetem animarum rigabat. Poſtquam ex continuo ad ſaxa, ſpinas, ramos, & truncos arborum alliſu, tota veſtis diſcerpta à corpore eſt, tum paſſim revulsâ cute, unâ quaſi plagâ undique perfluebat. Ipſe autem inter raptandum Deo quàm ſibi præſentior, hiſpanicè & latinè plena ad illum pietatis fundebat ſuſpiria, interpoſitis ſuaviſſimè JESU & MARIÆ nominibus; cúmque nexus, quo manus conſtrictæ erant, impetu raptationis laxatus propemodum ſolveretur, *reſtringite*, ajebat, *hunc funem, perlibenter enim hâc morte defungor.* Sic demum per duos montes, & duos torrentes violentiâ tractum, expanſis in crucem brachijs alligant arbori, percuſſiones ictúsque repetunt, & tandem binis in caput validè impactis ſaxis, pretioſam animam elidunt 17. Nov. A. 1628. ætatis 33. feriâ 6. eâdem quâ Chriſtus expiravit horâ, poſt meridiem tertiâ.

In exanime Joannis corpus barbari crudelitate novâ deſævientes, cranium ſudibus confringunt, viſcera diſcerptis præcordijs diripiunt, cadaver tigridum laniatui, ubi perfrequentes ſunt, exponunt: cúmq; abſtinuiſſent eo belluæ, poſtridie flammis abſumunt. His ex animi ſententia perfectis impius Nezu, ignem templo injici, Crucis ſimulachra confringi, Sacra omnia impiari jubet: ipſe Sacras veſtes ſuperindutus, in Sacri lavacri ignominiâ, baptizatis omnibus ad Chriſma delendum, ſummum verticem calidâ abluit; linguam conchylio, ad extinguendum ſalis benedicti ſaporem, deradit; pectus humerósque teſtâ defricat, quâ ſacro fuerant delibuti oleo. Sic veluti exauguratos Chriſto, novo lavacro Dæmoni ſacrandos admovet, ſimulánsque mirum è corpore ſuo ſcaturientem laticem, quem interim ex recondita ſub veſtibus promebat cucurbita, illo pedes ſingulorum tingebat, impiè gloriatus, *nónne vobis*, inquiens, *videor divinitate digniſſimus, qui ritu vos inuſitato baptizo?* Poſthæc junctis cum Caarupe ex condicto copijs, Reductiones S. Nicolai, ubi P. Alphonſus Aragonius; & Candelariæ, ubi P. Petrus Romerus Chriſtianos procurabat, confeſtim movêre. Verùm gener Quaroboraij Caciquij, ejus qui Patres in Carò primus induxerat, annis effœtus, feritatem Caarupe, licèt necdum Baptiſmo initiatus, palàm execratus eſt: quem ille inſaniens ibidem crudeliter obtruncavit. Interim ex incolis adoleſcens quidâ nactus effugium, periculi indicium facit P. Romero, ac deinceps alijs in reliquis Reductionibus; qui Divinâ ope omnes ſervati ſunt, & Eccleſiæ ab incendijs & direptionibus vindicatæ. Nicolaus verò Neengirù, Caciquius Reductionis immaculatæ Conceptionis, adjungentibus ſubinde ſe aliarum Reductionum incolis, ſupra 700. in campum produxit, certus non antè, quàm iniquam Patrum cædem ulciſcerentur, arma ponendi. Ex alia verò parte Hiſpani delectu ex urbe Boni aëris habito, in ditionem Nezu & Caarupe irruperunt, & permultis indigenarum prælio cæſis (utì poſt fata vaticinatus eis præſago corde P. Rochus fuerat) conſcios facinoris omnes interceptos meritis ſupplicijs affecerunt: quos inter & Caarupe proficuo ſibi infortunio deprehenſus eſt; ſiquidem ſalutaribus aquis volens libénsq; priùs expiatus, magnâ æternorum fiduciâ, cervicem carnificis gladio ſubjecit.

P. BERNAR-

P. Bernardus Reus Hispanus Soc. IESV. evulso corde telis Confixus ab Idololatris in Peru. 17 Julij. A. 1629.

C. Screta. d. M. Küsell. f.

P. BERNARDUS REUS.

EX tenui fortuna, & infimis natalibus, in Majore Balearidum Insularum editus Bernardus, in magnum & nobilem DEI servum evasit. In Escuriali Patrum Hieronymianorum Asceterio à puero educatus, penes obsequia quæ Religioso Cœnobio præstabat, egregiũ in literis & virtutibus profectum fecit. Ubi cùm venustè concionatores, quos audire contigerat, naturali quâdam vocis actionisque elegantiâ referret, Philippi III. Regis, & Principis ejus Filij curas, sæpius imitationis ejus concinnitate distrahebat. Ubi verò rediturus in Peruviam P. Joannes Vasquez Provinciæ ejus Procurator, in Hispaniam ab Urbe appulit, magnis eum sollicitare precibus Bernardus 16. ætatis annum tum ingressus, ut Societatis simul & Americanæ profectionis se participem redderet, quòd nescio quâ arcanâ fiducià sanguinis olim pro Christo ibi fundendi duceretur. Ille eximiâ Juvenis indole, & præclaris naturæ & gratiæ dotibus notatis, ut certiore experimento constantiam in proposito periclitaretur, tum demum copiam Societatis facturum se edixit, cùm Arcticum emensus Oceanum, in Americæ continenti pedem posuisset. Ejus favoris memoriam tam gratâ semper animi significatione Bernardus celebravit, ut eâ die 5. Julij quotannis vel co-

ràm provolutus in genua, vel ſi longiùs abeſſet, datis ad eum literis gratias referret. Peractis à Tyrocinio cum laude Philoſophiæ & Theologiæ in Peruvia ſpatijs, ad condiſcendum Aymaranum idioma ſe tranſtulit, omnibus interim animum inſtruere conniſus virtutibus, quibus ſuſtinendo inter barbaras nationes Apoſtolico muneri idoneus redderetur. Itaque viliſſimis domi vacare munijs, ſæpe flexis à coco genibus veniam flagitare coquinaria detergendi vaſa, corpus flagellis & cilicijs atterere, ægris adeſſe continuò, divinâque magno ſtudio pluribus in diem horis commentari. Adhæc ſenſibus perpetuam adhibere vigilantiam, & effrenes animi motus ità ſpiritui ſubjugare, ut Virgineum Caſtimoniæ nitorem nunquam ab eo inquinatum fuiſſe conſtet. Ità præparatus ad Ciuncios, gentem in paucis barbaram, & humanitatis omnis expertem ſe conferre juſſus eſt: cujus expeditionis denunciatione quantùm ſibi eam ſortem gratulatus ſit, quantis inceſſerit lætitijs, percipere lubet ex ejus, quam gratiæ referendæ tenerrimis conſcriptam ſententijs, ad P. Provincialem dedit epiſtolâ: *Quo pacto gratari Reverentiæ Veſtræ potero inſignem illam, quam ipſi in me conferre placuit, charitatem? neq; lingua ſuppetit, quâ ſatis id eloquar, neq; affectus quo declarem: ſuperabundo gaudio. Dominus remuneretur Reverentiæ Veſtræ amorem illum tantum, quo me proſequitur, quémq; hac occaſione teſtata eſt. Dabo operam ut facta reſpondeant ijs meis deſiderijs, quæ Reverentiæ Veſtræ toties explicavi, quippe qui omnia poſſum in eo qui me confortat. Quis me ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an perſecutio? certus ſum quia neq; mors, neq; vita, neq; inſtantia, neq; futura, neq; creatura alia me ſeparabit à charitate, quæ eſt in Chriſto. Libenter ergo gloriabor, in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. O nuncius lætus! ô nuncius felix! ô quis te queat genibus humi poſitis, & oculis lachrymarum fonte manantibus excipere! quis mihi nuntius poterat delectabilior, quis luculentior adferri? debebat prorſus ab Reverentia Veſtra tam gratus mihi nuncius dari. Reddat Dominus Reverentiæ Veſtræ ſemper gratiſſimum, pro tam bono quem mihi dedit. Utinam mea me gravia peccata nequaquam ab ejus uſu impediant; neq; enim hac in re quidquam, præter memet ipſum reformido. Sed gratiâ DEI ſum id, quod modò ſum, adeóq; confido, quòd gratia Dei in me vacua non erit. Portabo igitur nomen tuum Domine uſq; ad fines terræ. Sive mori me Chriſte jubes, ſeu vivere mavis, dulce mihi tecum vivere, dulce mori. Ad omnia promptus & paratus ſum, nam ad omnia me obſtringit ſcopus ille, in quem actiones meas omnes collineavi: fiat voluntas tua. Nihil in hac vita aliud appeto, Pater animæ meæ. Et quoniam onus mihi adeò ſuave placuit humeris meis imponere, impetra mihi à Domino, nè illi ſuccumbam, ſed imò ad mortem uſq; perſeverem. Ità confido futurum, fretus Divinâ benignitate & orationibus Reverentiæ Veſtræ, omniúmq; Patrum ac fratrum iſtius Sancti Collegij, cui Cœleſtem benedictionem exopto.*

Ubi tempus profectionis adfuit, P. Bernardus unà cum duobus ex S. Auguſtini familia, uno interprete, ac ſeptem indigenis, Ciuquiabo digreſſus, iter ad Ciuncios capeſſit; & poſt ineluctabiles viarum, quas alibi ſuprà deſcripſimus, difficultates, niſu tamen & perſeverantiâ ſuperatas, die 6. Miaſine primum Ciunciorum vicum tenuit. Hìc obvium habuêre manipulum barbarorum, arcubus inſtructorum ad prælium, ductore Mulatayo Caciquio, Patribus Auguſtinianis quàm maximè infenſo, quòd parenti ſuo priore excurſione adpromiſſis, nec redditis munuſculis fruſtrato, atque ideo mærore & indignatione tabeſcenti, cauſam mortis fuiſſe diceret. Cúmque illi multò nunc plura & meliora ſecum afferre, quin & Evangelij ex Societate JEſu præconem illis adducere excuſarent, viſi nonnihil deliniri barbari, etiam mapale DEI ſervis arcendæ pluviæ, quæ totam noctem tenuit, excitârunt. Sed mutatâ noctis ſpatio in ferociam pridianâ lenitate, primâ luce interpretem vinciri Mulatayus jubet, ex quo necem ſibi imminere Bernardus ſatìs colligens, ad pedes P. Laureano Auguſtiniano provolvitur, ut expiatus occumbat. Quâ re tantò ampliùs illi Idololatræ exaſperati, tela omnium primò in utrumque contorquent, quibus & alios omnes, uno puero ad ſervitium ſervato, & duobus fugâ elabentibus, conficiunt. Bernardus tribus ſagittis confixus priùs quàm deficeret, arreptum è proximo Crucifixū complexus, oculos attulit in Cœlum, & ſuum DEO commendans ſpiritum, felici caſu, quem ſibi aliquot ante annos apud Ciuncios odio Chriſtianæ Fidei obventurum prædixerat, concidit 17. Julij, A. 1629. cùm nondum 28. ætatis exceſſiſſet. Barbari extracta exanimis corporibus corda, & telis confixa ignibus exurunt, manus cæſorum ſanguine, ſcelus opinione ſuâ expiaturi, abluunt, ac felices exuvias beſtijs diſcerpendas relinquunt.

P. JULIUS

P. Iulius Pasqualis Italus, et P. Emmanuel Martinez illustri Prosapiâ Lusit. Soc. IESV, sagittis confixi ab Idololatris in America apud Varohios 1. Februarij. A. 1632.

C. S. d. M. K. f.

P. JULIUS PASQUALIS, & P. EMMANUEL MARTINEZ.

ITalia Fidelium omnium in ſpiritu, P. Julio etiam in corpore parens, nobili & locuplete domo in agro Brixienſi illum genuit, Parma & Mantua literis humanioribus & Philoſophicis expolivit, Societas JEſu ad vitam Apoſtolicam & Martyrij gloriam eduxit. Exacto magnâ virtutis commendatione Tyrocinio, tertium jam annum Faventiæ præcepta Grammaticæ pueris explicuerat, ut in minimis periclitaretur, quid poſſet in maximis, qui nunquam intermiſſis precibus tantopere Indias Orientales ſibi deposcebat. Appulit interea Romam Peruviæ Procurator P. Nicolaus Arnaya, cui inter reliquos in ſupplementum Sociorum adjectus Julius, paribus animis perrexit in Occidentem, quibus aſpirabat in Orientem, gnarus Socijs JEſu omnem terram, & nullam terram Patriam eſſe. Mexicum appulſus poſtquam Theologiam, & conſuetam Societati tertiam probationem decurrit, primum fervorem apud Cinaloas, Zuaques, Teguecos, & Hiaquos, eâ virtutis, Zeli, & laborum commendatione expertus eſt, ut idoneus æſtimaretur qui primus, atque item ſolus ad colligendos informandósque Cinipas, Guazaparios, Varohios, aliásque gentes adhuc intractatas, &

feritate formidabiles, velut earum Apoſtolus mitteretur. Et inerat omnino viro virtus, quæcunque ad arduas ejuſmodi expeditiones requiri ſolet; pietas in Deum, quâ tempus omne laboribus ſuperfluens uni ſacrabat orationi; ex qua ardore concepto, in medijs etiam occupationibus abreptus, æſtuante animo gemebundus ſuſpirabat, *Deus meus cur non amo te? ô quando te perfectè Domine diligam! ô fac Deus ut amem te, ùt te amari à me dignum eſt!* Ut ij quibus intimè perſpectus erat, dicerent, eum beatitudine, quæ in terris haberi poteſt, perfrui, perpetuâ nimirum Dei obverſantis præſentiâ. Peculiari Superiorum licentiâ domeſtico in ſacello, quod ſibi in miſſionibus extruxerat, Ven. Euchariſtiam ſervabat, ante quam noctes ſæpenumero ſolidas tranſigebat. Apud Cinipas, qui majorum more è conchilijs teſtulisque de collo pendula monilia geſtare ſolebant ad ornatum, effecit, ut deinceps Roſarium Marianum ſic deferrent, illúdque alternatim inter ſe, in templo, domi, ruri, per choros recitarent. Quàm porrò humiles de ſe habebat ſenſus, tam viles etiam ultro ſe demittebat ad actiones, famulum & agazonem Sociorum per vias agere ſolitus, quorum jumenta ipſe procurabat, inſternebat, deducebat. Dúmque aliquando uni ex Socijs mulus profugiſſet, ipſe ad illum perquirendum inclinato jam in veſperum die ſecus amnem crocodilis infamem abivit, & nocte interim obrutus, vaſto in loco ſolus remanere coactus, manè jumentum lætus ad Socios retraxit. Idem vada in fluminibus tentabat primus, præruptas crepidines primus tranſibat, ut in ſe priùs, tanquam caput viliſſimum, quàm in alios infortunium recideret. Paupertatem ſummo ſemper loco habuit, attritis duntaxat & jam laceris veſtibus uti ſolitus, quas ſuâ ipſe manu in centonem ſarciebat. Quamdiu ſtudijs vacavit, nunquam in ſcholaſtica penu plures uno calamo recenſuit: cibis non nisi viliſſimis utebatur, & qui toto illo Regno eſſent abjectiſſimi, neque unquam Ciocolatam, illic penitus plebejam deguſtavit. Caſtitatem in medio nationum, nudis magna ex parte corporibus ingredientium, tanto tempore verſatus, integrâ non ſolum animi corporisque Virginitate ſervavit illibatam, ſed nè venialem illi quidem nævum unquam aſperſit. Tuebatur nimirum illam hirtis corpori admotis cilicijs, quotidianâ, ſæpe tertiùm repetitâ, ſui acerrimâ diverberatione, durâ ſuper nudis in aſſeribus cubatione. Charitate in proximum, Indorum præſertim nationem, immenſâ quadamtenus flagrabat, illos per montium avia maximis laboribus, innumeris periculis conquirebat, tractabátq; leniſſimè, donec munuſculis captos ad ſocietatem humanam colendam pellexiſſet: quibus tum demum Fidei myſteria ſolerter explicabat, mapalia ſtruebat, agrorum culturam, & artes hominum vitæ tuendæ neceſſarias edocebat. Quibus modis complures nationes turmatim errabundas, exleges, libidini, ebrietati, veneficijs ad inſaniam deditas, legibus Chriſtianis adſtrinxit, Deóq; lucratus eſt.

Primi ex his fuêre Cinipæ, ad quos ſub annum circiter 1627. ſolus & primus à Moderatoribus ire juſſus, quatuor annorum ſpatio ità inſtituit confirmavítque, ut antiqui Chriſtiani videri poſſent. Collegit eos è ſylvis in duos veluti populos, opportuno ſitu extructis oppidis, & perpulchris Templis erectis. Tum ad efferos Guazaparios, Varohios, aliósque finitimos barbaros transgreſſus, eos pari felicitate ad ſociabilem vitam vicósq; traduxit, baptizavit: quos ex intervallo per ordinem in ſingulis vicis inviſebat, confirmabat, ſolabatur, idem omnium inſtitutor, nutritius, & in ægritudinibus medicus: pro quibus, ſi animam agerent, ut toto ſimul vico omnes Deum exorarent, ſalutarem morem induxit ut æris campani ſigno admonerentur. In ijs transcurſibus vigeſies vadandus erat amnis & amplus & rapidus, tranſcendendi ſaltus montésq; prærupti, quidam intolerabili æſtu torridi, aſperrimo alij frigore & nivibus gelidi, ut qui eum aliquando comitati ſunt, mirarentur poſſe illum vitâ incolumi durare, præſertim cum & ex alto revolutus quondam in præceps unà cum jumento fuerit; & ipſis deinde in vicis adeò crebræ conciones, catecheſes habendæ, tot confeſſiones audiendæ, ut plures etiam impigros Sacerdotes fatigaturæ eſſent. Quatuor barbarorum linguas edidicit, & quintam jam erat aggreſſus, dum de medio ſublatus eſt. In annonæ defectu comparabat ipſe alibi quæ ad victum eſſent, nè cogerentur per montes & ſylvas vitæ ſubſidia quærere: & in hoc præter ſubſidia emendicata, totam à Rege ſibi liberaliter aſſignatam penſionem inſumebat; fuítque aliquando ut plus 300. capitibus cibaria ſuâ ipſe manu divideret, pueris præterea ſeorſim paſtis, ingeſtóque etiam ipſis in os infantibus cibo.

His tam diverſis oppreſſum curis, & propè fatiſcentem ut ſublevarent Moderatores, ſocium illi P. Emmanuelem Martinez ſub-

ſubmiſerunt, quicum poſſet curas laborésque partiri. Is in Luſitania nobili proſapiâ ortus, anno ætatis 19. trajecit in novam Hiſpaniam, & anno ſequenti in Collegio Angelopolitano Grammaticam abſolvit, multis pro tuenda caſtimonia prælijs inſignis, quæ illi ſua corporis & oris elegantia, plurimis impudicarum ſollicitationibus impugnata, excivit. Quam demum ut ſecuriore Religionis ſepto obvallaret, Societati JEſu nomen eodem anno dedit, tanto ad virtutes ſolidas conniſu, ut primam à Sacerdotio miſſionem ad Cinipas, quæ non niſi multùm aliàs probatum requirebat, obtinuerit. In eo ab Socijs digreſſu cùm enixè à pluribus rogaretur, ut expeditionis ſucceſſuum ſæpius eos certiores faceret; ipſe certaminis ſui præſagus, negavit id ab ſe expectandum, primum enim de ſe nuncium obitæ pro Chriſto mortis accepturos. Idem cuipiam Sacerdotum affirmatè aſſeruit, diu jam P. Julium Paſqualem verſari inter barbaros Martyrij expertem, eſto id quàm maximè anhelaret: ſed non antè illud adepturum, quàm ſocius ad eum ipſe acceſſiſſet; quod tamen cùm diceret, nihil tum erat de ipſo ad P. Julium adjungendo deliberatum, cujus tandem voti compotem præclara virtutum ornamenta fecère, multa cum Deo familiaritas, quam duarum horarum poſt Communionem actione gratiarum continuabat: & quanta in proximum dilectio, tantum ſui ipſius odium, quo præter frequens jejunium, humi cubationes, & penè continuum cilicij uſum, cruentâ diverberatione propè quotidie in ſe deſæviebat. In itinere ad Cinipas cùm ad Collegium Cinaloæ divertiſſet, Socij ejus domicilij ſeu virtutis æſtimatione, ſeu mortis glorioſæ præſagio, tacito quodam inſtinctu impulſos ſe faſſi ſunt, ut ejus veſtem (quod inter nos fieri minimè conſuevit) libarent oſculis, & ejus pedibus advolverentur. Et verò necdum ille ad P. Julium acceſſit, cùm jam ipſi pretioſa pro Chriſti Religione mors nefario ſceleratorum conſilio decreta fuit. Caciquius namque inter Guazaparios præcipuus, diſciplinæ Chriſtianæ quâ ſuſceperat pertæſus, complures ſui ſimiles veterum libidinum & veneficiorum cupidos in necem P. Julio inferendam pertraxit: quam tamen, ubi Socium P. Julio propediem adfore accepit, differendam tantiſper, ut ambo ſimul tollerentur conſtituit. Ejus conſpirationis indicium ad ſe delatum P. Julius, quod aliorum animos ex ſuo mentis candore metiri ſoleret, vanum & inane credidit: & licèt providâ ſollicitudine Cinaloæ Gubernator ſex milites Hiſpanos in præſidium ſubmiſiſſet, ipſe tamen blandè & perhumaniter eos, qui conjurationis ſuſpicione laborabant, allocutus, cùm ipſi omne officium ſponderent, alienósque ſe tanti ſceleris eſſe dicerent, tantam eis fidem adhibuit, ut continuò milites Cinaloam repetere juſſerit. Advenit interea diu optatus P. Julio Socius laborum & ſolator P. Emmanuel, & perpaucorum dierum quiete recreatus, in ipſo muneris Apoſtolici ingreſſu felicitatis lauream invenit.

A. 1632. 25. Januarij, quæ erat Dominica, peracto uterque apud Cinipas Sacrificio, ad oppidum Varohiorum 700. circiter familijs habitatum, contendit, ubi multâ lætitiæ ſignificatione, diſſimulantibus prava ſua cogitata perfidioſis hominibus, accepti ſunt. Binâ interim denunciatione P. Julio conſpiratio Varohiorum & Guazapariorum patefacta eſt, & poſterior quidem eâ ipsâ die, quæ noctem utrique decretoriam anteceſſit. Sub ejus veſperum circumſeſſa undiq; à barbaris eſt Patrum domus, quos à ſcelere dehortari fruſtra conatus P. Julius, ubi de vita conclamatum animadvertit, & ſemet inſtituit, & P. Emmanuelem ad conſtantiam hortari, ut DEO redderent fortiter animas ſuas, & cervices in tam bona cauſa libenter præberent. Mox invicem confeſſi, animum à noxis mutuò abſolvêre. Idem præſtitum novem opificibus, quos Templo novo conficiendo elaborandóque adduxerant, & octo pueris Symphoniacis Indis, qui inter Sacra myſteria accinere conſueverant. Ubi dies Dominicus 1. Februarij illuxit, Cobameajus conjurationis princeps convocatâ ſuorum concione, multis eos ad maturandam PP. necem cohortatus eſt, intolerabile ſervitium eſſe dicens, patrijs ritibus abjectis nova inſtituta amplecti, frequentare templum, catecheſes, confeſſiones, unâque arceri à comeſſationibus, libidinibus, quibus inſueverint. Poterat adhuc tum imminenti morti fugâ ſeſe P. Julius cum ſuis eripere, præſidio Nicolai Caviori, gente quidem Varohij, ſed ferventis & manu fortis Chriſtiani: verùm cùm tempus illud aſſerendæ potiùs per intrepidam mortem Religionis Orthodoxæ, quàm tuendæ per timidam fugam vitæ arbitraretur, etiam Nicolaum in eam ſententiam pertraxit. Interim autem barbarorum corona obſeſſam domum premit, ad quos egreſſus Nicolaus gentilium ſuorum furorem dum fortiter objurgat, in veſtigio fædè conciſus occumbit; & P. Julius qui in conſpectum barbarorum

egreſſus, malum ab eo infimis obſecrationibus avertere ſtudebat, jaculo trans ſtomachum confixus, vix intra ſepta domicilij retrahi vivus potuit. Hærebant enim adhuc Templi domúsq; parietibus reliqui concluſi, ſi fortè repentina barbarorum rabies, ùt mobili ſunt in ſingula propè momenta ingenio, ſubſideret, vitam tuentes: ſed poſtquam undique ſuppoſitis facibus fumo & ignibus omnia involuta ſunt, *prodeamus in aciem*, exclamat P. Emmanuel, *& ſtrenuè moriendo decertemus, nè mori pro DEO noſtro reformidare videamur.* Tum unà cum P. Julio acceptis in manus Roſarijs præcedit in aream, cui ùt prior apparuit, tanto impetu ſagitta inflicta eſt, ut brachium corpori ceu clavo adacto confixerit. Ut venêre in aream Patres, genua uterque humi flectere, oculos in Cœlum attollere, ſéque DEO devovere: barbari ex adverſo inconditis clamoribus & opprobrijs venenata addenſare ſpicula, ac totos imbres ſagittarum immittere. Sic obruti cum toto comitatu, inter Sacra JESU & MARIÆ nomina felices animas profudêre 1. Februar. A. 1632. ætatis quidem P. Emmanuel 32. P. Julius autem 44. In corpora necatorum ubi atrociter punctim cæſimque ſævitum eſt, reſecta utriusq; Patris capita ad ferales epularum delicias auferre parabant; cùm Chryſanedus Sinemeai DEO & Patribus fidus, quando jam non poterat vivos, mortuos contra ſævam barbariem tuiturus, in percuſſores tanto cœpit ardore ſpicula intorquere, ut ex ijs primo impetu quinque dejecerit. Et quia muro ſe admovens circuiri à tergo non poterat, cæteri ſtrage attoniti fugâ abiêre; donec ſub verſperam advolantes Cinipæ, multis cum lachrymis collecta Patrum corpora ſuo in Templo honorificè condidêre, quorum deinde capita Mexicum translata ſunt.

Hujus tam glorioſæ mortis ſicuti ſemper cupidiſſimus, ità etiam præſcius fuiſſe videtur P. Julius. Inventa eſt à morte inter ejus monumentorum reliquias ſcheda, quâ conceptum Deo, pro Religione ſanguinẽ fundendi, votum continebatur. Paucis ante necem ſuam diebus cùm 18. Januarij apud Cinipas Deo litaret, advertit ſub ea Canonis verba, *omnis honor & gloria*, derepente corporalia linea recenti ſanguine tincta: quæ in ſacrario coram pluribus denuo revoluta inſpiciens, ſimiliter ſanguine rubentia illis oſtendit; credere ſe dicens, vel Reipublicæ cladem, vel ſibi necem eo prodigio portendi. Poſtridie verò cùm rurſum ea evolviſſet, deprehendit ad ſuum redijſſe candorem. Eodem autem die, nè fortè improvidum oſtenſi eventus occuparet, omnes ejus vici necdum tinctos Baptiſmo infantes ad ſe conferri juſſit, & lavacro ſalutari conſperſit. Tanta autem virtutis ipſius etiamnum viventis fuit æſtimatio, ut paſſim ab omnibus Sanctus nominaretur, multique ad eum vel idcirco literas darent, ut eblandito eâ ratione reſponſo, chirographum illius, thecæ reliquiariæ includendum nanciſcerentur, quod plurimis deinde vario morborum genere affectis ſalutare fuiſſe, plura exempla teſtantur. Certè militem in Arce Montesclaros referunt unius talis admotione chirographi, febrem, dolorémque capitis momento diſcuſſiſſe. Parabat nonnemo poſtulare aliquando à P. Julio, ut pro certa ſua neceſſitate Sacrum faceret: ſed occupavit ipſe inſperantem, & ſe pro ea, quam ipſi proponere volebat, intentione celebraturum ultro recepit, quo dicto hominem attonitum ſtupentémque vaticinatione reliquit. Aliàs inter litandum in Templo, quod rupto fornice fatiſcere, jámque ruinam ducere credebatur, populum metu diffugientem juſſit periculi ſecurum eſſe, non enim Sacram Ædem ante Sacrificij finem ruituram. Sacro peracto & dilapſis hominibus, templum repentè, velut poteſtate tum demum acceptâ, procubuit. Miles quidam Chriſtophorus Martinez noxio defluxu ità repentè ſideratus fuit, ut illi os momento fædè contortum, atque ad aurem uſque retractum, oculorum alter obductus & retruſus in cavum, alter item malè affectus ſit. Cùm ergo horâ noctis 10. mœſtus jaceret in lecto, cogitabat, *ô ſi Pater Julius Paſqualis vir ille Sanctus adeſſet, procul dubio mihi redintegraret ſanitatem!* Vix cogitando ea verba finierat, cùm venientis jumenti adventum mirabundus exaudit. Erat P. Julius: ad quem continuò excipiendum dum æger exilit è ſtrato, & vultu obvoluto procurrit: *Domine Chriſtophore*, inquit P. Julius, *ego ſi Sanctus forem, tu quoq; ſanus fores: ſed flecte genua.* Cúmque ille flexiſſet, recitavit ſuper illo, ùt facere conſueverat, Evangelium, & malum Cruce ſignavit: quo facto citiùs quatriduo integræ ſanitati eſt reſtitutus, nullo relicto mali veſtigio.

(O)

P. ANTO-

P. Antonius Bellauia Siculus Soc. IESV. odio Sacramentalis Confessionis sublatus ab Hæreticis in Brasilia ad Pernambucum 4. Augusti A. 1653.

C.S.d. M.K.f

P. ANTONIUS BELLAVIA.

FEliciſſimis progreſſibus res Chriſtiana procedebat in Braſilia, Socijs jam centenis pluribus barbariem illam ſucceſſibus proſperrimis ſubigentibus, ut jam inſanam humanorum corporum ingluviem obliti, immaculatas è contra Agni Euchariſtici carnes unicè eſurirent, ad quarum deguſtationem nullo non anno ſupra 70. millia Chriſtianorum Braſilorum accedebant. Interim hoſtis humani generis non ceſſavit tam bene cœpta impugnare, & ad eorum everſionem tam internas perduellium barbarorum rebelliones, quàm externas ab hæreticis ex Europa mutuatas vires admovere. Excitavit imprimis novum ſuperſtitionis phanaticæ inter indigenas monſtrum, Chriſtianæ Religionis æmulum, authoribus quibuſdam veneficis, qui ſe à Dæmone horribili formâ apparente illud edoctos jactabant. Creavêre hi ante omnia Sacrorum Dæmoniacorum Regem, quem etiam Papam dixerunt, & ſub eo plures Epiſcopos ac Sacerdotes, ad quos peccata confeſſuri accederent: Scholas quoque veneficijs ſinè omni mercede gratuitò docendis, ad imitationem Scholarum Societatis, ſub uno Magiſtrorum Præfecto, in quolibet pago inſtituerunt, & Miſſæ quoddam ſimulachrum, quo Dæmoni per conventicula litabant. Globulos filis inſertos, conceptis ad eun-

eundem per ſingula grana precibus, diſtribuebant multitudini, utì & libros ſtylo Diaboli conceptos, in quibus primarium hoc dogma tradebatur, venturos è remotis Inſulis ingenti claſſe dudum mortuos majores ipſorum, ad quorum appulſum omnes repentè Luſitani aut morerentur, aut in piſces, ſues, aliàsque malas beſtias mutarentur. Baptiſmi etiam quâdam ſimilitudine lavacro infernali initiatis, ſi qui ad eminentem perfectionem aſpirare vellent, ijs palàm id votum profeſſis ſuccus herbæ propinabatur, Petiniæ dictæ, quo hauſto alienati à mente bacchabantur horrendis aſpectu motibus, oris, & totius corporis: quos quò quisque immaniores & viſu fœdiores ederet, eò ſanctior diviniórque prædicabatur. Ex his à Pſeudo-Hierarcha quoquo verſùm dimiſſi ad ſectam diſſeminandam inſanæ diſciplinæ Magiſtri, eos in credulis barbarorum animis motus excivêre, ut multis quotidie Luſitanorum crudeliter enectis, agris vaſtatis, contra efferatorum vim & multitudinem parum Luſitanis præſidij in armis eſſet, ſed latebris paſſim captatis vitam ſervare cogerentur.

Horum ferociâ vix utcunque, operâ præſertim Sociorum omnia latè concurſantium, & leniſſimis congreſſibus barbaros demulcentium, oppreſsâ, ecce tibi ab Europa Batavorum claſſes Braſiliam infeſtare, Luſitanica præſidia, adjunctis ſibi Indorum animis, invadere, expugnare, & necdum bene coalitam Religionẽ orthodoxam extirpare cœperunt. Atque hoc ipſo tempore ſub annum 1620. Moderatorum juſſu pervenit in Braſiliam P. Antonius Bellavia, ortu Siculus, cujus mortalium juvandorum ſtudio, vaſtóque animo, cùm minor Europa videretur, ad Indicum Orbem toto animo aſpirabat. Erat illi non tantùm animus in Deum integer & ſincerus, ſed exterior etiam corporis ac vultûs modeſtiſſima ſpecies, ut qui eum contuerentur, veram ſe abſolutæ formam virtutis habere præ oculis crederent. Ut primùm Braſiliam attigit, diligenti ſtatim ſtudio ad linguam gentis perdiſcendam incubuit, cujus egregiâ gnaritate cùm ſe totum deinceps in ſalutem Indorum impendere pergeret, juſſus eſt à Superioribus militum Luſitanorũ animos, qui Hollandorũ progreſſibus objiciebãtur, procurare. Cùm enim Hollandi Pernambuco dejectis Luſitanis, molirentur res ibi ſuas ſtabilire, impediendis eorũ conatibus oppoſuêre iſti uno ferè ab ipſorum caſtris milliari, noviter excitatam munitionem, quam Arrajal nuncupavêre, impoſitóque præſidio P. Antonius adjunctus eſt, qui militibus atque indigenis, ùt res poſceret, ſpirituali adeſſet auxilio. Biennio ferè provinciam hanc ſuſtinuit, tam luculentâ in omnes charitate, & eximiæ Sanctitatis præbitis documentis, ut nemo eſſet ex omnibus, qui eum non haberet & veneraretur pro Sancto. Nunquam eo temporis ſpatio in hæreticos procurſum eſt (excurſum autem eſt creberrimè) nunquam armis & prælio decertatum, quin cum manipulis provolaret Antonius, vitæ prodigus, dummodo nè aliquis armatorum Confeſſionis expers è vita decederet. Demum ingruentibus aliquando Batavis cùm erumperet obviam Luſitanorum acies, Antonius ſe illis, quo ſaucio. rum excipiendis more ſuo confeſſionibus præſto eſſet, adjunxit: ubi inter acerrimum utrinq; principio conflictum obvolitans Antonius, glande trajectus quidem & ipſe eſt, ſed nihilominus neque vulneris, neque vitæ ſuæ ductâ ratione, pugnantibus ubique Catholicis adeſſe, cadentes excipere, expiare. Donec inclinatâ ad Batavos fortunâ, recipientibus ſe Luſitanis hoſtium numero oppreſſis, ipſe ad expiandos morientes, depoſitâ vitæ propriæ curâ remanens, in ipſo hoc eximiæ in Deum & proximum charitatis actu circumventus, animam ſuam pro fratribus poſuit. Demiſerat fortè ſe in ipſo momento ad expiandam proſtrati, & animam agentis militis conſcientiam, cùm duo illum ex hoſtium hæreticorum numero occupant, & quo ſunt in omnia Catholicorum Sacra, & imprimis in Pœnitentiæ Sacramentum inflammati odio, Patrem inviſo fungentem munere diſtrictis mucronibus, infeſtis ſclopis impetunt, aliquot in capite vulnera, aliquot imponunt in gutture, & hominem inermem, neque adverſi quidquam molientem, impiè contrucidant die 4. Aug. A. 1633. cùm ageret ætatis ſuæ 41. Corpus ejus triduo inſepultum, ob confertam illud certatim venerantium, deoſculantium, & velut ad Sancti exuvias, pio contactu coronas, imagines, precatorios libellos admoventium, relinqui debuit; ſummo deinde omnium luctu & lachrymis tumulo ibidem impoſitum.

P. CHRI-

P. Christophorus de Mendoza Soc. IESV. clarissimo apud Hispanos genere ortus in Peruvia, crudelissimè ab Idololatris pro Christo necatus in Paraqvaria Ibiæ. 25 Aprilis A. 1635.

C. S. d. M. K. f.

P. CHRISTOPHORUS DE MENDOZA.

CLarum inter Hiſpanos Mendozarum Nomen eo etiam titulo illuſtrius evaſit, quòd magnæ Peruviæ pars, quæ montanas Regiones Civitati S. Crucis adfitas amplectitur, eorum auſpicijs Catholico Regi ſubacta eſt. Ejus Regionis gubernaculâ quâdam veluti ſucceſſionis prærogativâ cùm poſt avum, ejus Provinciæ primum Adminiſtratorem, obtineret P. Chriſtophori parens, ibi eum filium ſuſcepit, in baptiſmali lavacro Rodericum appellatum. Quod ille nomen Societatis ineundæ cupiditate exardeſcens, adſcito Chriſtophori nomine commutavit, dum clàm è domo profugus, & ſanguinis claritudine diſſimulatâ, longo terrarũ intervallo, nè à ſuis impediretur in Paraquariam contendit. Illic Societati auctoratus, per omne virtutis genus impigre ſe exercuit, intimâ imprimis ſui deſpicientiâ, & miſerorum tantâ compaſſione, ut cùm aliquando per ſomnium mendicabulum ſtipem depoſcens cernere ſibi videretur, ipſa quibus tegebatur ſtragula ab ſe verè detraheret, & ſomniato pauperi projiceret. Regularum Societatis, ac præſertim ſtata orationis & Examinum tempora obſervandi adeò fuit ſtudioſus, ut in Reductionibus etiam, ubi præter illum nemo alius aderat domicilij incola, ſignum tintinnabulo ad ea obeunda ſem-

per accuratè ederet, perinde quasi plures domestici præsentes eorum commonendi essent. Adhibitus primùm est Sacerdotio jam initiatus, & barbarorum idiomatibus ad elegantiam percultus, ad tractum Gvayræ excolendum; unde transitu facto in Provinciam Tingau, omnes eos labores, & viliſſimorum munerum tractationem subijt, in colligendis per montana palabundis Indis, & per certas Reductiones distribuendis, quas non semel antè in gestis aliorum memoravimus. Ejus industriæ debetur præter colonias Tingau, nova ex integro fundata Reductio ad fluvium Yneay, quam à Sancto Paulo nominavit; item Sancti Michaëlis, quam numero bis mille Christianorum adauxit; Sancti Antonij, & Bityrunia, quas ita percoluit, ut frequenti Sacramentorum usu, & Christianarum exercitatione virtutum, etiam veteranis fidelibus proponi possent in exemplum. Et nisi Paulopolitanorum obstitisset immanitas, longè plures Reductiones instituisset. Sunt autem Paulopolitæ, coloniæ hujus nominis in contermina Brasilia incolæ, fæx hominum è transfugis Europæis, in Christiani nominis ignominiam Brasilis fœdere juncta; qui frequentibus in Paraquariam incursionibus prædas hominum, nullo Ethnicorum Christianorúmve discrimine, ex Reductionibus agere, atque in mancipia distrahere, & divendere solent: sæpius hoc nomine anathemate à Romanis Pontificibus perstricti, quòd Religionem Catholicam in Paraquaria barbarâ crudelitate pessumdarent. Quorum aliquando furoris veluti torrente undecim florentiſſimæ Reductiones Sociorum curâ administratæ funditus eversæ sunt, multis Christianorū millibus à nefarijs his Christianis, eóq; nomine indigniſſimis, partim crudeliſſimè necatis, partim in duriorem morte servitutem abreptis: nequidquam Patribus, Superum hominúmq; fidem obtestantibus: à quibus pro misericordia vulnera sæpius & verbera, aliqui etiam violentam mortem retulêre. Ex horum tamen iniquiſſima captivitate & vinculis plures variarum Reductionum incolas vindicavit P. Christophorus, ingenti animi magnitudine contempto capitis discrimine, & vitâ præsentiſſimo mortis periculo aliquoties expositâ. Quæ mentis excelsitas inprimis eluxit, cùm eos vastatâ potiore Provinciæ parte insolentes intrepidus adijt, rogavítque, ut Christianos matrimonio junctos liberos dimitterent, neque pergerent Christo, quem & ipsi DEUM agnoscerent, atrocem injuriam irrogare. A quibus responsum est arcubus & bombardis, quibus comitum pars læsi, pars occisi; ipse autem duo spicula jugulo excepit, interiturus haud dubiè, nisi miraculo DEUS vitam ei prorogâsset, ad tot mortalium, quos Cœlo deinceps lucratus est, salutem.

Feliciùs aliàs missu P. Petri Romeri Moderatoris Reductionum, ad eripiendam ejusmodi prædonibus captivorum multitudinem excurrit; assumptis enim omnibus Reductionis suæ viris incolis, improvisè velocitérque latrones oppressit, omnésque prædâ, & plurimorum ex Reductione JESU MARIÆ captivorum numero exutos, in potestatem redegit. Quos cùm non alienigenas, sed populares Christianis infensos comperissent, qui ad Christianos Brasilis in captivitatem vendendos conspiraverant, non aliâ in facinorosos (quis tantam in novellis Fidei plantulis, nuper omni barbarie efferis, erga inimicos charitatem expectaret?) pœnâ animad. verterunt, quàm exprobratione sceleris, & adhortatione ad pietatem nervosâ. Quos tamen unà cum familijs suis aliò traducendos remotiùs à Brasilia decrevit Pater, tum ut sensim fidelium consortio perducerentur ad Christum, tum ut sibi securitatem ab eorum machinationibus præstarent. Maximâ verò Christianorum voluptate simul, & charitate his ipsis capitalibus hostibus ubiq; exceptis, omnia quæ ad vitæ cultum necessaria fuêre suppeditata sunt, latéque fama sedulam Patrum in suis tuendis sollicitudinem pervulgavit. Quo factum est, ut ingens Indorum Fidei & humanitatis adhuc expertium multitudo concurrerit, postulantes aliquem è Patribus, qui se suósque Religionem & humanos mores edoceret. Verùm Patres quoniam parvo numero vix parta hactenus tueri poterant, in præsenti quidem spe plenos dimisêre: tantus enim credentium novis quotidie augescens accessionibus erat jam tum numerus, ut in solis duabus Uruay & Paranæ Reductionibus ad nonaginta quinque millia vitali lavacro à Patribus expiata sint. Post hæc P. Christophorus suorū securitati quantùm posset in futurum provisurus, vicinos Caeiquios omnes, & populos ijs subjectos ad Societatem & amicitiam, si ad Religionem non posset, colendam, sollicitare constituit. Quos inter præcipuum quendam, & à magijs percelebrem Yeguacapanu nomine, primò omnium tentare aggressus est: eà etiam insaniâ tumidum, quòd Divinitatem sibi per veneficia concilians, rerum omnium Conditor à suis haberi & coli affectaret. Ad eam

rem

rem conficiendam ultro operam ſuam obtulit Reductionis JESU MARIÆ Caciquius, Mago quondam ante ſuſceptum Baptiſma perfamiliaris; qui eum verbis molliſſimis, & pretioſis donarijs (meris apud Europæos crepundijs) in omnem partem verſans, non tantùm ad pacem cum Patribus colendam non inflexit, ut è contrà in legem ab ijs divulgatam, utpote Divinitati ſuæ præjudiciosam furiosè debacchatus, Antonium etiam ad operam ſecum illis de medio tollendis jungendam ſollicitare præſumpſerit. Pater eâ ſpe dejectus noctes interim inſomnes ducere, & ſuper commiſſum ſibi gregem, nè qua vis aliunde hoſtium improviſa ingrueret, excubare: dum iterum reſumpto conſilio alios è diverſis partibus confines populos experiri conſtituit. Itaque ad amnem uſq; Tibiquarium profectionem ipſemet adornat, ineundæ cum accolis amicitiæ causâ, quò ſuis ipſi finibus hoſtem arcerent, neque tranſitum ad Reductionem ſuam permitterent. Perhumaniter acceptus, & magno animorum motu auditus, datâ receptâque fide ad alium populum ſe convertere, per quem pronior hoſti, & ſuis periculoſior patebat acceſſus, ſimilis exitûs confidentiâ, audacter conſtituit.

Vallem is incolebat vaſtiſſimam Coaguape, Braſiliæ à tergo adſitam, quam multi continuique montes efficiunt. Populus mitis & tractabilis ingenij, quique non multò antè graſſante peſtilentiâ Patres à Reductione JESU & MARIÆ popoſcerat, tum ad prædicandum Evangelium, tum vel maximè ad baptizandos infantes, nè ſalutis expertes eâ peſtilentiâ decederent. Quæ omnia acceſſum Patri magnopere ſuadebant: ſed timor unus retrahebat regionis, quâ ſubeundum erat, hoſtilis animus, & latrocinijs locus infamis: cui nè temerè caput obiiceret, conſulto multis Sacrificijs & ſui afflictationibus Numine, aliorum etiam Patrum vota explo ravit. Una omnium atque eadem ſententia fuit, è DEI gloria fore profectionem illam: periculum enim ab interjecta natione neque adeò certum eſſe, poſſeque aſſumpto in tutelam animoſiore Indorum comitatu evitari. His confirmatus Pater iter arripuit ipſis Paſchæ diebus A. 1635. per Ibienſium Regionem, in qua plurimum diſcriminis formidabatur. Verùm incolæ ultro obviam Patri effuſi, & munuſculis conciliati, pronis auribus differentem de Fidei myſterijs audiverunt, rogarúntq; ut in reditu locum apud illos Reductioni deſignaret, in quam ſe ex montibus colligere & recipere poſſent. Ab his ità diſpoſitis iter reſumens, ad terminum proſperè pervenit, maximo ejus gentis gaudio exceptus: cui efficaciter perſuaſit, nè prædonibus è Braſilia tranſitum concederent; & rationem ſimul edocuit, quâ nefarias eorum artes à ſuis poſſent cervicibus avertere. Poſtquam complures dies in catecheſi tradenda, & præparandis Evangelio animis apud eos inſumpſit, diſtributis magnâ copiâ inter indigenas acubus, hamis, aciculis, ſpeculis, globulis vitreis, aliiſq; nugis, eandem viam ad ſuos relegere ſub extremum Aprilis conſtituit.

Interea temporis Tayobay Caciquius, homo præſtigijs nobilis, & P. Chriſtophoro Religionis causâ infeſtus, à quo tamen extremo ſupplicio, cui veneficiorum causâ addicendus erat, ſubductus eſt, in caput ejus nefariè conjurat. Aggreſſus primùm fuit Coaguapæos in necem Patris ſollicitare; ſed ab ijs conſtanter rejectus, ad Ibienſes ſe contulit, à quorum plerisque cùm ſcelerata conſilia non admitterentur, ſollicitandum ſtatuit inſignè, quem commemoravi ſuprà magum Yeguacaparu, qui ſummam ſibi Divinitatem tribuebat, & vel hoc nomine cogebatur Patribus adverſari. Ille occaſione tollendi Chriſtophori, quod pridem avebat, lætus, arcu ſagittam emiſit; quod illis deliberati certique aſſenſûs ſignum eſt, continuò ciere Caciquios veneficósque frequentes, ad interciendum ex inſidijs Chriſtophorum. Rediebat is lætus, conceptâ meſſis uberrimæ ſpe, & transmiſſo Ibiâ amne, defunctum ſe jam omni periculo credebat, ubi præſertim venefici in inſidijs venientem præſtolantes, nè quâ ſuſpicione fortaſſe aliorſum deflecteret, hominem ad eum legârunt, qui gratularetur, atque ad exoptatum colloquium ſimulato officio invitaret. Ut ad ſylvam ventum eſt, ubi latebant inſidiæ, proſiliunt è latebris illico barbari, & confuſè in Patris comitatum tela contorquent. Hìc Pater ſocios itineris vehementer hortari, ut armis tantiſper primum hoſtium impetum ſuſtinerent, dum catechumeni imbelles, nè Baptiſmi expertes opprimerentur, tuti vicinos in montes evaderent. Primo congreſſu advertit Pater unum è Catechumenis vulnus accepiſſe, cui ſacro lavacro conſulturus, citato equo ſe proripit ad fluvium, aquam hauſturus Indo luſtrando. At quia equus ità ſe in voraginem cœnoſam induit, ut nec progredi poſſet neque regredi, deſiliens Pater aquâ ſtrophium imbuit, & quaſi vitæ ſecurus redit ad locum impavi-

dus. Ibi ereptâ Indo ligneâ parmâ, jussóque se fugâ subducere, solus hostiles incursus tam diu sustinuit, dum se in tuto nemoris recessu comites omnes collocarent. Tum verò parmam Pater, quam suorum, non suæ tutandæ vitæ sumpserat, multis perfossam locis, & hærentibus in ea spiculis gravem, abjecit, seque intrepidus morti obtulit: quasi dicens cum Christo: *si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Nec mora, sagittam mox unam altero temporum, & duas humeris excepit, binisque in capite ligneâ clavâ acceptis vulneribus, exanimi simili humi concidit. Nec dubitavêre barbari, additis prostrato compluribus ictibus, exanimatum; hinc despoliatum vestibus, mutilatum aure, calcatóque, quod pendulum de collo gestabat Crucifixi signo, nudatum in agro, quia densus urgebat imber, reliquêre.

Solebat P. Christophorus dum sanus viveret, aliquando dicere, diuturnum Martyrium sibi horridum videri, adeóque nè illo percelleretur, optare se brevem exitum. Verùm quando ea vis animi, quâ tormenta pro DEO subeuntur, haud nostræ facultatis, sed divinæ est, longam huic famulo suo voluit DEUS mortem obtingere. Itaque digressis percussoribus semivivus jacuit in lutoso cœno, sub Cœlo pluvio ad multam noctem, suo volutatus in sanguine, sensuum ac mentis expers; Ubi tandem sibi redditus est, neque adesse quenquam animadvertit, cùm ingredi per imbecillitatem non posset, in alium se æquiorem locum, quamvis non extra uliginem, reptando pertraxit. Ecce autem simul atque diluxit, reduces ad mortui, ùt rebantur, cadaveris lanienam venefici (æstimant enim barbarâ superstitione, nisi ventrem à se necati dissecuerint, percussorem tumefacto, quantùm ille cæso intumuerit, pariter ventre interitutum) ubi abesse comperiunt, cruoris secuti vestigia, non indè procul inter arbusta prolapsum, spirantem adhuc, & agonem suum DEO commendantem deprehendunt. Tum verò intentare opprobria, convicia, exprobrare DEI sui infirmitatem, qui nequîsset eum noxæ eripere. Quibus Pater, ad cetera mutus, Deo è contrà Numen asserere, & vecordiam illis suam, quâ Divinitatem sibi per dementiam adscriberent, objicere, collectóque extremo spiritu, veritatem Christianæ Fidei ardenter si unquam prædicare. Cúmque verbis & minis increpitus à laudibus DEI non desisteret, os illi malleo dirè contundunt, & convulsos dentes propè omnes excutiunt. Sed ille nihilò fractior verba facere; illi ex adverso dicentem verberibus impetere; quibus nihilominus & vitâ superstitem, & verbis facundum, rati in loco plano emori non posse, transverso ligno ceu phalangæ alligatum, raptant propinquum in clivum. Ibi redintegrato veluti spiritu cùm multò ardentiùs pergeret illeloqui, nasum ei atque aurem alteram primò præcidunt, mox labio utroque amputato linguam per cæsas sub mento fauces ab stirpe evellunt, pectus securi uno continente ductu per thoracem & ventrem lacerant, cor atque intestina violenter evulsa oculis ejus objectant; nunc demum visum iri ajentes, possítne mori. Ipse oculis semper inter hæc tormenta in Cœlum defixis, tandem per latè ductum vulnus magnam illam animam ad Superos emisit 25. Aprilis A. 1635. ætatis suæ 46. Societatis 19. Corpus enecti flammis absumere interfectores conati sunt, sed cùm ligna flammam nullo eorum conatu conciperent, in subterfluentem rivum prono lapsu illud devolvunt, ac tum ad paratas epulas digressi, duos adolescentes è Patris comitatu interemptos ad ganeam patriâ feritate absumunt. Necem P. Christophori tam immanem magnâ conscíorum clade ultæ sunt Reductiones, ipsius curæ aliquando subjectæ, interfectisque penè omnibus cædis authoribus, corpus honorificè translatum, in Templo Reductionis JESU & MARIÆ tumulârunt.

P. PETRUS DE ESPINOSA.

ILlustris generis aviti nobilitate, sed illustrior Religionis studio Espinosarum Familia, inclytos in utroque statu heroës in Boetica Hispaniæ tulit. Rarum in paucis decus illius censendum est, quod Petri parentes, quos genuêre 4. filios, omnes Societati JESU consecravêre, omnes insignes in ea operarios, & Apostolicis laboribus claros: quorum unica soror Beatrix, sæculo similiter & opulentis sponsalibus damnatis, in perpetuo cælibatu, cum egregia Sanctitatis opinione, vitam traduxit. Non degener à tam Sancta progenie Petrus, in ipsa pueritia pietatem impensè coluit, frequentior inter Socios versatus, quàm cum parentibus: ità assiduus

P. Petrus de Espinosa, Soc. IESV, illustrissimis Natalibus Hispanus, natus ab Idololatris odio Nominis IESV in Paraqvaria 3. Iuly. A. 1637.

C. Screta. del. Melch. Kusell. f

duus in Cœleſtium myſteriorum frequentatione, ut multis lachrymis, quòd illis aliquando dies octo abſtinuiſſet, ſe velut de atroci crimine accuſaret. Deſiderium intrandi Societatem, & pro animarum ſalute inter Indos deſudandi, penè ab infantia cum illo crevit: quod tandem in firmum propoſitum adolevit vaticinio germani Fratris, qui illum Cordubæ in literas incumbentẽ, epiſtolâ ex Peruvia datâ parentibus commendans admonuit, ut diligentem educandi Petri curam haberent, quem ſciret ipſe Indorum ſaluti, ac tandem Martyrio deſtinatum. Cujus vaticinij ſtimulo incitatus, poſtquam Societatem impetravit, novo iterum oſtento ad ſpem Martyrij inter Paraquarienſes obtinendi animatus eſt; dum Cordubæ in Templo ferventer orans, viſus ſibi eſt à barbaris in terram proſterni, raptari, cædi; ex qua viſione ſenſibus reſtitutus, humi provolutum re ipsâ ſe comperit, ità fatigato corpore, ac ſi revera inclementiùs vapulâſſet. Appulit interea Hiſpalim P. Franciſcus Vaſquez, ex Paraquaria ad Urbem Procurator: cujus adventum, velut de cœlo ſubmiſſam ſibi Indias petendi opportunitatem interpretans Petrus, Auguſtinum Fratrem ſuum conſulit. Qui collaudato ejus voto, miſſionem etiam ipſe apud Præpoſitum Generalem pro fratre deprecator urget, & Parentes magnâ pietate approbant. Igitur Sacris initiatus Hiſpali Ordinibus, & feliciter emenſo Oceano, ubi reſiduum inauditæ Theologiæ, ac tertiam Probationem abſolvit, in Guagiræ confeſtim Reductiones

ductiones dimiſſus eſt. Hìc ille primò omniũ in barbarorum idioma condiſcendum incubuit; quo exigui temporis ſpatio perfectè inſtructus, totum ſe in gentium illarum culturam, per omnia viliſſimorum, de quibus ſæpius meminimus, laborum exercitamenta expendit; felix inter paucos in cicurandis barbarorum ingenijs, & ad Fidem humanitatémque perſuadendis. Et videbatur ſingulari quadam arte, & facili ad omne opus induſtriâ cœlitus donatus, quâ præſtantiſſima quatuor Templa, in Nuatingui, Tayaoba, Caaro, & Lauretana Reductionibus, non deſcripſit modò, ſed ad faſtigium eduxit. Quarum incolis charus ſemper & in pretio fuit, cùm tamen illi, ex quibus Tayabenſem Coloniam bis mille capitibus à belluina vita reductis ſtabilivit, humanæ carnis voracitati ad inſaniam eſſent dediti.

Jam verò ſuperata his in conatibus diſcrimina, exantlatos humanis majores viribus labores, extremam rerum omnium indigentiam, nihil attinet hìc repetere, cùm ea ſatìs ipſa Miſſionum hujuſmodi arduitas declaret: quibus ipſe voluntarias inſuper pœnas, & tam arctam addebat abſtinentiam, ut præter milium aquâ coctum, ſalis, & omnis alterius condimenti expers, nihil præterea deguſtaret. Ad puritatem, quam ipſe Virgineam ſepulchro intulit, illibatè inter tot libidinum incentiva conſervandam, præter aſperè ſemper habiti corpuſculi præſidia, præcipuum fuit matris illius conteſtatio, quâ illum adhuc puerum aliquando decumbentem, flexis ante lectulum genibus, manantibus lachrymis ità affata eſt: *Cave ſis, fili mi, nè mortifero te unquam ſcelere obſtrinxeris; mortuum te malim, quàm inquinatum conſpicere. Vide nè quam in turpitudinem unquam prolabare: vide ut vel ipſam fœditatis umbram præ peſte, præ quavis pernicie vites. Multò maximo mihi ſolatio fuerit fili mi, ſi à te nunquam in id genus flagitij conſenſum iri ſpoponderis.* Spopondit verò ſanctè Matri optimæ optimus filius, nec minùs ſanctè ſervavit; eíque tuendæ non propriâ duntaxat manu incuſſa adhibuit flagra, ſed ab alijs nonnunquam cædi ſe, cum Moderatorum conſcientia, impetravit. Et quia Virum obedientem ſciebat loqui victorias, hanc præ omnibus Societati propriam Virtutem, ipſe etiam ùt pupillam oculi habuit; ità unicè à Superiorum juſſis, veluti ipſiuſmet Chriſti Domini, dependere aſſuetus, ut eorum nutibus nè quidem primos obluctantis animi impetus experiretur. Miſſus in Caarum ad conſtruendam ædem Sacram, Socijs quoque domum ſuam fabricavit, deſcripſitque Reductionis plateas, inſigni item normâ villas ſuburbanas. Una dies adhuc deſiderabatur ad totius operis abſolutionem, cùm Superioris aliò ipſum evocantis nuncium accepit; & continuò, nec illius diei moram operi perficiendo indulgens, in viam ſe dedit. Atque hujus ipſius virtutis ſtudium, & immenſa quædam in Indorum non tantùm ſalutem, ſed & commoda externa charitatis propenſio, viam illi ad glorioſam pro Chriſti Religione mortis victoriam aperuit.

Truculenti illi Fidelium Paraquarienſium hoſtes, iterum ex S. Pauli Braſiliæ oppido gentilibus immixti, Provinciam totam inundaverant, atque immani ſævitie Reductiones Guagiræ propè omnes devaſtaverant. Pars crudeliter cæſi, pars in ſervitutem miſerrimam abacti; ut adeò neceſſariò in eam ſententiam deſcenſum ſit, ut duæ D. Virginis Lauretanæ & S. Ignatij Reductiones, ex tredecim totius Guagiræ Reductionibus florentiſſimæ ſimul & antiquiſſimæ, quia injurijs excurrentium magìs obnoxiæ patebant, in alium remotiorem locum transferrentur. Acerbiſſima ea migratio incolis accidebat, quòd nullæ aliæ ſive Sacris, ſive profanis ædibus, meliùs inſtructæ eſſent Reductiones. Templa totius Paraquariæ elegantiſſima, duplici columnarum ordine interiùs affabre factarum, & pictis perbellè tabulis exornata, materia operis cedrina, & ornatus ſupelléxque omnis venuſtè concinnata. Oppida in quadrum extructa, plateæ rectæ & æquales, domus continentes commodæ & elegantes, ſua cuique loca, gallinis, anſeribus, aliìsq; avibus alendis. Ager cujuslibet grani, & goſſipij imprimis ferax, ex quo pannorum in ſuos & alienos uſus abundantia: in montibus greges, armenta in paſcuis, piſcatus in promptu. Hæc tamen omnia deſerenda tandem afflictiſſimis Indis fuêre, nè ſuam & liberorum vitam, conjugum pudicitiam, furori ac libidini perditiſſimorum illorum, & nomine Europæo atque Chriſtiano indignorum relinquerent. Itaque ſupellectili & omni annonâ in ſeptingentas canoas (navigij certum genus eſt) comportatâ, deſignato die conſcenderunt capitum ſupra 12. millia; dúmque ſecundo Parapane navigant, tertio à profectione die vacua oppida hoſtis occupat. Evitatum diſcrimen profugi dum invicem gratulantur, novũ & præſentius apud Guairam Urbem incurrunt, cujus cives ſtructo è materia vallo, fluminis anguſtias occupavêre, quo venientes interciperent in ſervitutem.

tem. Quos à ſcelere dehortatus Pater Antonius Ruiz exulum ductor, ubi nihil nisi minas retulit, auctis ſui ex deſperatione animis arma expedire, & viam vi ſibi facere conſtituunt. Quorum audaciâ è contra externati Gvayrenſes, ſuam ipſi jam libertatem depacti, liberum Indis curſum reliquêre. Ità feliciter ventum eſt uſque ad locum, quo Parana fluvius quantus ille eſt, ex altiſſima rupe, 12. leucarum lapſu præceps in rupes alias ruit, è quibus aquæ reverberatæ in eximiam altitudinem reſiliunt, tantâ colliſione, ut ad quatuor leucarum ſpatium murmur percipiatur; ex qua violentia, totis deinde 12. leucis continente ſpumâ albeſcentes defluunt, quæ Solis repercuſſu intuentium aciem vehementer hebetant. Ad hoc præcipitium exſcenſum ab omnibus eſt, & onera expoſita: 300. tamen canoæ aquis permiſſæ periclitandi gratiâ, num quæ fortè integra ad reſumendam infrà navigationem ad radices perferretur. Sed omnibus immani præcipitio ad ſcopulos confractis, iter deinceps pedeſtre 20. leucarum urgendum fuit, & Sarcinæ omnes cum annona per invia & confragoſa montium humeris deportanda, per intolerabiles Solis ardores, quibus nulla alia orbis plaga magis exæſtuat.

Adjunxêre hìc ſe ipſis P. Petrus de Eſpinoſa, & cæteri Reductionum Gvayræ Patres cum nova exulum multitudine, & diebus octo iter pedeſtre confecêre uſque ad flumen, ubi trajiciendum erat. Cùm autem nulla adeſſent navigia, neque tam expeditè nova parari poſſent, mox fames cœpta vagari, & ex illa morbi mortésque, quibus ſupra 2000. ſublati ſunt. Ergo multi tædio malorum retrò diffugientes, hoſti in prædam ceſsêre: pars magna per montes diſſipati, alij terram ſubigere ſpargendo ſemini, alij canoas moliri, alij temere compactis truncorum vel arundinum fragmentis ſe flumini credere, quorum alij undis hauſti, alij prodigio evaſêre. Tandem delecta à Patribus ſedes eſt exulibus ad amnem placidum, qui paulò infrà Paranæ ſe miſcet. Sed vacua cibarijs ora, & urgere morbi. Patres ſuis omnibus diſtractis, plùs 12. millia boum cæſa viritim ac domeſticatim diſtribuerunt: quibus licèt utcunque fames, non tamen Dyſenteriæ malum, quo plerique fatigabantur, leniebatur. Ecce autem miram Divinæ Bonitatis providentiam! ſubnaſci repentè in flumine cœpit herba inſolens, Igau ipſis dicta, optimi ſaporis & alimenti, morbóque illi efficaciſſimum remedium. Hanc cùm legerent, & magnâ avidi-

tate carnibus incoctam ederent univerſi, & profuit ad ſanitatem, & quotidie tantum ſubnaſcebatur, quantum omnibus ſufficeret. Quotidianum prodigium duravit uſque ad adultam meſſem: quæ ubi maturuit, herba ſimul videri deſijt. Ceterùm quanti labores Patrum, profugos deducentium fuerint, cogitari faciliùs quàm explicari poteſt: potiſſimus in alendis orbis pueris fuit, paſcendisque pecoribus, cùm & bubulcos, & lanios, & cocos medicósque in dies agere cogerentur. Sed hæc demum mala glebæ felicitas, in qua coloniam moliebantur, temperavit, omnium ferè præter materiam ad corporis indumenta ferax. Cui occurſurus indigentiæ P. Antonius Ruiz Reductionum omnium Superior, coëmptas in Urbe S. Fidei 1800. oves lanificio deſtinavit: ſed quî illæ per loca aſperrima & latronibus infeſta adducerentur, in ancipiti fuit. Hìc verò P. Eſpinoſa ingenti in miſeros charitate, periculorum ambitu & ſui deprimendi ardore incenſus, ſtudioſè onus hoc in ſe derivare, ac tam diu pecoris ejus adducendi provinciam, licèt diu ad paſtoritiam hanc curam virum tantum deprimere exhorreſceret P. Antonius, ſibi depoſcere, dum denique voti compos, effectus eſt.

Ergo ingenti lætitiâ iter cum aliquot ex indigenis ingreſſus, & feliciter etiam, licèt maximis difficultatibus, inediâ, defatigatione, fluminum latè campos inundantium vadatione emenſus, receptum pecus magnâ alacritate ad ſuos agebat, donec ad fluvium reſtagnante alveo minimè in reditu vadabilem deventû eſt, ut proinde ſcaphis impoſitæ pecudes fuerint transvehendæ. Jamque magnam partem transmiſerant, cùm reſpiraturi tantiſper & ſiccaturi per noctem veſtes, ignem excitavêre: cujus fumo admoniti finitimi Guaiquirenſes, homines efferi & Idolis addicti, intempeſtâ nocte incurrunt, ac primâ aggreſſione quinque Indos, qui propter Patrem accubabant, contrucidant. Pater expergefactus in præſenti periculo JESUM & MARIAM inclamat; quem barbari facilè quis eſſet agnitum, non tam frigidè ſibi necandum, utpote capitalem Deorum ſuorum hoſtem exiſtimant, ideóque veſtibus omnibus nudatum, fuſtibus immaniter contundunt. & Cœlo iſtic per Julium menſem frigidiſſimo, ſub dio exponunt. Cùm verò eadem Sacratiſſima nomina, quaſi præſentem JESUM & MARIAM cerneret, Pater identidem ingeminare non deſiſteret, irritati vehementiùs barbari, verbera multiplicare, fruſtra eorum auxilium implorari dicere, ficta ea Numi-

nâ

mina & commentitia eſſe, nec cuiquam poſſe opitulari. Sed quò crudeliùs ſæviebant ipſi, hòc ardentiùs DEUM ille invocabat, & blaſphemias homicidarum eundem Deum execrantium redarguebat: dum demum in rabiem ultimam acti, caput ei bifariam diſſecuerunt, & de reliquo tigridum immanitati laniandum expoſuerunt; à quibus diſcerptus, & præter crus unum, atque unum brachium, devoratus eſt. Digitos inventa manus adhuc habebat decuſſatos in Crucem, pro cujus honore tuendo paſſus eſt die 3. Julij A. 1637. Eâdem quâ mortuus eſt horâ, uni ex Socijs Juliano apud Itatines, 200. indè leucas, immortali gloriâ conſpicuus apparuit, hiſque affatus eſt: *bene tibi ſit mi frater, ad ſuperos ego nunc lætus abeo.* Alteri quin etiam ejus familiari biduo priùs quàm neci daretur patefactum eſt divinitus ipſum illud periculum, quod incurrebat: & tota deinde occiſionis ratio cùm perageretur, diſtinctè eidem, cùm longo indè abeſſet locorum intervallo, demonſtrata eſt.

P. DIDACUS DE ALFARO.

IMmenſus ille Servatoris noſtri in mortales amor, *in quo cognovimus charitatem DEI, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit,* per dilectum ejus Diſcipulum 1. Joan. 3. promulgatus omnibúsque DEUM diligentibus in exemplum propoſitus, ut ſi veri ſectatores Chriſti eſſe velimus, *& nos debeamus pro Fratribus animas ponere;* tanto ardore animum P. Didaci inflammavit, ut expoſitis quotidianæ Paulopolitanorum luporum prædæ oviculis Chriſti Paraquarienſibus in paſtorem datus, *videns lupum venientem,* nequaquam eas ùt *mercenarius dimittens fugerit, ſed ante eas vadens, animam ſuam dederit pro ovibus ſuis.* Joan. 10. Natus fuit Panamæ, Urbe percelebri ad mare Pacificum, eo in Iſthmo, qui utramque committit Americam, Parente Regio Senatore, à quo Limam primùm Peruani Imperij Caput manſuetioribus literis imbuendus, ac deinde Salmanticam ad ſeveriores diſciplinas transmiſſus eſt. Ibi injectâ divinitus mente Societatẽ exambiens, anno ætatis 18. Tyrocinium auſpicatus eſt, & biennio pòſt Villagarziæ Religioſa vota DEO nuncupavit. Nec multò pòſt ardoris illius, quo ad ſalutem proximi curandam agebatur, impatiens, anni inſequentis Majo in Americam navigavit, ubi Cordubæ in Tucumanis Philoſophiæ Theologiæque ſpacia cum laude decurrit. Quo tempore Sacerdotem ad ægrum extra Urbem comitatus, incidit in profluentem, jumentóque unà ſecum aquarum vi abrepto, ſub undis citra ſpem vitæ aliquanto ſpatio abſtractus fuit. Homo Indus, qui jumentis curandis pedes ſequebatur, inſilit intrepidè in fluvium, & nandi peritiâ periculi ſecurus, quæſitum atque apprehenſum protrahit in ripam, ſui & ſenſûs omnis expertem. Ubi ad ſe redijt, & in ſe officium Indi intellexit, vitam quam ab Indo conſervatam accepit, ex illo momento Indorum ſaluti voluit eſſe devotam. Igitur Sacerdotio initiatus, laborioſiſſimam Paraquarienſium culturam precibus & lachrymis impetravit, brevíque Gvayranicam linguam labore improbo condiſcens, ſtrenuam populis illis vagis operam navavit. In Reductione Conceptionis poſtquam aliquamdiu Apoſtolico muneri incubuiſſet, à Sacro Inquiſitionis Limenſis ſenatu juſſus eſt ſacri Commiſſarij operam in Urbe Aſſumptionis ſuſtinere, conſtitutus unà Collegij ibidem Rector. Quâ utrâque poteſtate ex dignitate geſtâ, magnis poſtulationibus iterum impetravit Reductionibus Paraquarienſium reſtitui: ſed aliter non obtinuit, quàm ut conſtitutus Præſes omnes eas colonias, quotquot in Gvayrana Paranâq; provincijs deductæ ſunt, moderaretur.

Dici vix poteſt quantâ in ferendis barbarorum incultis moribus fuerit tolerantiâ, in ijs cicurandis patientiâ, in inſtituendis longanimitate. Ipſe valentibus & ægris omnia fieri, tam in his quæ ad corporum, quàm quæ ad animorum ſpectarent neceſſitatem: ipſe ſuâ manu venam infirmis incidere; graſſante contagione deſtitutos fœditatis horrore ab ipſis ſummè neceſſarijs fovere, præſtò ſemper adeſſe; egenis ad vitam neceſſaria conquirere; vitâ functos humare; adverſùs Braſilorum crudelitatem tutari, & ab obnoxijs periculo colonijs abductos, ad loca tutiora deducere. Ubi in ſedium novarum molitionibus quid laborum, velut omnium anteſignanus ſubierit, quid exhauſerit ærumnarum, quis verbis exæquet? Et tamen ultro etiam in ſui corporis tractatione ſemper aſper & immanſuetus, verberando, vexando, eſſe perrexit; in cultu atque omnium re-

rum

P. Didacus de Alfaro, in America Laxamæ illuſtri Sanguine natus, Soc. IESU, in obſequio Paſtoralis animarum curæ ab infideli-bus cæſus in Paraquaria. A. 1639. die 17. Ianuary.

rum uſu apprimè tenuis, ſic ut ipſam reliquiariam, quam de collo piè geſtabat thecam, non niſi ex arundinis geniculo confectam haberet. Atque his inſtructum boni Paſtoris virtutibus invidenda mors occupavit, illata ipſi à crudeliſſimis Piratiningæ (oppidum eſt in extrema Braſilia Paraquariæ conterminum, aliàs S. Pauli dictum) incolis, qui armatâ promiſcuæ multitudinis ex Europa atque America collectæ manu erumpentes, innoxios everſis Reductionibus, in diram rapiebant ſervitutem, fideles juxtà ac infideles. Quam violentiam ſæpius experti Paraquarienſes Chriſtiani, cùm occuparentur improviſò, demum hoſtem armis excipere, libertatis ipſi ſuæ, & Chriſtianæ, quâ ſuſceperant, Fidei vindices, decrevêre, & vim depellere telis adverſis.

Igitur A. 1639. cùm rumor adventantium latronum increbreſceret, & jam in finitima vicinitate prædas egiſſent, Paranenſes haudquaquam cunctandum, ſed obviàm procedendum rati, copias omnes ſuas in agmen cogunt, & diſciplinâ militari ſatis inſtructi, ultro progrediuntur in aciem. P. Didacus, qui ſuos eo tempore deſerere nefas putaret, priusquam exiret in campum, aut præſagus futuri, aut præſcius, ad ſolidum mentem ſeceſſit in locum ſolum atq; avium, & ſpiritualibus Exercitijs ſe diligenter excoluit. Ubi tempus prodeundi adfuit, Indos ſuos ad agendum fortiter, Deiq; gloriam, ac ſuam cum Fide libertatem vindicandam cohortatus, nuſquam ſe illis defuturum pollicitus eſt; imò ſe ſanguinem pro illis vitámque

per vulnera poſiturum: illud meminiſſent duntaxat, nè ſuo perculſi caſu à perſequenda victoria deſiſterent. Tum ſcriptis ad quempiam Sociorum abſentem literis, extremum illi vale dicit: exire ſe in prælium ad ſuorum Indorum defenſionem, in eóque hoſtili ſe glande propediem occubiturum. Ità comparatus ubi movit in hoſtem, nihil in eo deſideratum eſt, quod ad Paſtoris optimi, gregem ſuum à luporum rabie tuentis officium pertineret. Victoria penès Indos ſtetit, prædones prædâ ceſſêre, pars ferro cæſi, ceteri in fugam acti. Verſabatur Pater nunc media, nunc extrema in acie dimicantium, ubi res conſilio vel hortatu, aut neceſſitas morientium extremâ abſolutione egebat. Interea unus quiſpiam ex hoſtibus, qui credebat eo ſublato caſuros Indis animos, ut facinus egregium faceret, clàm ſe poſt vepretum abjecit: indè ubi commodum nactus eſt ſceleris exequendi modum, ex inſidijs ſclopum collineat, & glande tempora lævúmque oculum ità ſtringit, ut ipſo in veſtigio Pater conciderit penè exanimis. Unde mox in caſtra receptus, Indulgentiarum præſidio, Societati in extremo articulo conceſſo procuratus, vitam ibì honeſto fine, plenóque æternæ gloriæ terminavit haud procul à ſylva Cazapaguazu 17. Jan. A. 1639. ætatis 42. imitatus S. Deſiderium & Theodardum Epiſcopos, quos in ſimili cauſa pro defenſione creditarum ſibi ovium necatos, Eccleſia veros Chriſti Martyres agnoſcit & veneratur 23. Maij, & 10. Septemb.

Eſt autem tempus illud anni, quo Pater necatus eſt, ijs in locis maximè caloribus æſtuans, nihil uſpiam umbræ, quâ ſervari corpus, & à tabe defendi poſſit. Et tamen cùm poſtridie ſuccollantibus Indis cadaver ejus deferretur ad Reductionem Conceptionis, ad tricenas minimùm leucas, nihil graveolentiæ adſpirabat: imò occurrentes in via Paranenſium ſuppetiæ, integrum, & quaſi ſpirantis inſtar mirabundi deprehenderunt, & venerati ſunt. Die tertiâ cùm ad locum ſepulturæ appulſum eſt, neque tumidum, neque tabidum, neque olens fuit, ſed ea duntaxat pars frontis, quæ fuerat glande contuſa, nonnihil affecta viſa eſt. Magna comploratio extitit Neophytorum, cùm Patrem ſuum mortuum excepêre, & inter gemitus lachrymásque multitudinis, prope P. Rochi Gonzalez de S. Cruce corpus, compoſuêre. Gloriam mortis ex officio Charitatis oppetitæ, ab æmulatione atque obtrectatione nonnullorum vindicavit inſigni panegyri, unus ex Senatu Eccleſiaſtico in Urbe Aſſumptionis, ità orationem ſuam concludens, ut Paſtorem verè Evangelicum, atque ex ſententia Chriſti Servatoris verè bonum prædicaret, qui pro Dei Domini ſui grege certaverit contra infernos lupos, & pro ovibus ſibi concreditis fortiter animam poſuerit. Siquidem à ratione Martyrij alienum non eſt, ſi Paſtor non ſui tuendi, vel reſervandæ vitæ ſtudio, hoſtisve feriendi, ſed ſervandi gregis ſui cauſâ, dum ad Fidei periclitationem depoſcitur, in aciem prodeat, & in pugna cadat: cùm ad id officij obligetur, & mors ejus conteſtationi Fidei ſubſerviat, utpote qui obiti ejus officij invidiâ ab impijs occidatur; neque tam ſuæ neci ipſe repugnare, quàm ſuos ab injuria, & perfidiæ periculo prohibere cenſeatur. Hinc Eccleſia S. Ericum Regem Sueciæ ad diem 18. Maij, & S. Olaum item Regem ad diem 29. Julij refert in Martyrologio Romano, quos in bello arma tractantes, & quidem propriâ manu in hoſtem depugnando, occubuiſſe, vitæ illorum Scriptores tradunt.

P. GASPAR OSORIUS DE VALDERAVANO, P. ANTONIUS RIPARIUS.

EAdem Paraquaria horum Patrum conatus dum viverent exercuit, & in præmium laborum crudeli nece irrogatâ, utrumque pro aſſerta Religione Chriſtiana de medio ſuſtulit. P. Gaſpar patriâ Hiſpanus magnis animis Societatem ingreſſus, cùm ardorem ingentem concepiſſet Indis opitulandi, in Paraquariam An. 1617. trajecit. Ibì poſt varia Societatì conſueta munia, & Rectoris etiam officium ſingulari ſubditorum charitate adminiſtratum, reliquam vitam omnem in Miſſionibus ad gentes incultas obeundis expendit: ijſdem ærumnis, laboribus & periculis exercitus, quæ jam ſæpius in alijs memoravimus. Quoties ad audiendas Confeſſiones accedendum illi erat, ſuum priùs ipſe animum attentâ meditatione incitabat ad peccatorum odium, ut idem penitiùs pœnitentibus imprimeret. Idem facie-



P. Gaspar Osorius de Valderavano Hispanus, et P. Antonius Riparius Italus Soc. IESV. crudeliter ab Idololatris pro Christo occisi in Paraqvaria apud Ciacos, A. 1639. 1. Aprilis.

C. S. d

faciebat quoties ad novos populos ſuccederet, poſitis humi genibus, & in amplexu Crucifixi prolixâ commentatione DEUM precatus: atque eodem deinde oris & corporis habitu, animo in Divinitatem abrepto alacer intrabat. Sed neque ad populum ſive ex ſuperiore, ſive ex æquo loco dixit unquam, nisì priùs ipſe ferventi meditatione exarſiſſet: ex qua deinde tanta vis in dictionem ejus derivabatur, ut obſtinatiſſimorum etiam corda percelleret. Eodem præſidio inter nudos plerumque mortales, & belluinâ propè libidine effrenes, diu noctúque verſatus, intaminatam ſervavit pudicitiam, multarum etiam ſollicitationum, quas à procacibus fœminis ſuſtinuit, victricem. Cui faciliùs tuendæ præter obvia ſemper incommoda, & rerum ferè omnium penuriam æquanimè toleratam, graves corporis adhibuit afflictationes, quotidianam communiter ad ſanguinem flagro nodis ferreis præfixo diverberationem, cilicij & jejunij perpetuum uſum, duriſſimam noctibus ſuper ſolo bubulo tergore, lapide pro cervicali ſuppoſito, cubationem, quem lecti rigorem nè in morbo quidem remiſit. Servitium nullius unquam etiam Rector exiſtens paſſus eſt, & in Miſſionibus nè quidem ad victûs & cibi ſui condituram operam alienam admiſit, ſed eos coxit & paravit ipſe.

Plurimas ad illud uſq; tempus Societas Paraquariæ nationes, erectis paſſim Reductionum colonijs, humanitati & Fidei conciliaverat; ſed innumeræ etiamnum ſuper-

erant adhuc intentatæ, interque eas Tobarum natio in Tucumania, ferox imprimis & bellicoſa, quæ Hiſpanica etiam arma eatenus fortiter repreſſerat. Tentavit eos feliciùs P. Gaſpar, ſolo ſcipione Crucem in faſtigio præferente inſtructus: à quibus perhumaniter exceptus, & ad Molonos ſubinde, aliósque remotiores populos penetrans, Chriſtum omnibus non pœnitendo fructu primus prædicavit; quem ità ipſe literis ad Superiores datis deſcribit: *Tres jam menſes abiêre, cùm ex Eſterenſi S. Jacobi Collegio ſum egreſſus, ſolo hoc Æthiope comite. Auſpicato B. Virginis ad Nives die perveni. Miro hìc gaudio fuêre affecti, ex Aræ meæ portatilis aſpectu, ſed majore ego ex ejus poſſeſſione; quandoquidem his in locis præter auguſtum Miſſæ Sacrificium nihil ſit, quod ſolatio mihi in laboribus eſſe poſſit. Ager hic opimus ac fertilis eſt, multis amnibus interfluentibus diſtinctus. Magnam Indi voluptatem percipiunt, cùm me ſuum idioma vident addiſcere. Complures hàc Caciquij in dies commeant. Variæ nationes confines vario utuntur idiomate. Numerum quinquaginta millia ſuperare dicuntur ejus ſolius linguæ, quam mihi reddo magìs familiarem. Mataguaici amplius triginta millia feruntur, qui induſtrij quidem, ſed non ijs viribus pollent, quibus Ciriguanes (alia hæc Indorum nobilium natio eſt à ſuperioribus diſtincta, quæ Peruanis Hiſpanis hactenus reſtitêre) & propterea quia Ciriguanes perpetuo eos bello in ſervitutem redigunt, Hiſpanorum gratiam & auxilium ſibi ſuppeditandum ſtudent aucupari. Hujus linguæ interpretẽ in dies opperior, quamvìs Tobarum, Mocoviorum, atq; Zapitalaguarum (tres ſunt Provinciæ innumeris populis refertæ) idioma non negligo; tum quòd hi magnâ aviditate in Chriſtianorum numerum adſcribi expetant, tum quòd hæc ſit multorum populorum janua, quâ pervasâ innumeræ provinciæ patent: tantúmq; his roboris, ac virtutis inest, ut Ciriguanes qui hactenus Hiſpanis reſtitêre, hos ſibi caverint adoriri. Ligna ad Reductiones in tribus hiſce provincijs, ſicut in Paraquaria faciendas, cædi cœpta. Aliud eſt Ciurumatis idioma, facile quidem, at gutturale nonnihil, quod frequentiſſimè Chuchu in eo recurrat, certis particulis tempora, modos, numeróſq; diſtinguentibus. Hujus idiomatis, utì & præcedentis, multa indies principia in commentariolum refero. Quare ſpero fore, ut eas propediem linguas calleam; tanto enim diſcendi ardore flagro, ut laborem vix percipiam. Juxta Ciurumatas, Orochones, prægrandibus auribus degunt; quorum multitudinem robúrq; facilè ex eo colligere licebit, quòd Ciriguanibus conterminì, ab ijs ſe indemnes tueantur. Jam verò Tonocotæorum notitia adeò inter hos Indos certa eſt ac celebris, ac inter Hiſpanos Madridi. Duo Hiſpanorum Gubernatores armatâ manu in haſce Provincias ſunt ingreſſi. Hæreo an exercitui me velim adjungere, quòd mihi conſtet non illos animo eo proficiſci, ut Indis detrimentum inferant, ſed ut terræ duntaxat explorentur. Nisì tamen multis me precibus adigant, deliberatum mihi eſt inter hoſce Tobas commorari, primæque Reductionis initium dare, nè tempus mihi aliquod elabatur; cùm ità ſim conſtitutus, ut id omne utiliſſimè conſumere ea me cogat occaſio, quâ benigniſſimus Dominus tot animarum ſalutem in meis manibus repoſuiſſe videtur. In hiſce etiam Regionibus gentem adeò terſo ſermone utentem reperi, ut elegantiâ ac nitore latino parum cedere videatur: adeò copioſus eſt, ut quatuor DEUM ſynonymis exprimat. Particulæ ac verba ſunt geminata, ità ut vehementer ſim admiratus tam cultum idioma, in gente tam barbara reperiri. Non ij tamen ſe barbaros arbitrantur, pro totius enim Indiæ generoſiſſimis atque invictiſſimis ſe gerunt. Staturâ ſunt adeò prælta, ut extento brachio eorum vix capita attingere poſſim. Alacri comíq; ingenio ſunt, atq; incredibili in quidvis ex Europa allatum aviditate feruntur. Horum regio Tarichâ amne alluitur, quem aliquot hinc leucis is quem modò transmiſi intercipit, adeò magnus, ut balſi* (genus eſt majoris navigij) *ſit trajiciendus. Piſcium melliſque copiâ regiones hæ cæteras Indiæ partes ſuperare videntur: multis etiam ſilvis abundant, adeò ut ex omni parte multa in ijs promittantur.*

Plurimos jam illic Chriſto pepererat, pueros præſertim certatim à parentibus Baptiſmo oblatos, cùm repentè à Provinciali revocatus, illis valedicere, atque expedire reditum inſtituit. At Indi precibus primò & officijs certare, mox violentiam etiam adhibere, & exitium, niſi remaneat, intentare. Cúmque aliquando largiter ſe ad ebrietatem ingurgitâſſent, repentè corripiunt medium, & in ſtragulum undequaque à compluribus ſuſtentatum dejiciunt, tum ſæpius ſublimè excuſſum, atque ex caſu viciſſim ſtragulo exceptum, citra vulnus aut ſanguinem exagitant. Sed in propoſito obediendi perſiſtentem, atq; ità ad mortem animatum, ut etiam cunctantes ad eam ocyùs inferendam provocaret, ipſi patientiâ viri attoniti, aliâ viâ, quæ primum apud illos officij genus eſt, illum aggrediuntur. Puellam è ſuis formâ præ alijs liberaliore in matrimonium offerunt, ſi penes ſe ſedem figere in animum inducat. Irriſit vir puriſſimus inſanas cogitationes, & explicatâ Sacerdotum Evangelij caſtiſſimâ ſanctimoniâ, majore indè attonitos admiratione deni-

denique reliquit, ne ab obedientia diſcederet. Hæc eum ad Ciacos, quò jam aliàs fruſtra ingreſſum tentaverat, abire juſſit; quo in itinere excurrens ad Occlojas, dum interim ſocius Miſſioni deſtinatus adveniret, bimeſtri ſpatio inſtitutos tinctósq; Baptiſmo, tanto numero ab inacceſſis montium jugis ad campeſtria deduxit, ut Templo, & privatis circùm excitatis mapalibus, non contemnendam Reductionem ſtatuerit.

Ad Ciacorum Provinciam, ſocio P. Antonio Ripario auctus, quia nullus patebat aditus, viam ſibi exciſis ferro ſenticetis aperire debuit. Primos habuêre obvios Palomos & Pintadillos, quos munuſculis delinitos ubi ſacrâ doctrinâ erudiêrunt, læti tam auſpicatis initijs iter promovent ad interiora Regionis, plurimis habitata populis, efferis quàm maximè, & inter ſeipſos hoſtiliter adverſis. Hæc dum maximè deliberant, Ciriguanum copiæ in Palomos infeſtis armis irrumpunt; quorum furori omnia latè ferro flammáque devaſtantium ut ſeſe ſubducat monitus P. Gaſpar, ipſe è contra DEO fretus, ultro eis obviam procedere, affari conſtituit. Et quidem multi ipſorum crepundijs Europæis, quæ liberaliter in donum illis diſpertiebat Pater, capi videbantur, neque inviti Evangelio aures præbere, ut jam crederet, illos ſibi habere devinctos, poſſéque ſinè periculo diuturniorem apud illos ſedem collocare. Ideóque Sebaſtianum Alarconium adoleſcentem Paraquarienſem, & Societatis jam tum Candidatum, retrò ad urbem, comitatum in tutelam duobus Ciriguanibus, pro uberiore commeatu remittit, ipſe interim cum P. Antonio unicè in tradendam genti catecheſim intentus. Redeuntem cum annona Sebaſtianum obtruncant in via Ciriguani comites, & corpus totum depaſti, caput ſolum ad oſtentationem apportant: cujus ſpectaculo incitati barbari, ad ſimilem lanienam utrumq; Patrem, qui avitas Majorum ſuperſtitiones convellerent, deſignant. Illi accepto machinationis indicio, lætiſſimis animis optatam mortem præſtolantur, & diem illum totum orando, Confeſſione mutuâ conſcientiam expiando, impendunt. Intendentibus ſe tenebris, cùm diu antè pro ſui tugurioli foribus inambulâſſent, intrò concedunt, & ſuis incumbentes ſarcinulis carpunt aliquantulum quietis. Nocte intempeſtâ irrumpunt ſicarij, & direptis ante oculos Patrum ſarcinulis, pauperem illam gazam ſecum auferunt, ſpatiúmq; animos ad mortem colligendi relinquunt. Primo autem manè reduces, ligneis ſuis clavis diſtentos oratione Patres invadunt, contuſísque capitibus ſternunt, jugulum primò, tùm pectus lacerant, vertices, quà raſi coronâ Sacerdotum erant, fœdè concerpunt, ac demum reſciſſa capita ſecum aſportant, die 1. Aprilis A. 1639. Cædem ſervorum ſuorum paulò pòſt ultus eſt DEUS, omnibus eorum percuſſoribus miſerando exitu ſublatis. Teſtati autem ſæpius deinde ſunt barbari, Patres à morte multâ perfuſos luce viſos ſibi frequentiùs eſſe in cultu Sacerdotali, ſcelus coarguentes, & ad alios in ſui locum evocandos Socios, à quibus Fidem edocerentur, exhortantes.

Hujus invidendæ mortis Oſorio ſocius P. Antonius Riparius, natus fuit in Italia, & à puero in omnem pietatem propenſus, ità humaniores & Philoſophicas diſciplinas decurrit, ut nihil in eo reprehenſione dignum ſive à domeſticis, ſive à Præceptoribus notaretur. Societati adſcriptus, biennio literas humaniores Mediolani tradidit, eo ſucceſſu, ut plerosque diſcipulorum ad varia vitæ Religioſæ Inſtituta permoverit. Quo tempore ſemper ille excolendorum in arduis Miſſionibus populorum cupiditate æſtuabat, dum ſui deſiderij in ipſo Theologiæ decurſu factus compos, cum Paraquariæ ad Urbem Procuratore, in Americam transmiſit. Medio in curſu fœda tempeſtas mari incubuit, cujus vi cùm proximè exitio navis abeſſe videretur, ipſe reliquijs S. Xaverij in mare demiſſis, tumentes fluctus & ventos momento ſedavit. Prima illi Miſſio ad Ciacos cum P. Oſorio oblata eſt, in qua conſummatus in brevi, feliciſſimo exitu tempora multa vitæ explevit, anno ætatis 31. Caput ejus abciſſum aliquoties humo ſponte ſuâ exilijt, & corporis truncus in pedes erectus, attonitis prodigio barbaris, firmus conſtitit. Videbatur & multò antè ſui hujus apud Ciacos agonis tacitam habuiſſe præſenſionem, quòd ab uſque Europa, quoties Ciacorum fieri mentionem audiret, inſolitâ quâdam animi dulcedine imbueretur.



P. Petrus Romerus Hispanus et Matthæj Fernandez Indus Soc: IESV, crudeliter ab Idololatris in Paraqvaria apud Itatines occisi. 22. Martij. A. 1645.

C. S. d. *M. K. f.*

P. PETRUS ROMERUS, & MATTHÆUS FERNANDEZ.

HIspalim Urbem nactus est Patriam P. Romerus, quam in ipsa adolescentia voluntarius exul deserens, in Peruviam transivit, ut in primum ibi ac fundamentalem Paraquariæ Provinciæ Societatis lapidem cederet. Illum enim novâ Carthagine studijs vacantem P. Didacus de Torres deprehendens, cùm ad fundandam jussu Aquavivæ Generalis novam eam Provinciam tyrones conquireret, ex primis unum adlegit. Exacto Tyrocinio Philosophiæ cùm incumberet egregiâ ingenij commendatione, quia tamen tot circùm barbaræ gentes in sempiternum ruebant exitium cultorum inopiâ, abdicatâ ipse altiorum Disciplinarum prosecutione, illarum se saluti summâ sponte, & P. Provincialis acceptatione, totum devovit. Itaque Sacris initiatus Ordinibus A. 1611. à Guaicurvis gente barbara & sanguinaria, culturam Apostolicam exorsus est: apud quos decem circiter annos commoratus, ingentia & quotidiana vitæ subijt discrimina, assiduas peregrinationes, & molestissimos labores, quòd adultiores in vetusta libidinum, veneficiorum, ebrietatum consuetudine obstinati, nullum

nullum de ſe fructum ſponderent; ſed omnis quæſtus in ſolo ferè infantium Baptiſmo, poſt quem non pauci continuè emoriebantur, conſiſteret. Ab his tranſitu capto A. 1621. majore proventu ſpe ad Puranos, ibi deinceps, & apud Urvajæ populos, ac Tape montanis, perdiu elaboravit ad annum uſq; 1644. fundandis Reductionibus, manſuefaciendis barbaris, in fame & ſiti, in algore & æſtu, multas ab infidelibus contumelias & verbera perpeſſus, crebra vitæ pericula per lapſus è montibus & naufragia, veneficorum inſidias, Paulopolitanorum incurſiones & duram captivitatem, à quibus deſpoliatus omnibus ægre vivus evaſit. Neque attinet innumerabiles animarum fructus ex tantis conſecutos laboribus recenſere, quorum mirifico proventu permoti Superiores, eum præ omnibus ad ordiendam inter Itatines, & plurimos circùm populos adhuc inacceſſos intentatósque Miſſionem deſignavêre; eò propenſiore illius animo, quòd eodem tempore, quo ea Provincia ipſi in Tucumanis Cordubæ à Provinciali deſignabatur, ipſe longiſſimè in Paraquaria diſſitus, eam ſibi demandari per literas obnixè flagitabat.

Igitur incredibili gaudio ad gentes illas convulſas & dilaceratas profectionem exorſus, comitantibus P. Juſto van Sverck, & Matthæo Fernandez, peritiſſimo linguarum barbararum interprete, 13. Februarij An. 1645. ad primum Itatinorum vicum appulit, feſto tympanorum crepitu, aliiſque lætitiæ ſignis exceptus. Primâ iſtic Reductione inſtitutâ ſub nomine S. Barbaræ, priusquam intimas profundæ barbariæ nationes peteret, P. Juſtum ad reddendam Moderatoribus ſucceſſuum rationem, & ſollicitandas plures in meſſem operas remiſit. Ipſe interim vicinam demereri gentem, per quam patefaciendus ad ulteriora aditus erat, omni arte conniſus, internuncio ejuſdem gentis cui Quiraquerayo nomen erat, ad conficiendum negotium utebatur. Sed homo perfidus, qui ad conciliandos Patri ſuorum popularium animos mittebatur, eorum è contrà arma quantùm potuit in ejus necem ſollicitare ſtuduit, eò proniore ſucceſſu, quò vetuſtiore Chriſtianorum odio ardebant Caciquij, pellicibus ſuis ſpoliari lege Chriſtianâ metuentes: intérque eos primarius Mboroſenno dictus, veneficiorum artibus ſummam in ea gente omnia pro arbitratu agendi auctoritatem nactus. Is non ex vano veritus hâc ſuâ auctoritate per Patrem, ſi admitteretur ejus doctrina, excidere, ſimulato Patris conſalutandi conſilio, 40. circitèr ſui ſceleris populares armatos ſecum trahit, atque ad 21. Martij haud longè à vico conſidens, Patri ſignificat, die poſtero ad ſalutationis officium, ſi placeat, cum ſuis acceſſurum. Suſpicioſus plerisque videbatur ſic inſtructorum adventus, & nonnemo Patri aſſeruit vitam haud dubiè ipſius eo armorum apparatu peti. Sed Pater, quâ erat animi conſtantiâ, *interimant*, reſpondit, *ùt lubet in tali cauſa*. Poſtridie bene manè cùm illi adventarent, periculi certiſſimò ab illis in caput ſuum parati iterum Pater admonetur: ſed ille vetitis ſuis arma ad ſui defenſionem capere, ultro illis obviam hilari vultu procedit, explicátque adventûs ſui in eas terras conſilium & emolumenta. Interim ijſdem per amicorum mapalia diſtributis, ipſe ad faciendum Sacrum parabat ire, at Jucambij primi agminis ductor, *agite*, exclamat, *Socij percutite*: & è veſtigio Cherumbij deſignatus cædi faciendæ, macanam utrâque manu elatam in alterum Patris humerum vi validâ librat; cúmque Pater ictu perculſus JESUM inclamaret, ſemel atque iterum in caput ictum iterat, humíque ſternit. Cœſus cum eodem eſt Gonzalus Indus Chriſtianus, & Matthæus Fernandez, fidiſſimus multis annis Sociorum comes, cui tertius jam Provincialis copiam Societatis ingrediendæ fecerat pro mortis articulo, quoquo illum hic tempore, vel loco deprehenderet. Quia verò lethaliter quidem proſtrato Patri adhuc erat anima ſuper, redintegrato in eum furore barbari linguam ſub mento radicitus eximunt, præcordia diffindunt, abſciſſos manuum digitos ventri imponunt, ac demum guttur cultro præſcindunt, A. 1645. ætatis 60. 22. Martij. Digreſſis cum direpta Patris ſupellectile barbaris, quem inermes, & à Patre inſuper inhibiti tueri vivum non poterant, humavêre cum luctu & lachrymis Itatines: & Socij læto per omnes Paraquariæ Reductiones & Collegia campanarum tinnitu, ac hymno Ambroſiano celebravêre.

P. ISAACUS

P. Isaacus Iogues Gallus Soc. IESV post evulsos ungues, præcisos et prämorsos articulos, innumera tolerata pro Christo ab Hiroqvis supplicia et ærumnas ferratâ clavâ cæsus, et capite plexus in Canada apud Hirōunos. 18. Octobris. C. S. d. A. 1646. M. K. f.

P. ISAACUS JOGVES.

VEriſſimum Patientiæ, & in proximum Charitatis portentum P. Iſaacus Jogues, natus ſuit Aurelijs in Gallia, eâ ſolâ ſpe Societatem 22. ætatis anno complexus, ut transmigrandi ad barbaras nationes, plurimáque illic perpetiendi haberet occaſionem. Et primò quidem ardentiſſimè Miſſionem inter Æthiopas ſollicitavit; ſed eâ ſpe dejectus, totum ſe in Canadam ambiendam ità conſtanter tranſtulit, dum denique tertio Theologiæ audito anno, ſæculi autem 1636. impetravit: Patronum ſuum hujus & poſtulationis & expeditionis adſciſcens Carolum Spinolam, cujus pro Fide in Japonia exuſti effigiem ſemper in ſinu circumferebat. Eſt autem Canadæ Americæ Septemtrionalis ora barbaris frequentata mortalibus, quam à Francis primùm aditam ideo novam Franciam appellavère. Natio multiplex eſt, omnes cultu agreſtes, atque egentes omnium quæ ad vitam ſunt, populi invicem infidi, & perpetua bella gerentes, tam ímani quidam in bello captos odio, ut ubi in eos crudeliùs omni belluâ ſævierint, tandem necatos horrendâ ingluvie devorent. Et hic ferè ſolus bellandi ſcopus & fructus eſt, cùm vix alia præda raptoribus ſuppetat. Inter hos prima natio Huronum adeuntibus occurrit, Gallicis armis ſubacta, & Fide Chriſtianâ mitigata.

Huc

Huc appulſus Iſaacus, paucos poſt dies in mediterranea iter periculoſiſſimum ſuſcepit, pueri inſuper decennis ſecum deducendi curâ impoſitâ: quem in via ægritudine correptum, ſuis ipſe plerumque humeris per intercurrentes fluvios, & ingentia montium præcipitia vectare coactus eſt. Iter 20. dierum fuit, quibus vix ſemel in die modicâ frumenti Indici farinâ, aquæ commiſtâ, refici dabatur, ſomnúsq; nudâ in humo capiendus erat. Hæc Apoſtolicæ militiæ rudimenta 40. circiter dierum excepit ægritudo, ſolâ patientiâ, & voluntatis cum DEO conformatione ſuperanda, quando nulla medicamentorum aut eduliorum commoditas ſuppetebat, & vix ſtraminis modicum ad cubile. Sex annis Hurones excoluit incredibili diligentiâ & fervore: quo tempore ſingularis potiſſimùm in eo viſa eſt animi demiſſio, quâ ſe omnibus poſtponens, viliſſima ſemper munia ambiebat, & hæc ſtudiosè per omnem vitam aucupaturum ſe voto etiam ſpeciali ſanxerat. In venerando Euchariſtico DEO erat inexplebilis, hinc totas ſæpe noctes ante illius tabernaculũ genuflexus perſtitiſſe notatus eſt.

Anno deinde 1642. viſum eſt è re Chriſtiana unum è Patribus Quebecum mittere, qui princeps ejus oræ Gallorum vicus eſt, 300. circiter leucas ab Huronibus in mediterranea remotus, licèt viæ crudeliſſimorum Hirocenſium inſidijs infeſtæ eſſent. Hi enim inter omnes eas nationes efferatiſſimi, & à Batavis fœdere ſibi conjunctis, bombardis aliiſque Europæis armis inſtructi, implacabiliter Hurones & Gallos perſequuntur. Paulò antè P. Iſaacus ante venerandam Euchariſtiam proſtratus, ardentiſſimè efflagitabat aliquam ſibi dari copiam duri quidpiam pro Chriſto perferendi: & percepit intimum à DEO reſponſum: *exaudita eſt oratio tua: fiet tibi ſicut petiſti; confortare & eſto robuſtus.* Et ecce continuò Pat. Hieronymus Lallemant Miſſionis Huronicæ Præpoſitus, profectionem ei Quebecanam defert, ad quam diſcriminis pleniſſimam ut ſe debitè compararet, 8. dierum Exercitia cum generali totius vitæ exomologeſi præmiſit. Quæ tam accurata veluti ad certam lanienam properantis diſpoſitio, quàm neceſſariò adhibita fuerit, ità ipſe calamitates ſuas, multis mortibus graviores, in ſua ad Patrem Provincialem latina Epiſtola deſcribens, fusè enarrat.

Reverende in Chriſto Pater,

Pax Chriſti.

Volenti mihi ad R.V. ſcribere, quânam linguâ id facerem primum dubium fuit. Utriuſq; enim ſermonis poſt tam longam intermiſſionem penè oblitus, tam in uno, quàm in altero difficultatem patiebar. Verùm hæ me duæ rationes, & quòd liberiùs Sacræ Scripturæ verba uſurpare potero, quæ mihi maximo ſolatio ſemper fuerunt in tribulationibus, quæ invenerunt me nimis; & quòd minùs communem cupio eſſe hanc epiſtolam noſtram, minùs communi ſermone ut ſcriberem impulerunt. Dabit veniam eximia illa veſtra Charitas, quæ peccatorum noſtrorum multitudinem aliàs cooperiebat, ſi quid ſit ab homine, jam ab annis octo, uſu, conſuetudine, imò nunc habitu & veſtitu barbaro, contra leges officij aut ſermonis peccatum; plùs timeo, nè imperitus ſermone ſim etiam & ſcientiâ, nec noverim tempus Viſitationis meæ, meminerimq; quam mihi hìc à DEO impoſitam perſonam ſuſtineam, & prædicantis Evangelium, & Jeſuitæ, & Sacerdotis. Hoc me impulit ut ad R.V. ſcriberem, ut ſi fortè hæc epiſtola in ejus manus veniret aliquando, mihi dura in Regione jacenti, inter Irokeos, & Maquoas, ſuis SS. Sacrificijs, & totius Provinciæ ſuæ orationibus opitularetur. Quod (ſpero) impenſiùs faciet, ubi ex lectione iſtius viderit, & quantum Deo debeam, & quàm opus habeam piorum virorum precibus, in quibus ſcio mihi magnum præſidium eſſe conſtitutum.

Ex Huronibus ſolvimus 13. Junij anni 1642. navigiola quatuor (Canoas vocant) animæ 23. in quibus eramus Galli numero quinque. Iter iſtud per ſe difficillimum, cùm propter multa, tum propterea, quòd 40. in locis & Canoæ, & ſarcinæ humeris ferendæ ſunt, periculis plenum reddebat hoſtium metus, qui ſingulis annis vias ad Gallos obſidentes, multos captivos abducunt, propiúsq; nihil factum fuerat anno ſuperiori, quàm ut Patrem Joannem de Brebeuf interciperent. Accedebat de novo, quòd cùm recèns duos Gallos captivos abduxiſſent, poſteáque incolumes ad ſuos reduxiſſent, pacem à Gallis, ſed iniquis conditionibus petentes, hoſtilitérque poſtea ſe gerentes, tormentorum exploſione fugati pronunciaverant, ſi aliquem deinceps Gallum captivum caperent, fore ut eum ad modum cæterorum captivorum diris tormentis excruciatum, vivum lento igne comburerent.

Hæc omnia cùm ſciret obedientia non ignara periculorum, quibus nos objiciebat, hujus itineris ad Dei gloriam omnino neceſſarij, ità mihi curam demandavit, ut ſi nollem, non ſuſciperem. Ego verò non contradixi,

dixi, nec retrorſum abij; ſed hanc mihi ab Obedientia & Charitate impoſitam provinciam lubens volénsque ſuſcepi; quam ſi abnuiſſem, in alium rejeciſſem multò me meliorem. Igitur ex Sancta Maria Huronum ſolventes, poſt varium hoſtium metum, diverſa pericula, jacturas & naufragia, trigeſimo quinto à diſceſſu noſtro die, ſalvis animabus, ad Conceptionem B. Virginis appulimus. Hæc eſt Gallorum habitatio ſeu Colonia, trium fluminum dicta, à vicino ſibi flumine pulcherrimo, quod tribus oſtijs ſe in magnum S. Laurentij fluviũ exonerat. Gratijs Deo actis, tum ibidem, tum Quebecci dies ſubſiſtimus circiter quindecim.

Peractis negotijs quæ nos illuc adduxerant, celebratóque S.P.N. Ignatij feſto, 1. Auguſti nos rurſus itineri Huroniam verſus committimus. Secundus à diſceſſu noſtro dies illuxerat, cùm ſummo manè è ſocijs noſtris aliqui recentia in littore veſtigia conſpiciunt: cúmque ex his aliqui inimicorum, alij amicorum eſſe contendunt, Euſtachius Ahatſiſtar, cui omnes ob egregia in bello facta primas deferebant, hoſtium, inquit (ſint licèt in ijs fortiſſimi) quantum ex veſtigijs conjicio, non amplius quam tres Canoæ ſunt, nos verò eo ſumus numero, qui talem hoſtium manum non pertimeſcamus: eramus autem circiter 40. aliqui enim ſe nobis adjunxerant. Igitur cœptum proſequentes iter, vix milliare unum confeceramus, cùm in hoſtes incidimus, qui nos partito agmine ex utraque fluminis ripâ opperiebantur 70. numero, Canoæ 12.

Hi in herbis & arundinibus latitantes, ubi ad eum locum pervenimus, in quo nobis inſidias paraverant, bombardas, quas ſatìs magno numero habebant, exploſerunt, occiderunt tamen neminem. Ad primos bombardarum ictus Hurones penè omnes, relictis Canois (ad littus enim, quòd medio in alveo concitatior ſit amnis, adnavigabamus) concitatâ fugâ ſe in penitiſſimas ſylvas abdiderunt. Relicti igitur nos Galli quatuor cum paucis, partim Chriſtianis, vel Catechumenis, præmiſsâ ad Chriſtum oratione hoſti reſiſtimus. Sed cùm pauci, id eſt vix duodecim aut quatuordecim, cum triginta confligimus, obruimur numero: pugnamus tamen, donec videntes ſocij noſtri alias Canoas ex adverſa fluminis ripa ſibi imminere, animis cadentes aufugerunt. Tunc Gallorum unus, qui inter primos decertabat, Renatus Goupil nomine, & aliqui ex Huronibus capti ſunt. Ego autem hæc videns, nec fugere volui, nec potui; quò enim nudis pedibus fugiſſem? potuiſsémne Gallorum unum, aliósque Hurones jam captos, aut capiendos non baptizatos relinquere? Itaque cùm hoſtes, ut fugientes inſequerentur, me in loco ubi pugnatum fuerat ſtantem præterijſſent, unũ ex his qui ad captorum cuſtodiam remanſerat, advoco, moneóque me captivum captivo Gallo adjungat, velle me ſicut itineris, ità etiam periculorum & mortis ipſius eſſe ſocium; ille vix credens, multúmque ſibi timens accedit, meq; jam captivis conjungit.

Tum ego; chariſſime mi frater, mirè nobiſcũ egit Deus! ſed Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, hoc fecit; ſicut ipſi placuit, ità factum eſt; ſit nomen ejus benedictum: ipsíque abſolutionem poſt Confeſſionem impertiens, mox ad Hurones captos accedens, ipſos ſingillatim inſtructos baptizo, & ùt novi ſemper à fuga retrahebantur, novus mihi ſemper labor incumbebat. Tandẽ & adductus Euſtachius Ahatſiſtari dux ille egregius Chriſtianus, qui ubi me vidit: Enimvero tibi ſanctè juraveram (mi frater) fore ut tecum aut viverẽ, aut morerer. Quid ad hæc reſponderim neſcio, adeò animum meum mœror contraxerat. Noviſſimè & ex fuga retractus Guilielmus Conſture, qui mecum ex Huronibus diſceſſerat. Is ubi turbata vidit omnia, cum alijs in ſylvam aufugerat, & ùt eſt adoleſcens non ſolùm egregij animi, ſed etiam corporis dotibus inſignis, maximéque agilis, longiſſimè aberat ab hoſtibus: cùm ſe circumſpiciens, méque non videns, egóne, inquit apud ſe, chariſſimum Patrem meum captum à Barbaris deſeram, & ſinè ipſo aufugiam? minimè verò; tum eâdem quâ fugerat viâ rediens, ſe hoſtibus capiendum objicit. Qui utinam aufugiſſet, nec miſerorum auxiſſet numerum! nam hac in re non eſt conſolatio habere pares, potiſſimùm ex his, quos ſicut teipſum diligas. Sed tales ſunt homines, ſæculares licèt, qui nullo intuitu terrenæ mercedis Deo & Societati apud Hurones deſerviunt. Quæ & quàm gravia paſſus fuerit, difficile eſt cogitare. Ipſorum enim odium in Gallos omnes, & maximè in ipſum, à quo ſciebant ex præcipuis unum in pugna interfectum, exarſerant. Primò igitur ipſi veſtimentis omnibus nudato, ungues omnes mordicus abſtulerunt, digitos dentibus contriverunt, & enſem latiſſimè per mediam manum dextram adegerunt; quem dolorem licèt acutiſſimum, memor vulnerum Domini Noſtri JEſu Chriſti, magno gaudio, ùt ipſe poſtea mihi referebat, ſuſtinuit. Ut ergo

ipſum

ipſum ſic nudum & ligatum vidi, continere me non potui, ſed relictis cuſtodibus meis, per medios hoſtes, qui ipſum adduxerant, ipſum ſum amplexatus tenerrimè, monuíq; hæc omnia Deo ut offerret, in ſuum, & eorum à quibus hæc patiebatur emolumentum. Mirari primò Barbari quæ faciebam, deinde quaſi reſumpto ſpiritu, & collectâ rabie, me pugnis, vectibus, & clavâ percuſſum, ſemianimem abjecerunt. Reductus ergo à duobus ad eum locum in quo priùs eram, vix reſpiraveram, cùm alij advenientes mihi etiam ungues penè omnes mordicus avulſerunt, indices duos dentibus mihi contriverunt ingenti doloris ſenſu. Idem Renato Goupil fecerunt, intactis reliquis omnibus alijs Huronibus captivis.

Ubi omnes ex fuga redièrę, in qua Hurones duos occiderunt, nos in aliam fluminis partem trajiciunt, ibíque duodecim Canoarum prædam inter ſe partiuntur, multam nimis: & nos quidē in ijs præter id, quod Gallorum unusquisque ſecum habebat, viginti ſarcinas habebamus, in quibus & ſacra ſupellex, & veſtes, & libri, & alia id genus continebantur, divitiæ ſanè multæ, habitâ ratione noſtræ apud Hurones paupertatis. Dum prædam partiuntur, reliquos non baptizatos planè inſtructos baptizo, atque inter alios grandævum ſenem octuagenarium, qui juſſus Canoam conſcendere ut cum alijs abduceretur, quonam, inquit, ibo grandævus ſenex, in terram longinquam & peregrinam? minimè verò: hìc moriar. Itaque cùm diſcedere recuſaret, in eo loco, ubi recèns baptizatus fuerat, eſt interfectus.

Læto igitur clamore complentes omnia, quaſi victores qui exultant captâ prædâ, nos captivos viginti duos, præter tres quos interfecerant, abducunt in terram ſuam. Multa ſanè DEI gratiâ paſſi ſumus in illo itinere, quod dies triginta octo nos tenuit, & famem, & æſtum, & minas, ſæva Barbarorum odia, & ex plagis noſtris non curatis & putreſcentibus, imò vermes producentibus, acres doloris ſenſus; ſed nihil mihi magìs durum videbatur, quàm cùm poſt quinque aut ſex dies viâ laſſos accederent, ſedato jam ab iracundia animo, nobíſque frigidè capillos & barbam evellerent, unguésque quos acutiſſimos habent, in partibus teneris, & ad leviſſimæ punctionis ſenſum mollibus, altè infigerent. Sed illa externa: multò me magìs interna movebant, cùm nimirum videbam funebrem illam Chriſtianorum pompam traduci ante oculos meos, in quibus erant quinque veteres Chriſtiani, præcipua naſcentis Huronicæ Eccleſiæ columina.

Certè ut ingenuè fatear, ſemel aut iterum lachrimas tenere non potui, illorum & ſociorum meorum vicem dolens, & multùm ſollicitus expectatione futurorum. Videbam enim ab Iroqueis iſtis Fidei Chriſtianæ apud Hurones, & alias innumeras nationes intercludi aditus, niſi peculiari quâdam divinæ diſpenſationis providentiâ obviaretur.

Octavus dies venerat, cùm in turmam ducentorum Barbarorum advenientes, qui ad bellum proficiſcebantur, & ab Domino Gubernatore novæ Franciæ Præfecto, Carolo de Montmagnij Equite Melitenſi, fugati ſunt, duobus ex ipſis occiſis, pluribus vulneratis, licèt multis partibus numero plures eſſent. Et quia ſolemne eſt Barbaris ad bellum euntibus crudelitate quaſi præludere, tantò ſe feliciores futuros credentes, quantò fuerint crudeliores, hac ratione nos exceperunt. Primò Soli gratias agentes, quem bellis præeſſe credunt, feſtâ catapultarū exploſione ſuis gratulati ſunt. Tum eorum unusquisque ex primo ſaltu baculos decerpere, quibus nos exciperent. Ubi igitur exſcenſionem ex Canois fecimus, in nos hinc & indè duas diviſi in turmas fuſtibus ità deſævierunt, ut ego qui omnium poſtremus eram, ac proinde magìs eorum verberibus expoſitus, medio in itinere, quod nobis ad collem, in quo theatrum conſtruxerant, faciendum erat, ictuum multiplicitate & atrocitate obrutus corruerim. Sub illis brevì me moriturum credebam: itaque partim quia non poteram, partim quia negligebam, non ſurrexì, donec diu multúmq; in me ſævitum eſt; ille ſcit, pro cujus amore & gratiâ hæc pati & jucundum, & glorioſum eſt. Tandem crudeli miſericordiâ moti, volentes me vivum in ſuam terram deducere, à verberando ceſsârunt. Itaque ſemianimis in theatrum illatus ſum, totus reſperſus ſanguine: fortè enim mihi inter alios ictus aliquos in facie dederant, qui induſium meum, quod ſolum mihi reliquum erat, totum ſanguine repleverunt. Vix reſpiraveram, cùm juſſerunt ut deſcenderem, méque probris & contumelijs onuſtum, innumeris etiam alijs ictibus in capite, in collo, & reliquo corpore onerârunt. Longus eſſem, ſi, quæ nos Galli pertulimus, vellem ſingula recenſere: mihi digitum unum combuſſerunt, alium dentibus contriverunt, alios jam contritos diſruptis nervis contorſerunt, ut etiam nunc utcunque ſanati, fœdè deformati remanſerint.

Nec verò multò potior fuit ſociorum meorum conditio. Verùm noſtri curam gerere Deum, & nos probare potiùs quam abjicere, hoc declaravit: inter Barbaros ſanguinem & crudelitatem ſpirantes, unus ad me vix pedibus inſiſtentem accedit, unáque manu mihi apprehenſas nares, alterâ cum ingenti cultro eas parat abſcindere. Quid facerem? Ego qui me brevì lento igne comburendum credebam, immotus Deo meo gemens interiùs ictum expecto: cùm divinâ quâdam vi repreſſus, manum in ipſa abſciſſione ſuſtinuit. Interpoſitâ quaſi quartâ horæ parte ad me iterum accedit, ſeque timiditatis quaſi & ignaviæ damnans, idem facere apparat: cùm ſimili inviſibili quâdam poteſtate retentus abſceſſit, bis laſſæ cecidère manus. Quòd ſi perfeciſſet quod habebat in animo, actum erat de me: cùm non ſoleant ità mutilatis vitam dare. Tandem ſerâ ſub nocte, & omniũ poſtremus ad eos, qui me abducebant, reductus, ſinè cibo, quem jam vix à multis diebus attigeram, reliquam noctem non ſinè magno doloris ſenſu tranſegi. Verùm hæc omnia multò acerbiora fecerat in Chriſtianos Hurones penè ſimilis, & in Euſtachium major crudelitas: ipſi enim utrumque pollicem ademerant, & per reſectum ſiniſtræ pollicem præacutum baculum ad cubitum uſque crudeliter adegerunt, quod quidem generosè & Chriſtianè admodum pertulit. Sequenti die in alias Canoas incidimus, ad bellum itidem euntes, qui ſocijs noſtris digitos aliquos abſciderunt, non ſinè magno omnium noſtrum timore.

Tandem decimo die ſub meridiem Canoas reliquimus: & reliquum iter, quod quatuor dies tenuit, pedites confecimus. Ad ſolitas itineris moleſtias novus ferendarum ſarcinarum labor acceſſit, quanquam hac in parte mecum ſatìs remiſsè actum eſt, & tum quia non poteram, tum etiam quia dedignabar (ego enim in captivitate, & morte, altos ſpiritus gerebam) leve onus mihi ferendum datum eſt. Augebatur tamen fames ex majori ſemper penuria ciborum. Itáque totum triduum traduxeramus: quarto verò die, quo nobis ex pago obviàm ventum eſt, nihil præter paucos fructus, quos ſemel in via collegimus, comedimus. Et quidem ego, cùm initio itineris ex Canois noſtris ſuppeterent cibi, ferè comedere neglexeram, ne nimis robuſtum & vegetum corpus igni & tormentis traderem (quæ enim infirmitatis meæ ſunt, libenter fatebor) ubi verò jejunijs exhauſtum corpus cibos expetijt, nullos reperit præter aquam; ſecundo enim die, cùm de via laſſi eſſemus, lebetem igni expoſuerunt, quaſi cibum parare vellent, ſed ex ſola paululùm tepefacta aqua, unicuique quantum voluit bibendi facta eſt poteſtas.

Tandem decimo octavo die, qui in vigiliam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis incidebat, ad primum pagum Irokenſium pervenimus. Gratias ago Domino noſtro JEſu Chriſto, quòd eo die, quo orbis Chriſtianus de Aſſumptæ in Cœlos Matris ſuæ gloria lætatur, nos in partem aliquam & ſocietatem dolorum & Crucis ſuæ vocavit. Et quidem illum diem in via ſemper nobis acerbum & funeſtum fore prævideramus, quem diem quidem, ſicut & ignem vitare Renato Goupil, & mihi facilè fuit: ſæpe enim nullis ligati vinculis longè à ductoribus noſtris ſera ſub nocte divertere potuimus, &, ſi ad noſtros minimè redire, ſaltem in ſylvis mitiùs mori. Sed ille hoc facere recuſavit, & ego extrema quæque potiùs pati volui, quàm Gallos, & Chriſtianos Hurones in morte derelinquere, eósque conſolatione illâ, quam Sacerdos poteſt impertiri privare. Vigiliâ igitur Aſſumptionis, circa horam tertiam ad amnem illorum Pago vicinum pervenimus. Nos ex utraque fluvij ripa præſtolabantur tum veteres captivi Hurones, tum Irokei; & illi quidem pro ſalute, nos lento igne comburendos vivos admonuerunt; hi verò nos baculis, pugnis, & lapidibus exceperunt: ac ùt rarum & raſum capillitium oderunt, ità illa tempeſtas in me, & nudum caput meum potiſſimùm deſævijt. Reliqui mihi erant duo ungues, hos mihi mordicus avulſerunt, ſubjectámque carnem acutiſſimis ſuis unguibus ad oſſa uſque denudârunt. Ubi ſatìs ad fluvij ripam illorum crudelitati datum eſt, & ludibrio patuimus, nos ad illorum pagum in edito colle poſitum deducunt. Ante Pagum nos totius regionis juventus fuſtibus armata hinc & indè ex utraque viæ parte expectabat.

Nos autem ſcientes, quia ſi nos eximeremus à numero flagellatorum, eximeremus etiam à numero filiorum, Deo noſtro paternè ſævienti, ut in nobis tanquam in filijs ſuis complaceret ſibi, prompto animo nos obtulimus. Hunc autem ordinem ſervârunt: in fronte turmæ Gallum unum nudum omnino, etiam ſinè ſubligaculo conſtituerunt: Renatum Goupil in medio; ego omnium noviſſimus poſtremum agmen claudebam: & quidem Renato & mihi induſia reliquerant, & femoralia. Inter nos & Hurones captivos, medij ſeſe infuderunt Hirokenſes, & ut curſum

ſum remorarentur, & plus temporis & otij darent, nos ab invicem ſeparatos diverberandi. Diu & ſanè immaniter ſupra dorſum noſtrum fabricaverunt peccatores, non baculis tantùm, ſed etiam virgis ferreis, quibus ob Europæorum vicinitatem abundant; imò unus inter primos maſsâ ferreâ pugni craſſitudine è funè pendulâ tam validum mihi, ſicut & ſocijs, ictum impegit, ut ſemianimis corruiſſem, ni ſimilis iterationis metus vires mihi & animos addidiſſet. Longam igitur viam ſub tam immani verberum grandine decurrentes, vix ad theatrum in medio Pago exſtructum pervenimus. Et quidem cùm cujuſcunque noſtrum miſerabilis eſſet facies, certè Renati inprimis. Is ùt erat minimè agilis, & in currendo celer, tam multos ictus ad corpus univerſum, ſed maximè in faciem ſuſtinuit, ut nihil in vultu præter album oculorum appareret; eò nimirum formoſior, quò ei ſimilior, quem pro nobis vidimus ſicut leproſum & percuſſum à Deo, in quo non erat ſpecies neq; decor. Vix in theatro reſpirationi datus erat locus; cùm unus grandi fuſte ter ictus nobis Gallis in nudata dorſa impegit; mox barbari cultros promere, theatrum conſcendere, & multis è captivis digitos amputare cœperunt: & quia quò captivus aliquis plus habet dignitatis, plùs eorum crudelitati patet, à me, quem inter Gallos & Hurones, tum ex ipſorum relatione, tum ex mea agendi ratione eminere videbant, initium fecère. Ad me ergo ſenex unus accedit cum muliere; is illam, ut pollicem mihi abſcindat, monet: illa initiò reluctatur, tandem ter quatérq; à ſene id facere quaſi compulſa, ſiniſtrum pollicem, quà manui committitur, adimit. hæc mulier Algonquina erat, id eſt, ex ijs barbaris, qui prope Gallos in nova Francia habitant, & ipſa paucos ante menſes capta, & Chriſtiana, Ioanna nomine. Certè jucundum eſt te talia ab ijs pati, pro quibus moreris, & quos nè hoſtium viſibilium & inviſibilium crudelitati expoſitos relinquas, eligis potiùs extrema quæque pati. Tum ego reſectum pollicem manu alterâ capiens, illum tibi Deo meo vivo & vero obtuli, memor Sacrificiorum, quæ tibi per ſeptennium in Eccleſia tua obtuleram; donec monitus ab uno è ſocijs meis, id facere deſiſterem, nè illum mihi in os ingeſtum crudum comedere me cogerent, neſcio quò abjectum in theatro reliqui. Renato dextrum pollicem ad primam commiſſuram abſciderunt. Gratias Deo, qui dextrum pollicem mihi relictum voluit, ut hâc epiſtolâ poſſem rogare RR. PP. & FF. meos, ut pro nobis fiant SS. preces, poſtulationes, & orationes, in ſancta Dei Eccleſia, cui ſcimus nunc duplici novo titulo nos eſſe maximè commendatos, cùm illa ſæpe oret pro afflictis & captivis.

Poſterâ die, quæ erat Aſſumptionis B. Virginis, ubi matutinum tempus in theatro tranſegimus, circa meridiem nos in alium Pagum, duobus milliaribus à primo illo diſtantem, deducunt. Sub diſceſſum, qui me adduxerat Barbarus, dolens ſibi perire induſium meum, nudum me omnino, excepto malo & veteri ſubligaculo, dimittebat; cùm me ſic nudum circumſpiciens, enimvero mi frater, dixi, me ſic nudum dimittis, tu qui tam multa ex noſtris rebus lucratus es? Ille miſericordiâ motus, ex tela cannabina, quibus ſarcinæ noſtræ involvebantur, tantum mihi dedit, quantum tegendis humeris, & parti corporis ſufficeret. Sed tot plagis & verberibus exulcerati humeri, crudum illud & rude textum ſuſtinere recuſabant: itaque in via dum me malè, aut omnino non tegit, accedente ardentiſſimo ſolis æſtu, pellis mea quaſi in clibano aruit, & quæ collum, humeros, & brachia veſtiebat, paulò pòſt arefacta decidit. In ingreſſu ſecundi Pagi illius, præter conſuetudinem, quæ fert, ut captivos baculis ſemel excepiſſe ſufficiat, à verberibus minimè temperârunt: nimirum Dominus cum Apoſtolo ſuo, qui ſe ter virgis cæſum gloriatur, nos aliquam hac in parte ſimilitudinem habere voluit, & licèt multò paucioribus, quàm antea nos exceperint, eò tamen atrocioribus, quò qui id faciebant, à circumfuſa multitudine liberiores, meliùs ictus ſuos metiebantur, quorum aliqui in anteriores tibiarum partes magno noſtro dolore impacti ſunt.

Reliqvum diei in theatro, noctem in tugurio ſuper nuda humo, nudi & vinculis alligati tranſegimus, & ùt omnis ſexus, ità etiam omnis ætas nos exercuit: pueris enim & adoleſcentibus illudendi traditi ſumus, qui carbones, fervidos cineres in nudata corpora injiciebant, quibus mederi nobis ligatis erat difficile; ſic nimirum rudimenta ponunt crudelitatis, & per minora ad majora conſueſcunt. Duos ibidem dies, & totidem noctes, ſinè ullo penè cibo & ſomno traduximus, maximo animi mei interno angore. Subinde enim theatrum conſcendebant, qui ex ſocijs meis Huronibus digitos amputabant, duriſſimos funes circa pugnos tantâ vi contorquebant, ut in deliquium decidérent

animi; & dum ſua quemque tantùm, me omnium clades premit, tanto dolore ſum affectus, quanto par eſt credere amantiſſimi parentis viſcera, filiorum ſuorum (hos enim omnes, paucis exceptis veteribus Chriſtianis, per Baptiſmum recèns in Chriſto genueram) caſibus commoveri.

In his tamen ſatìs virium mihi dabat Dominus, ut & Gallos, & Hurones, qui in preſſura erant, ego ipſe in preſſura poſſem conſolari. Itaq; ſicut in via, ità & in theatris, ubi moleſta illa ſalutantium turba defluxerat (ſic enim eos vocant, qui in captivos in adventu deſæviunt) modò ſingulos, modò univerſos adhortor, patientiam retinerent, non amitterent confidentiam, quæ magnam haberet remunerationem; meminiſſent, quia per plures tribulationes oportet nos intrare in regnum Cœlorum; adveniſſe nimirum tempus, nobis à Deo prænunciatum, cùm dixit: plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium: parturienti mulieri nos eſſe ſimiles, quæ cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus, cùm autem peperit, non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum; ità ſibi perſuaderent, fore ut poſt dies paucos, momentaneos iſtos dolores gaudia æterna exciperent. Et certè mihi jure lætandum erat, cùm eos tam bene paratos conſpicerem, atq; inprimis veteres Chriſtianos, Joſephum, Euſtachium, & reliquos duos. nam Theodorus illo die, quo ad primum Pagum pervenimus, ſe vinculis exemerat; ſed quia in pugna clavâ catapultæ humerum unum illi fregerant, medio in itinere, cùm ad Gallos ſe reciperet, occubuit.

Nuſquam hactenus captivos Gallos, nuſquam Chriſtianos barbarica theatra conſpexerant. Itaque præter morem, ut omnium curioſitati ſatisfieret, per omnes Pagos traducti ſumus. Tertium quidem pacificè ſumus ingreſſi, ſed in theatro ſpectaculum vidi omni ſupplicio acerbius: quatuor nimirum Hurones, quos alij alibi captos illuc adduxerant, aucturos numerum miſerorum. Et his quidem omnibus, præter cætera, digitos aliquos, & ſeniori utrumq; pollicem ademerant. His me adjungens, ubi eos ſeorſim de rebus Fidei noſtræ inſtruxi, duos ex his in ipſo theatro ex pluvia, quæ foliis Turcici frumenti inerat, cujus culmi nobis maſticandi dabantur; reliquos duos, cùm in alium Pagum deduceremur, ex prætereunte rivulo baptizavi. In hoc Pago, de pluvioſo in frigidum converſo cœlo, nudi ùt eramus, frigoris multum ſuſtinuimus. Itaq; in theatro ſæpe frigore contremiſcens, etiam injuſſus deſcendebam, tuguriúmque aliquod ingreſſus, in eo vix paululùm me calefeceram, cùm theatrum iterum conſcendere jubebar. Nullum adhuc Guilielmo Couſture digitum abſciderant: id moleſtè ferens unus ex eo Pago, indicem dextrum in medio ipſi eò majori doloris ſenſu amputat, quò ad id non cultro, ſed conchâ quorundam conchiliorum, quibus abundant, ſerræ in modum utitur; quæ cùm nervos, propterea quòd duri & lubrici erant, abſcindere non poſſet, ipſe tantâ vi attraxit, ut diſruptis nervis brachium patientis uſque ad cubitum fœdè intumuerit. Aliquis miſericordiâ illum domi ſuæ toto illo biduo, quo in Pago ſubſtitimus, continuit, me quid de illo factum eſſet ignaro, & plurimùm ſollicito.

Nox advenerat, cùm in tugurium admiſſi ſumus, in quo nos juventus præſtolabatur. Hæc ubi ut cantaremus, ſicut ſolent cæteri captivi, imperavit, tandem (quid enim aliud faceres?) cantamus, ſed de Canticis Domini in terra aliena. Poſt cantus ventum eſt ad cruciatus, & quidem in Renatum & me pars illius procellæ deſævijt: nam Guilielmum Barbarus Domi ſuæ aſſervabat. In me igitur, ſed magìs Renatum, fervidos cineres, ardentes carbones injecêre: cúmque in pectore graviter combuſſerunt.

Me autem medio in tugurio, hinc & indè ad duos palos, cubitum inter & humeros ſublimem alligârunt duris corticibus, quos in funes ex arboribus depexunt. Tunc me comburendum credebam; ſic enim ſolent agere cùm id faciunt. Et ut ſcirem, quia ſi quid fortiter, ſi quid patienter hactenus ſuſtinuiſſem, id non à me, ſed ab eo eſſe profectum, qui dat fortitudinem laſſis, in eo ſupplicio quaſi mihi redditus, ingemui (libenter enim gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti) & propter ingentem dolorem tortores meos rogavi, paululùm de vinculorum aſperitate remitterent. Sed juſtè faciebat Deus, ut quò plùs eos rogarem, eò plùs illa aſtringerent. Tandem ubi quartam circitèr horæ partem in illo ſtatu fui, me brevì deliquium paſſurum animi, vinculis exemerunt. Gratias tibi ago Domine JEſu, quòd aliquâ levi experientiâ didici, quantum pro me in Cruce pati dignatus es, cùm non in funes, ſed in manus pedèſq; tuos duriſſimis clavis perforatos, totius tui ſacratiſſimi corporis pondus incumberet.

beret. Priora illa vincula, alia conſecuta ſunt: nos enim ut reliqvum noctis tranſigerent, humi colligârunt. Quæ & qualia nobis ſic ligatis non fecerunt Huronibus ſocijs meis? quæ & qualia mihi facere non tentarunt? Sed iterum gratias ago tibi, Domine mi, quòd me Sacerdotem tuum, purum ſemper ab impuris Barbarorum manibus ſervaveris. Ubi duos dies itidem in illo Pago degimus, nos in Pagum illum, quem ſecundum ingreſſi eramus, ut tandem de nobis ſtatueretur, deducunt.

Jámq; ſeptimus dies venerat ab eo tempore, quo de Pago in Pagum, de theatro in theatrum deducebamur, ſpectaculum facti Deo & Angelis, ùt de divina bonitate par eſt credere; hominibus autem, & viliſſimæ barbariei ludibrium & illuſio; cùm tandem moniti ſumus, fore ut dies ille vitam noſtram incendio concluderet. Certè etſi aliquid horroris habebat extremus ille actus, illum tamen lætiorem reddebat beneplacitum Dei, & melioris, nulliſque peccatis obnoxiæ vitæ expectatio. Itaque tum Gallos, tum Hurones ſocios meos extremùm allocutus, bono animo eſſe rogavi: in corporis & animi ſui doloribus recogitarent eum, qui talem à peccatoribus adverſùs ſemetipſum ſuſtinuiſſet contradictionem, ut non fatigarentur animis ſuis deficientes; ſperarent, quòd craſtinus dies nos Deo noſtro in æternum regnaturos adjungeret. Et quia verebamur, nè ab invicem abſtraheremur, Euſtachium maximè monueram, ut cum unà eſſe minimè poſſemus, me intuens, admotâ pectori manu, & ſublatis in cœlum oculis, ſe de factis ſuis dolere teſtaretur, ut illi abſolutionem, quàm ſæpe in via, & ab adventu noſtro poſt Confeſſionem dederam, etiam tunc impertirer: quod non ſecus ac monitus fuit pluries præſtitit. Verùm maturiùs re conſideratâ, cenſuerunt ſeniores, nihil in hac re Gallorum eſſe præcipitandum, nóſque in Concilium ubi advocârant, vivere pronunciarunt. Reliquis item Huronibus penè omnibus vitam dedêre; tribus exceptis, Paulo, Euſtachio, & Stephano, quos tribus in Pagis, qui nationem iſtam conſtituunt, occiderunt: Stephanum in eodem quo eramus Pago, Andagoron appellant; Paulum in alio, Oſſernenon; Euſtachium, Teonontogen. Et Euſtachio quidem, ubi eum toto penè corpore uſtulârunt, cultro cervices amputârunt; quæ omnia Chriſtianè admodum pertulit; cúmq; ſoleant captivi alij moriendo cum illa dicere, Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor; ille contrà Chriſtiano ſpiritu, quem à Baptiſmo altè imbiberat, aſtantes Hurones concives ſuos rogavit, nè ipſius conſideratio, ſtabiliendæ cum Irokeis illis paci officeret. Paulus Ononhoraton qui in Pago Oſſernenon dicto, poſt ſolitas uſtulationes ſecuri percuſſus fuerat, juvenis erat 25. circiter annorum, & maximè animoſus: hos enim potiſſimùm occidunt, ut hoſtium vitas ſuccidant; is egregius mortis contemptor ſpe melioris vitæ, ùt palàm loquebatur in via, cùm ad me accederent Irokenſes, ut aut mihi ungues detraherent, aut aliud aliquid agerent, ſe illis offerebat, rogans, ut me derelicto, in ipſum potius deſævirent: reddat illi Dominus centuplicia cum fœnore, pro eximia illa charitate, quâ animam ſuam dabat pro amicis ſuis, & ijs qui eum in vinculis in Chriſto genuerant. Sub veſperum Guilielmum Couſture, quem Juvenem præſtantem viribus intuebantur, in ultimum regionis Pagum Teonontogen dictum deducunt, eúmq; cuidam Barbarorum familiæ adſcribunt. Solemne eſt his Barbaris, cùm captivo alicui dant vitam, eum in familiam aliquam adlegere, in qua demortui alicujus locum ſuppleat, in cujus etiam jura quodammodo ſuccedit, nec quiſpiam alius ipſius Dominus eſt, quàm is, qui familiæ illius caput eſt: ob id enim munera aliqua exhibet. Me verò & Renatum, quos non ità firmis viribus conſpiciebant, deducunt in Pagum primum, in quo ij qui nos captivos cœperant, manebant; ibíque nos, quoad aliud ſtatueretur, conſtituunt.

Ergo poſt tam multos & longos dies inediâ traductos, poſt tam vigilatas ordine noctes, poſt tot plagas & verbera, ac potiſſimùm poſt tot penitiſſimos animi cruciatus, ubi nobis licuit quaſi per otium dolores noſtros perſentiſcere, tum ægras trahere animas, vix ingredi, vix pedibus inſiſtere, nullam habere, neque diurnæ, neque nocturnæ partem tranquillitatis, cùm propter alia, tum præcipuè ob vulnera, quæ hactenus incurata remanſerant; quæ omnia duriora reddebat pulicum, pediculorum, & cimicum copia, quibus mederi cæſis truncatiſque digitis erat difficile. Accedebat ciborum penuria. multò enim veriùs de his regionibus poteſt dici; non cibus utilis ægro. Itaque cùm ad frumentum hujus Americæ, quod in Europa Turcicum appellant, inter duos lapides negligenter attritum, nihil præter multas & præcoces cucurbitas obſonij adhiberetur, penè ad extremum adducti ſumus. Renatus inprimis, qui cibis illis non aſſueverat,

rat, & qui ex acceptis plagis vix quidquam videbat. Itaque videntes Barbari nos paulatim deficere, conquiſitos in Pago piſciculos paucos, & aliqua carnis fruſtula, ad ignem & ſolem exſiccata, in pulverem redacta, obſonij loco polentæ noſtræ immiſcuerunt. Poſt tres hebdomadas utcunque ex malo recreati ſumus, cùm ad necem conquirimur.

Ducenti illi Barbari, qui nos malè exceperant in via, ad eum novæ Franciæ locum venerant, quò Irokenſium amnis, ab ijs ſic dictus, ſe in magnum Sancti Laurentij fluviũ exonerat; cùm Gallos aliquos, qui munitionis de Richelieu initia ponebant, conſpicati, crediderunt ſe poſſe facilè, occisâ eorum parte, aliam captivam ſecum adducere. Itaque ducenti, ùt erant magnâ parte catapultis armati, uno facto agmine in Gallos diverſis in rebus occupatos, penè improviſi incurrunt. Ad primum hoſtium adventum ad arma Galli, pauciſſimi licèt habitâ ratione barbaricæ multitudinis, concurrentes, tam fortiter felicitérque influentes Barbaros repreſſerunt, ut duobus ex ipſis occiſis, pluribus vulneratis, reliquos fugere compulerint. Frementes igitur redibant, & quaſi injuriam magnam ſuſtinuiſſent, qui iverant ut inferrent, nos qui adhuc vivebamus, ad mortem depoſcebant. Turpe nimirum eſſe dicebant, tres Gallos quietè apud ſe vivere, cùm Irokei tres nuperrimè ab eis eſſent interfecti. Certè his querimonijs Renati ſalus potiſſimùm & mea ad extremum diſcrimen adducta eſt, illéque ſolus ictum ſuſtinuit, qui ùt vitæ largitor, ità protector eſt.

Vigiliâ Nativitatis B. Virginis unus ex præcipuis Batavis, qui in Colonia viginti tantùm leucis ab his Barbaris diſſita manent, cum duobus alijs venit, de liberatione noſtra acturus. Multos dies ibi ſubſtitit, multa obtulit, plura promiſit, nihil obtinuit. Verùm quia maximè vafrum & callidũ eſt hoc Barbarorum genus, ut aliquid roganti amico dediſſe, nè omnia ejus deſiderio abnuiſſe viderentur, nos poſt paucos dies noſtris reſtituendos mentiuntur: & fortè id ipſorum aliqui volebant, ſed ſub finem Septembris (ingruentes enim pluviæ rem in illud uſq; tempus protraxerunt) ubi parato commeatu, deſtinatíſque ijs, qui nos reducerent, extremum de rebus noſtris concilium agitur, paucorum bene ſentientium opinio victa eſt: vicit tumultus, & turbulenti homines negârunt ſe paſſuros unquam Gallos ad ſuos reduci. Itaq; ingenti timore ſolvitur concilium, & unusquiſq; fugienti ſimilis domum aut Pagum, ex quo ad concilium venerat, repetit. Igitur truculentorum hominum ſævitiæ relicti, ubique ad necem quærimur: ij ſecuribus inſtructi domos luſtrant, ut inventos occidant. Fortè ſub finem concilij, neſcio quam mihi tunc mentem Deus injecerat, ſocios meos, in ſuburbanum agrum domûs, in qua degebam, deduxeram; ubi ignari eorum quæ agebantur, tuti quodammodo deliteſcimus, turbo ille interim, qui nos omnes, ſi in Pago fuiſſemus, ſuſtuliſſet, paululùm conquievit.

Poſtea reducto à ſuis in ſuum Pagum Guilielmo, ego & Renatus, ubi de reditu noſtro conclamatum eſſe cognovimus, in collem vicinum, qui Pago plurimus imminet, orationis causâ ſecedimus: ibi remoti ab arbitris, & moleſto interpellatore, nos Deo, ejúſq; ſanctæ voluntati totos committimus: in itinere pagum versùs coronam B. Virginis recitamus; jámq; quatuor decades percurreramus, cùm Juvenes duos obvios habemus, qui nos ut Pagum repeteremus, admonent. Tum ego, mi frater, dixi, quid velint homines iſti in tanta perturbatione rerum, ignoramus. Nos Deo impenſiùs, Sanctiſſimæq; Virgini bonæ matri noſtræ commendemus. Orantes ad Pagum perveneramus, cùm in ipſo aditu unus ex his duobus, quos obvios habueramus, extractâ, quam veſte occultatam gerebat, ſecuri, tam validum in Renati caput ictum impegit, ut ſemianimis corruerit, Sanctiſſimum nomen JESU inclamando (& fortè ſæpè invicem monueramus, ut memores Indulgentiarum, Sacratiſſimum illud nomen vocem vitámque noſtram concluderet.) Ego vero ſanguineam illam ſecurim conſpicatus, in eo ubi eram loco poſitis humi genibus, detractóque è capite quem gerebam pileolo, DEO meo me commendans, ſimilẽ ictum præſtolabar. Vbi in eo ſtatu fui aliquamdiu, juſſus ſum ſurgere, ſe me occidendi poteſtatem non habere cùm diceret, utpote alteri familiæ mancipatum. Tunc ſurgens properè, ad chariſſimum meum ſocium ſpirantem adhuc accurro, ipſíque abſolutionem, quam ſemper alternis quibuſque diebus, cùm peccata deponeret, dabam, etiam nunc impertior: tum illi alij duo ictus me præſente impacti, illum Beatorum numero adjunxerunt. Vir erat triginta quinque annorum, ſimplicitate, vitæ innocentiâ, & patientiâ in adverſis ſingulari, Deo, quem præſentiſſimum ſemper in omnibus intuebatur, ejúſque ſanctiſſimæ voluntati per amorem maximè ſubjectus;

dignus

dignus ſanè Rev. mi Pater, qui à te ùt tuus agnoſcatur, non tantùm quia plures menſes in Tyrocinio Societatis cum laude poſuerat, & imperio Superiorum ejuſdem, quibus ſe totum regendum dederat, Hurones petebat ut Chriſtianis chirurgicâ arte, quam noverat, opitularetur, ſed maximè quòd paucis antequam occideretur diebus, impulſus deſiderio ſe Deo magìs uniendi, nuncupatis Societatis votis, eidem quantùm potuit mancipârit. Et certè tum in vita, tum in morte, quâ extremùm locutus ſacratiſſimum nomen JEſu pronunciavit, non degenerem ſe Societatis filiũ comprobavit: imò ego eum non ùt fratrem tantùm, ſed ùt Martyrem (*ità illi piè loqui tunc placuit*) non obedientiæ tantùm, ſed & fidei, & Crucis, amo & veneror. Ut erat maximè pius, & cum ijs Barbaris ſolitus agere, qui aut Chriſtiani, aut Chriſtianorum intimi ſunt, longas quotidie ad Deum orationes fundebat, id mirantibus, & propter rei inſolentiam aliquid ſupplicantibus Barbaris. Ad hæc tanquam cumulus acceſſit, quòd quâdam die detracto è capite pileolo puerum tugurij, in quo diverſabatur, ingenti ſigno Crucis à fronte ad pectus munivit; tum verò id conſpicatus ſenex quidam maximè ſuperſtitioſus avus pueri, maleficium aliquod eſſe ratus, nepoti ſuo eum ut occideret imperavit; ſed mihi totum ipſiusmet pueri mater poſtea narravit, eúmque hac de cauſa à ſene occidi juſſum.

Sed ut inſtitutum ſermonem perſequamur ubi in tugurio noſtro, in quo quietè ſatìs vixeram, paululum reſedi, in aliud deductus ſum; illius nimirum, qui mihi pollicem ademerat, hoſtis Algonquinorum, ac perinde Gallorum infenſiſſimi: ibì me ſingulis momentis ſecuri percutiendum & ego credebam, & cæteri ſibi perſuadebant Irokei: quorum qui mihi aliquid, ut quoquo modo veſtirer, conceſſerant, jam illud repetierant, nè id me moriente ſibi periret. Sequenti die ingens me ſollicitudo cœpit, quidnam de corpore Chariſſimi mei ſocij factum eſſet, quod propoſito quovis periculo quærere, illúdque terræ mandare, ſi poſſem, conſtitui: illud autem nudatum omnino, indignè ligato circa collum funè, per pagum pertractum in torrentem ſat longè projecerant. Pago egreſſus in ſenem, cujus in tugurio antea manebam, incidi: ille, me domi continerẽ, admonuit: Quo properas, inquit, vix vivis: ubique quæreris ad necem, & adhuc mortui corpus jam ſemiputridum quæris, num vides ferocientes hos juvenes (aliqui cum armis è pago me paululum antecedebant) qui te modò interficient? Ego nihil veritus, utpote cui tantis in anguſtijs vivere pœna erat, & tali in officio charitatis mori lucrum, cœptum perſequebar iter: ubi me videt obfirmato ad id animo, alium Barbarum rogat me comitetur. Hujus igitur auxilio repertum corpus, quod jam canes circa renes abſumpſerant, in ipſomet torrente, ubi erat profundior, lapidum acervo tumulo; proponens ſequenti die cum ligone venturum, ut illud ſolus, & occultè defoderem: verebar enim, nè illud exhumarent. Domum regreſſum me præſtolabantur duo juvenes, ut me in ſuum Pagum, ibì nimirum occidendum deducerent. Ego non ignarus quid vellent, me in illorum poteſtate eſſe dixi, apud quos manebam: illi ſi vel minimùm annuerent, me comitem illis adjuncturum; itáque revera feciſſem. Ubi nihil hoc modo profeciſſe vident, ſequenti die alter illorum, qui cùm capti fueramus cum fratre vulneratus fuerat, acceptâ ſecuri in agrum, in quem juſſu meorum neſcio quid facturus iveram, properabat, ut ibì me occideret, cùm in itinere ab ſene noſtræ familiæ, id nè faceret, eſt prohibitus. His me inſtruebat Dominus, ut omnem meam ſollicitudinem projicerem in ipſum, ſciens quia ipſi cura eſſet de me, nec timerem à facie hominis, cùm Omnipotens eſſet protector vitæ meæ, ſinè cujus nutu ne capillus quidem è capite meo defflueret. Verùm quia eo die perficere non poteram quæ propoſueram, ſubſequentis diei manè accepto ligone ſeu ſarculo, ut corpus humo defoderem, perrexi: ſed tulerant fratrem meum. Eo, redeo: montem ad cujus radices torrens ille decurrit aſcendo, deſcendo; ſaltum qui ex altera parte erat luſtro, ſed fruſtra: torrentis qui ex nocturna pluvia plurimùm increverat fundum, tum baculo, tum pede pertento, non prohibitus aut aquæ altitudine, quæ ad medium corpus pertingebat, aut frigiditate (erat enim 1. Octob:) ſi fortè vis torrentis illud aliò tuliſſet: obvios quoſq; interrogo, nũ aliquid de illo ſciant: ſed ùt eſt maximè mendax hoc hominũ genus, & ſemper ad aſſentationẽ loquitur, nil ad veritatem, in fluvium remotiſſimũ protractũ eſſe mentiuntur: non enim hoc verum erat. Quos ego gemitus non dedi? quas non fudi lacrymas? quas cum aquis torrentis miſcebam, cantans tibi Domino meo de pſalmis uſurpari ſolitis ab Eccleſia ſancta tua, in funeribus mortuorum. Verùm ubi liquefactæ ſunt nives, audivi ab adoleſcentibus videri ſparſa defuncti Galli

oſſa. Itaque eò me conferens, ſemiroſa oſſa, reliquias canum, vulpium, ac coruorum, & præcipuè caput multis in partibus confractum collegi, quæ omnia reverenter oſculatus terræ mandavi, ut ea ſi vellet aliquando DEUS in terram ſanctam & Chriſtianorum, tanquam ingentes divitias, exportarem.

Multis ſanè periculis alijs, quæ ſcio, & quæ neſcio, invitis licèt & tumentibus Irokeis, me exemit Dominus. Sed illud minimè prætermittendum. Ineptus quidam erat domi noſtræ, qui ex panniculo ſeptem palmorum, quo utcunque tegebar, duos ſibi ut decerperet, à me poſtulavit: cùm ego, mi frater, dixi, vides me ſub brevi illo & levi panno totis noctibus frigore contremiſcere, tamen fac ùt volueris: ille modeſtâ meâ excuſatione offenſus, ubi poſtea in baptizatorum Huronum tuguria ingreſſus ſum (hos enim quotidie inſtruebam, iterúmque parturiebam donec in eis formaretur Chriſtus) me quærit, ſeveréq; denuntiat, domum repetam. Me ingreſſo, Renati interfector accerſitur, ut eadem manus quæ ipſum, me etiam occideret; quæſitus minimè inventus eſt. Itaque ſequenti die cum duabus mulieribus in ipſius agrum, in quo tunc manebat, mittor; ſpecie quidem aliquid afferendi causâ, revera autem, ut me ipſi occidendum offerrent (duobus etiam ante diebus domi noſtræ mortuus fuerat unicus filius mulieris cujuſdam nobilis, cujus manibus me etiam immolabant) & ferebant hæ mulieres cucurbitas, ſpicas, & alia id genus pretium interfectionis. Ego autem tanquam ſurdus non audiebam quæ meditabantur inania, & ſicut mutus non aperiebam os meum, & factus eram ſicut homo non audiens, nec habens in ore ſuo redargutiones; quoniam in te Domine ſperavi: ſed memor illius manſuetudinis, qui tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt, ibam ad mortem rogans Dominum cum Davide, ut averteret mala inimicis meis, & in veritate ſua illos diſperderet. Medio in itinere obvium habuimus interfectorem, quem quærebant. Itaq; illum à longè conſpicatus, Deo meo extremùm me commendans, animum meum tot curis & angoribus confectum ſuſciperet, rogabam; ſed necdum illud peccata mea meruerant. Ubi igitur ille quietè tranſijt, in ipſius matrem incidimus, quæ neſcio quid cum ijs, quæ me ducebant, locuta: illæ trepidæ & fugientibus ſimiles medio me in itinere (ſatis enim videbant me quæ vellent perſpicere) deſtituerunt.

In his igitur pavoribus & frequentibus mortibus dum quotidie morior, imò vitâ omni morte duriore vivo, duo menſes elapſi ſunt ab adventu noſtro: in ijs nullum mihi linguæ ſtudium, ut quid enim eam addiſcerem, cùm me ſingulis momentis moriturum crederem? Pagus mihi carcer erat, celebritatem fugiebam, amabam ſolitudines, in quibus rogabam Dominum, nè dedignaretur loqui ad ſervum ſuum, ut robur mihi tantis in anguſtijs adderet, in quibus ſanè ſi prodigium factus ſum multis, Deus fuit adjutor fortis, qui prolixâ ſuâ bonitate ſæpe mœrentis animum erexit. Recurrebam ad præſidia ſacrarum Scripturarum, unicum meum refugium in tribulationibus, quæ invenerant me nimis: has venerabar, cum his volebam mori. Et fortè ex omnibus libris, quos in uſum Gallorum apud Hurones verſantium ferebamus, unica venerat in manus meas Epiſtola Beati Pauli ad Hebræos, paraphraſtâ Reverend: Domino Antonio Godeau Graſſenſi Epiſcopo: hunc ego libellum cum imagine Beati Brunonis illuſtriſſimi Carthuſianorum Ordinis Fundatoris, cui applicatæ erant Indulgentiæ, quibus Crucem quam mihi ex ligno utcunq; confeceram addidi, ferebam ſemper mecum, ut ubicunque me mors, quam præſentiſſimam ſemper ante oculos habebam, oppreſſiſſet, cum Scriptura Sacra, quæ mihi maximo ſemper ſolatio fuerat, cum donis, & Indulgentijs Sanctiſſimæ matris meæ Eccleſiæ, quam cùm maximè ſemper, tunc tenerrimè diligebam, & cum Cruce Domini mei libentiſſimè morerer.

Jamque medius October venerat, quo Barbari omnes relictis Pagis, eunt ad venationem cervorum, quos partim laqueis capiunt, partim bombardis, quibus tractandis peritiſſimi ſunt, interficiunt. Itaq; tempus illud quod ſibi Barbari genio, & relaxationi animorum aſſumunt, mihi dolorum novorum augmento fuit: aliquibus enim datus comes ſum; illi primò me mirari, tum ridere, poſtremò odiſſe cœperunt. Ut memineram quam mihi à DEO hìc impoſitam perſonam ſuſtinerem, eos de colendo uno DEO, ejúſq; ſervandis mandatis, de Paradiſo, Inferis, aliiſq; Fidei noſtræ myſterijs, ùt poteram, modeſtè docere cœpi. Et illi quidem initiò me audiebant; ubi verò me in ijs ſatis aſſiduum viderunt, præſertim ubi venatio eum non habuit ſucceſſum, quem volebant, tum me Dæmonem quendam, causámq; cur parum venationis acciperent pronunciârunt. Sed illud eos maximè de malevolis rabidos & furioſos, ùt ita dicam, effecit. Solemne eſt

omni-

omnibus Populis iſtis in venatione, piſcatione, bello, morbis, & ſimilibus, ad Dæmonem quendam, quem Aireskoi appellant, confugere. Qui fauſtam vult ſibi venationem, piſcationem, & ſimilia, acceptis carnibus & optimis quibuſque quibus veſcuntur homines, antiquiſſimum domûs vel totius Pagi rogat, ut ſibi, ùt ità dicam, benedicat (& ſunt quorum benedictiones plùs alijs prodeſſe credunt) ille ſtans ex adverſo tenentis carnes, contentâ & diſtinctâ voce in hæc verba loquitur: Dæmon Aireskoi, ecce, carnes illas tibi offerimus, & ex his tibi convivium paramus; ut ex his comedas, nobiſq; oſtendas quonam in loco ſint cervi, eos in laqueos noſtros inducas; (ſi extra venationem) ut per te rurſus vernum tempus videre poſſimus, novas fruges deguſtare, rurſum venationi autumno intereſſe; (ſi in morbo ſunt) ut per te valetudinem poſſimus recuperare. Vbi igitur primò talibus verbis conceptam formulam audivi, magnum me odium cœpit barbaricæ illius ſuperſtitionis, firmitérq; ſtatui ejuſmodi oblatis carnibus in perpetuum abſtinere. Illam igitur meam abſtinentiam, Dœmonis ſui contemptum, cauſámq; cur parùm caperent interpretati, iniquo odio habuerunt me gratis. Ego in tam offenſo illorum odio, quo nec me illos inſtruentem audire, aut me interrogantem de lingua, quâ ineptias illorum confutabam, docere volebant, totum illud tempus ſpiritualibus exercitijs dare decrevi. Singulis igitur diebus manè exibam de medio Babylonis, tugurio nimirum ubi perpetuus ferè cultus Dæmoni, & ſomnijs exhibebatur, & ſalvabar in monte, colle nimirum vicino, ibi in ingenti arbore ingentem Crucem, detracto cortice mihi efformaveram, ad cujus pedem, quà meditando, & orando, quà librum de imitatione Chriſti, quem paulò antè receperam legendo, totos penè dies cum Deo meo, quem ſolus penè in tam vaſtis Regionibus & colebam, & amabam, tranſigebam. Id eos aliquamdiu latuit: verùm ubi aliquando in me ad Crucem ſolito meo more orantem inciderunt, tum invehi in me vehementiùs, odiſſe ſe Crucem illam, cùm dicerent, & ſibi & vicinis Europæis amicis ſuis incognitam, (Hollandos intelligebant hæreticos) ego qui de induſtria in eorum tugurio apertè orare, & genua flectere deſtiteram, nè ipſis aliquam occaſionem darem etiam levem querimoniæ (ſemper enim maximè inter Barbaros, rebus iſtis minimè aſſuetos, prudenter agendum eſt) ab illis pietatis officijs quibus vita ſpiritualis, quam longè temporali antèponebam, continetur, minimè abſtinendum exiſtimavi: profutura nimirum credebam illa ſuo tempore, cùm illorum converſionis momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, veniſſent.

Certè in tanto illo Barbarorum odio multa paſſus ſum, & famem, & frigus, & viliſſimorum hominum contemptum, & ſæva muliercularum odia, quarum in emolumentum cùm venatio omnis penè cedat, illæ me ùt inopiæ ſuæ auctorem & paupertatis intuebantur. Et famem quidem magnam ſuſtinui: Cùm enim omnes penè carnes, quibus ferè ſolis tunc veſcuntur, ejuſmodi oblationibus Dæmoni offerrentur, multos dies inediâ traduxi, fiebátque ferè quotidie, ut cùm impranſus domum ſub noctẽ repeterem, viderem Ægyptios noſtros ſedere ſuper ollas carnium, quas nè attingerem, ſeverâ lege mihi interdixeram; & licèt aliquæ mihi rationes ſuccurrerent, quæ nè id facerem, utcunq; perſuadebant, tamen nunquam Dei gratiâ de propoſito meo paſſus ſum dimoveri; ſed famelicus dicebam Domino meo: Replebimur bonis domus tuæ, ſatiabor cùm apparuerit gloria tua, cùm nimirum replebis deſiderium eſurientium ſervorum tuorum, in civitate illa ſancta tua Hieruſalem, quam in perpetuum adipe frumenti ſatiabis.

Frigus etiam maximum toleravi, altis jam nivibus ſub brevi illa, & jam detrita lacerna, cùm præcipuè noctibus nudus ſuper nuda humo, aut duris arborum corticibus cubare juberer: & licèt multæ eſſent pelles Cervorum, etiam quæ nulli uſui erant, nullæ mihi dabantur; imò ſi quando intempeſtâ nocte, cogente vi frigoris occultè aliquam caperem, illico ſurgentes illam mihi detrahebant. Tantum erat illorum in me odium! Cutis ergo mea, quæ jam in illo ſtatu, ùt cum Davide loquar, ſordibus pulveris aruerat, frigore fatiſcebat, ſentiebat toto penè corpore magnum dolorem. Verùm ubi ad externa illa ſe interiora adjunxerunt, tum verò intolerabilis factus eſt dolor meus. Memineram me nuper ſanguine chariſſimi ſocij mei reſperſum: & qui ex Guilielmi Pago ad nos veniebant, eum exquiſitis tormentis occiſum, me ubi in pagum redijſſem ſimiliter interficiendum dicebant. His adhuc ſe jungebat anteactæ vitæ, tam multis peccatis obnoxiæ, tamq; Deo infidæ recordatio; dolebámq; me quaſi medio in curſu, nullis præmiſſis bonis operibus à Deo meo projectum, eripi ſinè ullis Sacramentis. Sanè in illo

ſtatu, quo & vivere volebam, & mori perhorreſcebam, jactabam voces miſerabiles, & dicebam Deo meo, quandonam finis miſeriarum, & dolorum meorum? Vſquequo oblivîſcêris inopiæ, & tribulationis noſtræ? quandonam poſt tempeſtatem tranquillum facies, & poſt fletum gaudium & exultationem infundes? & nisi breviati fuiſſent dies illi, non ſalva fuiſſet mea caro.

Recurrebam ad ſolita præſidia ſcripturarum, ſolitum refugium meum, quorum loca memoriter tenebam, docebántque me, ut ſentirem de Deo in bonitate, etſi non adeſſet ſenſibilis ille devotionis affectus, ſcirem juſtum ex fide vivere. Scrutabar eas, rimabar rivulos earum, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, & in lege Dei meditabar die ac nocte; quæ quidem Dei lex nisi fuiſſet meditatio mea, fortè perijſſem in humilitate mea, & pertranſijſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Sed benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus inimicorum noſtrorum, quorum hora venerat & poteſtas tenebrarum, in qua ſupra modum gravati ſumus, ità ut nos tæderet vivere, dicerémq; cum Job contrario ſenſu: Etiamſi me non occiderit, ſperabo in eo.

Elapſis igitur duobus menſibus in illo ſeceſſu, in quo cum Bernardo ſagorum diſcipulus, nihil præter Deum cogitabam, omnibus inviſum, cùm me ampliùs ferre non poſſent, in pagum ante tempus remiſerunt. In itinere, quod nos octo dies tenuit, ſub magno carniũ quas ferebam pondere, tanquam jumentum apud Deum factus, cum illo ſemper eſſe conabar, quæ mihi in pago ventura eſſent ignorans. Jam enim aliqui nos præceſſerant, qui multis de me omnia rumoribus repleverant. In itinere penè nudus, ùt eram, ingenti frigore ùt plurimùm ſub dio pernoctans, moleſtiæ multum ſuſtinui, non curatis adhuc digitorum vulneribus, quæ vix medio Januario coaluerunt. In pago ad detritam lacernam, quâ induebar, tenue corium adjunctum eſt: eo igitur malè tectus circuibam plateas Pagi noſtri, rogans me aliquando ſanctis ſuis conjungeret Dominus, qui in pellibus & melotis quondam gementes & anguſtiati illi ſervierant, quibus dignus non erat mundus. Et videbam quotidie barbaros panno, & veſtibus quas ſarcinæ noſtræ multas continebant bene tectos, cùm diebus & noctibus frigore obrigeſcerem: ſed illa parùm. plùs me movebat, cùm videbam profanos illos homines ſacrâ ſupellectili indignè abuti, quorum unus tibialia ſibi ex duobus velis, quorum uſus eſt in Miſſa, confecerat, non hos ſervatum munus in uſus. Certè de illo omni tempore, quod ad medium uſq; Januarium effluxit, verè coram Deo poſſum dicere, uſq; in hanc horam eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, laborantes manibus noſtris: Maledicimur, & benedicimus; blaſphemamur, & obſecramus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus omnium peripſema uſq; adhuc.

Circa medium Januarium ubi redière ex venatione qui mei curam habebant, pellibus me uteunq; veſtierunt: donec Lotharingus quidam, qui cum Batavis vicinis noſtris manebat, veſtémq; ex his quas barbaris ſolent divendere, ad me, quem multa à frigore pati audierat, dono miſit. Iſta paululùm dolorem meum levabant, ſed maximè annoſæ cujuſdam mulieris, cujus unicus filius paulò antè obierat, cura: hæc inter ſuos maximè nobilis (habet enim & nobiles ſuos Barbaries) curam mei gerebat, deditq; mihi Dominus gratiam in oculis ejus. Sed hæc ſunt ſolatia mea luctûs exigua ingentis.

Ubi tandem vidi me uteunq; vivere; me ſtudio linguæ addixi: & quia domi noſtræ non ſolum pagi, ſed totius penè regionis conſilia agitabantur, cœpi antiquiſſimos quoſq; de rebus fidei noſtræ edocere. Illi plurima à me de ſole, luna, & facie in globo ejus apparente, de terræ ambitu, vaſtitate Oceani, de ejus acceſſu & receſſu, an alicubi, ſicut audierant, cœlum terræ conjungeretur, & ſimilibus, ſciſcitabantur: quibus cùm ex Philoſophia ad eorum captum me accommodans ſatisfacio, tum verò mirari, cùm dicerent: Enimvero jacturam maximam feciſſemus, ſi hunc, ùt nihil ſæpe propiùs factum fuit, occidiſſemus. Tum eos à creaturis ad Creatoris cognitionem conabar deducere: rejiciebam aniles, quas habent de Creatione orbis, quem à teſtudine conditum dicunt, fabulas: ſolem, (quem nec ingenio, imò nec vitâ prædítum oſtendebam) Deum aliquem minimè eſſe, quòd ſi ſpecie illius delectati, Deum aliquem eſſe crederent, intelligerent quantò Dominator illius ſpecioſior eſſet: illum Aireskoi non Deum, ſed Dæmonem eſſe, qui ſe vitæ authorem, & conſervatorem, & tot bonorum, quibus fruerentur, largitorem mentiebatur. Si quàm facilè convincuntur, tam facilè crederent, res citò conficeretur. Sed princeps mundi, qui virtute Crucis ab omnibus penè orbis partibus ejectus

ctus eſt foras, in has regiones tanquam in munitiſſimam arcem videtur confugiſſe; ità ut non poſſit regnum illud, quod à tot annorum millibus fortis ille armatus poſſidet, nisì proceſſu temporis, & invictâ Chriſti militum conſtantiâ labefactari. Subinde tamen CHRISTUS illius ſicut & cæterorum verus Dominus, aliquos ſibi deligebat, non tantùm ex infantibus, quos multos cœlum tenet, ſed etiam ex adultis, quos in morbo aut captivitate baptizavi. Plures alios adultos indigenas in morbo inſtruxi: ſed aut illi me non audierunt, alij rejecerunt, alij labijs tantùm, & urbanitate quâdam, quâ ijs, quæ dicis, refragari ruſticitatis eſſe putant, quæque incautos deciperet, conſenſerunt. Excurrebam etiam aliquando ad vicinos pagos, ut Chriſtianos Hurones, qui non flectebant genua coram Baal, ſolarer, inſtruerem, eóſque poſt peccatorum Confeſſionem abſolverem, Deum ubique, quantùm poteram annuntiarem, morientibus ſuccurrerem, ſed maximè infantibus periclitantibus ſubvenirem. Hoc erat unicum meum in penitiſſimis animi mei cruciatibus ſolatium: contigítque aliquando, ut cùm in pagum vicinum hac de cauſa excurriſſem, ibiq; quinq; pueros baptizâſſem, eos omnes paulò pòſt in alio excurſu cœlum petijſſe cognoverim.

In his igitur & ſimilibus exercitijs, & qualicunq; ſtudio linguæ (quale enim ſinè ſcriptura eſſe poterat?) duo menſes abierant; cùm medio Martio, ſolutis jam nivibus, me ſecum ducunt ad piſcationem. Abimus igitur, & ſenex, & annoſa mulier, & puerulus, & ego, viam quatuor dierum, ad lacum in quo præter piſciculos paucos nihil capiebamus, quorum exta ùt plurimùm, quòd piſces in Pagum deferendi reſervabantur, polentæ pro obſonio & condimento erant. jam enim hæc omnia, ſicut & inteſtina cervorum cum ſanguine & fœcium parte ſemiputrida, & fungos aquâ coctos, & mala oſtrea, & ranas, quas integras, nè excoriatas quidem, aut exenteratas, cum capite vorant & pedibus, tolerabilia, nè dicam ſuavia fecerat conſuetudo, fames, & penuria meliorum. Quoties in illis itineribus & quieto ſeceſſu, ſuper flumina Babylonis ſedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion, non ſolùm in cœlo exultantis, ſed etiam in terris laudantis Deum tuum? Quoties, licèt in terra aliena, cantavimus canticũ Domini; & ſylvæ & montes reſonuerunt laudibus ſui Creatoris, quas à conſtitutione ſua non audiverant: quoties in proceris ſylvarum arboribus Sacratiſſimum JESU nomen inſculpſi, ut eo viſo fugerent, quo audito contremiſcunt Dœmones? quoties in eiſdem Sanctiſſimam Domini Crucem detracto cortice efformavi, ut ad ejus aſpectum fugerent partes adverſæ, & per eam Domine mi Rex, dominareris in medio inimicorum tuorum, inimicorum CRUCIS tuæ, hæreticorum, & paganorum hominum has terras incolentium, & Dæmoniorum in eis latè imperantium? gaudebam itaq; me à Deo eſſe deductum in ſolitudinem eo tempore, quo Eccleſia Paſſionem ejus recolit, ut liberiùs memorarer tranſgreſſionis ejus, amaritudinis & fellis, & tabeſceret anima mea recolens. Itaq; expletis his quæ Dominis meis in quantum ſervus, & Barbarorum ſervus, debebam præſtare (eis autem in cædendis ùt poteram lignis, iſque in uſum tugurioli deferendis inſerviebam) omne tempus ferè ad Crucem, quam mihi remotè à tugurio in ingenti Pinu efformaveram tranſigebam. Sed non licuit mihi diu illo ſancto otio meo frui: nimirum nimis multi dies ſinè ſolitis meis pavoribus abierant. Feriâ ſecundâ Hebdomadæ ſanctæ quidam è Pago noſtro ad nos venit. Illius autem adventûs hæc cauſa fuit. Decem Irokei, inter quos erat filius illius qui mihi pollicem abſciderat, & cujus in tugurio manebam, mediâ æſtate ad bellum profecti fuerant. Nihil de illis reliquâ æſtate, nihil autumno, nihil totâ hyeme audierant. Itaque de illorum ſalute actum eſſe credebant, cùm potiſſimùm circumpoſitæ nationes eos hoſtium crudelitati patuiſſe nuntiarent. Verùm ubi initio veris, nobis abſentibus, captivus adductus, de ijſdem interrogatus, ità eſſe reſpondit, eóſq; occiſos confirmavit; tum verò illud, quod verum antea credebant, indubitatum tenentes, illum ipſum captivum, illius adoleſcentis, filij illius in cujus eram tugurio, manibus immolârunt. Sed vilior erat illius captivi anima, quàm ut illius nobilis adoleſcentis vitæ componeretur. Itaq; ex illo lacu in quo eramus, accerſebar, ut priori conjunctus, ſequentis mortem compenſarem. Sic nimirum mulierecula una, aut altera, & vetulus ſenex concluſerant. Sequenti igitur die fugientibus ſimiles diſcedimus: & in ſpeciem dicebant vagari hoſtes: & feriâ quintâ in Cœna Domini ſub veſperam ad Pagum pervenimus. Sequens dies, qui Salvatoris vitam concluſerat, debebat & meam; cùm illi placuit, qui illo die moriendo mihi vitam ſpiritûs dederat, illam etiam & corporis largiri. Illo igitur die quo

debebam occidi, primò murmur aliquod auditur, quaſi incerto authore, quod vivere illos qui perierant referebat, poſtremò eos alteri turmæ conjunctos, viginti duos captivos ſecum adducere. Hac ratione Deus infeſta Barbarorum conſilia diſpulit, qui his me inſtruebat, oſtendebatq; ſe curam mei habere, ut totum me in ipſum projicerem, ſciens, quia non ſe ſubtraheret ut caderem.

His igitur aliiſq; periculis ereptus, etſi naturaliter nonnihil gaudebam, dolebam tamen me novis ſemper doloribus, penitiſſimiſq; cruciatibus redditum, vitam vivere omni ſanè morte acerbiorem. Nam iſtorum hominum proſperi, aut adverſi caſus, in me unum recidebant: ſi eorum aliquis occideretur in pugna, ego tanquam victima aliqua depoſcebar ipſius manibus immolanda. Si verò, quod fiebat ferè ſemper, captivos aliquos alijs occiſis adducerent, cùm aut Galli, aut Gallorum amici eſſent, magnus ſemper erat dolor cordi meo.

Amabam itaq; naturaliter ſeceſſus, & ſolitudines, in quibus longè à Pagis non offendebar ſolitâ Barbarorum iſtorum crudelitate, & liberiùs Deo vacabam, & meliùs. Verùm ſciens aliunde, Liam etſi lippientem oculis, Rachele eſſe fœcundiorem, pluréſq; parere; memor inſuper inſtituti Societatis, quæ proximorũ ſalutem privatæ illi dulcedini anteponit, non invitus domi me continebam: in Pago enim præter adjumenta ad linguam majora, meliùs & puerorum Baptiſmo, & adultorum ſaluti conſulebam: dolebam enim ùt plurimùm me abſente aliquem aut non inſtructum adultum, aut non baptizatum puerum obijſſe. Qui redibant ergo ex bello Barbari noſtri, viginti duos captivos adducebant: ſex ex ijs cum quibus hactenus bellum nullum geſſerant, quos contra fas omne, & juſtitiam, fuſtibus, & verberibus, & digitorum abſciſſione ſolito more mutilârunt. Quinq; ex his erant occidendi (nam reliqui omnes pueri erant, & puellæ, & mulieres, qui in ſervitute reſervabantur) de illorum ergo ſalute eram ſollicitus: nam linguam illorum non noveram, tamen Dei gratiâ eos aliquibus verbis, quæ ex illorum lingua ſciebam, ſed maximè beneficio unius, qui linguam utramq; callebat, inſtructos baptizavi: hæc feſtis Paſchalibus contigerunt. Feſtis Pentecoſtes alios captivos adduxerunt, tres nimirum mulieres cum puerulis (mares enim propter Gallos noſtros occiderant) & nudas quidem omnino, etiam ſinè ſubligaculis in Pagum verberibus malè mulctatas induxerunt, ipſiſq; pollices ademerunt. Unam ex ijs, quod hactenus factum non fuerat, toto corpore uſtulatam, in ingentem rogum poſtea injecerunt. Hoc novum, & notatu dignum vidi; cùm combuſta fuit hæc mulier, ad unamquamque combuſtionem, quam ardentibus facibus admotis faciunt, antiqvus quidam contentâ voce in hæc verba loquitur: Dœmon Aireskoi offerimus tibi hanc victimam, quam tibi comburimus, ut ipſius carnibus ſatieris, faciaſque ſemper de novo hoſtium noſtrorum victores. Ipſius corpus in partes diſſectum, in varios Pagos delatum voratum eſt: mediâ enim hyeme dolentes quaſi abſtinuiſſe à quibuſdam, quorum carnes non voraverant, in ſolemni ſacrificio duorum urſorum, quos Dœmoni ſuo offerebant, in hæc verba locuti fuerant: Juſtè nos punis, Dæmon Aireskoi, quòd jam à longo tempore hoſtes nullos cœperimus captivos; æſtate autem, & Autumno nullos ex Algomquinis (quos propriè hoſtes ſuos dicunt) acceperimus. Tibi peccavimus, quia ultimos captivos projectos non comedimus; ſed ſi inpoſterum aliquos capiamus pollicemur tibi, nos eâ ratione eos devoraturos, quâ ſumus duos iſtos urſos modò conſumpturi; ſicq; præſtiterunt. Hanc autem mulierem medijs in rogis, quia antea non potueram, cùm ipſi ſitienti potum præberem, baptizavi. Vigiliâ Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ (de quo dictum eſt, & multi in nativitate ejus gaudebunt) ad dolores meos ſolitos maximus cumulus acceſſit, cùm & captivi adducti ſunt Hurones undecim, Gallus unus, præter tres occiſos, quorum calvarias aut comas, quas ex mortuis cum cute detrahunt, afferebant, & decem Hurones, quos perfidè deceptos ſpecie amicitiæ occiderant, atq; inter eos Chriſtianos aliquos maximè celebres. Certè ſentiebam in me hanc, quam peccata mea meruerant, punitionem, olim populo ſuo prænunciatam à Deo, cùm dixit fore, ut eorum neomeniæ, celebritates, & feſta, in luctum & dolorem verterentur, cùm & in Paſchate, & in Pentecoſte, & in Nativitate Beati Joannis Baptiſtæ, novi dolores in me incurriſſent, quos poſtea centum Huronum clades, quorum pars diris tormentis excarnificata, in vicinis nobis nationibus igne combuſta eſt, auxit vehementer. Væ mihi miſero, ùt quid natus ſum videre contritionem populorum meorum.

Certè in his, aliiſq; ſimilibus penitiſſimis animi cruciatibus, defecit in dolore ani-

ma

ma mea, & anni mei in gemitibus. propter enim iniquitates meas corripuit me Dominus, & tabeſcere fecit ſicut aranèam animam meam. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio, quia longè factus eſt à me conſolator meus, conſolans animam meam; ſed in ijs omnibus ſuperamus, & favente Deo ſuperabimus propter eum, qui dilexit nos, uſque dum veniat qui venturus eſt, & qui non tardabit, donec veniat ſicut mercenarij dies mea, aut fiat immutatio mea. Licèt enim ſatis probabiliter poſſem vel per Europæos, vel per alios Barbaros nobis vicinos, ſi vellem, aufugere, tamen in hac Cruce, cui me Dominus ſecum confixit, & vivere, & mori favente ejus gratiâ conſtitui. Quis enim captivos Gallos me abſente poſſet ſolari? confitentes abſolvere? quis Hurones captos & baptizatos monere de officio? quis eos, qui de novo ſubinde captivi adducuntur, inſtruere, morientes baptizare, corroborare in tormentis? Quis pueros ſacris aquis abluere, quis morientium adultorum ſaluti providere, ſanorum inſtructioni? Et ſanè non ſinè peculiari quadam divinæ bonitatis providentia factum eſſe arbitror, ut cùm hinc à Catholica, & vera Religione alieni, aditum ad Fidem iſtis Regionibus, illinc atrox bellum inter Barbaros, & eorum occaſione inter Gallos intercluſerint, pervenerim in iſtorum Barbarorum manus, qui me nolentes, ùt ità dicam, & inviti hactenus, Deo ſic volente, conſervârunt, ut per me licèt indignum inſtruerentur, crederent, & baptizarentur, quotquot ſunt præordinati ad vitam æternam. Septuaginta autem ab eo tempore, quo captus ſum, baptizavi, & pueros, & adoleſcentes, & ſenes, ex quinq; diverſis nationibus, & linguis, ut ex omni Tribu, lingua, & Populo ſtent in conſpectu Agni.

Hac de cauſa quotidie flecto genua ad Dominum, & Patrem Domini mei, ut ſi eſt ad ipſius gloriam, infatuet omnia tum Europæorum, tum Barbarorum conſilia, qui de me aut retrahendo, aut ad noſtros reducendo cogitant. Multum enim locuti ſunt de me reducendo Barbari. Et Batavi, apud quos hæc ſcribo, multa obtulerunt, & etiamnum offerunt, ut me retrahant cum meis ſocijs. Apud eos bis diverti: & me humaniter tractârunt, nihilq; intentatum relinqvunt, ut me, meóſque extrahant. Imò & Barbaris, apud quos ſum, multa elargiuntur, ut me humaniter tractent.

Sed jam me tædium capit tam longæ, & tam prolixæ Epiſtolæ: rogo igitur ex animo Rev. V. ut me indignum licèt, ſemper ùt ſuum agnoſcat: licèt enim habitu, & veſtitu Barbarus, imò & penè in tam tumultuoſa vita ſinè Deo meo, ſemper tamen & Sanctiſſimæ Romanæ Eccleſiæ, & Societatis filius, ùt vixi ſemper, ità & mori cupio. Obtine mihi à Deo, Reverende mi Pater, ſanctis Sacrificijs tuis, ut cùm mihi multa adjumenta ad eximiam ſanctitatem dederit, quibus hactenus malè uſus ſum, ſaltèm hâc poſtremâ occaſione, quam mihi præbet, bene utar. Certè hoc debet bonitas tua filio tuo ad te confugienti: vitam enim vivo ſanè miſerabilem, in qua virtutes omnes periclitantur. Fides quidem in tam ſpiſſis infidelitatis tenebris; Spes in tam longis, & duris ſanè probationibus; Charitas in tanta carnalitate, & Sacramentorum omnium carentia. Caſtitas quidem licèt non multùm hìc periclitetur in delicijs, periclitatur tamen in promiſcuo illo & intimo utriuſq; ſexûs convictu, in quidlibet audendi, & faciendi unicuiq; libera facultate, & maximè in nuditatibus. Multa enim ſæpe velis nolis videas neceſſe eſt, quæ alibi non modò curioſos oculos excluderent, ſed etiam errantes. Hac de cauſa gemo quotidie ad Deum meum, rogans eum, nè me relinquat inter mortuos ſinè adjutorio; rogans, inquam, eum, ut inter tot carnis ſpurcitias, & ſuperſtitioſos Dæmonum cultus, quibus me nudum quaſi & inermem expoſuit, fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus ſuis, ut cùm venerit bonus ille Paſtor, qui diſperſiones Iſraëlis congregabit, congreget nos de nationibus ad benedicendum nomini ſancto ſuo. fiat, fiat.

Reverentiæ Veſtræ
Humillimus in Chriſto ſervus
& filius
Iſaacius Jogues.

Licebit mihi per R. V. omnes meos RR. PP. chariſſimos FF. quos unicè omnes in Chriſto diligo & colo, ſalutare, méq; eorum SS. Sacrificijs & precibus commendare. Coloniæ Renſeralianæ in Neo-Belgio 5. Auguſti Anno 1643.

Humillimus in Chriſto
ſervus & filius
Iſaacius Jogues.

Ad id temporis, quod recitata P. Iſaaci complectitur epiſtola, pertinent aliqua, quæ pro ſua ipſe modeſtia noluit literis fortaſſe committere. Sed ubi redijt in Galliam, Moderatorum autoritate compulſus, ea patefecit: quæ quoniam ipſius verbis Latinè deſcripta nactus non ſum; quàm optimâ fide con-

conſequi ex Gallico potui, interpretata reddam. Itaque ſic ait:

Poſt amantiſſimi mei ſocij, fauſtæ memoriæ, mortem; eo tempore, quo ad mortem ipſe etiam quotidie quærebar, & anguſtijs repleta erat anima mea, accidit in ſomnis mihi, quod nunc ediſſeram. Egreſſus eram è pago noſtro, ſicut erat meus mos, ut tibi, DEus meus, liberiùs gemerem, exhiberémq; orationes meas, & cataractam adducerem coram te meis anguſtijs, & querimonijs. In reditu meo nova omnia comperio, valla, queis pagus noſter cingebatur, in turres, in mœnia perelegantia, in propugnacula videntur eſſe mutata; quamvìs nihil de novo videretur eſſe fabricatum, ſed urbs appareret egregia, & veteris ævi. Dum anceps animi hæreo, ísne pagus noſter eſſet, nécne; cerno prodeuntes Hirocenſium aliquos mihi pernotos; líque noſtrum eum eſſe pagum aſſeverant. Igitur accedo ad urbem plenus admirationis; & primam portam ingreſſus, conſpicio in columna dextera portæ ſecundæ duos iſtos characteres L. N. grandi forma inciſos; & deinceps agnum puſillum neci datum. Obſtupui ſpectans; neq; ſatìs capere poteram, quì potuiſſent characteres illos Barbari, noſtrarum ignari literarum, incidere: cúmq; eorum ſententiam cum animo meo reputarem; conſpicor in volumine ſurſum hæc tria verba deſcripta, *Laudent nomen ejus*: ſimul ingenti luce, penitiſſimo in ſinu animi colluſtratus, eos intellexi verè nomen Agni laudare, qui in preſſuris & tribulationibus eniterentur ejus imitari ſuavitatem, qui tanquam Agnus non aperuit os ſuum coram ijs, qui deſpoliatum vellere ducebant ad necem. Eo conſpectu recreatus, alteram portam ingredior, ingentibus ſaxis quadratis ſtructam, grandi porticu, ſeu fornice ad ingreſſum ornatam. In ejus medio ſtationem militarem conſpicio, armorum omnis generis refertam, ſed milite vacuam: arma quidem ego reveritus ſum, ejus obſervantiæ memor, quæ eis deberetur. Quo facto, exclamat excubitor, eo loco, quò fortè contendebam collocatus, ut ſtarem: verùm ego, ſive quòd aliò vultum averſum haberem; ſive quòd elegantiâ rerum, quibus eram intuendis intentus, animum occupâſſet, clamantem neq; vidi, neq; audivi. Itaq; rurſum altiùs vigil inclamat, ut ſiſtam gradum. Ego illico in veſtigio reſtiti. Tum ille: Siccine voci ejus obtemperas, qui ante Regiam excubat, ut bis clamandum fuerit, quò ſubſiſteres? Age, ad Judicem, ad Capitaneum noſtrum, ut meritâ temeritatis tuæ pœnâ defungare. Cui ego; crede ſis, inquam, amice, neque te videram ego, neque audieram. At ille purgatione repulsâ, intrò me rapit. Palatij porta paulò infra ſtationem erat. Locus ille ſpeciem mihi earum aularum deauratarum exhibuit, ubi exercentur in Europa judicia; vel qualia priſcis in Monaſterijs viſuntur fuiſſe Capitula. In eo palatio vidi ſenem plenum majeſtatis, Antiquo dierum perſimilem, togâ oblongâ veſtitum è ſpectatiſſima purpura; non ſedentem illum; ſed leniter inambulantem, ſuóq; populo jura dicentem, quem pretioſi ab ipſo cancelli ſeparabant. Ad portam conditionis cujuſq; multitudo conſtiterat. Ut Judicem miles, qui me induxerat, affatus eſt; ille virgam è faſce depromit, quales præferri conſueverant Romanis Conſulibus. Eâ virgâ me diu, inclementérq; diverberat, humeros, & collum, & caput feriens; & quamvìs alterâ dumtaxat id manu faceret; tanta tamen erat doloris acerbitas, quantam in primo Hirocenſium pago fueram expertus, cùm primùm ſub ingreſſum univerſæ juventutis atroci fuſtuario exceptus ſum. Nullus mihi ſub ijs verberibus gemitus excidit; nulla conqueſtio: toleravi dolorem meum, hauſtâ ex humilitatis meæ conſideratione patientiâ. Demum Judex veluti meam mirabundus patientiam, virgâ poſitâ, meum in collum ſe dejicit, & complexu ſtringit, omni animi detersâ ægritudine, & divinâ quâdam, ac prorſus inexplicabili conſolatione perfuſum. Hac cæleſti dulcedine redundans, exoſculabar eam manum, quæ me verberaverat; & quâdam quodammodo velut extaſi oppreſſus, exclamavi: Virga tua, Domine mi Rex, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Atq; his actis, reduxit me, & in limine portæ deſtituit. Ego verò, cùm ad me redijſſem, dubitare non potui, quin meo in animo Deus mira quædam eſſet operatus; non eò duntaxat; quia res eæ ſibi aptè cohærerent; ſed multò maximè ob ardentiſſimum amoris ignem, quem in profundo cordis mihi Judex meus accenderat; cujus vel ſola recordatio lachrymas dulciſſimæ conſolationis mihi poſt menſes etiam cómplures ciebat.

Fuit mihi etiam dilatæ meæ mortis opinio non ſemel in animo ſecundùm quietem impreſſa. Nam cùm ego me carum meum ſocium jam cœlo receptum ſequi arbitrarer; currebam poſt eum per limites & anfractus, qui mihi mox ejus conſpectum adi-

adimebant. Aliàs inter eum perſequendum templa ſuperba offendebam; in quæ cùm me intuliſſem, eorum ſpecie, & pulchritudine pellectus, vocibúſq; canentium, quas audiebam, delinitus, orando precandóq; tantiſper ejus ſolabar abſentiam. Verùm ijs ſuavitatibus ſimul atque exibam, in ejus ſequendi cupiditatem rurſus intrabam. Hæc ille tunc temporis haud ſatìs dum intellecta ſuæ mortis præſagia divinitus habuit. Sed in eo quoq; ſeceſſu, cùm in tumulum pago imminentem egrediens, longa ſpacia cum Deo precando ducebat, ùt in epiſtola nuper recitata commemorat, abdita nonnulla Divinæ benignitatis argumenta percepit.

Videbar, inquit, mihi die quâdam in conventu eſſe complurium Patrum noſtrorum, quorum, cùm viverent, colueram virtutem: tres tantùm ex ijs diſtinctè recognovi, P. Jacobum Bertric, P. Stephanum Binet, P. Petrum Coton; & eorum quemque eò clariùs agnovi, quò mihi cum illis major fuecat in Europa conſuetudo. Eos ego toto animi mei impetu deprecatus ſum, ut Cruci me commendarent, quò me ipſa reciperet, diſcipulum ejus, qui pependerat inter brachia ipſius. Cauſam attuli poſtulationis, quæ neq; unquam mihi aliàs, ac nè tum quidem etiam, cùm de Cruce meditarer, in mentem veniſſet; nempe, civem me Crucis eſſe, ea ſcilicet in urbe natum, cujus Eccleſia princeps ac Metropolitica Sanctæ Cruci dicata ſit.

In hoc eodem ſeceſſu deprehendi me, inquit, derepentè in officina Librarij, ſita in porticu, ſeu clauſtro S. Crucis in urbe mea natali. Sciſcitatus ex eo ſum, ecquem haberet librum de pietate, & officio tractantem? Ille ſibi unum eſſe quempiam reſpondit, quem haberet in pretio. Is mihi cùm præberetur in manus, unà vocem inaudij hujuscemodi: Liber iſte continet illuſtres pietate viros, & fortia bello pectora: quæ verba veritatem iſtam animo meo impreſſerunt; Oportere me ſcilicet per multas tribulationes ingredi in regnum Dei. Ecce autem, ùt ex officina egreſſus ſum, eam ipſam undique Crucibus opertam conſpexi. Dixi librario, rediturum me iſthuc propediem, coëmpturúmq; ex eis, quod ſatìs foret, cupere enim me earum copiam; vidi autem omnis generis, & magno numero Cruces. Adeò ſcilicet vir optimus nihil, nisì Crucem, ſpirabat, nihil optabat: & confecerat ipſe ſibi Litanias de S. Cruce, quæ poſt ejus exceſſum in chartæ fragmentis inventæ ſunt.

In eadem iſta ſolitudine, quâ ſupra modum à Barbaris vexabatur, Deus eum quoq; maximâ deſtitutione conſolationis exercuit. Verùm ſic eum rurſus ſolatus eſt. Cùm altæ jam nives eſſent, inquit, eram inediâ, frigore, nuditate ſemimortuus: eram Barbarorum lutum ac cœnum, opprobrium, & ludibrium hominum: mortiferos in animo meo angores, ex conſpectu negligentiarum, & delictorum vitæ meæ retroactæ; dolores mortis, quam de Barbarorum manibus, ùt ipſi mihi denunciabant, cogebar expectare propediem; & pericula inferni circumdabant me undique. Inter hæc verò vocem diſtinctè percepi, damnantis puſilli cordis mei contractionem, jubentíſque: *Sentire de Deo in bonitate*, méq; in ejus ſinum plenè, integréque conjicere. Percepi & iſta alia verba, quæ S. Bernardi eſſe credidi: *Servite Domino in illa charitate, quæ foras mittit timorem; meritum non intuetur.* Tempeſtiva prorſus ea monita fuêre: neq; enim ego tum agebar liberali atque amico, ſeu filiali timore; ſed vernili potius, ſervilíq; dejectione: neque ſatìs habebam ſpei atque fiduciæ; & pro gemitibus, quos pro malè factis in Deum debueram, eo triſtabar, quia me de medio vitæ tolli cernebam, ſiſtíque Judicio, priuſquam ulla præ me miſiſſem opera bona. Itaq; ea verba me momento mutârunt; eadem diſpulêre moleſtias; méq; in amoris adeò vehementem conjecere flammam; ut priùs ea Bernardi verba magno impetu pronunciaverim, quàm ad me revenirem: *Non immeritò vitam ille vindicat noſtram, qui pro nobis dedit & ſuam.* Denique tantopere ſervi ſui pauperis animum Deus dilatavit, ut in pagum, cujus in introitu me mactandum rebar, gaudij plenus redierim.

Per idem illud captivitatis ſuæ tempus, quoties venationis aut piſcationis cauſâ prodirent pago ſuo indigenæ, Iſaacus vice jumenti ſarcinarij ad deportanda foras quidem alimoniæ neceſſaria, domum autem revehendas carnes ferinas, illis adhibebatur, nudis ſemper pedibus per altas nives, & concretum glacie ſolum incedens. Durante autem pluribus ſubinde hebdomadis eâ excurſione, lignandi cura illi incumbebat, & apparandi foci, cui neceſſaria ligna cedere, & ſuis humeris convectare cogebatur. Ipſe autem media in ſylva mapale ſibi è ramalibus in modum Sacelli interim contexebat, & Cruce in illo collocatâ, quidquid temporis ſuffurari poterat, coram eadem proſtratus contemplationi impendebat. Accidit ali-

quando, ut ingenti carnium ſarcinâ onuſtus in aliorum comitatu domum per 30. leucas remitteretur, cùm mulier prægnans infante ulnas, & carnium præterea onere prægrandi dorſum impedita, ex anguſto ponticulo in rapidum profundúmque flumen delapſa eſt: cujus miſeratione P. Iſaacus in aquas è veſtigio deſilijt, & pondere liberatam, ad ripam ingenti ſuo periculo pertraxit; infantem verò ex hauſta aqua & gelido frigore morientem ſacris undis elutum, Cælo tranſmiſit. Attonuit ea charitas nonnihil barbaros, donec ad pagum perventum eſt, ubi nullâ conceſsâ quiete jubetur prægrandem frumenti ſaccum ocyùs ad venatores portare. Cohorruit viro animus magnitudine oneris, quod tamen ſupremis viribus conatus aliquouſq; deferre, cùm & virium imbecillitas, & glaciati ſoli lubricitas prohiberet ultrà progredi, coactus eſt domum redire. Ibi convicijs exceptum, & canem, jumentum iners, nihil nisì edere ſciens, compellatum, damnant ad ſervitium hominis, è fætidiſſimo morbo in anguſta caſa computreſcentis, ejus ipſius ſcilicet, qui Patri ungues crudeliter evulſerat: cui ipſe charitate, quâ filius amantiſſimo Patri poſſet, diebus 15. inſervivit; quod idem obſequij genus paulò pòſt alteri fædâ illuvie diffluenti, qui præ alijs crudeliùs in ſe deſævierat, ſpontaneâ charitate exhibuit. Aliàs ex ſimili venatione fraudulenter ſenecio quidam domum illum revocabat, ut ſcilicet Manibus ſui familiaris, quem diu ab expeditione in Huroniam non revertentem necatum credebat, Patrem immolaret. Jamq; is ignarus technæ, velut ovis ad occiſionem, pagum repetebat, cùm repentè de incolumi amico allapſus nuncius, & mox cum captivis ex gente Abnaquienſi revertens victor ipſorum manipulus, improbum ſenis conſilium iterum diſcuſſit, & in captivos furorem convertit, quos gaudio elati certatim cum ſene omnes carnificant, torrent, mactant, ac demum per diram ingluviem devorant.

Quoties verò quies à venationibus, aliiſque excurſionibus dabatur, continuè Pater tres eorum pagos, quos Agneronons vocant, concurſabat, Hurones captivos poſthabito ſui capitis evidenti periculo ſolando, expiando, & in Fidei conſtantia roborando. Unde paulatim ejus hoſpita ac Domina, quam Pater ſuam amitam ex beneficio vocabat, virtutum ejus admiratione capta, binas ei pelles cervinas commodavit, unam quâ ſe obvolveret, alteram cui incubaret. Sed paulò pòſt iterum extremum vitæ ſubijt periculum: nam rabidus homo inopinatò irruens, duos ei validos ictus militari clavâ in caput inflixit, ut eliſo ferè cerebro corruerit: conficiendus ab eo penitus, nisì ab accurrentibus prohibitus eſſet. Amita Patrem miſerata, copiosè profuſis lachrymis, quidquid deinceps in eum molirentur barbari, ſyncerè aperiebat, & ad ſubducendum ſe fugâ tam diræ immanitati hortabatur. At ipſe patiendi pro Chriſto atrociſſima cupidiſſimus, ſicubi verberum & cruciatuum ſibi illatorum inſtrumenta nanciſci poterat, ea devotis oſculis & lachrymis venerabatur; præſertim verò theatri illius fulcra, in quo fuerat tam dira perpeſſus, non poterat abſq; geſtientis animi lætitia intueri, quia divinæ in ſua crimina ultionis fuerant inſtrumentum. Circumductus etiam aliquando ab hero ſuo per vectigalium pagos eſt, ad vanam victoriarum ſuarum etiam de Europæis oſtentationem; quam ei mentem DEus evenire videri poteſt permiſiſſe, ut per eam ſuorum in ea barbariæ electorum ſalutem operaretur. Nam Pater cujuslibet ejus vici domos ſingulas excutiens, quotquot moribundos reperit infantes (reperit autem in una aliquando domo quinque) baptizabat; idémq; adultis compluribus, ubi diuturnior mora præviæ inſtructioni favebat, beneficium impertiebat. Inter alios tum in Juvenem languentem incidit, à quo ſic compellatus eſt: *Ondeſſon* (id Patri nomen inter barbaros erat) *ecquid me agnoſcis? meminiſtine ejus beneficij, quod tibi primo in hanc Regionem Hirocenſium ingreſſu præſtiti?* neganti meminiſſe unquam illum ſibi viſum: *meminiſtin'*, ait, *hominis ejus, qui in tertio pago Hirocenſium, cui Agnerononſium nomen, cùm ſuſpenſus animi defectione penè fatiſceres vinculorum quibus tenebare nexus incidit? Equidem rectè commemini*, reſpondit Pater, *ſed eum ego nuſquam adhuc deprehendi; pro eo tamen Deum crebrò ſupplex interpellavi. Ego ipſe ſum is*, inquit æger. Quem illico Pater complexu ſtringens, *ah quàm dolet*, ſubjicit, *quòd tui juvandi hoc in morbo copia mihi non ſit! vides egeſtatem meam. Cupio tamen aliquid tibi, ſi libet, quàm quod tu mihi, conferre præſtantius.* Annuentem extemplo docet Fidei myſteria, erigit ad cupiditatem & ſpem beatitatis; inſtitutum, & ſcelera dolentem, Baptiſmo abluit, nec multò pòſt plenum Deo & cæleſti ſolatio, ad Superos tranſmittit. Tantâ viciſſim ſuâ voluptate, ut illum 80. leucarum laborioſum circumductum, omnéſque hactenus exantlatas moleſtias abunde ſibi ejus partâ ſalute penſatas duceret. Toto eo itine-

itinere victus ei fuit ſola agreſtis portulaca, temerè per agros collecta, citra ullum condimentum calidâ duntaxat aquâ macerata.

Vix domum redierat, cùm iterum indicitur ex more piſcatio, in locum ſeptem octóve leucas ab Hollandorum ſtatione remotum. Ibi dum conſuetâ lignatione piſcatoribus famulatur, nuncium clàm accipit, ipſum in pago reducem, ut vivus aſſetur expectari. Igitur multùm deliberans, utrùm periculo ſemet eximeret, tandem eâ ſolâ causâ, quòd vitâ modò ſervatâ poſſet ad eorundem ſalutem poſtliminio regredi, conſilium ſuſcipit præſenti diſcrimini caput ſubducendi, evadítq; in unam Hollandicarum navium, receptus, nequidquam querentibus injuriam barbaris, in Præſidij Præfecti domum, reſtituendus tamen eis in omnem carnificinam, nè fœdus violaretur, ſi non barbari muneribus & blanditijs pacarentur. Hìc ſenas hebdomadas avariſſimo, unáq; immiti annonæ militaris curatori in cuſtodiâ commiſſus, ſub tegularum tectum concluſus eſt, ubi locum alium ſolis diſcluſum aſſeribus habebat, ſed adeò latè diductis, ut inſeri juncturis digitus poſſet. Cùm igitur quotidie Hirocenſes illuc induceret annonæ diſtrahendæ causâ, miraculo ducebat Pater, ſe illis ſexcenties non fuiſſe proditum, cùm alioqui omnes domûs aditus pertinaciter obſeſſos tenerent, ut fugitivum deprehenderent: ſiquidem eos ipſe diſtinctè ſemper videns, nè ab illis viciſſim obſervaretur, laboriosè contracto conglobatóq; corpore, ternas quaternáſq; continenter horas compreſſo omni ſcreatu ac propemodum halitu, poſt fragmenta vetuſtorum vaſorum delitescebat, nullò unquam per 6. illas hebdomadas prodiens. Adhæc victus ei nequitiâ curatoris non amplior ſuppeditabatur, quàm ſufficeret præcisè vitæ fame non amittendæ; aquæ verò menſura quinto quoq; die afferebatur, quæ caloribus æſtivis corrupta, ingentes ſtomachi cruciatus bibenti ciebat. Accedebat graviſſimum tibiæ ex morſu canis, dum ad Hollandos profugeret, acceptum vulnus, ex quo illa jam cancro occupata immanem ei dolorem, & certum exitium afferebat, nisì peritus chirurgus acceſſiſſet.

Sedato jam nonnihil apud barbaros recuperandi Patris deſiderio, Manatam, primariam illic Hollandorum arcem 60. leucis diſſitam, navigio tranſmittitur: & perhumaniter à Præfecto, ipsíſq; Batavorum Miniſtris acceptus, veſte nigrâ, rebúſque omnibus neceſſariis liberaliter inſtruitur. Certatim accolæ omnes accurrebant, viſum hominem tam crudeliter deformatum, totiéſq; extrema expertum: & ex præſidiarijs adoleſcens Polonus etiam pedibus Patris advolvi non dubitavit, articulos pedum & manuum Chriſti causâ mutilatos exoſculans, & Dei Martyrem appellans; quem Pater libentiſſimè à Luthero traductum ad Catholicam Fidem voluiſſet, nisì ignorantia linguæ, & defectus inter meros hæreticos interpretis vetuiſſet. Quæ eadem cauſa non ſivit eum plenè ſolari Catholicam mulierem Luſitanam, in cujus domicilium Arci vicinum aliquando deſcendens, maximam conſolationem accepit, viſis duabus ſacris, Deiparæ videlicet & B. Aloysii imaginibus, quas ipſa, nè deprehenſæ eriperentur, in camini teſtudine ſuæ devotioni affixerat. Inter hæc ineunte Novembri navigium de more in Hollandiam ſoluturum erat, cui etiam Pater ſe committens, multis in via exercitus calamitatibus, in Angliæ portu quodam, ad quem adulto Decembri applicuerant, etiam vitæ periculum adijt, deſpoliatus veſtibus omnibus, & ſclopo jam pectori admoto interimendus, nisì repentè Gallum ſe profeſſus fuiſſet. Indè carbonario Gallorū navigio diſcedens, poſtridie in pervigilio Nativitatis Dominicæ portum inferioris Britanniæ, quæ prima Galliæ Anglis obverſa regio eſt, tenuit; ac primò omnium in templum divertit, peccata confeſſus Sacro interfuit, & Divinum epulum, quantâ cordis exultatione poſt tantum illius fruendi intervallum! libavit. Acceptus deinde eſt liberaliter à tenuibus pagi incolis pro exule ab Hibernia Catholico: at ubi laceratarum fœdè manuum cauſam edixit, incredibile dictu eſt, quanto eum ſtudio univerſi recreare conniſi ſint. Duæ virgines illi duos ternóſve ſolidos in ſtipem contulêre, & mercator Rhedonenſis illac fortè tranſiens eqvum, quo ad proximum Societatis Collegium veheretur, conceſſit.

Die 5. Januarij bene manè An. 1644. pulſavit fores Collegij Rhedonenſis, & alieniore habitu minimè agnitus, Rectorem, novorum Canadenſium obtentu accerſit. Is patentium de more literarum ab Hollando Gubernatore, quibus perſona Patris & nomen indicabatur, incurioſus, interrogare multa de rebus Canadicis, atque adeò *ſcirétne ſupereſſe P. Iſaacum Jogues, an trucidatum à barbaris, à quibus captum audiſſet.* Cui Pater, *ſuper eſt*, inquit, *ille, & hic ipſe eſt quicum colloqueris*; & ex templo ad pedes Rectoris procumbens, bene ut ſibi precaretur oravit.

vit. Rector novitate ſpectaculi æquè lætus atque attonitus in domum inducere, arctis amplexibus adſtringere pectori; geſtire domeſtici, & diverſa mirabundi, quiſq; pro ingenio, univerſi percontari, & veluti hominem redivivum pendentes oculis atq; auribus circumſtare. Profectus indè pòſt paulò Pariſios, ibì pari ſpectaculo fuit: neq; Regina potuit diſſimulare commiſerationem, Barbarorum rabie in tanta crudelitatis indignitate conſpectâ. Porrò haud admodum diu demoratus in Gallia, cùm triumphalis Provinciæ cupido urgeret, ſimul ac ſui ſpectandi copiâ, quibus ex officio decuit, abunde fecit, otioſo ab rebus alienis animo Rupellam conceſſit, indéq; factâ tranſmiſſione iterum ad Hurones, Montrealem Gallicæ poteſtatis arcem, ubi priſtinarum ejus virtutum odor etiamnum fragrabat, applicuit. Interea temporis dum abeſt in Gallia P. Iſaacus, Gallos inter & Hirocenſes de pace convenit; cui firmandæ, ſuóq; nomine & autoritate honeſtandæ, Gubernator è ſuis eò duos ablegare cùm decrêſſet, unum itidem ut è noſtris adjungeret conſilio futurum & ſolatio, Moderatorem in ijs oris Sociorum oravit. Idoneus præ alijs P. Iſaacus & gentis, & morum ejus, ac linguæ prudentiâ viſus, invitatur à P. Hieronymo Lallemant Superiore per literas ad eam itionem. Ipſe literis acceptis in hæc verba reſpondit: *Literæ, quas mihi R. V. ſcribere dignata eſt, verſantem in Exercitijs me occupaverunt. quæ fueram aggreſſus in digreſſu lintris, qui literas noſtras vehit; eo delecto tempore propter ſilentium, quo intentis venationi barbaris frui conceditur. Crederésne Pater in apertione literarum tuarum contremuiſſe principiò cor meum, tanquam vereretur, nè quod avidè concupiſco, quódque in pretio debet eſſe ſpiritui meo, illud ipſum eveniret! Miſerabilis naturæ conditio retroactorum recordatione cohorruit; ſed eam Dominus noſter, quæ eſt ejus benignitas, illico tranquillavit, tranquillabítq; impoſterum ampliùs. Ità Pater; id unum quodcunque vult DEus, & ego volo, vel cum vitarum mille periculo. O quàm me pœniteret, olim tam honeſtæ neglectæ occaſionis! poſsémne æquo animo pati per me ſtetiſſe, nè ulla quæpiam animarum ſalutem adipiſceretur? Confido bonitatem ejus, qui mihi præteritis caſibus nunquam defuit, deinceps quoq; præſto fore. Ipſe mecum cunctas quæ ſe poſſunt obijcere difficultates calcare potentes ſumus. Arduum id eſt quidem obverſari in medio nationis pravæ, ſinè Miſſa, ſinè Sacrificio, ſinè Confeſſione, ſinè Sacramentis: verumtamen ejus ſancta voluntas ſuavíſq; diſpoſitio eo pretio digna eſt. Idem ipſe qui nos abſq; hiſce præſidijs menſes vicenos aut duodeviginti ſuâ gratiâ tutatus eſt, eundē nobis favorē minimè denegabit; quippe qui nos nequaquam ingerimus, neq; hoc iter alio, quàm illi placendi ſtudio, adversùs omnem naturæ propenſionem, ſubimus. Eum qui mecum venturus eſt oporteret bonum hominem eſſe, virtute præditum, tractabilem, atq; imperij patientem, juxtà & animoſum, & cupientem pati quippiam pro Dei gloria. Conduceret item ſi lintres cavare nôſſet, ùt citra Sylveſtrium opem poſſemus ultro citróq; commeare.*

Deliberato itaq; itinere, à loco cui trium amnium nomen eſt, per munitionem Richelieu navigio diſceſsêre 30. Maij, Anno 1646. & poſt aliquot dierum navigationem pedibus iter ingreſſi ſunt, ſuis onuſti ſarcinis & impedimentis, donec aliquot ſuperatis amnibus Arcem Auriacam, quæ prima Hollandorum ſtatio eſt, 5. Junij tenuêre. Indè 17. ejuſdem digreſſi ad primum Hirocenſium pagum bidui ſpatio, pace mutuis firmatâ fœderibus, eâdem viâ, ijsdémq; incommodis ad Triamnem rediverunt. Verùm P. Iſaacus vix trimeſtri inter ſuos commoratus, impotens ejus deſiderij, quo flagrabat prædicandæ Hirocenſibus Fidei, vel fundendi eâ causâ ſanguinis inter ipſos, denuo ſe in omnes eas ærumnas injicere ſtatuit, hiſce priùs ad quendam Sociorū in Galliam datis literis. *Heu mi chariſſime Pater, ecquando tandem ei ſervire ordiar, eúmque amare, qui nos amare nunquam exorſus eſt? Ecquando me illi ex integro tradere incipiam, qui ſe mihi ſinè exceptione totum tradidit? At ego quanquam ſummè miſerabilis ſum, & collatis mihi à Deo hac in Regione benefactis perperam maligné; reſpondi, animum tamen minimè deſpondeo; quoniam illi quidem video curæ eſſe novas identidem opportunitates, quibus mihimet ipſi moriar, méque cum ipſo individuè conjungam, ſuppeditare; quò me ſcilicet meliorem efficiat. Unde mea in Deo ſita fiducia eſt, qui ad exequenda conſilia ſua noſtræ opis non eget. Noſtrum eſt operam dare, ut ei fideles exiſtimamus; neq; per ſocordiam ejus opus corrumpamus. Confido abs te mihi eam gratiam impetratum iri à Deo. Et poſt tantam in ejus obſequio ſegnitiem, tandem ei ſervire diligentiùs inchoabo. Quòd ſi ei miſſioni impendar, ibo, nec (ità præſagit animus) redibo. Verùm bene mihi beatéq; fuerit, ſi collibuerit Deo ibì ſacrificium, ubi occepit, explere; & perparum illud ſanguinis, quod ibì fudi, pignoraverit illi eum omnem, quem venis omnibus corporis cordíſq; fundendum gero. In ſumma, populus ille Sponſus mihi ſanguinum eſt, hunc mihi deſpondi*

ſan-

ſanguine meo. Bonus Magiſter noſter & Dominus, qui eum ſibi acquiſivit ſanguine ſuo, eidem portam, ſi placet, aperiat Evangelij ſui, unáque quatuor alijs nationibus illi fœderatis, quæ finitimæ ſunt. Vale mi chare Pater, DEúmque obſecra, ut me ſibi nunquam ſeparandum conjungat.

Igitur 24. Septemb. ejuſdem anni 1646. unà cùm adoleſcente Gallo Joanne Lande profectus, paucis comitatus Huronibus & Hirocenſibus, à quorum iſtis in itinere paulò pòſt perfidiosè deſtitutus eſt. Ecce autem vix dum patriam illorum ingreſſus, unà cum Joanne adoleſcente malè verberibus excipitur, & ad nuditatem uſque deſpoliatus, perlevi duntaxat flocco, quo pudori conſuleret, conceſſo, ad oppidum pertrahitur. Inceſſerat enim, mali genij rebus ſuis timentis inſtinctu, ſtulta illa barbaros opinio, diabolum in ſuas terras à Patre pro Chriſto inferri, qui morbos peſtéſq; crearet: unde efferatâ perfidiâ mortem illi in diem ſequentem decernunt. Is erat 18. Octobris, quo ſub veſperam evocato ad cænam, percuſſor poſt januam tugurioli latens inopinanti Patri, dum limen ſubit, ferrum illiſit in caput, & humi ſtrato cervicem illico præcidit, atq; in vallo ſublimi haſtâ defixit, unà cum Joannis adoleſcentis capite, quorum corpora in profluentem abjecta ſunt.

Hic exitus fuit ærumnoſiſſimæ Patris Iſaaci vitæ, inter tam atrocia ſupplicia nihil ſe unquam pati cogitantis, inter tam pretioſa merita mortalium omnium ſe inertiſſimum, & Societatis veſte indignum, ſincerè æſtimantis. Nihil illi eſſe gravius atq; moleſtius, quàm laceras manus ſpectandas efflagitari: quod ut poſtulanti Reginæ Chriſtianiſſimæ faceret, oportuit à Superioribus id imperari. Nullos unquam in vita propenſiùs amavit, quàm à quibus atrociſſima pertuliſſet; hinc medias inter barbarorum atrocitates nunquam averſo ab illis animo fuit, ſed eâ commiſeratione ſpectavit, quâ Mater filium furentem amentiâ ſolet: aliàs tanquã divinæ in ſua peccata ultionis miniſtros venerabatur; quo etiam more jam indè à pueritia ſuæ correctionis authores impenſiſſimè amare conſueverat. Quin & ipſas injurias ſolebat pro ijs, à quibus patiebatur, Deo offerre: unde creditum eſt ſalutem æternam percuſſori ab ipſo impetratam, qui comprehenſus à Gallis ſummâ voluntate Baptiſmũ ſuſcepit, & commeritum ſupplicium lætus etiam, & beatitatis ſpe hilaris ſubijt. Tanta autem vitæ illius fuit innocentia, ut cùm à diuturna illa Hirocenſium captivitate redux omnia pectoris ſui arcana ex more Societatis Superiori patefeciſſet, is ſanctè aſſeveraverit, nihil in eo deprehendiſſe gravius, quàm ſpe citæ mortis oblectatum aliquantiſper fuiſſe, tanquam eximi calamitatibus immoderatiùs deſiderâſſet.

P. ANTONIUS DANIEL.

POſteaquam crudeli barbarorum Hirocenſium perfidiâ violatum per necem P. Iſaaci cum Gallis & Huronibus eſt pacis fœdus, novo veluti furore & œſtro perciti, in agros atque oppida Gallicana cœpere incurſiones facere, fædéq; graſſari terrore, cædibus, rapinis. Oppidum primò quoddam ſat frequentatum adorti cùm devaſtâſſent, univerſos ibi præter paucas mulieres, horrendis cruciatibus priùs excarnificatos, magnâ parte ſuæ gulæ immolârunt. Nihil proinde ſequentibus annis inter Hurones ampliùs ſecurum, nihil immaniſſimis latronibus impervium, non tantùm itinera viatoribus, ſed ipſa etiam oppida hoſpitibus ſuis intuta. Verſabatur in Huronia per idem tempus P. Antonius Daniel, natione Gallus, unus ex primis Apoſtolicis gentis illius operarius, qui A. 1633. ad Fidem Chriſti prædicandam eò penetraverant. Quindecim ipſos annos ea in expeditione laboraverat, invictâ patientiâ, excelſóque in rebus arduis animo; ea omnia perpeſſus, quæ citra mortem pati quiſquam in humanis poteſt. Victus illi communis cum barbaris, inſuetus & pertenuis, qui perpetuam inter Europæos inediam æquaret: peregrinationes aſſiduæ aquâ terràque, neq; alia in ijs diurna nocturnáve hoſpitia, quàm obviarum rupium cavernæ, aut exeſarum arborũ foramina. Adhæc onera omnia & ſarcinæ proprijs ſemper vectanda humeris, & per amnem S. Laurentij, qui creberrimis ſcopulis interruptus triginta minimùm ex intervallo locis navigabilis eſſe deſinit, ipſa navigia cum oneribus ad bina ſæpe milliaria tranſportanda, & plus quinquageſies, ubi minor aquarum copia eſt, vadandus. Per hunc Antonius ultro citróque aſſiduè commeando, inter perpetua ab



P. Antonius Daniel Gallus Soc: IESV, Sagittis et bombardis ab Hirocenſibus Idololatris confixo, et unà cum Templo combuſtus, apud Hurones in Nova Francia. 4. Julij. A. 1648.

C. S. d. M. K. f.

Hiroquijs pericula, Apoſtolicis laboribus plus 1700. barbarorum capita paucis annis ferociam dedocuit, & ſalutari lavacro Chriſto peperit: cùm inſperata Hirocenſium in eas partes incurſio, bene cœpta omnia perturbavit.

Captatâ namq; per Huronum ab oppidis ſuis abſentiam opportunitate, quorum pars Quebecum ad nundinas, pars in alios conterminos hoſtes bellum ſecuta diſceſſerat; repentè oppidum S. Ioſephi, complexum familias ſupra 400. invadunt, cui procurando per illud tempus impoſitus Pater, incolas ad inſignem morum innocentiam, & eximiæ Religionis ſupra cæteros pagos famam provexerat. Inſtauraverat ille paulò antè, veluti imminentis ſupremi certaminis præſagus, animum octiduanis S. Ignatij Exercitijs, & die 4. Julij, qui item quartus à ſacro ſeceſſu finito erat, manè ad primam lucem Deo Sacrificium in magna oppidanorum frequentia peregerat; cùm illis etiamnum in Æde ſacrâ comprecantibus clamor hoſtium exaudiri, totóq; oppido cœptum trepidari & diſcurri, alijs arma, fugam alijs corripientibus. Pater in publica trepidatione impavidus, ante omnia illos, quos catecheſi jam imbutos à Baptiſmo tantiſper diſtulerat, aquâ ſimul conſperſos (nam ſingulos abluere, temporis & multitudinis circùm ſe conconfertæ anguſtia prohibuerat) luſtravit: tum per ſingulas caſas diſcurrens, quotquot erant infantes, decrepiti, ægroti, ijsdem myſterijs æternitati præparavit. Interim hoſtis ſuperato vallo oppidi potens, obviosquoſque cædere, ferro, catapultis, & omni telo ferire,

rire, trucidare: per quorum medium elapſus Pater, in Ædem ſacram properat, quo pleroſq; Chriſtianorum ſpes ſalutis æternæ, & multos catechumenorum metus Inferni, omnes deſiderium in loco ſacro vitam ponendi perpulerat. Igitur omnes miſericordiam Dei implorantes, & peccata ſua amariſſimis lachrymis deflentes, catechumenos quidem Baptiſmate ritè abluit, reliquis autem ſacræ abſolutionis donùm impertit; tum ardentiſſimo charitatis fervore inflammatus, omnes ad moriendum pro Chriſto exhortabatur: *Agite fratres mei, hodie erimus in Paradyſo! hoc credite, hoc ſperate, ut vos Deus æternùm amore ſuo beatos efficiat.*

Hoc dum maximè agit, ſubjectis toto oppido jam ignibus ardebant caſæ, & barbari à privatis mapalibus, in ſacram Ædem inconditis horrendiſq; clamoribus ruebant. Quos ubi Pater glomerari advertit, fugam, quà liber etiamnum patebat exitus, ſuis imperat; ipſe ut hoſtem tantiſper, dum illi evadant, demoretur, adversùm procedit, & quod meritò ſtupeas, unus barbari militis impetum divinâ quâdam vi infringit, circumſiſtentibus, neque ultrà proruere audentibus Hiroquijs. Et cùm armati inermem tot unum nullo negotio opprimere, & vivum in poteſtatem & vincula redactum, ad immania ſupplicia ſervare poſſent, arcano quodam divinitus horrore conſternati formidârunt accedere; ſed denſo imbre ſagittarum & plumbeâ glande eminus obruere tutiùs habuêre. Earum unâ ictu lethali per medium pectus tranſactus, & amabile JESU nomen identidem ingeminans, felicem pro oviculis ſuis, & ſupremo earum Paſtore animam edidit, eâdem 4. Julij, A. 1648. Multis dilectiſſimorum ſibi Huronum ea circa Patrem hoſtium demoratio ad fugam & ſalutem fuit: in cujus demum exanime corpus ſecurè deſævituri, tantâ rabie effuſi ſunt, ut nè unus quiſquam hoſtium fuerit, qui non ei vulnus intulerit, dum vulneri locus fuit. Ignis demum Templo illatus, injectum Patris cadaver ad cineres uſque conſumpſit, ut nulla vel tenuiſſima oſſis particula, quæ ſervari ad venerationem poſſet, inventa fuerit. Cujus rei cauſam indaganti Sacerdoti cuidam noſtro, ſanctitatis præcipuæ, & probatiſſimæ humilitatis, cui ſemel iterúmq; poſt mortem glorioſus comparuit: *ecquid conſilij fuerit divino Numini, in ea tam indigna barbarorum ſævitia, ad abolendum penitus ſervi ſui corpus permittenda?* reſpondit P. Daniel: *magnus Dominus, & laudabilis nimis! qui horum ſui ſervi opprobriorum contumeliarúmq; reſpectu, multas mihi animas è purgatorijs ignibus erutas dedit, quæ meum in cælos triumphum ornarent.* Viſus autem tunc eſt auguſtiore, & quodam cæleſti vultu, annos ætatis circiter 30. præferens, quanquam 52. egiſſet in vivis. Patribus autem in exilium, Hirocenſium ferocià exactis, ſollicitéque in medium conſultantibus de re Chriſtiana promovenda, conſpicuus idem adfuit, cæleſtique ardore hortatus eſt, ut ſalutem eorum barbarorum ſtrenuè pro Dei Gloria procurarent.

P. JOANNES DE BREBEUF.
P. GABRIEL LALLEMANT.

QUod in propera & mitiore P. Antonij nece crudelitatis omiſſum eſt à Barbaris Hirocenſibus, id cum fœnore penſatum eſt anno ſequente, in atrociſſima duorum iſtorum Chriſti pugilum carnificina, quorum certamen enarrare nunc aggredior. P. Joannes de Brebeuf honeſtâ in Gallijs familiâ natus, & in Societate Coadjutor Spiritualis, poſtquam in novam Franciam quinquennio ante P. Antonium, id eſt A. 1625. trajecit, tyrocinium Apoſtolicæ miſſionis poſuit in montanis Quebeco adſitis, quorum ſylveſtres incolas totam hyemem, per loca ſaltúſque altâ nive rigentes, linguæ eorum etiamnum ignarus concurſando, majorem patientiæ quàm animarum fructum, omnis eſculenti cui inſueverat expers, reportavit. Primus deinde labor fuit novæ atq; inſolentis linguæ ſtudium, nullo neq; doctore, neq; interprete, per ſuam ſolius induſtriam: quâ ſufficienter inſtructus, primus omnium fuit, qui ad Hurones populos Evangelium Chriſti pertulit A. 1626. meritò Apoſtolus eorum cognominatus, utpote qui nullum in aditu Chriſti cultorem reperiens, amplius ſeptem millia in deceſſu reliquit. Occupato violentis Anglorum armis A. 1631. Quebeco, in Galliam ejectus eſt; ijs autem, recuperatâ à Gallis munitione, iterum pulſis, quartum poſt annum ſtationem repetijt, totámq; deinceps ætatem Huronum ſaluti expendit: majo-

P. Ioannes de Brebeuf, et P. Gabriel Lallemant Galli Soc. IESV. excoriato vertice, subulis sub vngves infixis, ferventibus aqvis baptizati in locum evulsorum oculorum ardentibus prunis inditis, ignitis appensis securibus, toto corpore ustulati: ac demum plurium horarum tormentis, rescissis undiq; et voratis eorum carnibus, membratim pro Christo discerpti ab Iroqvesijs in nova Francia. A. 1649. 16. et 17. Maij.

majorenè animarum zelo, an moriendi pro Chriſto deſiderio, meritò ambigas, ùt cujus in ſcriptis nihil crebriùs occurrat, quàm ſimilia verba: *ſentio me vehementer impelli ad moriendum pro Chriſto. Ardentiſſima decem continenter diebus in me perſenſi Martyrij deſideria.* Quibus demum ſcilicet incitatus, hiſce verbis Martyrij exequendi votum concepit: *quid retribuam tibi Domine mi IEſu, pro omnibus quæ retribuiſti mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen tuum invocabo. Voveo ergo in conſpectu æterni Patris tui, ſanctique Spiritûs, in conſpectu Sanctiſſimæ Matris tuæ, caſtiſſimiq; ejus Sponſi Joſephi, coram Angelis, Apoſtolis, & Martyribus, Sanctiſq; meis parentibus Ignatio & Franciſco Xaverio: voveo, inquam, tibi Domine mi JEſu, ſi mihi unquam indigno famulo tuo Martyrij gratia miſericorditer à te oblata fuerit, me huic gratiæ non defuturum: ſic, ut impoſterum licere mihi nunquam velim, aut quæ ſeſe offerent moriendi pro te occaſiones, declinare (niſi ità fieri ad majorem tuam gloriam judicarem) aut jam inflictum mortis ictum non acceptare gaudenter. Tibi ergo Domine mi JESU & ſanguinem & corpus, & ſpiritum meum jam ab hac die gaudenter offero, ut pro te, ſi ità dones, moriar, qui pro me mori dignatus es. Fac ut ſic vivam, ut ità mori tandem me velis. Ità Domine, calicem tuum accipiam, & nomen tuum invocabo, JEſu, JEſu, JEſu.*

Cùm verò perſæpe deinde mors illi à barbaris decreta, & dies etiam necando indictus eſſet, ipſe decretoriam horam impavidus expectans, & interim eventûs ſecurus, inque animarum quæſtum toto conatu intentus, meruit ſæpius Chriſtum IEſum videre

dere modò glorioſum, modò autem, & crebriùs quidem, Cruci ſuffixum, aut eam bajulantem, quam ipſam in Patris humeros deponere ſe cupere oſtendebat. Iterum Anno 1640. oſtenſa illi Crux ingentis molis eſt ex ea parte, quâ Hirocenſes ſpectabat, quæ non uni ipſi, ſed omnibus, quotquot ijs in oris elaborabant, Socijs prægravandis ſat eſſet. Quâ videlicet aut ei per tam immanes cruciatus inferenda mors, aut in omnes univerſim Socios paulò pòſt concitata calamitas ſignabatur. Id quod etiam portendere videbantur quàm plurimæ Cruces, in ſuis Sociorúmque veſtibus aliàs ipſi viſæ: quarum admiratione captus: *cùm nocte inſequente*, ſcribit ipſe, de hac ſua viſione, *ſtuderem in oratione me conformare Divinæ voluntati, & dicerem: Domine fiat voluntas tua: Domine quid me vis facere? audivi interiùs mihi dici: tolle, lege. Manè igitur facto cepi in manus libellum aureum de imitatione Chriſti, & incidi in caput de Regia via S. Crucis. Ex eo inſecuta eſt in anima mea magna pax & quies, in omnibus caſibus occurrentibus.* Subjungit poſtea iterum: *In Sacello Sanctæ MARIÆ dum preces fierent ante cœnam, mihi viſus ſum videre maculas ſanguineas in veſtibus omnium noſtrorum, & meis etiam, ità ut nemo excipiretur: quod me movit in admirationem.*

Porrò quanto furore arderent dæmones mala his Crucibus deſignata ipſi inferre, & omni ratione illum de medio tollere, aliâ viſione ſibi à Deo demonſtratum ità idem perſcribit: *Sub Examen veſpertinum conſcientiæ, & Litanias B. V. mihi viſus ſum videre ingentem catervam dæmonum ad me venientium, ut me devorarent: ſed nullus potuit mihi nocere. Et ij quidem qui præibant, ſimiles erant equis inuſitatæ magnitudinis, ſed erant pilo criſpo & ob longo tanquam hirci: cæterorum figuram non memini; ſed hoc ſcio, tot támq; diverſas fuiſſe eorum formas, adeóq; terribiles, ut nihil uſpiam viderim ſimile. Duravit hæc viſio per ſpatium unius Miſerere. Non memini me timuiſſe, ſed jactâ meâ fiduciâ in DEUM, dixiſſe: facite quodcunq; permittet vobis DEUS; non enim capillum de capite meo avelletis, ſinè ejus nutu & imperio.* Objectum etiam illi aliquando fuit mortis, quemadmodum pingi ſolet ſimulachrum, nudis oſſibus, ſpiculum in Patrem furibundo jactu emittere conniſum. Sed cùm imperturbatus ille totum vulneri pectus offerret dicens: *fiat voluntas DEI*; inane telum & ſpectrum evanuit. Manè autem cognitum eventu eſt, quid viſum portenderit. Pridie namq; perfidus quidam ex Huronibus in pagum, ubi tum Pater diverſabatur advenit, & convocato incolarum concilio, novem ferreas ſecures, pretioſum ijs terris donum, in munus obtulit, ſi in necem Patris conſentirent. Sed rejectus tandem poſt longam deliberationis fluctuationem improbus unà cum dono eſt. Deniq; creberrimis ſe Chriſti Domini, DEIparæ, S. Joſephi, Sanctorúmque viſitationibus, orationis tempore recreatum, paſſim in adverſarijs ſuis teſtatum reliquit; videlicet: *ſubitò raptu avulſum ſe à ſe ipſo, cum Chriſto Domino tam familiariter fuiſſe congreſſum, ut eum verba ſalutis loquentem audiret: evectum fuiſſe in complexum Dei, totum illi adhæſiſſe, in corde Chriſti requieviſſe. Die 27. Maij*, loquitur idem, *An. 1640. S. Spiritûs adventui ſacro, tempore Examinis ſerotini mihi viſus ſum videre roſam pulcherrimam, quæ poſt ſpatium unius Miſerere evanuit. Omniáq; viſa mihi ſunt ardere circa me ingenti igne: & tum ſenſi me interiùs inflammari ad ardentiorem amorem Dei.*

Fuit, cùm montem ſpectavit Sanctis undiq;, ſed maximè Virginibus coopertum, cujus in vertice Virginum Regina plena majeſtatis conſederat. Interdum ſolo veſtimentorum ejus, vel extremæ pallij fimbriæ conſpectu, tam inuſitatâ luce ſe offundi ſentiebat, ut ferendo non eſſet, néq; attollere in Virginis faciem oculos auderet, nè opprimeretur ab ejus gloria. Quæ talia cùm penè ipſi eſſent quotidiana, occultiſſima tamen ſemper, præterquam Confeſſario & ſuis Præſidibus habuit, & tam profundæ remanſit humilitatis, ut omnium ſe viliſſimum ex animo reputans, omnibus ſe dictis & factis poſtponeret. Et licèt, non ea tantùm, quæ ſtatum ſuum concernebant, ſed ipſa adeò cordium arcana frequenter perviderit, eodem tamen authore DEO percepit, quàm oporteret in omnibus ex Moderatorum pendere arbitrio. Nam *dum meditando de vita Chriſti occulta*, ſcribit ipſe, *ruminarem verba illa: & erat ſubditus illis: venit mihi in mentem rogare: Domine quid me vis facere, tum circa victum, auſteritates, mores, naturam, tum circa tempus orationis? Reſponſum eſt mihi, quod olim Paulo: vade ad Ananiam, & ipſe dicet tibi quid te oporteat facere. Statui igitur eo die, inpoſterùm non me meo conſilio regere, neq; peculiarem Dei ductum expectare per viſiones, ſenſus, & revelationes, ſed me totum arbitrio Superioris permittere, tum circa ea quæ exteriora ſunt, tum circa ea quæ interiora: neq; quidquam ampliùs facere aut aggredi, ſinè ejus prævio conſilio.* Ità autem ſuave ſibi eſſe dicebat alieno ductu, non ſuo ferri,

quàm infanti maternis geſtari brachijs, foveri ſinu, qui ſuo niti gradu, ùt maximè velit, non queat. *Agnovi in me*, ait idem, *nullum eſſe talentum, tantùm me pronum eſſe ad obedientiam. Viſus ſum mihi aptus ad januam cuſtodiendam, triclinium parandum, faciendam culinam. Geram me in Societate ac ſi eſſem mendicus, per gratiam in eam admiſſus, & omnia mihi cogitabo fieri ex mera gratia.*

Et verò non tantùm vilia hæc munia, quoties licuit, promptiſſimè executus eſt, ſed etiam Sacerdotali gradu indignum ſe ratus, Fratrum numero apponi flagrantiſſimè expetijt: cùm tamen animo vaſto, rerum magnarum capaci, & dotibus ad gubernandum præclaris abundaret. Verùm ad hæc ille in ſe animadvertenda nunquam oculos convertit, ſed tanquam omnium mancipium in pedeſtribus itineribus, quæ ſæpe 30. continuos dies extendebantur, graviſſima onera ſubire humeris, & ſociorum impedimenta quoad poſſet geſtare: ſi aquâ veherentur, diem totum remo inſiſtere, primus in flumen, ubi neceſſitas poſceret, deſilire, poſtremus exire, rigentibus trementibúſq; frigore membris. Manè comitibus adhuc conſopitis ſurgere, cibum parare, noctem orando Deo, & quæ Regula Ordinis præſcribit, exequendo impendere: dicere ſolitus, noctes homini eò conceſſas, ut cum D E O ſolus, dies, ut cum proximis, Dei & ſalutis eorum causâ ageret. His addebat flagellationes per diem binas & ternas, cilicia, jejunia, & quidquid pia crudelitas ſanctis hominibus in ſeipſos perſuadet. Et cum his tamen omnibus ſæpe querebundus cum Deo & Præſidibus expoſtulabat, Crucis Chriſti nullam particulam ſibi obtingere, ſic ut paulò ante mortem de ſe annotârit: *Timui meam reprobationem, eò quòd nimis ſuaviter hactenus egerit mecum D E U S. Tunc bene de mea ſalute ſperabo, cùm patiendi occaſiones ſe dederint.* Ità cogebat eum ſentire de ſe immenſum, quo fruebatur, animi gaudium in aſperis & duris rebus: quibus ſi exerceretur, tanto acquieſcebat interiore guſtu, ut lætitia cordis in os & vultum, & totum ipſius corpus redundaret. Quantam autem in omnes, etiam capitaliter ſibi infenſos præferret manſuetudinem, optimè explicuit Sociorum unus, ità de ipſo teſtatus. *Duodecim omnino ſunt anni, ex quo agere cum Patre Joanne familiariùs cœpi, ejúſq; motus animi omnes obſervare, curioſus ſatis inſpector. Vidi eum Superiorem, inferiorem, æqualem omnibus: nunc res temporales adminiſtrantem, tumultuoſum ſæpe negotium: nunc miſſionibus vacantem, actuoſum opus & difficile: cum Gallis, Barbaris, Chriſtianis, Infidelibus: amicis, inimicis, impijs, blaſphemis tractantem; maledictis, calumnijs, plagis, ac verberibus oppreſſum uſque ad ſanguinem: nunquam tamen nè ſemel quidem in eo leviorìs iræ non modò commotionem deprehendi, ſed nè indicia quidem: pacato ſemper animo & tranquillo ſubibat omnia: in ſilentio & patientia ùt plurimùm: ſi loquendi locus eſſet, in manſuetudine & lenitate verborum.* Unctus nimirum hoc lætitiæ & benignitatis oleo fuerat cælitus à Chriſto Domino, qui ei ſacris Exercitijs An. 1634. occupato, ſpineâ redimitus coronâ apparuit, & amicâ voce pollicitus eſt: *habebis*, inquiens, *deinceps unctionem Spiritûs in verbis tuis.*

Simile quid iterum ſibi factum A. 1640 teſtatur in hæc verba: *Die 30. Martij cùm poſt Miſſam intus me collegiſſem, ut Chriſtum in me loquentem audirem, mihi viſus ſum videre manum, neſcio quo oleo cor meum linientem, & omnia interiora mea: ex qua viſione ſumma animi mei pax & tranquillitas conſecuta eſt.* Paucos poſt dies hoc alterum adnotat. *Aprilis die 11. cùm in Reſidentia S. Joſephi exorta fuiſſet ſeditio, in qua Petrus Boucher* (is erat puer domeſticus) *vulneratus in brachio fuerat, & P. Chaumonnot & ego vapulâſſemus; omneſq; injurijs affecti, minùs territi, & exire è vico juſſi eſſemus ab Ondihoahorca* (is erat impius Apoſtata) *& alijs ejus vici ducibus: ſerò cùm de ijs omnibus Deo gratias agerem, & licèt animo inquietus preſſúſq; curis, tamen voluntatem meam divinæ conformare ſtuderem; viſus ſum mihi videre Beatam Virginem, eo modo, quo depingitur, deſolatam, & tribus enſibus in corde vulneratam, ſenſique interiùs quaſi mihi diceretur: Beatiſſimam Dei Matrem etſi valde afflicta fuiſſet, fuiſſe tamen ſemper cum Divina voluntate perfectiſſimè conformem: eámq; mihi exemplum eſſe debere in omnibus adverſitatibus.* A. itidem 1640. ſic ſcribit: *perſpectis meis peccatis, iiſq; gravibus atq; innumeris, vidi D. JESUM divinæ miſericordiæ brachia extendentem ad me benignè complectendum, præterita mihi condonantem, omnia oblivioni dantem, ſuáſq; gratias in me exſuſcitantem, atque adeò me ad ſummam ſecum amicitiam vocantem, dicentémq; ſicut dictum eſt de Paulo: Vas electionis eſt iſte, ut portet nomen meum in gentibus; oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Itaq; gratias egi, obtuli me, & dixi: fac me Domine virum ſecundùm cor tuum: doce me quid me vis facere, nihil inpoſterum me ſeparabit à charitate tua, non nuditas, non gladius, non mors, &c.* Hoc edem incenſus zelo coram Deo exclamabat:

Quti-

O utinam barbari Canadenſes converterentur, & non ampliùs DEum offenderent, ſed eum ardenter amarent, etſi mihi ſubeunda eſſent omnia tormenta, quæ captivi ſubire ſolent in his Regionibus! Paratum cor meum DEus! Domine JESU Chriſte Redemptor meus, tu me tuo ſanguine & morte pretioſiſſimâ redemiſti: ideo promitto me totâ vitâ meâ tibi ſerviturum in Societate JESU, in ſalutem animarum, & nulli alij, niſi uni tibi, aut propter te ſerviturum: id quod meo ſanguine, & meâ manu ſubſignavi, paratus totam vitam meam tam libenter, quàm hanc guttam profundere. Rogatus à quodam Sociorum, an non ipſi duriſſimum futurũ eſſet, ſi quando in hoſtium manus incideret, toto corpore veſtibus ſpoliari, cogíq; ſic planè nudũ ingredi? abnuit grave id ſibi fore: *ea enim,* inquit, *tum eſſet voluntas Dei: neq; tum mihi attenderẽ, ſed uni Deo, cujus imperijs parerem.* Percontanti rurſum, an non flammas horreret & tormenta ignium? *omnino,* inquit, *horrerem maximè, ſi vires meas metirer, & naturæ imbecillitatem: neq; enim ſatìs par forem, vel muſcæ unius morſui patienter ferendo. At ſpes mea in Deo eſt, Deíq; gratia, cujus auxilio adjutus, non magìs perhorreſco cruciatus ignium, quàm punctionem aciculæ.* Sic ille nimirum his duobus nitebatur præſidijs, ſui diffidentiâ ipſius, Deíque fiduciâ.

Neque tamen cùm ad excelſa aſpiraret, levia aſpernabatur: dicere ſolitus, in via virtutis nihil eſſe non excelſum, & cruces facilè aſcenſum ad excelſa præbere. Paupertatis tantum in eo ſtudium fuit, ut præter novi Teſtamenti volumen, Breviarium, libellũ Thomæ Kempenſis de imitatione Chriſti, librúmq; unum quempiam de argumento virtutis, quem ex officio legeret, itémque coronam B. Virginis, quam quotidie recitabat, nihil admodum aliud quidpiam haberet, ac nè unam quidem imaginem, ſacrúmve nummum, quæ pueris aut alteri unquam dare poſſet. Quàm ea verò grata Deo atq; accepta inopia fuerit, ſic intellexit: cùm A. 1637. videre ſibi viſus eſt ingentem planitiem, triumphalibus paſſim fornicibus diſtinctam, numero infinitis, pulchritudine admirandis. In medio ſita Regia miræ elegantiæ, invisâ ignotáq; materiâ, divinæ magìs artis quàm humanæ opus; ipſe mirari attonitus domum tam nobilem, & cùm vacuam cultoribus eſſe cerneret, magìs etiam obſtupeſcere. Sed illico intellexit, ijs paratas eas ædes eſſe, qui tecto paupere atq; humili, fumoſáq; casâ, ob Dei amorem contenti forent. Caſtimonia in eo, media in barbaria, ipsóque, ùt dici poteſt, in Regno libidinis, adeò ſemper integra atque illæſa, quàm pupilla in oculo ſolet, fuit. Cùm remoto arbitris loco fœmina, quæ illi fortè in obvio fuit, haud obſcuris ejús fidem verbis tentavit, ipſe nullum contrà verbũ rependit, ſed ſilentio pugnavit, & ſigno Crucis: cujus objectu dæmon, habitum ementitus mulieris & vocẽ, ex oculis devictus evanuit. Par corporis caſtitati conſcientiæ puritas: cujus tanta innocentia fuit, ut annis ante mortem circiter 20. ſic in adverſarijs ſcriberet: *Non agnovi in me ullam affectionem ad peccatum veniale, ità ut delecter in aliquo peccato veniali committendo. Eligerem potiùs infernum, quàm vel minimum peccatum. Statui odiſſe quodcunq; peccatum odio implacabili, quia unicum eſt malum Dei, quia unicum eſt malum hominis, quia ſummè diſplicet Chriſto dilecto meo.* Et paulò pòſt ſubdit, quod mirêre; *nè me Deus tanquam infructuoſam arborem ſuccideret, oravi, ut me dimitteret adhuc hoc anno, & promiſi me meliores fructus allaturum.* Dixit etiam aliquando uni Sociorum, *nunquam abs ſe quæſitam, ex quo inter Hurones eſſet* (erat autem tunc anno jam undecimo) *nè ſemel quidem in veſcendo ciborum voluptatem.* Sed nè Regulam quidem ullam Societatis, quantumvis minimam, violâſſe aliquando à quopiam notatus eſt: adeóq; cumulatè obligationi ſuæ, quâ ſcripto ſe obſtrinxerat, ſatisfecit: *Diſrumpar,* inquit, *potiùs, quàm ut voluntariè Regulam ullam infringam. Nullum commercium habendum mihi cum creaturis: nunquam quieſcam, nunquam dicam ſatìs, quia gratia nunquam eſt otioſa; nam ubi gratia eſt, ibi operatur: ſi autem non operatur, gratia non eſt.* Atque alio in loco: *cœpit me,* inquit, *magna averſio rerum omnium creatarum, quæ tandem in morte deſerendæ ſunt. Ità quotidie me geram, quaſi quotidie, imò ſingulis momentis moriturus. In Deo ſolo quieſcit cor meum; & præter ipſum, nihil mihi ſunt omnia, niſi propter ipſum.*

Socius tormentorum tanto Viro, & primo Huronum Apoſtolo, fuit P. Gabriel Lallemant Patricius Pariſienſis, anno ætatis 20. ſæculi 1630. Societatem complexus, vir quàm invalido corpore, tam robuſtâ virtute, tantóq; peccati odio, ut vel ad ſpeciem ejus cohorreſceret. Quo tempore Philoſophiam in Gallijs, altero jam curſu explicuit, incredibili in Deum, & barbaros hoſce charitate flagrans, enixè DEum per lachrymas & ſuſpiria, Moderatores precibus & votis ſollicitavit, ut extremum hunc in orbis angulum relegaretur, nihil reveritus tenerrimam ſui

corporis conſtitutionem, ærumnarum inſvetam atq; intolerantem: cujus ſui deſiderij cauſas & motiva in hæc ipſa verba annotavit. *Hoc ità volui Domine mi JESV, DEus & Salvator meus: primò, ut reſpondeam obligationibus, queis tibi obnoxius ſum; nam ſi tu neglexiſti delicias tuas, ſi gloriam tuam, ſi ſalutem & gaudia, & vitam tuam, ut me miſerum peccatorem ſervares: nónne pluſquam æquum eſt, eadem omnia à me deſeri exemplo tuo, pro ſalute animarum, quas tu reputas tuas, quæ tuo tibi ſanguine conſtiterunt, quas tu dilexiſti uſq; ad mortem; de quibus dixiſti: quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Ad hoc: *quando me gratæ viciſſitudinis non impelleret impetus ad holocauſtum meimetipſius tibi dedicandum; toto tamen id corde facerem, ex conſideratione excellentiarum adorabilis Majeſtatis tuæ, & tuæ bonitatis infinitis modis infinitæ, quæ digna eſt, ut ſe homo immolet obſequio tuo, & ſic fortunatè ſe perdat, ut fideliter illud exequatur, quod tuæ de ſe voluntatis eſſe judicaverit, eáſq; inſpirationes peculiares, quas tibi complacuit illi immittere, ad majoris tuæ gloriæ incrementum.* Præterea: *Quoniam adeò miſerabilis fui, ut tuam bonitatem toties offenderim, ô mi JEſu, par eſt à me tibi ſatisfieri per extraordinarias pœnas; ideóque me oportet coram te reliquâ meâ vitâ incedere corde humiliato & contrito, in malorum tolerantia, quæ tu pro me prior ſuſtinuiſti.* Tum: *debitor Parentibus meis ſum, matri meæ, & fratribus, & eis debeo tuæ miſericordiæ fructum conciliare. Mi DEus, nè ſinas ullum iſtius familiæ, quam tanto amore complexus es, coram te perire; & in eorum numero eſſe, qui te æternùm blaſphematuri ſunt: ſímq; pro eis ego victima. Quoniam ego in flagella paratus ſum: hìc ure, hìc ſeca, ut in æternum parcas.* Deinde: *Ità mi IESV & amor meus, oportet ſanguinẽ tuum, tam pro barbaris, quàm pro nobis effuſum, efficaciter eorum ſaluti applicari; & id ipſum eſt in quo gratiæ tuæ ullaborare cupio, méq; pro ipſis immolare.* Inſuper: *oportet adorari nomen tuum, Regnúmque tuum per omnes Orbis nationes extendi: adeóq; me vitam impendere, ut è poteſtate Satanæ hoſtis tui pauperes haſce animas vindicem, quæ tibi tuo ſanguine, tuáque vitâ conſtiterunt.* Ad extremum: *æquitati congruit, ut aliquis tandem amoris ſtudio ducatur ad eam JEſu Chriſto præſtandam voluptatem, idq; vel cum centum millibus vitæ periculorum, ſi cui tot vitæ eſſent, cúmq; eorum omnium diſpendio, quæ naturæ maximè ſuavia & jucunda ſunt. Neminem autem unum unquam repereris, qui magìs id ſuſcipere, quàm tuteipſe tenearis. Age igitur anime mi, pereamus ſanctè, ut hanc voluptatem pariamus ſacro cordi JESU Chriſti. Ipſe dignus eſt, & tibi non eſt integrum omittere, nì velis ingratus ejus amori & vivere, & mori.* Ultimus Sociorum hoc ipſo anno in Huroniam advenerat, eíque nomen ab indigenis Atironta impoſitum eſt. Nec ampliùs quàm ſextum in ea menſem verſabatur, addiſcendâ ante omnia perdifficili barbarorum linguâ occupatus, cùm ipſo in limine laborum palmam alijs in ea vinea veteranis cultoribus præripuit.

Menſe Martio A. 1649. Hirocenſes irruptione in Huroniam factâ, oppidum S. Jgnatij invaſerant, unum è quinq; Patrum Joannis & Gabrielis curæ creditis. Quod dum indigenæ ſtrenuè aliquamdiu contra barbaros propugnant, Patres fugæ conſilio, quâ facilè vitam ſalvare poterant, abjecto, alter baptizandis Catechumenis, alter Sacramentaliter abſolvendis Neophytis ſtrenuè incumbunt, ſolantur, & ad Fidei conſtantiam erigunt. Demum hoſte præpollente, ipſi cum pleriſque capiuntur die 16. Martij, & continuò ad nuditatem uſq; deſpoliatis, ungues ſingulis aliquot evelluntur. Mox ingens verberum turbo ſudibus & baculis, conſequitur, ut nullam partem corporis integram, nè vultum quidem relinquerent. In qua diriſſima procella P. Joannes ad patientiam omnes hortatus: *Filij levemus*, ait, *oculos in cœlum hiſce in doloribus noſtris: memineriмus DEum eſſe ſpectatorem, ac teſtem tolerantiæ noſtræ; brevíq; fore eundem remuneratorem, & mercedem ipſam noſtram magnam nimis. Cum hac Fide moriamur, exſpectemúſque certi promiſſorum ejus expletionem. Veſtri me magìs quàm mei miſeret: ſed ferendum fortiter iſtud, quod reliqui eſt cruciatuum; finientur illi ſaltèm cum hac vita mortali: at gloria quæ nos excipiet, nullo unquam fine terminabitur.* Cui viciſſim illi, *Pater*, inquiunt, *noſtri ſpiritus mentéſq; fixæ erunt in Cælo, dum corpora patientur in terra: DEum ora pro nobis, noſtri ut miſereatur, ipſum invocabimus uſq; ad mortem.* Erant inter hoſtes Huronum aliquot, qui longè ipſis Hirocenſibus efferatiore (utì major plerumq; Apoſtatarum, præ ipſis infidelibus, eſt nequitia) Chriſti odio, libertate Patrum, etiam in captivitate Neophytos adhortantium, irritati, correptos Patres ad palos deligârunt; quos illi, antequam adſtringerentur, flexis genibus venerati, & veluti ſuæ inſtrumentum ſalutis amplexati, & deoſculati ſunt. Mox barbari P. Ioanni, quia liberrimè Chriſtum prædicare pergebat, lapidibus os contuderunt, linguam inſertis in fauces flammis uſtulârunt, manum utramq;

len-

lentâ præciſione amputârunt. P. Gabrieli acutæ ſub ungues, & per totum corpus infixæ ſubulæ, & aculei ferrei: utriq; ſub brachia & renes admotæ candentes ſecures, ignita collaria collo circumdata. Adhæc contexto piceis reſinatiſque corticibus cinctu, circumdedêre medium utriq; corpus, eóq; incenſo circum undiq; cremavêre.

Immanes hos cruciatus P. Gabriel fortiſſimo animo ſuſtinuit, erectiſq; identidem in Cælum oculis, DEum ſuſpirans vocabat in opem; quâ illius pietate exaſperati barbari, utrumq; oculum acutiſſimis ſuis unguibus ſtirpitus evulſerunt, & in eorum cavos orbes indidêre candentes prunas. At P. Joannes rupis inſtar immotus, ſilentio, perinde quaſi ſenſûs expers, tulit omnia, neque inter flammas & uſtulationes ullam edidit vocem; attonitis novitate ſpectaculi, ideóq; per multiplicata tormenta, quaſi per vim inſentienti exprimere dolorem vellent, breviore morte illum tollentibus barbaris. Ubi tamen poſt longam moram veluti ad ſe redijt, ingenti ardore denuo Chriſtum prædicare occepit, donec barbari diſcerptis labris, nè loqui poſſet, nares etiam detruncârunt. Sub hæc ludibrio Sacri Baptiſmatis, aquâ fervente iterum iterúmq; toti perfuſi ſunt, inſultantibus blaſphemè barbaris, ſe illis baptiſmo ſuo gratiam ingentem præſtare, ſinè quo ſalus æterna nequeat obtineri: mereríque gratiæ ab illis viciſſitudinem, quòd diris adeò mactarentur ſupplicijs, quibus ad tantò altiora cæli ſubſellia promoverentur. Igitur carnes utrique ex feminibus, ſuris, brachijs, & ubicunq; lethalis abeſſet ictus, fruſtatim per intervalla deſecuerunt, & igne leviter toſtas, ipſorum in obtutu vorârunt; plagas revulſarum carnium, nè ſanguinis defluxu extinguerentur, admotis candentibus ferramentis exaſperârunt. P. Joanni detracta pellis eſt, quæ calvam tegit, abſciſſi pedes, poſtquam carnibus funditus direptis, ſolis oſſibus inſiſtebat; altera mandibula bipertito ſecuris ictu diffiſſa. P. Gabrieli nulla corporis pars, ab uſq; capite ad calcem expers uſtulationis fuit, auris læva ſecuri violata, penetrabili uſque ad cerebrum plagâ; lingua, nè DEum invocaret, quem tamen unicè pro carnificibus ſuis exorabat, ingeſtis flammatis tædis ambuſta. Denique ubi emori jam illos apparebat, diſſectum pectus, & exceptus ſanguis avidè ab illis adhuc calens hauſtus eſt: cor etiamnum ſpirantibus evulſum. Sic è vita heroës invictiſſimi alter altero celeriùs diſceſſêre, P. Joannes eodem die 16. Martij, cùm tres horas extortus ea tormenta pertuliſſet, P. Gabriel die inſequenti, poſtquam horas omnino quindecim immanibus cruciamentis excarnificatus eſt. Dilapſos ad propria barbaros ubi conſtitit, reſiduæ partes corporum à noſtris collectæ, humatæque à Socijs ſuperſtitibus fuêre 21. Martij, magnâ omnium conſolatione, & ſanctâ invidiâ, utpote qui diriſſimè diſcerptorum undiq; corporum aſpectu neutiquam conſternati, accendebantur quin potiùs conſimilis aliquando victoriæ ſpe, quam laboribus ſuis unicum præmium anhelabant.

P. CAROLUS GARNIER.

NUne etiam Chriſti pugilē Orbi dedit Gallia, nobili loco Pariſijs ſatum, & in Convictorum ibidem Collegio ad omnem pietatem à Societatis Patribus eductum. Ubi tam intentâ inter Nobiles contubernales ſui vixit cuſtodiâ, ut nullam Parthenij Mariani legem violâſſe notatus ſit; ſolitus etiam pecuniam omnem, quæ à parentibus uſibus ſuis ſubmittebatur, inter vinctos in carceribus diſtribuere. Et jam tum zelo lucrandarum Cælo animarum plenus, libris pernicioſis vel laſcivis bellum movit: quos ſi venales proſtare in officinis deprehenderet, ſuo ære coëmptos tenebris damnabat & igni. In Societatem IEſu An. 1624. ætatis 19. ſuſceptus eſt; magnam primò parentum reluctantiam, quòd inter proles maximè morigerus appareret, expertus; ſed poſtmodum tam pronâ in DEum mentis inclinatione Societati permiſſus, ut Parens ipſe Provinciæ Præpoſito illum ſtiterit, dicens: *Do tibi Pater filium meum, nullius unquam in parendo ſegnitiæ, neque ullius erga Parentum obſervantiam irreverentiæ reum.* Vixit deinde in Gallijs diſcendo, tradendóq; varias diſciplinas, uſque ad annum 1636. quatuor ibidem vota profeſſus, quibus magis jam obligatum ſe interpretans ad mortalium in ſalutis ſemitam adducendorum ſtudium, ſummis votis Superiores ſuos perurſit, & multùm diúq; obluctantem parentem continuis tandem precibus inflexit, ut ad arduam illam novæ Franciæ expeditionem tranſire licē-



P Carolus Garnier Nobili prosapiâ Gallus Soc. IESV. ab Hiroqveis Gentilibus crudeliter pro Christo necatus, in Nova Francia. A. 1649 7 Decembris.

C. Screta. d. *M. Küsell. f.*

liceret. Quo in trajectu complures navi eâdem vectos partim ab hæresi, partim à scelerum veterno, & unum aliquem decennio inexpiatum eripuit; quorum nonnulli fassi sunt, se vel ipsius solo aspectu, tam decorâ hilaritate, & modestâ jucunditate compositio, felicitatis interioris indice, ad Fidem rectam fuisse pellectos.

Ad locum desideratum appulsus ab A. 1636. usq; ad 1649. ea apud Hurones egit, ea tulit, quæ facilè quisq; ex dictis hactenus de Regionis & incolarum genio, in tam robustæ virtutis viro assequi poterit. Memor siquidem, quia sicut *Lex Domini immaculata est convertens animas*, ità immaculatum ejus promulgatorem esse debere, quotidianâ exomologesi conscientiam emundabat, & præsidijs Cælestibus, per ferventissimum orationis studium, quam omnium evagationum semper expertem habuit, muniebat. Nulla totius Novæ Franciæ fuit Colonia, nulla missio, quam ipse Apostolicis laboribus non excoluisset, maximo in quibusdam animarum profectu, in alijs nullo ferè conatibus suis respondente proventu: quod tamen semper æqui bonique consulens, eâdem promptitudine has adibat, quâ ab illis Præsidum nutu avellebatur; sæpius relictâ animarum cultione, jussus terræ, ac rusticis laboribus manus dare, aut jumenti vice onera diversa per montana æternis nivibus rigentia deportare. Quæ tamen solis alibi mancipijs imponi consueta munia, tantâ animi exequebatur alacritate, quali colendis agris, curandâ coquinâ, ferendis oneribus, Parisios Huroniâ commutâsset; esto non semel inter altas ni-

ves

ves nocte non unâ errare, ac propè perire contingeret, nullâ gnaritate locorum, per ſylvas viaſque difficiles, & Hirocenſium latrocinijs intutas: à quibus ille in poteſtatem redigi identidem exoptabat, quò qualemcunque, Chriſtum illis ſuadendi, ac barbaram impietatem evellendi anſam nanciſceretur. Nullum unquam inclementiore verbo vultúve perſtrinxit, nec de ullo etiam malè merito ſiniſtrè loqui auditus eſt: ſuorum in Evropa ità oblitus & incurius, ut imperijs Majorum urgeri debuerit, ut literis eorum per tot intervalla datis ad ſe, reſponderet.

Si quando ægros in loco luſtrandi, curandive ex morbo facultas deeſſet, illis in humeros alacriter ſublatis, ad locum opportunum per plures etiam leucas deportabat, ibiq; cæleſti unda perfuſos, dum vel revaleſcerent, vel Cælum peterent, incredibili charitate idem medicus & ſervus accurabat, ulcera tractabat, ſaniem expurgabat: tum præſertim, cùm latè fuſa contagio illis Regionibus inhorreſcens, ſanguine etiam junctos à cognatorum acceſſu arceret. Quorum nonnemo deinde valetudini reſtitutus, ſanctè teſtatus eſt, conſpectum à ſe P. Carolum Angelo ſtipante, in forma pellucentis juvenis comitatum, *qui me*, inquiebat, *amicâ compellatione hortator acceſſit, & author fuit, ut P. Caroli monitis promptus parere, atq; illius ductum ſequi conniterer.* Corpus interim ipſe ſuum omnibus modis crudeliter accipere, nunqnam depoſito, nè noctibus quidem, ferratis cuſpidibus aſperato cilicio, in nuda humo veſtitus quieſcere; cibo perparco, & qui nec famem depelleret, uti, qui non alius ferè ipſi per 13. annos, quibus inter Hurones verſatus eſt, adhiberi ſolebat, quàm granum Turcicum: quo tamen ipſo per ultimum vitæ biennium abſtinuit, contentus glandibus & amarâ quâdam radice in aqua coctâ, ſinè ſale alióve condimento. Atq; huic ciborum fami longè majorem virtutum adjecit eſuriem, quam in eo ſupra omnem fidem fuiſſe teſtatur miſſionis illius Neo-Francicæ Superior, dū ſcribit, in veritate ſe affirmare, quòd in illa tota 12. annorum intercapedine, quâ P. Caroli cor, ipſo candidè illud aperiente, intentiùs introſpexit, nè horâ vel unicâ, extra ſomni tempora, fuerit abſque ardenti deſiderio ad creſcendum in via virtutis; atq; ad animarum lucra. Omnia reliqua illi vilia fuiſſe viſa, & ipſum nihil: Cognatos, Amicos, Evropam, ſolatia, quietem: præter ſolum DEum, qui ipſi unicè erat omnia.

Verſabatur ultimo vitæ ſuæ anno, qui erat ſæculi 1649. in Miſſione & oppido S. Joannis, quam ipſe poſt aliquot alias, deductis eò ſecum Neophytis, fundaverat, ubi mortis obeundæ ſeu deſiderio, ſeu præſagitione animo divinitus injectâ, duobus germanis ſuis, alteri ſub Sacris Carmeli, alteri ſub S. Franciſci apud Capuccinos ſignis, Chriſto in Europa militantibus, ſupremas ſcripſit epiſtolas, in qua unum triū Fratrum (ſecum illis computans) ajebat, à morte haud procul abeſſe. Quocirca deineeps alterum tantum ſtudij addendum eſſe ardori animi, & contentioni precandi. Triduo ante felicem obitum à Superiore ad S. MARIÆ Reſidentiam invitatus ad ſe reſtaurandum in tanta ærumnarum mole, inter alia reſcripſit: pati ſe quidem famem, at non uſque ad mortem: & Dei benignitate fieri, ut nihil Spiritui, nihil corpori de ſuo vigore decedat. *Non timeo tantùm famem*, addit inter alia, *quantùm timerem, ut nè deſerto iſto meo grege inter famis ac periculorum bellicorum arumnas, ubi nunc vel maximè illis deeſſe me æquum non eſt, deſim occaſioni luculentæ, quam mihi offert Deus, amittendi ſeu perdendi me pro illo: nève hâc ignaviâ reddâ illius me favore indignum. Si recuperandarum virium causâ id neceſſarium eſſe viderem, non omitterem ad S. MARIAM prompte proficiſci, cùm ſim paratus omnia priùs, quàm parendi pronitatem accurationemve deſererem. Sed nihil præter obedientiæ vires ab hac me Cruce avellet, cui me Divina Bonitas affixit.*

Septima interim Decembris dies illuxit, poſtquam biduo antè revocatus ad Reſidentiam S. MARIÆ, nè uterque in famis ac belli diſcrimine periclitaretur, ſocius Pater Natalis Chabanel diſceſſerat; cùm in oppidum S. Joannis non plus quàm ſexcentis familiarum capitibus habitatum, Hirocenſes improviſi incurrunt, primóq; inſultu aggerem ſuperant. Non alias diriùs, aut magis infeſtâ hoſtilitate exitialis barbarorum peſtilentia deſævijt. Ignis penè citiùs oppidum totum involuit, quàm adeſſe hoſtem adverſum eſt. Omnia cædibus, ſtragę, direptionibus vaſtata, proſtrata, funditus ad uſq; interneciōnem eruta. P. Carolus è Templo tum fortè prodibat, viſaq; tempeſtate, eo demum die anteactorum vitæ annorum fructum longè optimum ſe capturum facilè pervidebat; ergo de ſuorum unicè ſalute anxius, omnes ad fugam tempeſtivam hortatur, & bene, fugientibus, precatur. Ipſe Neophytis fugæ ſocium illum habere deposcentibus, heroico animo ad caſum ſibi ſæpe proviſum armatus, oves in faucibus invadentium, eáſque per-

perdentium luporum deſerere noluit, ut in eorum numero computari mereretur, de quibus S. Auguſtinus Epiſt. 180. ad Honorat: Epiſc. ità ſcribit: *qui propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad Chriſtianam ſalutem indigebant, deſerere noluerunt, ſinè dubio ſuas animas pro Fratribus ponunt.* Hinc cùm omnia crepitu flammarum, mapalium ruinis, matrum & parvulorum in flammas abjectorum ejulatu, cæde, ſanguine miſcerentur; Carolus ſibi & omnibus præſens, per domos incendijs obvolutas, circuibat num quos ſupremæ opis indigos reperiret; & obvios quoſque Sacramento pœnitentiæ expiabat. Quoſdam in medio incendij globo, Cæleſtis aquæ injectu baptizavit, nullâ ſui diſcriminis curâ vel attentione: ut nihil ſtuperent magìs & laudarent deinde, qui rebus turbidis adfuêre, quàm periculi tam præcipitis metu nihil animo turbatum, nè gradum quidem concitatiùs intendiſſe, aut lentiùs è contrà attenuiſſe, tanquam in oppido altiſſimâ quiete pacato incederet. Planè ut ei convenire videantur illa à S. Auguſtino ibidem adjecta: *qui clades hoſtiles ideo non fugit, cùm poſſit effugere, nè deſerat miniſterium Chriſti, ſinè quo non poſſunt homines vel fieri, vel vivere Chriſtiani, majorem charitatis invenit fructum, quàm qui non propter fratres, ſed propter ſeipſum fugiens, atque comprehenſus, non negat Chriſtum, ſuſcipítque Martyrium.*

Hæc inter domos & plateas, funeribus & buſtis obſeptas, inter ſaucios & moribundos Hurones, alios palpitantes in igne, alios in ſanguine ſupremum ſpiritum ægrè trahentes, mirâ fortitudine charitatis & ſecuritate fiduciæ, perinde ac ſi inviſibilis hoſtibus foret, agentem Carolum, advertunt tandem & adoriuntur Hiroquæi, & triplici ex ſclopo totidē globis in pectore, ſtomacho, coxendice exceptis, humi ſternunt, prolapſum veſte omni expoliant, & in ſanguine natantem relinqvunt. Qui ubi proſtratum ſimiliter non longè diſtantem Chriſtianum Huronem, & vulneribus ſuis immorientem advertit, in genua, ùt poteſt, ſe colligit, & quantumvis ſemel iterúmq; virium imbecillitate collapſus, iterum tamen iterúmq; connixus, ad ſuppetias moribundo ferendas ægerrimè ſe protrahit, ſupremum abſolutionis Sacramentalis donum illi collaturus. Hoc ceu vitæ præclarè actæ coronario opere perfunctum, quidam iterum Hiroquæorum aggreſſus, impreſsâ in caput gemino ictu ſecuri, diffiliente circùm cerebro, confecit. Et licèt Huroni etiam Carolum complexo vulnus inflixerit, ille tamen malo ſuperſtes hæc ipſa à compluribus relata, fideli deinde teſtimonio de Patre confirmavit. Acta ſunt hæc A. 1649. in vigilia DEIparæ ſinè labe conceptæ, cujus P. Carolus eximius per omnem vitam cultor, voto etiam ſpeciali huic Myſterio propugnando propagandóque ſe pridem obſtrinxerat. Vix tam immani patratâ clade lætantes Hiroquæi deceſſerant, cùm poſtero die reverſi ex alio, cum vicinis confecto bello, pagi incolæ viri, viſâ Templi in cineribus jacentis, domorum, conjugum, parentum, liberorum clade, cùm evitabile malum ampliùs non eſſet, ſolenni patrióq; viris dolendi ritu, per dimidium diem humi, profundo abſorpti ſilentio, nè ſublatis quidem in cælum oculis, miſerabiliter, citra tamen lachrymas & ſuſpiria, quæ apud illos effæminati doloris officia ſunt, conſedêre. Neque inter cæſos alium ab alio dabatur diſcernere, omnibus largo ſanguine coopertis. Repertum tamen inter promiſcuos cadaverum acervos vix tandem ægrè à vicinis Socijs eſt P. Caroli corpus, & ſuo ſeorſim ab alijs ſepulchro, loculo decenti compoſitum, honorificè tumulatum eſt.

Quid interim P. Natali Chabanel actum ſit, qui & ipſe cruentæ mortis haud expers fuiſſe creditur, juvat cognoſcere. Biduo ante cladem cum aliquot Chriſtianis à S. Joanne digreſſus, cùm per S. Matthiæ miſſionem tranſiret, cuidam è Patribus dixit: *neſcio equidem cur me revocet obedientia, ſed vel non potero, vel ſi potero, revertar ad meam ſtationem. Oportet perſeveranter ſervire Deo uſq; ad mortem.* Iter porrò per ſylvam habentē dies defecit, & ſocijs ſomno occupatis, noctem precationi vigil dedit. Mediâ ferè nocte audivit confuſos primùm clamores, mox claras tripudij & lætitiæ voces, quibus Hirocenſes à patrata ad S. Joannem clade reduces bellica victoriæ acroamata, gentis more, inconditis gaudijs concinebant. Excitati à Patre ſocij nè & ipſi præda victoribus fierent, alij ſe aliò, ùt ſecuritatis ſuadebat occaſio, in ſylvæ intima & receſſus abditos condidêre: neque derelictus tum ab illis P. Natalis unquam deinceps comparuit, ſive ab Hirocenſibus interceptus, & crudeli carnificinâ ſublatus occubuerit, ſive alius quis ſupremus caſus palabundum in ea ſolitudine oppreſſerit. Illud tamē poſtea de eo retulêre comites; cùm in illa fugæ neceſſitate, properationi tantæ impar, eos ſequi non poſſet, reſiſtentem eodem loco dixiſſe: *nihil intereſt me hìc emori; hac vita exilis*

exilis quædam res eſt, verum bonum ac unicum eſt, vita illa vitalis, & felicitas Paradyſi, quod mihi ab Hiroqueis auferri non poteſt. Magna etiam ſuſpicio fuit, eum ab Hurone quodam Fidei apoſtata interemptum, qui eum ſe per flumen quoddam trajeciſſe, & ut Patrem peditem ab oneribus expediret, illius ſcripta, pileum, & integumentum pallij vicarium, à volente accepiſſe referebat. Verùm alij cæſum omnino, non tantùm è ſanguinario apoſtatarum genio conjectabant, ſed & indè conficiebant, quòd idem paulò antè jactabundus dicere ſit auditus, fore haud multò pòſt, ut ſuâ manu è Sacerdotibus aliquis cadat.

Cæterùm P. Natalis Galliâ itidem oriundus, anno ætatis 17. Societatem, & tredecim annis pòſt miſſionem Huronicam obtinuit, eámq; Apoſtolicis ſeptennij laboribus excoluit. In digreſſu ab Gallia ultimum vale Patri, cui ſpiritûs arcana omnia pandebat, faciens, inter ſupremos amplexus dixit: *nunc demum omnino confido futurum me totum Dei!* id quod eâ voce protulit, ut ea viſa fuerit vox victimæ pro Chriſto immolandæ. Ipſe autem Natalis cùm hactenus à natura exilis ferè & timidi animi ſe fuiſſet expertus, ab obtenta ea miſſione mirabatur ſe tam vivido imbutum ſpiritu, ut poſitis quantumvis exaggeratè ob oculos arduæ illius Provinciæ periculis, nihil percelleretur, ſed ea exambiret potiùs. Uno ante obitum anno, ſuo in Societate Fratri in Galliam ità ſcripſit; *parum abfuit, quin Reverentia veſtra haberet unum fratrem Martyrem: ſed Deus vult pro hac palæſtra virtutem melioris temperaturæ, quàm mea ſit. P. Gabriel Lallemant unus trium proximè interemptorum, commutaverat mecum ſtationem uno menſe antè. Ego tanquam robuſtior miſſus eram ad unam longinquiorem, & magis arduam miſſionem. Sed non ità fertilem palmarum ſicut illa eſt, quâ meus me torpor indignum fecit. Erit ubi Deo ità viſum, dum ego viciſſim non deſim interea facere me Martyrem in umbra, & exercere in me imitamentum Martyrij ſinè ſanguine. Hiroqueorum furor, qui omnia hìc peſſundat, faciet fortaſſe aliquando id, quod deſideratur, per merita tot Sanctorum, quibuſcum grandi meo ſolatio vivo magna in pace, in continuis vitæ periculis. Veſtra Reverentia, & Patres in Provincia, mei obſecro meminerint ad altare, tanquam victimæ ad Hiroquæorũ ignem deſtinatæ, ut merear tot Sanctorum patrocinio in tam forti certamine victoriam.*

Tentari aliquando vehementiùs cæpit deſiderio Galliæ repetendæ, tum quia ad linguas barbarorum perdiſcendas parum felici erat memoriâ, ex quibus annorum quinque improbo labore vix tantum didicerat, ut animi ſui ſenſa intelligenter poſſet exprimere, adeóq; longè utiliùs dotes animi ſui in Patria impenſurum ſperare poterat: tum quia à barbarorum cibo, potu, domo fumi plena, moribus, incondito ſtridore, barbarie, inſuperabilem naturæ abhorrentiam ſentienti, nulla aliunde cælitus levamenta concedebantur, videbatúrq; ſibi Crucem nudam ferre, ſinè delicijs Crucifixi. Sed ille tenebras has ab Inferno creari nihil dubitans, violentiâ naturæ maximâ, ſequens votum, nunquam ſtationem Huronicam deferendi, edidit. *Domine JESU Chriſte, qui me Apoſtolorum ſanctorum hujus vineæ Huronicæ adjutorem, licèt indigniſſimum, admirabili diſpoſitione tuæ paternæ providentiæ voluiſti: ego Natalis Chabanel, impulſus deſiderio ſerviendi Spiritui tuo Sancto, in promovenda Barbarorum Huronia ad tuam Fidem converſione, voveo coram Sanctiſſimo Sacramento pretioſi Corporis & Sanguinis tui, tabernaculo Dei cum hominibus, perpetuam ſtabilitatem in hac miſſione Huronica: omnia intelligendo juxta Societatis, & Superiorum ejus interpretationem & diſpoſitionem. Obſecro te igitur, ſuſcipe me in ſervum hujus miſſionis perpetuum; & dignum effice tam excelſo Miniſterio. Amen. 20. die Junij 1647.*

P. CORNELIUS BEUDIN.

CRavelinga nobilis Flandriæ urbs Patrem Cornelium in lucem protulit, bonam, & ab infantia Virgini Matri mancipatam, ſortitum animam, cui ante poſitam puerili manu Aram quotidianus cultor advolvebatur ipſe, diebus autem Sabbatinis omnes unà domeſticos eidem adoratores adducebat, qui Litanias Lauretanas tenerrimo affectu & voce præcinenti, non ſinè pietatis quandoque lachrymis reſponderent. Ubi pueritiam ſcholis idoneam attigiſſe viſus parentibus eſt, PP. Societatis indiſciplinam traditus, in omni quidem virtute, ſed puritatis potiſſimùm cura eximius apparuit, dicere ſolitus; *malle ſe cum brutis animalibus*



P. Cornelius Beudin Belga Soc: IESV, crudeliter ab Idolola-
tris Indis raptatq, et prò Christo ſtrangulatq, apud Tarau-
marenſes in America A. 1650. 4. Junij.

C. S. d. M. K. f

libus & ſcorpionibus, quàm cum feminis habitare. Ab earum conſortio ut in perpetuum quàm maximè ſe divelleret, Societatem candidatus, poſt Rhetoricam auditam, exambire magnis precibus inſtituit: cui pro canddiatorio quaſi munere, ad promerendum in eam aditum, injunctum à Superioribus eſt, infima literarum pueros docere. Quo in violentiſſimo officio cùm raram promptitudinem & induſtriam ſuam abundè probaviſſet, in Tyrocinium admiſſus, ità deinde per omnem vitæ in Religione curſum egit, ut nullam Regulæ ullius vel ſemel neglectæ maculam contraxiſſe deprehenſus ſit. Poſt 12. annos in Belgio varias inter munerum occupationes laudabiliter exactos, in exoptatam tot apud Deum ſuſpirijs, apud Moderatores precibus, Americam ſolvit An. 1647. hilari ac læto animo proficiſci juſſus à Matrona quadam, virtute iſtic uſque ad ſanctimoniæ famam illuſtri, quippe qui certam illic Martyrij gloriam adipiſceretur.

In Indiam poſt varia tempeſtuoſi maris pericula, quibus aliquot navigia fluctibus hauſta interierunt, cum Socijs 14. appulſus, Godinez appellatus deinceps eſt: & perbrevi quiete Mexici ad reficiendas vires captâ, ut colligendis in Reductiones barbaris utilior evaderet, trimeſtri ſpatio omnem Cynaloanæ, Mexicanæ, ac Taxaumarenſis linguæ artem, mirabili avidæ capaciſque memoriæ gratiâ ità perdidicit, ut methodum etiam & leges brevi easdem perdiſcendi compendio utiliſſimas, conſcripſerit. Mox induſtriam ſuam in tradendis ad Neophytos Chriſtianæ Fidei rudimentis intra Collegium Tepozotlanum

tlanum expertus, eundémq; ſuum zelum in aliquot Paraquariæ Reductionibus egregiè magno cum fructu periclitatus, ad novam ex integro fundandam & erigendam, inter barbaros Taraumarenſes, Reductionem, cum Socio Sacerdote miſſus eſt. Igitur magnâ animoſitate negotium aggreſſus, percurſare montana Regionis, ſylvas excutere, penetrare barbarorum gregatim ſinè tecto, ſinè Rege, ſinè capite, per nemora vagantium latibula, delinire crepundijs animos, & benigno affatu ad humanum & commune contubernium hortari, Reductionis deſignare & moliri ad Papigochum flumen fundamenta: omnem in eam rem conferre induſtriam, muſicam etiam, cujus ad uſq; excellentiam voce, & omnis generis inſtrumentis peritus erat, adhibere artem; & quos muſicâ allexerat, Chriſtianæ vitæ præceptionibus ſtudioſè imbuere. Donec tandem non contemnendâ barbarorum manu, per omnes illos difficultatum & ærumnarum labores, quos alibi ſuprà memoravimus, collectâ, par alijs ferè vetuſtioribus Reductionibus nova ſtaret Colonia, mapalibus, Æde ſacrâ, & ingenti præ illius foribus Cruce conſpicua; reductis ad humanitatem, & Chriſtianæ Fidei per ſuſceptum Baptiſma profeſſionem, ampliùs quàm ſenis hominum millibus.

Hanc dum ille veluti proprium partum, maternâ prorſus curâ & charitate ad perfectionem expolire & educare, omnibus omnia factus conatur, ecce tibi ingrati & rebelles quidam filij triſtia in Patrem moliri, & in veterem ſe licentiam ejus interemptione reſtitutum ire. De quorum molitionibus tempeſtivè commonitus Pater, ſtationem tamen neutiquam deſerendam duxit, nè puſillus grex abſente ſe periret, & paucorum malitia in totius Reductionis perniciem redundaret. Ergo qui in atrocem ſeditionem coaluerunt, 4. Junij A. 1650. in vigilia Spiritûs Sancti in oppidum irruunt, & Patris mapale furibundi petunt, in quo cum aliquot Chriſtianis Pater rerum eventum tacitus, atque ad mortem animatus, & ſuos ad eandem animans, eosdémq; vim vi repellere prohibens, præſtolabatur. Quia verò aggreſſionem molientibus obſtructâ portâ aditus non patebat, ignem continuò arundineo illi ſtramineóque tugurio injiciunt: cujus fumo, & penetrantium ad intima flammarum violentiâ adacti, foras inermes erumpunt, quos armata barbarorum ſævitia in veſtigio ſagittis & morte confecit; mox ſecuturum filios Patrem, cui potiſſimùm crudelitas imminebat, haud paulò diriore morte ſublatura. Vidit, quà per ignem & undantem fumum licuit, jacentes in ſanguine charos filios Cornelius, & intrepido animo vicinæ jam æternitati feliciter imminens, è domo ſeſe in medium dedit. Tum verò ſublatâ in expectatam prædam barbarâ vociferatione, inter probra & convitia procaciter furenterq; ingeſta, quòd indigenas ab avito more ad ignotam Religionem averteret, funem ejus collo properè circumdant, & humi dejectum ad Templum truculenter raptant, tam rabido in obvia ſaxa alliſu & jactatione, ut cruenta ubique ſanguinis non parcè effuſi manerent veſtigia. Ad Templum, ipsámq; adeò Aram protractum, verberibus immaniter excipiunt: rurſúmq; foras per atrium, cæmiterium, atque indè circumcirca religioſum illum locum iterum ac iterum raptatum, ad eam denique, cujus ab eo præ foribus erectæ meminimus, Crucem, velut ad curſûs ſui metam pertrahunt.

Hanc ille brachijs ſtringens, ut in complexu vivifici trophæi moreretur, dum ſacra Nomina in ſupremi agonis auxiliũ invocat, barbari funе adducto, ac utrimq; toto viriũ conniſu contorto, inter ſtrangulandum illi ſanguinem impetu erumpentem effundunt, & ſpiritum intercludunt. Neq; unâ morte parciùs necatũ obire contenti, gemino ſimul ac valido Indicæ clavæ ictu capiti impacto, telis quoq; & lapidibus pro mortis auctario certatim conficiunt, inq; ſuo ſanguine natantem, omnibus ſpoliatum veſtibus nudum relinqvunt. Atq; indè in Patris tuguriolum Ædémq; ſacrã procurrentes, quidquid Imaginum & ſacræ ſupellectilis fuit reliqvum, fædè conſpurcant; famoſo etiã è ſuis venefico ſacrificali veſte circumdato, & jocularibus in ea ſaltibus Deo Chriſtianorum inſultante. Dilapſis poſt hæc in montes ad cavernas ſuas homicidis, conquiſitũ Patris cadaver decentiſſimè à vicinarũ Reductionũ Socijs tumulatũ eſt; & funis cruentæ ſtrangulationis inſtrumentũ, argenteæ ciſtulæ, ad privatam devotionẽ, à pia Gubernatoris novæ Cantabriæ uxore, incluſus. Non longè pòſt Taraumares ubi ſe ab illo æſtu ſanguinario collegêre, dolore icti, veniam, pacẽ, & amicitiam cum Hiſpanis depacti, noſtros avidè receperunt; qui revocatis diſperſis percuſſo paſtore Neophytis, Templum iterum & ſacra, longè maximo Chriſtianorũ acceſſu, inſtauraverunt. Biennio pòſt refoſsum corpus, integrũ illibatúmq; repertum fuiſſe, teſtati ſunt qui viderunt, & ſignatã etiam tum cruentã ſemitã illius ſanguine, per omne illud ſpatium, quo ab Ara è Templo ad uſq; Crucem raptatus fuerat.



P. Iacobus Basile, Italus Soc. IESV. ab Idololatris pro fide truncatus, et è Cruce suspensus, apud Papigochos Indos in America A. 1632. mense Martio.

C. Screta. d. *M. K. f.*

P. JACOBUS BASILE.

BArium, nobilis Apuliæ in Italia Civitas, natalis fuit P. Jacobo, eúmque liberaliter educatum. An. 1630. ætatis 21. Societati, hæc deniq; impensè id flagitantem An. 1642. Mexicanæ in occidentalibus Indijs Provinciæ dedit; ea puritatis integritate sæculi vitam emensum, ut Bernardini Senensis nomen ac laudem obtinuerit, solo aspectu & interventu licentiora æqualium colloquia componere solitus. Quâ suâ felicitate ità exultavit, ut in ipso navigationis procinctu Hispali ad suos in Italiam scribens fateretur, suum animum nunquam ante, nunquam post initam Societatem, tantâ illiquefactæ in cor voluptatis dulcedine fuisse perfusum, quantam tunc persentisceret. *Benedictus*, inquit inter alia, *DEus, qui mihi vires dedit & voluntatem, ut vocanti obtemperarem.* Versantem etiamnum in Patria, studijs Neapoli occupatum, cupida intueri coràm in Sacra Religionis veste mater, desiderium suum literis illi aperuerat. Sed ei Jacobus Christi Cruci affixi simulachrum transmisit, & monuit, ut sui loco illum aspiceret, quoties filij videndi cupiditate flagraret. Sexaginta simul ab Hispania, duabus impositi navibus solvêre Socij, in Philippinas 40. reliqui 20. inter quos etiam Jacobus, in Mexicum, omnes incredibili sanguinis pro Christo fundendi cupidine accensi. Probata primùm est illius Apostolica opera in excolenda Regionis

gionis illius quâdam Provincia, longiùs latiùsque toto Regno Neapolitano porrecta; in qua cùm expectationi omnium etiam ſupra ſpem, & conatûs induſtriâ, & proventûs ubertate reſpondiſſet, idoneus maximè judicatus eſt, qui P. Cornelio Beudin, nuper odio Fidei cæſo, in cultura Papigochorum Reductionis ſuccenturiaretur. A cujus adhuc calente illic ſanguine mentis vigore hauriens, dici vix poteſt quanto ardore, & geſtientis animi impetu, caput difficillimæ Provinciæ devoverit. Inter alia Mexico ſcribens 20. Julij, ſexto & quadrageſimo ab obitu Cornelij die, ſe per 8. annos ad illos populos expeditionem petijſſe, heſterno impetrâſſe, & poſt 5. dies eò moturum; tum addidit: *neſcio quid præſagit animus, & præ lætitia geſtit.*

Præcipua poſt expertum animi ardorem, quæ illum arduæ miſſionis apud Moderatores candidatum fecit, cauſa fuit, præclara emendatè ac diſertè barbarorum idiomate loquendi, vernaculo quodam ſapore condita peritia, ut Taraumarenſes, ac paſſim barbaros teneret admiratione ſuſpenſos. Indè inſtauratâ ſenſim, quæ poſt cædem Cornelij jacebat cum Templo, Fidei diſciplinâ, totum zelum ad augendam ex deductis vagorum mortalium colonijs Reductionem impendit; quàm ubere & fæcundo ſucceſſu, ex ſuperiorum annorum geſtis collige, quorum fructus ad Socios Cinaloënſis, quò eos ad referendas ſecum Deo gratias excitaret, perſcribens, intra quinquennij ſpatium initiata ſacris Baptiſmi aquis fuiſſe quindecim millia Ethnicorum ait: quos inter fuit anus 150. annos nata, quæ à Baptiſmate nè quartam quidem horæ partem ampliùs ſupervixit. At vix unquam fera illa leviſſimorum Barbarorum ingenia ità integrè manſueſcunt, quin flagitioſâ ſcelerum aſſuetudine in tranſverſum acta, tædio diſciplinæ Chriſtianæ priſtinam peſſimarum cupiditatum libertatem ſuſpirent. Magnam illorum vim ſuavi ſuâ eloquentiâ Chriſto jam pepererat, cùm altero ſudorum Apoſtolicorum vertente anno 1652. menſe Martio, iterum inter inquieta Papigochorum ingenia celebratum ſenaculum, & conſpiratio conflata eſt inter Ethnicos, & nonnullos à Fide apoſtatas, ut Baſilius primùm ceu malorum caput, deinde alij conſtantes in Religione Jndi Hiſpanique, in villa Aguilar è medio tollerentur.

Invitabatur ab Hiſpanis Pater ut ſibi maturè fugâ conſuleret; at ipſe boni paſtoris non eſſe dicens, ignobiliter fugiendo gregem deſertum lupis rapacibus, & diſpergentibus in prædam relinquere, ſtationem deſerere noluit. Igitur collectis in templū Fidelibus, ante omnia quà Jndorū, quà Hiſpanorū animos, ſacrâ exomologeſi expiare, & ſupremo vitæ actui parare aggreſſus, dū ſupremo fervore incurius ſui operi inſiſtit, repentinò ſe in eum locū Taraumares infudêre, ac magnâ in utroſq; cæde graſſati ſunt. Pater arreptum ab Ara Crucifixum manu gerens, in medium proſilit, ſuámque illis perfidiam & impietatem exprobrans, etiam atque etiam monet, nè à dæmone ſeducti impiè cæpta proſequantur: pérque medios barbarorum cuneos foras è templo prorumpens, dum conſtanter Chriſtum ejúſq; legem inculcare ſanguinarijs pergit, illi audaciam & libertatem Dei ſervi indignati, eodem loci obtruncant, & ex eodem, in quo Dominus & Redemptor ſuus olim pependerat, crucis præ foribus erectæ patibulo, truncum cadaver, velut in contumeliam defenſæ ab illo Chriſti Crucis, ſuſpendunt: omnibus qui adhuc ſupererant Chriſtianis, eodem furoris tenore necatis, & poſt direptum ſacrum apparatum, templis incenſis. Corpus ejus ſeu caſu, ſive divinâ deſtinatione ibi conditum eſt, ubi P. Cornelius Beudin altero jam anno jacebat ſepultus; eáque occaſione integrum vividúmque ejus cadaver, ùt ſuprà retulimus, deprehenſum eſt.

Videtur autem Deus hunc ſuum occaſum Patri prænoſcendum, ejuſque ultimùm ſacrificantis miniſtro, dediſſe. Etenim cùm inter litandum eo ipſo necis die Divinam Hoſtiam populo de more monſtraturus elevaret, viſus eſt cruentus circulus, qui eam orbiculatim circumdabat; eáque ſuper Altari repoſitâ, eodem ſanguine ſacrificalis mappula cruentata comparuit. Teſtati etiam deinde communiter ſunt omnes, qui neci Patris tam ſpectatores, quàm mortis authores intererant Jndi, interq; illos tres Caciquij, ſinguli ſeorſim diverſè ab alijs ſigillatim in legitimo proceſſu interrogati, quòd moriens Pater pulcherrimum infantem (ità vernaculâ phraſi exprimentes) ore pepererit. *Vidimus*, ajebant: *hiſce ipſis oculis quòd è moriente Patre tener infans, niveo candore amabilis exierit, qui in media fumi inſtar nubecula, magno ſplendore circumdatus, inter duos alios comites infantes*) Angelos fuiſſe crediderim, animam illius; vel certè JESUM Euchariſticum, paulò antè in Sacrificio ſumptum, in Cælum ſtipantes) *eóſque alis inſignes; quos inter altiùs altiúſque aſcendebat in Cælum, donec tandem videri deſijt.* Cujus ſpectaculi admira-

miratione perculſi barbari, & horrore quodam atq; arcanâ vi in terram proſtrati ſunt.

Atque hi ferè ſunt magìs hactenus comperti, ad uſq; Chriſti annum 1655. per quatuor Orbis plagas inclytorum è Societate IESU pugilum de ſanguinea morte triumphi; quos ità poſteri eorundem legamus, ut ad æmulanda ipſorum chariſmata accendamur, neque unquam degeneremus à præcelſis cogitationibus Fratrum noſtrorum.

AMEN.

PROTESTATIO.

LECTOR, adverte in Elogijs virorum Illuſtrium, quos hoc libro complexus ſum, nonnulla me obiter attingere, quæ ſanctitatem illis videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab ijs geſta, quæ cùm vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt: præſagia futurorum, arcanorum manifeſtationes, revelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt alia hujusmodi: beneficia item in miſeros mortales eorum interceſſione collata divinitus; demum nonnullis ſanctimoniæ, vel Martyrij videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia ità meis lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata; ſed tanquam, quæ à ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant, atq; adeò non aliter, quàm humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum S. Congregationis S.R. & Univerſalis Inquiſitionis Decretum Anno 1625. editum, & Anno 1634. confirmatum, integre, atque inviolatè, juxta declarationem ejuſdem Decreti à Sanctiſſimo D.N. D. URBANO Papa VIII. Anno 1631. factam, ſervari à me omnes intelligant: nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare; vel famam, & opinionem ſanctitatis, aut Martyrij inducere, ſeu augere; nec quicquã exiſtimationi adjungere, nullúmq; gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, aut miraculi comprobationem; ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſeclusâ hac meâ lucubratione obtinerent, non obſtante quocunq; longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua ſcriptione & actione dirigi.

MATHIAS TANNER S.J.

NOMINA EORUM,

Qui pro DEI cauſa ex Societate JESU interfecti, hoc libro recenſentur, ordine Alphabetico.

EUROPA.

P. Alexander Briantus, Anglus. pag. 14
Andreas Martini, Franco. p. 107
P. Arnoldus à Boecop, Belga. p. 92
Blaſius Schelling, Bavarus. p. 105
P. Briantus Cansfeldus, Anglus. p. 120
P. Chriſtophorus Spotecus, Polonus. p. 48
P. Curbertus Preſcottus, Anglus. p. 133
Dominicus Colinus, Hibernus. p. 55
P. Edmundus Arousmithæus, Anglus. p. 99
P. Edmundus Campianus, Anglus. p. 9
P. Edmundus Donatus, Hibernus p. 7
P. Eduardus Oldcornus, Anglus. p. 60
P. Emmanuel Fernandez, Afer. p. 1
Emmanuel Neri, Italus. p. 58
Franciſcus Pages, Anglus. p. 52
P. Gerardus Paëſman, Belga. p. 109
P. Godefridus Thelen, Germanus. p. 90
P. Guilielmus Boytonus, Hibernus. p. 135
Guilielmus Saltemochius, Gallus. p. 25
P. Henricus Garnetus, Anglus. p. 65
P. Henricus Morſæus, Anglus. p. 126
P. Henricus Walpolus, Anglus. p. 37
P. Hervæus Malveſius, Gallus. p. 94
P. Hieremias Fiſcher, Boëmus. p. 146
P. Jacobus Saleſius, Gallus. p. 22
P. Ioannes Arnoldi, Weſtphalus. p. 104
P. Ioannes Bathæus, Hibernus. p. 138
P. Ioannes Boddens, Belga. p. 109
P. Ioannes Cornelius, Anglus. p. 28
Ioannes Eſto, Polonus. p. 48
P. Ioannes la Garde, Gallus. p. 96
P. Ioannes Groſſus, Anglus. p. 131
P. Ioannes Leleſzi, Vngarus. p. 26
P. Ioannes Meagh, Hibernus. p. 112
P. Ioannes Ogilbeus, Scotus. p. 82
P. Ioannes Sandæus, Belga. p 95
P. Ioannes Vorthingtonus, Anglus. p. 149
P. Jodocus Mayering, Weſtphalus. p. 107
P. Laurentius Everardi, Belga. p. 45
P. Laurentius Paſſokius, Sileſius. p. 115
P. Martinus Gutierrez Hiſpanus. p. 5
Martinus Ignatius, Sileſius. p. 112
P. Martinus Laterna, Polonus. p. 42
P. Matthæus Cramerus, Boëmus. p. 115
P. Matthæus Grimes, Gallus. p. 139
P. Mathias Burnatius, Sileſius p. 102
Mathias Vitriarius, Lithuanus. p. 48
P. Melchior Grodecius, Sileſius. p. 88
Nicolaus Krziwozanziewicz, Lithuanus. p. 48
Nicolaus Odoenus, Anglus. p. 73
P. Otho Campenſis, Holandus. p. 45
P. Petrus Buzelinus, Belga. p. 45
P. Petrus Michaël, Germanus. p. 41
P. Petrus Venuſtus, Helvetus. p. 3
P. Petrus Wrichtus, Anglus. p. 141
Philippus Nottin, Belga. p. 109
P. Richardus Bradlæus, Anglus. p. 124
P. Robertus Netervillius, Hibernus. p. 136
P. Robertus Southuvellus, Anglus. p. 30
P. Rogerius Filkockius, Anglus. p. 50
P. Rudolphus Corbæus, Hibernus. p. 122
P. Stephanus Pongraz, Vngarus. p. 88
P. Theodorus Riſwig, Belga. p. 98
P. Thomas Cottamus, Anglus. p. 17
P. Thomas Garnetus, Anglus. p. 79
P. Thomas Holandus, Anglus. p. 117
P. Thomas Mettamus, Anglus. p. 20
Wenceslaus Trnoſka, Moravus. p. 112

AFRICA.

P. Abrahamus Georgius, Syrus. p. 184
Alexius Delgadus, Luſitanus. p. 170
Alphonſus Fernandez, Luſitanus. p. 174
Alphonſus Vaëna, Hiſpanus. p. 170
Alvarus Mendez, Luſitanus. p. 170
Andreas Gonzalez, Luſitanus. p. 170
P. Andreas Gualdanez, Hiſpanus. p. 164
Andreas Pays, Luſitanus. p. 177
Antonius Correa, Luſitanus. p. 170
Antonius Fernandez, Luſit. p. 170
Antonius Suarez, Luſitan. p. 170
P. Apollinaris de Almeida, Luſit. p. 197
P. Benedictus de Caſtro, Luſit. p. 170
P. Bernardus Nugueira, Luſit. p. 205
P. Bernardus Pereira, Luſit. p. 190
P. Blaſius Ribera, Luſit. p. 170
P. Brunus à S. Cruce, Italus. p. 200
P. Didacus de Andrada, Luſit. p. 170
Didacus Carvalius, Luſit. p. 177
Dominicus Fernandez, Luſit. p. 170
Emmanuel Alvarus, Luſit. p. 170
Emmanuel Fernandez, Luſit. p. 170
Emmanuel Paceccus, Luſit. p. 170
Emmanuel Rodriquez, Luſit. p. 170
Ferdinandus Alvarez, Luſit. p. 175
Ferdinandus Sanchez, Hiſpan. p. 170
Franciſcus Alvarus, Luſit. p. 170
Franciſcus de Caſtro, Luſitan. p. 174
P. Franciſcus Maeciadus, Luſit. p. 190
Franciſcus Magallianez, Luſit. p. 170
Franciſcus Paulus, Luſit. p. 174

Fran-

INDEX

Franciſcus Perèz Godojus,Hiſp. pag. 170
P.Franciſcus Ribeirus, Luſit. p. 188
P.Franciſcus Rodriquez,Luſit. p. 197
Gaſpar Alvarez, Luſit. p. 170
Gaſpar Goëz, Luſit. p. 174
P.Gaſpar Paës, Luſit. p. 193
P. Gonzalus Cardoſus, Luſit. p. 179
Gonſalvus Henriquez, Luſit. p. 170
P.Gonſalvus Sylveria, Luſit. p. 156
Gregorius Scribanus. p. 170
P.Hyacinthus Franciſci, Italus. p. 197
Jacobus Perez, Luſit. p. 170
P.Ignatius Azebedius, Luſit. p. 166
Ioannes Alvarus, Luſitanus. p. 177
Ioannes Baëza, Hiſpan. p. 170
Ioannes Fernandez, Luſitanus Bracharenſis. p. 170
Ioannes Fernandez,Luſit.Ulliſipon. p. 170
Ioannes à S.Martino,Hiſp. p. 170
Ioannes de Mayorgo,Hiſp. p. 170
P.Ioannes Pereira, Luſit. p. 193
Ioannes Zaurus, Hiſp. p. 170
P.Ludovicus Cardeira,Luſit. p. 200
Ludovicus Correa, Luſit. p. 170
Marcus Caldeira, Luſit. p. 170
P.Mauritius Serpius, Luſit. p. 181
Michaël Aragonius, Hiſp. p. 174
Nicolaus Dinis, Luſit. p. 170
P.Petrus Diaz Luſit. p. 174
Petrus Diaz, Luſit. p. 177
Petrus Fernandius Luſit. p. 177
Petrus Fonſeca Luſit. p. 170
Petrus Fontorus,Luſit. p. 170
Petrus Nunnez, Hiſp. p. 170
Sanctus Ioannes, Luſit. p. 170
Simon Acoſta p. 170
Simon Lopez,Luſit. p. 170
Stephanus Zurara, Cantaber. p. 170

ASIA.

P.Ægydius de Abreu, Luſit. p. 286
P.Albertus Meczinsky, Polonus. p. 412
P.Alexander Lopez,Hiſp. p. 430
P.Alphonſus de Caſtro, Luſit. p. 226
P. Alphonſus Pacieccus, Hiſp. p. 238
P.Amarus Moureira, Luſitanus. p. 406
Ambroſius Fernandez, Luſitanus. p. 284
Andreas Saito, Japon. p. 276
P.Antonius de Andrade,Luſitanus p. 371
P.Antonius Capecius, Italus. p. 412
P.Antonius Criminalis, Italus. p. 212
P.Antonius Critana, Hiſpanus. p. 275
P.Antonius Franciſcus, Luſitanus. p. 238
P.Antonius Iſcida, Japon. p. 336
Antonius Kiuni, Japon. p. 298
P.Antonius Rubinus,Italus. p. 412
P.Antonius Sociro, Luſitanus. p. 384
P.Antonius de Souſa, Luſitanus. p. 364
P.Antonius Vaſconcellus, Luſitanus. p. 347
Auguſtinus Ota, Japon. p. 287
P. Balthaſar de Torres, Hiſpanus. p. 322
P.Bartholomæus Sanchez,Hiſpan. p. 409
P.Benedictus Fernandez, Luſitan. p. 360
P.Bernardinus Peccius, Jtalus. p. 330
P. Camillus Conſtantius, Italus. p. 301
P.Carolus Spinola,Bohemus. p. 289
P. Chriſtophorus Ferreira,Luſitanus. p. 427
Conſalvus Fuſai, Japon. p. 298
Damianus Fucaye, Japon. p. 362
P.Didacus Carvallius, Luſitanus. p. 313
P.Didacus de Morales, Hiſpanus. p. 412
P. Didacus Yuki, Japon. p. 381
Dionyſius Fugixima, Japon. p. 305
Dionyſius Jamamoto, Japon. p. 356
P.Emmanuel Barretus, Luſitanus. p. 275
P.Emmanuel Borges, Luſitanus. p. 349
Franciſcus Aranea, Luſitanus. p. 238
P.Franciſcus Buldrinus, Italus. p. 339
P.Franciſcus Carrion, Hiſpanus. p. 251
P.Franciſcus Lopez, Luſitanus. p. 229
P.Franciſcus Marquez, Japon. p. 412
Franciſcus Martinez, Sina. p. 269
P.Franciſcus de Mendoza, Luſitan. p. 407
P.Franciſcus Pacieccus,Luſit. p. 322
P. Franciſcus Paliola, Jtalus. p. 424
P.Gaſpar de Caſtro, Luſit. p. 319
Gaſpar Sandamatſu, Japon. p. 322
P. Georgius Carvalhal, Luſit. p. 255
P.Georgius Fernandez,Luſit. p. 232
P.Gomez Damaralius,Luſitanus. p. 232
Patris Henriquez Socius anonymus p.224
P.Hieronymus de Angelis, Siculus. p. 309
P. Jacobus Giannonius, Italus. p. 350
S.Jacobus Giſai, Japon. p. 258. & 266
P.Jacobus de Mesquita Luſitanus. p. 272
Jacobus Tacuſcima, Japon. p. 358
P.Ignatius Fialho, Luſitanus. p. 341
Ignatius Kindo, Japon. p. 349
P.Joannes de Acoſta,Luſit. p. 362
P.Ioannes Adamus,Siculus. p. 364
P. Ioannes Areſius, Sardus. p. 423
P. Ioannes de Baëza,Hiſp. p. 319
P. Ioannes del Carpio, Hiſpan. p. 379
Ioannes Chungocu, Japon. p. 298
P. Ioannes de Fonſeca, Luſitanus. p. 276
S. Ioannes de Goto, Japon. p. 258. & 265
Ioannes Kidera, Japon. p. 350
Ioannes Kiſaku, Japon. p. 322
P.Ioan.Macciadus,Afer ex Inſula T[illegible]ia.178
P.Ioannes Metella, Luſitanus. p. 277
P.Ioannes Montiel, Calaber. p. 430
Joannes Yama, Japon. p. 353

NOMINUM.

P.Ioannes Zola, Italus. p. 322
P. Joſephus Furlanettus, Italus. p. 255
Joſephus Reomuy, Japon. p. 349
P.Julianus Nacaura, Japon. p. 364
P.Julius Margicus, Italus. p. 334
Leonardus Kimura, Japon. p. 282
Ludovicus Cafucu, Japon. p. 356
Ludovicus Cavara, Japon. p. 298
P.Ludovicus Mendez. p. 219
P.Ludovicus Pelingottus, Luſitanus. p. 277
P.Mancius Firabajaſci Japon. p. 275
Mancius Mizogucci, Japon. p. 275
Mancius Taicicu, Japon. p. 275
P.Marcellus Franciſcus Maſtrillus, Italus. 386
Matthæus, Japon. p. 364
P.Matthæus de Couros, Luſitanus. p. 368
P. Matthæus Fernandez, Indus Cocinenſis. p. 330
Mathias Sanga, Japon. p. 275
P.Michaël Carvallius, Luſitanus. p. 316
Michaël Xumpo, Japon. p. 298
Michaël Nacaſcima, Japon. p. 332
P.Michaël Pineda, Japon. p. 355
Michaël Tozo, Japon. p. 322
Nicolaus Keyan Fucunanga, Japon. p. 345
P.Nunnius Riberius Luſitanus. p. 217
S.Paulus Miki, Japon. p. 258. & 264
Paulus Rioin, Japon. p. 275
P.Paulus Saito, Japon. p. 360
Paulus Scinſuke, Japon. p. 322
Petrus, Japon. p. 364
P.Petrus Berna, Italus. p. 238
P.Petrus Caſſui, Japon. p. 404
P.Petrus Maſcarenia, Luſitan. p. 233
P.Petrus Navarrus, Italus. p. 305
Petrus Onizuccha, Japon. p. 305
Petrus Rinkei, Japon. p. 322
Petrus Sampo, Japon. p. 298
P.Petrus de Zamora, Hiſpan. p. 406
P.Rudolphus Aquaviva, Italus. p. 238
Sacerdotes duo anonymi. p. 222
P.Sebaſtianus Kimura Japon. p. 289. & 298
P.Sebaſtianus Vieira Luſitanus. p. 375
Quinq; Socij P.Sebaſt: Vieiræ, Japones. p. 375
Simon Jempo, Japon. p. 309
P.Sixtus Tocuum, Japon. p. 362
P.Theodorus Mantels, Belga. p. 257
Thomas Acafoxi, Japon. p. 298
Thomas Niſciforus, Japon. p. 343
Thomas Riocan, Japon. p. 356
P.Thomas Tzugi, Japon. p. 329
Vincentius Alvarus, Luſitanus. p. 267
Vincentius Caunus, Japon. p. 322
P.Vincentius Damianus, Siculus, p. 426

AMERICA.

P. Alphonſus Rodriguez, Hiſpanus. p. 479
P. Antonius Bellavia, Siculus. p. 493
P. Antonius Daniel, Gallus. p. 531
P.Antonius Lopez, Hiſpan. p. 455
P.Antonius Riparius, Italus, p. 504
P.Bernardus de Ciſneros, Hiſpan. p. 470
P.Bernardus Reus, Hiſpan. p. 487
P.Carolus Garnier, Gallus. p. 539
P.Chriſtoph. de Mendoza, Peruanus. p. 495
Chriſtophorus Rotundus, Hiſp. p. 449
P.Cornelius Beudin, Belga. p. 543
P.Didacus de Alfaro, Peruanus. p. 502
Didacus de Montalvan, Mexicanus. 464
P. Didacus de Oroſco, Hiſp. p 470
P.Emmanuel Martinez, Luſit. p. 489
P.Ferdinandus Santarén, Hiſpanus. p. 476
P.Ferdinandus de Tovar, Hiſpan. p. 467
P.Franciſc. Pint°, Afer ex Inſula Tertia. p. 460
Fratres duo anonymi. p. 440
Gabriel Gomez, Hiſp. p. 449
P.Gabriel Lallemant, Gallus. p. 533
Gabriel de Solis, Hiſp. p. 447
P.Gaſpar Oſorius de Valderavano, Hiſp. 504
P. Gundiſalvus de Tapia, Hiſp. p. 451
P.Hieronymus de Moranta, Hiſp. p. 473
P.Horatius de Vecchi, Italus. p. 464
P.Iacobus Baſile, Italus. p. 546
P.Ioannes de Brebeuf, Gallus. p. 533
P.Ioannes del Caſtillio, Hiſpan. p. 484
P.Ioannes de Fonte, Hiſp. p. 473
Ioannes Mendez, Hiſp. p. 447
P.Ioannes de Segura, Hiſp. p. 449
Ioannes Soſa, Luſit. p. 438
P.Ioannes de Valle, Hiſp. p. 470
P.Iſaacus Ioquez, Gallus. p. 510
P.Iulius Paſqualis, Italus. p. 489
P.Ludovicus de Alabes, Hiſp: p. 470
P.Ludovicus de Quiros, Hiſp. p. 447
P. Martinus de Aranda Valdivia, Chilenſis. p. 464
Matthæus Fernandez, Hiſp. p. 508
P.Michaël de Vrrea, Hiſp. p. 458
P.Natalis Chabanel, Gallus. p. 542
Petrus Correa, Luſit. p. 438
P.Petrus de Eſpinoſa, Hiſp. p. 498
Petrus de Linarez, Hiſp. p. 449
P.Petrus Martinez, Hiſp. p. 443
P.Petrus Romerus, Hiſp: p. 508
P.Raphaël Ferrer, Hiſp. p. 462
Renatus Goupil, Gallus. p. 510
P.Rochus Gonzalez, Paraquarienſis. p. 479
Sanctius Savallius, Hiſp. p. 449

ERRATA ità corrige.

Pag. 4. Columnâ 2. lineâ 12. *quarto Calendas Novembris.* lege, *decimo quarto.*
Pag. 7. Col. 2. lin. 14. à fine, *proies.* lege *proles.* & lin. 9. à fine, *cuju,* lege *ejus.*
Pag. 11. Col. 2. lin. 3. à fine, *evadendas caſſes intentas.* lege *evadendos intentatos.*
Pag. 19. Col. 1. lin. 18. *unpe ſdeciem.* lege *unde ſpeciem.*
Pag 50. Col. 1. lin. 7. *ignito clavo,* lege *indito.* Et lin. 12. *operiri.* lege *opperiri. Idē alibi corrige.*
Pag. 62. Col. 2. lin. 25. *plurim.* lege *plurium.*
Pag. 86. Col. 2. lin. 32. *conſuleritis.* lege *conſuleretis.* Et lin. ultimâ *in.* lege *nî.*
Pag. 114. Col. 1. lin. 2. *recepi.* lege *recipi.*
Pag. 122. Col. 1. lin. 12. à fine. *enitivit.* lege *enituit.*
Pag. 139. Col. 1. lin. 18. *ſuppellex.* lege *ſupellex.* Item pag. 173. Col. 1. lin. 34. In Præfatione ad Aſiaticam Societatem lin. 12. à fine *ſubj ugum.* lege *ſub jugum.*
Pag. 219. Col. 2. lin. 22. à fine. *Sacerdos.* lege *Sacerdotes.*
Pag. 223. Col. 1. lin. 24. à fine *curat.* lege *curata.*
Pag. 290. Col. 1. lin. 5. à fine. *orationis.* lege *orationes.*
Pag. 291. Col. 1. lin. 31. *ea perſcribenda.* lege *eas perſcribendas.*
Pag. 293. Col. 1. lin. 13. *turbidine.* lege *turbine.*
Pag. 315. Col. 2. lin. 6. à fine. *24. Febru.* lege 22.
Pag. 327. Col. 2. lin. 5. *novas.* lege *novus.*
Pag. 330. Col. 1. lin. 31. *ſufflaminabat.* lege *ſufflammabat.*
Pag. 333. Col. 2. lin. 5. *ſubjectus.* lege *ſubjectas.* & lin. 10. *confuſum.* lege *confuſam.*
Pag. 334. Col. 1. lin. ultimâ. *domeſti.* lege *domeſtici.*
Pag. 354. Col. 2. lin. 9. *ſubgeit.* lege *ſubegit.*
Pag. 367. Col. 2. lin. 42. *28. Octob.* lege *26.*
Pag. 373. Col. 2. lin. 27. *calamitantis.* lege *clamitantis.*
Pag. 382. Col. 2. lin. 3. *famosâ.* lege *fumosâ.*
Pag. 391. Col. 2. lin. antepen. *lapſus illi eſt totus annus.* lege *totus Martius Anni.*
Pag. 392. Col. 1. lin. 4. & lin. 21. *A. 1636.* lege. *1635.*
Pag. 398. Col. 1. lin. 7. à fine. *voluitq; centum diſciplinis.* lege *vovitq; centum diſciplinas.*
Pag. 400. Col. 2. lib. 4. *uno è Japonibus.* lege *cum uno.*
Pag. 406. in titulo. *P. Andreas Moureira.* lege *P. Amarus.*
Pag. 472. Col. 1. lin. 12. *Purificatæ.* lege *Præſentatæ.*
Pag. 476. Col. 1. lin. 25. *Purificantis.* lege *Præſentatæ.*
Pag. 519. Col. 1. lin. 21. *ſupplicantibus.* lege *ſuſpicantibus.*

Benevole Lector, hæc ferè ſunt, quæ in decurſu hujus operis ſenſum quodammodo immutare videbantur. Irrepſerunt præterea nonnulla, præſertim quæ Orthographiam concernunt; hæc apud te ipſum gratiosè excuſa & emenda.